1. No subject

Digitized by Google

BWBH
A31.E3
AMMIANUS
V. 1
Digitized by Google

AMMIANI MARCELLINI

QVAE SVPERSVNT

CVM NOTIS INTEGRIS

FRID. LINDENBROGII,

HENR. ET HADR. VALESIORVM

ET IAC. GRONOVII

QVIBVS

THOM. REINESII QVASDAM ET SVAS

ADIECIT

IO. AVGVSTIN. WAGNER

EDITIONEM ABSOLVIT

CAR. GOTTLOB AVG. ERFVRDT

ASTOR LIBRARY
NEW-YORK.

TOMVS PRIMVS

LIPSIAE CIↃIↃCCCVIII.

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

LONDINI APVD I. PAYNE ET MACKINLAY

ET W. L. LVNN

Digitized by Google

Digitized by Google

IN

AMMIANVM MARCELLINVM

NOTAE INTEGRAE

FRID. LINDENBROGII

HENR. ET HADR. VALESIORVM

ET IAC. GRONOVII

QVIBVS

THOM. REINESII QVASDAM ET SVAS

ADIECIT

IO. AVGVSTIN. WAGNER

EDITIONEM ABSOLVIT AC NOTAS PASSIM ADDIDIT

CAR. GOTTLOB AVG. ERFVRDT

TOMVS PRIOR

AD LIBR. XIV — XXII.

LIPSIAE CIↃIↃCCCVIII.

IN LIBRARIA WEIDMANNIA

LONDINI APVD I. PAYNE ET MACKINLAY

ET W. H. LVNN

Digitized by Google

LECTORI S.

Ammianum Marcellinum perpetuo illustratum Commentario edere constituerat Ioannes Augustinus Wagnerus, Vir desideratissimus, quum, absoluto paene opere, caussis quibusdam iisque non levibus, quas enumerare nihil attinet, ab illo dimoveretur consilio. Neque tamen multo post, monitus ab amico, ut quas Gronoviana editio, rarissima illa, complecteretur, virorum doctorum animadversiones integras exhiberet, suis adjunctis observationibus, ad scriptorem sibi dilectissimum reversus est, initaque de libro redimendo cum Weidmannianis pactione id sibi

Digitized by Google

putavit faciundum, ut non modo Commentarium, addendo, tollendo, ad mutatam editionis rationem accommodaret, verum etiam loca ſcriptorum a ſuperioribus interpretibus pro illorum temporum conſuetudine admodum leviter excitata curioſius indicaret, adſcripto fere capitum, et ſicubi opus eſſe videretur, paragraphorum numero. Atque ex hoc quidem genere plurima ipſe extremo vitae tempore profligaverat, in retractando autem Commentario non ultra Lib. XIV. progredi licuit. Aucta enim in dies virium imbecillitate inſtantem praeſagiens mortem, uti de aliis rebus quam diligentiſſime ſtatuerat, ita ne, ſi quid ſibi accidiſſet, deſtitutus jaceret Ammianus ſuus, pro eo quo me complectebatur amore me ſibi hoc in opere ſucceſſorem eſſe voluit.

Supereſt igitur, ut paucula quaedam, quae ſcire lectorum intereſſe poſſit, ipſius Wagneri juſſu adjiciamus. Huc referendum eſt primo, quod, qui ex Gronovii aetate in Ammiano vel corrigendo vel illuſtrando ver-

Digitized by Google

ſati ſunt, eorum labores, quotquot ad manus haberet, conſuluit atque in uſum ſuum convertit: quibus copiis ineditae acceſſerunt Reineſii obſervationes a Chriſt. Godofr. Müllero, Scholae Cizenſium epiſcopalis Rectore meritiſſimo, perhumaniter transmiſſae. Neque in aliorum commentis acquieſcendum ratus ipſe quoque nonnullorum corruptelam locorum ſanare ſtuduit, ea tamen uſus moderatione, ut ſuas non magis quam alienas correctiones temere in textu reponeret. Denique gratiam ſe ſperavit a lectoribus initurum, ſi, quantum in ipſo ſitum eſſet, eorum proſpiceret commoditati. Quod cum factum eſt diſpertiendis in paragraphos capitibus, quorum tantae nonnulla ſunt longitudinis, ut duodecim et plures etiam paginas occupent, tum eodem conſilio Indices adjicere placuit duos, alterum hiſtorico-geographicum, alterum, qui pertineret ad Imperii Romani ſtatum aulicum, civilem et militarem, qualis Ammiani temporibus fuit. Ille et auctior eſt et emendatior eo, quem Gronoviana ſubnexum ſibi habet edi-

Digitized by Google

tio, hic ad exemplum Erneſtiani Indicis Dignitatum, quam appellationem ut minus commodam noluit retinere, novo ſtudio et proprio judicio confectus.

Vale, Lector, et fave. Scr. Merſeburgi d. XXIV. April. ciɔiɔccccviii.

M. CAR. GOTTLOB AVG. ERFVRDT,
Gymnaſii Merſeburgenſis Conrector.

I A C.

IAC. GRONOVII

AD

COSMVM III

MAGNAE ETRVRIAE DVCEM

DEDICATIO.

Eam iudicavi esse Ammiani Marcellini rationem, ut sui pariter et mei animi interpres ire posset, ac congesta in utrumque beneficia fatendo publice ac memorando in Principale Auditorium Tuum perferre iustam reverentiae privata religione hucusque cultae significationem. Haec votorum, quae per complures annos coacervavimus, summa; haec spes, cui iamdiu imminemus, etsi magnae felicitatis capax, tamen eo minus improba, quod infinitam salutaris dexterae Tuae benignitatem experti coram et admirati, ne nunc quidem ab ea adoranda nos remotum iri pro pietate nostra credimus. Utique hic ille vir est, qui non in ipsa vitae actione tantum sequutus exempla veterum vicinae Tuae Romae civium, sed etiam in hoc sermone, qua licuit, presse adhaerens optimorum vestigiis, earum rerum nobis reliquit planam historiam, quae quum sint dignissimae cognitu, tamen earum magna pars aut penitus nunc esset ignota, nisi ipse intercessisset, aut nonnisi tenuibus et invalidis coniecturis per quorundam potius alluſiones, quam narrationes

Digitized by Google

ſpectanda. Caeterum incredibile dictu eſt, quemadmodum ante hoc ſaeculum nimis inſigni foedatus caligine et fere in perpetuam valetudinem lapſus lingua ſimul et ſententia infeliciter titubaverit, dum quod aerugo vetuſtatis aut exedens obſcuraverat aut intervertens ab conſpectu amandaverat, alii ſuo potius tactu quam ex legitimis monumentis replent et infulciunt, miſerrima lancinatione Ammianum torquentes. Nec ab eo contagio refici potuit, niſi hoc ipſo demum ſaeculo; in cuius exordio, petita velut medicina ex eadem regione, unde tantum non omnia doctrinae inſtrumenta lucem hauſerunt, felice Tua, Clementiſſime Princeps, Etruria, purgatior exire coepit. Tunc quidem eius cauſa non tralaticie aut leviter acta eſt, ſed prudenti conſilio et induſtria memorabili. Nam ne unius tantum ſe crederet arbitrio, verum quoscunque advocaret ad lectionis antiquae repetitionem, ſuspenſa in propatulo tabula, quae excerptas mirabilis in Regia Tua chirographi et ſingularis fidei notas exponeret omnium conſpectui. Sic falſus iſte et evulgatus cento, qui univerſam auctoris manum illepide ſuppoſuerat et turbaverat, disceſſu et varietate admodum conſpicua ſignabatur ferme pudorem iniiciens eruditis hominibus, ut ſanctius et lenius in Ammiano conſulere conantes incenderent animum ad inventionem latentis. Hoc vexillo inde primum ſublato, quum adhuc eſſet in exſpectatione recipiendi ab eadem manu melioris nitoris, interceptus in alia terrarum plaga, ad Sequanam detentus et poſſeſſus, non aliter quam ipſe quondam illic depreſſus Iulianus Caeſar, nequivit ingenua libertate uti. Quaecunque enim cura, et illa ſane, quod negari nequit, peregregia, iſtic cum poliverit, opinari fas eſt non deſiiſſe eum anhelare et fere quiritando poſcere, ut permitteretur gratias agere loco primae poſt maguam longam-

Digitized by Google

que vexationem reſtitutionis ſuae non tantum arbitro, ſed etiam auctori. Neque dubito nunc eum id tanto inſtantius ardere et flagrare, ut illud celebre eruditionis bonae archivum S. Marco dicatum duce Lindenbrogio adiens ſalutet ea mente, qua naufragus ſervatorem ſuum, quoniam poſt tot annos videt illi praeeſſe Eum, qui ſicut putat ſuae fidei eſſe cavere, ut providentia et benignitate ſua pergat conſtare ei loco iuſta ſanctitas ſimul et exemplaris antiqui cuſtodia, ita hereditariae ſuae clientelae ſimul et tot aliorum ex antiquis ingeniorum caerimoniam non ſit averſaturus.

Si verum fateri licet, hoc id ipſum eſt, Domine, quod acerrime concupivi; hoc, quod amore Ammiani intelligere expeto: et ſi ita ſub hac umbra admittar, ut fruar deſiderio imae mentis meae ad revelandam Sereniſſimae Celſitudini Tuae voluntatem diu indebite occultatam, ſummam felicitatis meae tetigero. Gero enim pectus non ficto aut fatuo furore, non Delphici cuiusdam caloris vecordia, ſed Tuo, Optime et divinitus ad bene merendum de generis humani optima parte conſtitute Princeps, tam praeſenti efficacique in me numine, Tua indulgentiſſima munificentia anhelum inflatumque. Hanc gratiſſime mihi incumbentem vim, et non comas, ſed concepta ſancte vota iactare effarique compellentem ſi non excutere, utique lenire hac aperta profeſſione ſpero, ut in iſto religioſo tot pie faventium linguarum concentu, quae continenter ſe ad Tuos, Princeps Benigniſſime, tholos ab omnibus undiquaque Muſis mittitur, ſibilum murmurque minimum, ſed caſtiſſima meditatione nuncupatum proferam.

Deprehendebam ita comparaviſſe ſecretam fati vim, ut antiquitati Romanae Graecaeque, hoc eſt, maximae parti earum rerum, quibus connexa et

colligata est politura nobilium animorum, plurimum per omnes aetates contulerit Etruria Tua. Graecos vero in primis, immenso quodam humanitatis cognoscendae studio instinctos semper homines, quum per reliquam Italiam multiplices se effunderent, versus eandem Etruriam Tuam progredi, illic colonias condere, et non tam sua instituta illuc inferre, quam Genio quodam telluris fausto eos allicefacienti se committere et ab illa regione plenam elegantiae suae culturam petere mirabiliter laetatos videbam. Quae quidem quum sint sic vetusta, ut universus tamen quorumcunque saeculorum ordo circumferat eorum experientiam; tum animadvertebam nostris temporibus ita constitutum esse, ut instrumenta huius iucundi laboris, libros nempe et quidquid eorum sive per Graecos et Graeci sermonis interpretationem, sive per ipsos Italos et Latinam linguam ad memoriae veteris custodiam residuum nobis est, unica Etruriae Tuae cautela et fotu ab internecione vindicatum esse. Etenim Deo auspice illud assecutus eram, ut profectus meos negarem includi intra unius, ut solent, septi satis arcti metas, sed libere spatiando optarem mihi non ignota esse, quae per tot centenos annos in tanta licet iactura omnis munditiae, tot barbarorum vastationibus, tot tyrannorum, quos ante omnia contra bonos libros potestatem suam omnem permisisse legimus, aerumnosis imperiis, non sine coelesti cura servatum tantis laudibus ab nostrae et praecedentis aetatis viris doctis efferri observabam. Harum rerum consideratione et ipse excitatus, nec ex muto sanguine me proveniisse cogitans, tota iuventute mea flagraveram in illud imperii Tui penetrale velut sacris rebus secedere, et quum annis id ipsum hortantibus facultas non deesset, quasi Deo monstranti me concessi. Quae illa fuit hospitalitas Musarum Etruscarum? quae illa vita mea? quam

Digitized by Go

ſuper omnem opinionem literata iſtius temporis ſtudiorum agitatio? Quum, ut vere dicam, ſtudere demum didici, hoc eſt, animadvertere, quid is, qui feliciora et his reconditis libris inſtructiora loca ſequitur, intereſſet illo, qui domi habitans ſatiare ſe poteſt ſola contemplatione eorum, quae ab typographis accipit, ultra horum aetatem nihil penſi habens. Iſta illa calamitas eſt, qùae in his quidem terris nimias ruinas edit. Hinc aliquid ex iuſto admirari, hinc verum probumque et fortunas fataque negotii, quod tractamus, recognoſcere prohibemur. At ibi in ſingulas horas licebat contemplari, quam vane et incondite ab occidentali Alpium latere a me tractata eſſent, et ab omnibus etiam aliis, quin et cum maxime tractarentur antiqua ſcripta ab maximis ingeniis ad poſteritatem prodita et tantarum impenſarum praeſidiis per manus ſparſa. Quanta cura nomino illos dies, illos feſtiſſimos dies, quibus Herodotum coepi intelligere ſimul et ab nullo intelligi cognovi? O venerabilia iſta momenta, quae mihi Polybium, Arrianum, Aelianum, Dionem Caſſium aperuerunt, quos omnibus aliis clauſos noram! Quam fauſtae illae horae, quibus Aeneae, Hierocli, Artemidoro operam dare potui, ut ipſos aperte plana voce ſermocinantes narrantesve audirem? Tunc mihi ad liquidum dulcis fui. Tunc imaginari potui ad iſtam abſolutionem vitae, quam ſapientis eſſe ſtatuebant, me propinquaſſe, quum nullis umbris aut tenebris cognitionem eius, quod antehac inſcrutari arcebar, vetantibus liceret perfectam Gratiarum omnium Venerumque, quibus audieram referta eſſe ſtudia, amoenitatem affluenter haurire, et oculos ſimul manusque ac pedes paſcere peragrando illa tam nobilitata ſcriniorum S. Laurentii ſpatia. Quid quum occurreret illa turba variarum rerum tantopere profutura, ſi non lateret, quas nec fando

Digitized by Google

indicari audiveram, nec appellationes unquam perceperam? Haec profecto quum partim adspicere et recensere, partim in alias chartas coniicere chirographo meo liceret: nonne iure opinabar Idaeorum Dactylorum nomina notitiae meae adfundi? Eorum maiestate vitam ab terroribus servari immerito et fatue statuebant gentiles. Ego vero tum non magis praevidi, quam postea expertus sum in illis tranquilli otii, in illis arcanae sapientiae, in illis vitae convenienter agendae et principia et profecto firmamenta esse. Equidem in ista prolusione adeo me haec explebant, ut omnium aliarum rerum immemor in novos verosque non Hesperidum, sed Copiae ipsius aut Minervae Paciferae hortos delatus frui tam sancto nominum et laborum priorum consortio gestirem, singula scrinia velut altaria totidem altitudini ingeniorum ab Divis Heroibus Mediceis dicata spectans, inter quae tanquam Brachmanum aliquis, ut ipse testatur hic scriptor, spatiatus et operans nihil morarer alias causas, ob quas peregrini Italiam visitant. Quin etiam potuit hic adfixus illi augusto Camoenarum receptaculo animus Celsitudini Tuae placere; utque nutriendo propagares, Domine, hanc adsiduitatem meam, et quidquid tacito secessu colligerem, in usum aliquem referretur, qua non auspiciorum Tuorum felicitate, quibus non munificentiae experimentis me succinctum vivere iussisti? Quae quum et immensa fuerint omnia, numerumque et sermonem meum excedentia, tum in eis ut semper recordatione exsulto, ita nunc verbis etiam indulgendo luderem, nisi, dum id paro, sentirem me moesto quodam aculeo pungi, memorans et considerans non modo quam Tua Sereniſſima Celsitudo me locupletarit, sed simul quod iis ereptus sim. Et tamen confirmata contra confusionem mente quotidie et loquor et memoro, et quae usui, quae ornamento ex

Etruria Tua mihi evenerunt, tanto promptius proniusque refero, quod etiam aliena identidem ſcripta hanc memoriam ubique inculcent profitentia eandem ſuam ex Etruria laetitiam; in quibus vel praecipuus exſtabit ſemper hic Ammianus Marcellinus, qui ad notionem quoque meam poſt tot alios pertinere ſe ratus, auxiliatricem Florentiam ſingulis paginis loqui et cum voluptatis multo ſenſu iactare per octoginta annos duravit, nulla unquam intermiſſione ne poſthac quidem deſiturus. Propterea dum uterque ſic obligatus quaerit officium facere, ad aram Clementiae ac Benignitati Tuae Sereniſſimorumque Maiorum Tuorum ab tot ingeniis illic ſervatis erectam et tam bene utiliterque ſibi cognitam hic ipſe Ammianus in Cyri preces effuſus rogat, ut accipias ΤΑΔΕ ΚΑΙ ΤΕΛΕΣΤΗΡΙΑ ΠΟΛΛΩΝ ΚΑΙ ΚΑΛΩΝ ΠΡΑΞΕΩΝ ΚΑΙ ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ: et ego hanc, quam ipſe nobis vitae, indolis et rerum ab ſe in Aſia et Europa peractarum reliquit effigiem, prout fieri licuit, nunc mea etiam manu politam Celſitudini Tuae conſecro ex officio iuſto, pioque et debito, ex animo quem largitate liberalitatis, quem tantis affluentiſſimae prolixitatis exemplis addictum devotumque Tibi feciſti; Deum venerans, ut omnibus rebus felix aeternum Fortunam adeo conſpecti Imperii Etrusci domeſticam habeas, videasque Mediceam gloriam excelſiſſimis laudibus ſuffragatione ipſius Dei illuſtratam quotidie magis magisque vigere et florescere. Lugduni in Batavis a. d. XIV. Kalend. Decemb. CIↃIↃCLXXXXII.

IAC. GRONOVII

PRAEFATIO.

Quum ex Ammiano Marcellino magna et crebra oblectamentorum cauſa citeriori vitae meae acciderit, libens feci, ut haec noſtra familiaritas innotesceret publice, et velut ad vicem reddendam partes aliquot horarum nunc mearum, quas ille plurimas antehac refecerat, illi concederem, eo conſilio, quo nitentiora et ſpecioſiora exſtarent reſidua hiſtoriarum eius volumina. Hoc illi videbar debere, viro, in quo cernebam propoſitum contra ſua ſaecula magnificum et excellens. Etſi enim quae alii de eo ſcripſerunt, nec mea faciam, nec advertere velim, et in iſta ominum praeſagiorumque fallaciſſimorum obſervatione omnia alia mallem; videam quoque in illo eſſe aliqua neſcio qui felici noſtrae politurae nonnimis congrua: tum adverti refert eum vixiſſe iſto tempore, quo Latina ſtudia vix fuiſſe dici oportet, aut omnia arctabantur anguſtiis epitomarum, hoc eſt, degeneris inertiae ſocordia, et illam urbem, quam Aeternam laudat, Venerabilem et virtutum omnium domicilium, obſidebant aerumnoſae et exſecrabiles ineptiae omni vigore animi peſſumdato, et nihil iſtic ad priorem magnificentiam. Quod ſi quos mens melior tamen evcheret, quidquid id erat, ad blanditias auribus principum praebendas modo adhibuiſſe cernimus. Tali noſter tempore quid magis mirer, utrum ſuſtinuiſſe mente concipere tam nobilis ac diuturni la-

boris opportunitatem, an etiam ſubire alacriter et exſequi? neque id ita, ut videri queat temere effudiſſe aut inconſulte proſiluiſſe ad hoc munus, ſed mente Herculeo ſtudiorum robore bene et diu firmata, et ad hanc efficaciam circumſpecto iuſto et, ut ipſe loqui ſolet, impetrabili apparatu. Ille ſine dubio multum diverſus ab reliquorum ſimul militantium otioſa imperitia, ſub pellibus tempora diſtinguendo in certas operas, et ubi res poſcebat, Martem; ubi quies dabatur, Palladem aemulando, et occaſione praeſidiorum variarumque expeditionum, regiones, gentes, mores, hiſtoriam priſcam et ſui ſimul temporis perdiſcendo, exemplum veteris Romani ſive militis ſive ducis ne inſtante quidem praelio ſtudia Graeca perinde ac Latina omittentis retuliſſe ſibi placuit, ut hinc ſecus aut recte facta vel Principum ipſorum vel Optimatum valeret conſulta ratione aeſtimare: incolasque Romani imperii vel ultimo hoc ſpecimine veteris ingenii admoneret gloriae et moris maiorum, ut in profundo otio ſcirent aliorum ſcripta aeque ac Iuvenalis et Marii Maximi contrectanda eſſe; ſimul hortaretur, et in calamitatibus tam praeſentibus, quam gravioribus poſt venturis ſolatia adferret ſtimulandis animis, ne antiquitatum ignari facile deſponderent, utque ad priſcam tuendae patriae fortitudinem revocarentur. Hoc res ipſa fatetur, et palam tota eius ratio clamat. Adeo nihil indignius potuiſſe pronuntiari exiſtimo, quam quod nupera Pariſina praefatio edidit, Ammianum denique, quum poſt ſacramentum hanc rem arripere cogitaret, tum demum ut miles quondam ac Graecus Latinae linguae ac hiſtoriae Romanae magis adſueſceret, Catonem maiorem vel Cenſorium, Caeſaris commentarios, Salluſtium, M. Tullium Ciceronem diligentiſſime legiſſe. An quia natus et educatus Antiochiae fuit, ubi et Gallus Caeſar dicitur veſperi per tabernas

Digitized by Google

palatus et compita quaeritaſſe Graeco ſermone, et hinc Graecum ſe vocat, in ea urbe tunc non erat uſus Latinae linguae? aut an Romae tunc ita utique loquebantur, ut nunc ſcribit Ammianus, ex illis barbaris, quae illuc influxiſſe ipſe in his libris annotat nominibus, plurima corrupta fuiſſe innuens? Fuit Graecus, ſed utique fuit ingenuus, ut ſe ipſe deſcribit, ac bene natus, ut Henricus Valeſius, neſcio cur etiam de vitio eorum, qui provecta iam aetate ad ſtudia ſe conferunt (quod utique ipſe neſcivit) aliquid iactans probat, et hinc cur non ad utriusque linguae peritiam educatus? unde quanquam Graecum ſe dicat aliquoties, tamen libro XXII cap. 9. §. 7. ſcribens *quod cadere nos dicimus*, non ſe eiurare Romanam demonſtrat originem. Quaſi non operoſa moles, varietas rerum, ſeries hiſtoriae per tot plagas terrarum euntis, ſincera fidei ac veritatis cautela, ipſa magni animi declaratio, in his ſcriptis mirabiliter elucentes, immo ipſa loquutio ſi non optimi ſaeculi et commatis, utique ſic elaborata, ut pateat non temporariam ac repentinam tunc fuiſſe, non brevi puncto arreptam, ſed cui ab longo tempore melioribus incumbendo adſuerat, ferme enuntians univerſo bellicae vitae tempore ſuas occaſiones in variis commoditatibus laxatisque auctorem ſecreviſſe, quas ſerio impenderit ſibi, ut iam tunc forſan commentarios, poſtea quandoque dilatandos et venuſtius facundiusque ornandos, ſenſim collegerit. Ita per militiam conſummatus, ne digreſſus ad larem tranquillum periret otio, aut ut alios feciſſe tunc Romae oſtendit, multa placentia aut aliena referendo in circulis tempus tereret ac pleraque falleret, integritatem animi ſcrupuloſa hiſtoria ſcribenda declarando, maluit agere cauſam poſteritatis.

Unde ſane etiam dignus erat, ut in hoc fretenſis Oceani accola populo, quem nonniſi de meliore

nota noviſſe ſe oſtendit, Batavos et fere perpetuo una cum his tendentes Erulos, etſi regionibus et origine discretiſſimos, virtute tamen et militari gloria convenientes iunctim memorans, ederetur ad cognoſcendam propinquioris temporis, prout facultatem praebet, rationem, et multiplicia ſupplementa tirociniis exercituum Romanorum ex his brevibus regionibus, quae inde quoque exinanitae tandem fuere, petita ad ſuffulciendas ubique ruinas labantis imperii. Hic, inquam, merebatur publicari (et iam olim aliorum eandem conſtat fuiſſe ſententiam) Ammianus ille, non nudus ut quondam et multitudine foediſſimarum ſordium oblitus, ſed quanto ornatu fieri poterat, veſtitus et purificatus. Quod certe noſtro ſaeculo contigit, quo hiſtoriam illam praeclari duoviri tanta caſtitate verſaveruut, ut quum ineunte etiamnum eo nonuiſi confuſa quaedam ingenuitatis ſuae lineamenta praeferret, vel potius ex male commixtis quibusdam literis haberet compoſitos verſus incantamenta anilia et incongrue quaedam muſſanda magis, quam articulatam bonae mentis expreſſionem et ſententiam humanam continentes, nunc egregie ſeſe ipſe cognoſcat, et inſtar redivivi phoenicis aut exſulis renati poſt tredecim ſaecula oſtentet. Itaque horum memoriam adoro, et cum perutili et peregregio emolumento evulgatas lucubrationes exoſculor. Has cedro dignas, has refertas bonis ſtudioſorum adiumentis et varietatis in docto homine flagitandae ſpecimen praeferentes, has denique ad eruditionem, ſapientiam et eloquentiam ſemitas planiſſimas et unicas cenſeo, et quod in me eſt, expertus ſum. Sic quum tota aetas mea ſaepe gratias egerit Friderico Lindebrogio et Henrico Valeſio; tamen gratulatus plurimum fui huic ſcriptori ſimul et ipſis commentariis, quum ante decem annos Pariſiis omnia ab Valeſii fratre inſtaurari non ſine eximia acceſſione

intelligerem; quippe quod non dubitabam, quin et ex codice antea non viſo melius aliqua procederent Ammiano; et ipſa commentaria ab ſecunda manu, quam per tot annos ab auctore nunquam earum immemore acceperant, perpolita et aucta exſpectabam. Quod utrumque egregie praeſtitum poſtea cum gaudio vidit mecum et agnovit univerſa cohors, quam ſanctior Minerva detinet. Atque hinc potui librario auctor eſſe, ut curaret multiplicata quocunque modo iſtius editionis exemplaria in officinis his exſtare. Sed quum ille huc me adigeret, ut aperirem, an non aliqua illic poſſent meliora conſpici, idque ſi poſſet a me potiſſimum contenderet fieri, debui cum illo agere ſimplicius, quod nunc apud te, mi lector, repetam, ut ſcias, quibus in partibus aliquid in nitidiſſima illa editione potuerim deſiderare, et ſpernere ut nimis glorioſe ab Hadriano iactitatum, iſtam editionem cunctarum priorum editionum bona complecti, earundem vero vitiis carere, ut ſcribit in fine ſuae praefationis.

In primo non potui ignoſcere Hadriano, quod quum alia chartae forma, alio conſpectu et ſitu notarum uteretur, quam uſus fuerat frater Henricus (cuius notae procuſae ſunt ſingillatim poſt abſolutum Ammiani contextum, et qui citationes variorum locorum hinc accommodaverat ad illius ipſius editionis paginas, ut fieri decebat) hic eosdem numeros paſſim reliquerit, quum et charta non ſit τετράπτυχος, et plane materia ab illis numeris et ſcopo Henrici abhorreat, longe aliud ac diverſum in iſtis allegatis paginis continens. Unde fit, ut quoties (idque contingit infinitis locis) in notis Valeſianis fit citatio alicuius loci ex Ammiano, toties nugaci naevo ſe inquinet. Quam enim foedum eſt, quum editionis Pariſinae pag. 49 ponatur Valeſiana nota, in qua ſcribitur [Vide Marcellinum infra p.

Digitized by Google

31] quod ibi fit in nota ad voces *Galli periret avunculus*, quum ea pagina iam tantopere antecesserit? Nonne indecorum est, quod in illa editione scribitur libro XXVII cap. 5 pag. 484 ad vocem *Mysia* [de qua Marcellinus in lib. XVII pag. 140]? quum ista pagina ibi incurrat in librum XVI; tanto indecentius, quod Henricus in editione sua recte citaverit pag. 104. Etsi profecto hac in re non modo negligenter fuerit apparata ista editio; sed etiam intolerabiliter quodammodo audax, nescio cuius interventu, ut saepe citatio ab Henrico immissa, nuper fuerit deleta et omissa. Sic quum scribit Henricus in sua editione pag. 399, quae incidit in principium libri XXX, ubi ostendit *inexplicabile* subiectum pro *inexpiabile* [Idem error lib. XV pag. 35 insedit] inde posterior haec editio pag. 585 quintam vocem cum postremo numero expulit: item in nota sequente de τῷ *cuppediae* quum notet Henricus [hic et in lib. XXVI pag. 311] voluit frater tantum edi [hic et in lib. XXVI]. Nec adverti, nisi semel mutavisse, nempe in libro XXXI cap. 12, ubi notabat Henricus de verbo *recingi*. Certe mutare debuerat vitiosum illud, quod occurrit in nota ad libri XXVIII cap. 3 pag. 525 voces *In locum Valentis Iovini*, ubi scribit Valesius [Movet me locus, qui est in p. 370] ubi nihil est quod ad hanc rem facit, et pagina 307 incurrit in locum libri 25, quem citavit; ut nesciam, quid velit.

Secundo occurrebant in Valesianis commentariis aperti quidam errores sive typothetarum sive ipsius scribentis; quos quum iure sperarem emendatos esse, aut saltem signo aliquo demonstratos, tetrum in modum deprehendi illic non modo relictos veteres, sed novos accessisse. Sic libro XV cap. 4 §. 4 de finali libramento apud Henricum nominatur Antonius Loisellus, in nova Parisiensi Antoninus. Sic libro XXXI cap. 13 §. 1. ubi notatur de

Equitio, nunc primum ex chirographo Henrici additur [*Atque ita citat Crispinianus in fastis*]. Libro XXIII cap. 5 §. 13. citat Henricus verba *Interpretes arcessit*, et notat [Lege *arcessiti interrogatique*, ut habet Editio Augustana]. In quo falsus fuit Vir optimus. Legitur enim clare in ista editione *accersiti*. Quod tanto notabilius, quia Hadriano ibi placuit addere, in codice Colbertino sic legi.

Libro XXI cap. 10 §. 3. Hadrianus novam notam fratris protulit ad verba *in angustias tumidosis collibus desinentes*, ubi diversa confudit in unum. Nam omnia illa verba [Apud Nicephorum in libri 9 capite 13 legitur σούσακις non multo melius quam apud Socratem, ex quo id Nicephorus exscripsit. Unus Philostorgius in libro III recte nominat Σούκεις Αλπεις: sed Nicephorus et heic quoque Σουσάκεις praetulit] non pertinent huc, sed ad praecedentem notam de Succis, et illuc relata volebat Henricus, quacunque etiam paginae parte notaverit.

Libro XXII cap. 8 §. 34. sunt Ammiani verba *immolantes advenas Dianae, quae apud eos dicitur Oreiloche*, ad quae aliquid notans Henricus, scribit inter alia [ipsam autem Iphigeniam sacerdotem sua Tauropoli constituit] in quibus sententia nulla est: nec tamen sustinui quidquam mutare, quum potuerit aliqua mutavisse Henricus, quae perperam sunt publicata. Attamen in editione ipsius Henrici erat *sacerdotem Dianae Tauropoli*, idque cum laceris Antonini verbis affatim congruit. Contra non potui non corrigere, quod in nova fratris nota ibidem ad libri eiusdem cap. 16 §. 20. voces *Hic primum homines ad v. religionum incunabula pervenerunt* ex Eusebio profert sic Hadrianus, Ας πρῶτοι μερόπων ἐπ' ἀπείρονα πρῆξιν ἔφι, quum certe ipse non magis potuerit ultimam vocem intellexisse, quam intellexit lib. XXIII cap. 5 ὑφάνισαν, ut ille edidit, quum in fratris editione prior litera esset

Digitized by Google

maculoſe expreſſa in nota ad voces *ut ſuadere nobis laboret* etc. unde prioris loci notam tanto iuſtius expuli, quod aliter ſit in ipſo Euſebio, ut illa quidem duo ex vero correxerim. In libro XXV cap. 6 §. 8. notat Henricus in editione Romana *Chartam* legi. At plane in ea expreſſum eſt *Charram*. Sic libro XXVI cap. 8 ipſi Valeſii neſciunt, utrum velint Maſcizelem, an Maſcezilem; quippe utrumque ibi tenentes in utraque editione, idque propterea etiam ipſis donavi. Et quis non credat Hadriano placuiſſe ludere in ſcriptis fraternis, dum in nota ad libri XXXI cap. 2 §. 13. voces *Hoc tranſito* ſuſtinuit edere [Nam Europaeos Alaunos vocat a montibus Alanis ita dictos: Aſiaticos vero Alaunos Scythas ab Alanis montibus] quum Henricus ediderit [Nam Europaeos Alaunos vocat a montibus Alaunis ita dictos: Aſiaticos vero Alanos Scythas ab Alanis montibus]. Quorum haec poſterior conſtitutio certe ut ex Ptolemaeo petita eſſe dicitur, ſi recte cum eo convenit, non prior: ſed meum non fuit, omnia curva corrigere.

Sic quum iſta pulchra et ſibi placens editio tractaverit manum Henrici Valeſii; refert etiam ſcire, quomodo curaverit ipſum Ammianum, quod quidem iam rei caput ac ſumma eſt. Patet vel ex libro XXIX cap. 6 §. 3. ubi ſola iſta ex omnibus editio, *munimentum absque una cauſatione conſurgeret*, ſatis inepte, quum reliquae *ulla*. Quum libro XXX cap. 4 §. 12. habeant illae *cum Evandri matre abhinc ſaeculis obrutas multis*, haec nunc protulit et in Latinitatem invexit *adhinc*. Libro XIV cap. 9 §. 2. quum Henrici editio aliaeque legant *ſed ſi quid auribus eius huiusmodi quivis infudiſſet ignotus*, Hadrianaea maluit *quidvis*. Libro XVIII cap. 7 §. 9. editio nuperrima habet *niſi quod in puteis aqua repetitur exilis*, ubi priores ſervant *reperitur*. Quod ut eſt exiguum, ita gravius peccatur in verſu

Digitized by Google

ſequente, ubi edit *iamque ſuorumque duritiae fiducia transituri*, quum priores *ſuorum duritiae*. Denique in eodem capite §. 10. edidit *Bargala*, ubi anteriores *Barzala*, etiam ipſa Romana huc alludente *Barczulos*. Libro XIX cap. 4 §. 4. nunc volunt legi *Peloponeſiaci*, ubi Henricus et omnis prior memoria *Peloponneſiaci*. Libro XXIII cap. 6 §. 80. legitur in aliis *minaces iuxta in adverſis rebus et proſperis*; ſed Pariſina illa vult omitti coniunctionem *in adverſis rebus proſperis*. Libro XX cap. 4 §. 14. edidi *Nocte vero coeptante in apertum erupere diſſidium* ex Lindebrogiana et Auguſtana, quum utraque Valeſiana *diſcidium*; at omnes ibi dicuntur ſimul manſiſſe, ſed concitatos fuiſſe animos ad ſeditionem et converſos ad tela ac manus. Denique an non notam negligentiae praefert iſta mirifice varia inſcriptio in ſummis paginis libri XXII? ubi videbis modo DN. CL. FL. IULIANUS PIUS FELIX AUGUSTUS, modo IULIANUS AUGUSTUS, modo CLAUDIUS IULIANUS AUGUSTUS, modo DN. IULIANUS AUGUSTUS, modo FL. CL. IULIANUS AUGUSTUS; aeque ut in libro XVII modo poſuerunt DN. CONSTANTIUS AUGUSTUS, modo IULIUS CONSTANTIUS AUG. modo CONSTANTIUS AUG. modo DN. CONSTANTIUS P. F. AUG.

Quum et in Valeſianis commentariis et in ipſo Ammiano talem paratum curamque adhibitam cernerem; non debui notabilem aliquam ſollicitudinem in eis, quae ab Lindebrogio ſcripta erant, concipere. Propterea quum ad rem veni, reperi etiam obſervationes iſtas ita editas, ut qui eas legerit, profecto parum abſit, quin pro cerrito vel in Latinis vel in Graecis auctorem traducat. An non enim tale eſt, quod editur libro XXI cap. 1 in nota ad voces *Somniorum rata fides* [Syneſius περὶ ἐνυπνίων et in eum Niceph. Artemidor. et Apomas.] Ea poſtrema voce iam duae editiones Ammiani conſpurca-

ſpurcatae fuerunt cum ludibrio Lindebrogii. Ne tertia vice fieret, interceſſi, et repoſui, quem ſine dubio ille innuebat. Libro XXXI c. 10 §. 21. pag. 80 Pariſinae editionis ad paginam contextus 659, ubi ſunt verba, *Dum inter eius Armigeros militaret, ac regiam cuſtodiret*, apponunt hanc notam ut Lindebrogianam [Socrat. lib. III cap. 1 εἰς τῶν δορυφόρων. Antoninus Aug. in Itinerario.] Fungus profecto et ſtupidus debuit fuiſſe Lindebrogius, ſi ſic notare ſuſtinuit, ut has duas citationes de eadem re potuerit iungere, quod tamen iſti Pariſini optimo viro impegerunt: et ſummo iure querulus iſte Hadrianus de eo ſcripſiſſet, ut ſuſtinet ſcribere in praefatione, eum ſaepe minutiis immorari, et totas paginas Graecis excerptis ubique implere, quibus aequo animo carere poſſemus. Sed, proh facinus! inconditi iſti rerum alienarum obtrectatores geminam Lindebrogii notam in unum contraxerunt, quum poſtremae quatuor voces pertinerent ad notam de Bononia, quam quidem notam Galli, forſan auctore aliquo, qui deliciari voluit, omnem exſtirparunt. Caeterum ſic quoque querelam iſtam Hadriani pro veriſſima agnoſcet, quisquis inſpexerit pag. 38 editionis Pariſinae notam in libro XVII cap. 12 extr. ad voces *Eductis mucronibus, quos pro numinibus colunt*, utpote quum illic citationem de Alanis ex lib. XXXI cap. 2 §. 23. et de Danis ex M. Adamo bis poſitam videat omnibus vocibus iisdem integris, atque adeo ſex verſus impleantur verbis, quibus certe non tantum aequo animo carere poſſemus, ſed quae per meram ſtultitiam iterantur. Verum auferat hoc Hadrianus, et fruatur, ut iactet auctiores Lindebrogii Obſervationes ab ſe editas; emendatiores utique ne addat. Abſit enim, ut credamus ita blateraviſſe, aut expleri voluiſſe Lindebrogium; ipſe Hadrianus in culpa eſt, quum Lin-

debrogius illam notam universam renovaverit, priorem totam volens induci, quod ab benignitate Gallica non impetravit. Quod tamen ut minus in Hadriano stupeas, non aliter consuluit in fratris nota lib. xxxi cap. 2 §. 9. ad voces *Contortis laciniis illigant;* ubi quum Henricus in nota posuisset [De Iaxamatis quidem id refert Mela in fine lib. 1] iste hoc non satiatus nuper addidit [Et Iaxamatarum ostio Tanais proximorum feminas ex equis pugnare scribit Mela libri 1 capite ult. et *quos laqueis interceperunt hostes, trahendo conficere*] Haec quum Henricus deinde aliquo tempore apposuerit vel oblitus quid olim istic edi curavisset, vel explanare volens id, quod brevius antea collegisset; non dedecuerat Hadrianum probe inspicere, si quam illic notam voluntatis suae Henricus reliquerit. Omnino deliravit Lindebrogius, si in libro xvii cap. 7 §. 12. citans verba Ammiani scripserit *Neptunum humentis substantiae infestat Ennos*, ut ibi Hadrianus potuit edere, quum aliter ipse auctor in Hamburgensi. Sic ad libri xix cap. 4 §. 3. voces *Qui sol aestimatur*, Hadriani gratia bis Lindebrogius citavit *Alexandrum in Tabulam Heliacam.* Utique praeco dimitti merebatur, qui inquireret, ecquis habeat notitiam *Iuliani Carris*, quem Lindebrogio notum fuisse probant duae editiones ex notis ad libri xxix cap. 2 §. 17. voces *Exsecto vivae mulieris ventre atque intempestivo partu extracto.* Nullus equidem copiosam et supervacuam notarum abundantiam in Lindebrogio negabit, qui in ista Parisina editione viderit ab Lindebrogio ad librum xxvii cap. 4 §. 7. postquam citavit *Unde eorum iubar*] scribi, [*Unde eo iubar.* Scripsit Ammian. *unde eorum iubar.*] Enimvero digna nota, quae Parisinos exerceret typos! In notis ad finem libri xx inter nova augmenta ediderunt ex Valerio Flacco, *Nunc, ait, eripiat divae Titana volucri*, quum

Lindebrogius, ut in ipso poeta legitur, scripserit *dirae*. Quid igitur, mi lector, existimas de Graecis? Ad librum XXIII cap. 3 §. 6. ubi edunt Galli in citatione Chrysostomi στομάτων συδεσμὸν, quid oro intellexerunt? At in libro XVII cap. 4 §. 11. praeclarum correctorem Hadrianus egit; quoniam Hamburgi in loco Glycae ad voces *per speciem apis* editum erat οὔχ εἰροτονητὸς, ipse edidit οὐκ εἰροτονητὸς. An igitur ab tali correctore sperarem vel intellecta esse, vel integratum iri Graeca in allegatione Procopii ad libri XIX cap. 6 §. 7. voces *Galli morarum impatientes, securibus gladiisque succincti*, ubi iam bis editur ἡ λαβὴ δὲ τοῦ ξίφους βραχεῖα ἐστάγαν ut Parisini, ἐσάγαν ut Hamburgenses? Multo minus, ut opinarer debere ab eo in citationem ex Zosimo ad libri XXIV cap. 6 §. 15. voces *Caesis Persarum plus minusve duob. mill.* addi negativam οὐ, quae intercciderat in numero caesorum Romanorum οὐ πλείους. Itaque ubi tam accurate omnia sunt gesta, debemus scilicet nobis imaginari rectius ad librum XXVII cap. 9 circa finem edidisse Hadrianum *constitutione Arcad. Honor. et Theod. Impp.* et paulo post *constitutio Valentinian. Theodos. Arcad. Impp.* quam scripsisse Lindebrogium utroque loco *Imppp.*

Et quidni ridicula accessio est notae Lindebrogianae ad libri XVII cap. 10 §. 2. voces *Veiovis fulmine*, ubi apponit Parisina editio [*Diiovis* meminit et Gellius loco supra ladato] Id quum sit nulli bono, tum ipse vidi non id ita profectum esse ab Lindebrogio, qui ad vocem *Diiurnius* in ea nota ex Glossario citatam in margine adscripserat [γρ. *Diiovis*. Gell. ibid.] Id testatur hodieque codex et manus eius, quae sunt Hamburgi, et unde ipse descripsi. Caeterum ut pateat porro licentia, qua in notis Lindebrogianis quicunque ille fuit Parisiis usus sit, notabat aliqua vir egregius ad locum libri

xv cap. 8 de ritu et apparatu allocutionum e tribunalis ſuggeſtu, ſcribens in fine: [Sed ut res magis in oculos incurrat, nummi veteris typum, eorum gratia qui minus in hisce ſtudiis verſati ſunt, apponere placet; in quo et tribunalis forma, et ſignorum in hac parte effigies apparet] quibus adiecerat nummum Probi Imperatoris. Et verba haec omnia et nummum omiſit iſta Hadrianaea editio, neſcio qua auctoritate. Quod quidem faſtidium tanto eſt ſtultius, quod illum ipſum nummum videatur fere verbis deſcribere Henricus ad librum xvi cap. 12. Vice verſa in libro xx cap. 5 §. 10. ubi Genii Publici mentionem facit Ammianus, appingendam Gallia iudicavit effigiem Genii Publici tam nugacem, ut nihil ſupra, quod vel ſola barba denſior probat, quae in temporis eius nummis, ubi frequentiſſimus Genii Publici typus, nunquam apparet, et tantum Génio ſenatus adfingitur in nummo Antonini Pii. Et utique cum deſcriptione Lindebrogiana non convenit iſte typus; quum illa ſtatuat fuiſſe velato capite, quod in hac figura aliter habetur. Sed etiam ut ſciat lector, unde illam petiverint, aut ubi Lindebrogius eam reperiri ſignificaverit, citatos illic videbis *Piſonem*, *Chorel*, *et qui porro de hac re ſcripſerunt*, quum intelligat Choulium.

An vero Hadrianus is fuit, qui Lindebrogii Graeca excerpta debuit tantopere vituperare? an aut ipſe, aut univerſus orbis ignorat, quoties illa ipſa Lindebrogiana excerpta iteret frater eius Henricus et modo non ſua facere cupiat? An libro xiv cap. 11 §. 10. inſolentiam Diocletiani, qua excepit Maximianum, ex Rufo Feſto et Eutropio non primus notavit Lindebrogius, et ſecutus fuit Valeſius? Et ſimiliter ibidem agitur in locis Velleii de fatorum more? An de alumine libro xx cap. 11 §. 13. ex Gellio non idem affert Valeſius, quod Lindebrogius ante attulerat? Sed ut hic male ponit nu-

Digitized by Google

meros *lib. 15 cap. 5*, ita et alter prave *lib. 16 initio*, quum ſit 15, 1. An ſolus aut primus Valeſius eſt, qui Ammiano reſtituit lib. xx cap. 3 §. 11. *ἀπόκρουσιν σελήνης*, aut explicuerit, et non anteceſſit Lindebrogius? Ille quatiens ſcutum Iulianus et locus Vegetii ex libro II cap. 14 nonne ab Lindebrogio oſtenſus et explanatus fuit Valeſio? An Maſſagetas Hunnos vocari in loco Procopii non ex Lindebrogio repetivit Valeſius ad librum XXIII cap. 5 §. 16? An armorum crepitum in aſſenſu et locum Iulii Caeſaris ex libro VII belli Gallici aliunde huc attulit, quam ex Lindebrogio, aut ſaltem poſt eum? An libro XXV cap. 3 §. 13. de praeliis Marcelli discrepantem numerum ex Plinio et Solino non antecedens Valeſium Lindebrogius notavit, et illas ibidem adoreas obumbratas ab Catilina ex Solino per imitationem petitas ſic notavit primus Lindebrogius, ut tamen Valeſius id ipſum quoque inculcaverit ita, ut nihil prorſus praeter Lindebrogiana afferret? An libro XXVII cap. 6 §. 14. ubi Ammianus laudat in iudice, ſi ſit legum ſimilis, non Lindebrogius eſt, qui id ab eo fieri ad imitationem Ciceronis libro 2 de Offic. c. 12 notat prior, et Valeſius eſt qui tamen illud excerptum Lindebrogianum ſuis immiſcet? Scilicet quum Valeſius libro XXXI cap. 2 §. 23. de gladio apud Scythicos populos culto tam large locum Iornandis excerpſit, perſuadere nobis vult Hadrianus ab eo non fuiſſe viſum Lindebrogium iisdem verbis excerptis illuſtratorem eius ritus. Denique quid eſt, quaeſo, quod ad libri XV cap. 9 extr. voces *Pronuntiarunt animas immortales* inter novas ab Henrico acceſſiones oſtentat Hadrianus [Idem de Gallis dicit Mela cap. 2 lib. 3] an non ſeptuaginta annis ante et viderat et indicaverat ad eas ipſas voces Lindebrogius?

Et quid ſi ad alterum ex Germania non ſpernendum ſane virum transierimus? Nonne libro XIV

cap. 6 §. 6. ad voces *populi Romani nomen circumſpectum et verecundum* Ianus Gruterus eſt, qui ad poſtremae vocis illuſtrationem iam ante advocaverat auxilium ab Caſaubono praeſtitum in hiſtoria Auguſta, ubi et iſtum locum et ex libro XXI coniunxit, et *αἰδοίους* ſupplices ostenderat? Nonne eiusdem libri cap. 7 init. pro eo quod vulgo legitur *diſſimulata licentia*, Gruterus eſt primus, qui rogavit [An fuit? *diſſeminata*.] Sequutusque Boxhornius ſcribit [*diſſeminata* ſcribendum hic eſt, quod nemo non videt] velut ultro confeſſus debuiſſe iam aliis id occurrere. Vide iam, quam ſero veniat Valeſius. Ibidemque cap. 11 §. 32. nonne Gruteri eſt *Eadem Mancinum dedidit Numantinis?* Rurſus libro XVI cap. 2 §. 12. *Circumdata retiis buſta* non ex utroque MS. annotavit Gruterus? Et cap. 12 §. 40. quum Caeſar exclamaret *Redeamus ad noſtros, ſaltem gloriae futuri participes, ſi eos pro republica dimicantes non relinquimus inconſulte*, Gruterus utique prior exſtitit, qui ad ea notaret [Editio Accurſiana negativam ut inſererem ſuaſit] poſt notavit etiam Valeſius [Negativam particulam, quae in cunctis exemplaribus decrat, ex Mar. Accurſii Editione ſupplevimus.] Libro XVII cap. 13 ad verba *Plus aeſtimantes creare quam afferre barbaris Regem* notat Gruterus [Credo voluiſſe ſcribere *auferre*] Notat et Valeſius [Legendum videtur *quam auferre*] egregio concentu. Totum excerptum ex Curtii libro 4 ad verba Ammiani *apud Perſas ſilentii colitur numen* libro XXI cap. 13 §. 30. non Valeſius recenſuit poſt Gruteri indicium? aeque ac locum Livii de ſenatoribus Campanis vino distentis ad librum XXIX cap. 5 §. 54. idem excitavit primus Gruterus, ac ſecundus iteravit Valeſius; aeque ac locum Taciti ex libro 13 ann. cap. 57 de Hermunduris et Chattis ob ſalem contendentibus produxit primus Gruterus, et tanquam echo reſonuit eundem Valeſius ad librum

XXVIII cap. 5 §. 4. Et quod libro XXIII cap. 5 ſcribit Ammianus *Ut ſuadere nobis laboret monumentorum veterum fides*, ex Floro petitum eſſe obſervavit primus Gruterus. Etiam libro XXV cap. 4 §. 20. *Ni transiſſent ad numinum cultum*, ſane Fauchetius Gruterianus coniecit ex Theodoreto lib. III cap. 6: et quod ibidem §. 22. legitur ad voces *figura tali ſituque membrorum*, omne eſt Gruteri. Illud veriſſimum in libro XXXI cap. 2 §. 11. *ad omnem auram incidentis ſpei novae perquam mobiles* non eſt niſi unius Gruteri. Immo illud Hadriani *cum prope in acie ſtarent* libro XXVI cap. 9 §. 3. publicavit ex libro Fauchetii Gruterus. Sed et alterum eiusdem eod. libr. cap. 6 §. 17. ut in Ammiano reſtituatur *redivivas nebulas debitorum*, ſignificavit tanto tempore ante Franc. Iuretus in Miſcellaneis ad Symmachum lib. I epiſt. 26, et ex eo notavit quoque Gruterus.

Neque idcirco imminuitur apud me, aut haec colligo, ut imminuatur apud alios gloria laboris huius, quo Henricus Valeſius, vir nunquam fine honore nominandus, divine Ammianum expolivit. Illa profecto ſunt ἐκ νάρθηκος, illa cedro digna. Neque etiam is eſt, qui ſic de Lindebrogio ſcribit. Verum ut ne bene cedat Hadriano tam temere pronuntiaſſe, ubi nec commodi quidquam inde oriebatur, nec alter erat meritus. Utique quum Lutetiae verſarer, non audivi Hadrianum talem fuiſſe, qui mentiri non poſſet; quod egregie illum praeſtitiſſe reor in vita fratris, viri certe ἐπιεικοῦς et de ratione ſua modeſte cogitantis, humaniorisque, quam ut ante annum vitae LX annos ſuos non attenderet, et ab mea demum epiſtola hoc didicerit.

Habes, lector, pignora firmiſſima et experientiae indubitabilis fulcra, unde de poſtrema editione Pariſina iudicare queas, an ea ſit, quae priorum editionum bona complectatur, earundem vero vitiis

careat; pariterque causas, quibus ego ad hanc editionem comparatus fui. Sed praeter haec quum scirem hunc esse genium postremae editionis, cui nihil aliud acceptum referri potest, nisi aucta commentaria maximorum virorum, Lindebrogii et Valesii, et quasdam bonas restitutiones ex codice Colbertino; et tamen Ammianus is esset, qui etiam praeter Valesios fuerat diligenter lectus ab aliis eruditissimis hominibus, vel aequalibus vel eorum vitam quacunque parte tangentibus, quos in exemplari meo notaveram; ipsa dulcedo, quam studiis meis attulit Ammianus, ipsa propensio, qua Ammianum et studia prosequor, compulit me prospicere, ut vel aliqua saltem parte prodessem Ammiano, vel ad eius cogitata aut scripta lectorem locis quibusdam revocarem. Etiam ipse fueram diligens et attentus in consideratione lectionum, quae ex MSStis erant prolatae. Ex his sustinui nonnulla suis locis adspergere lectori, ut spero, futura et probabilia et opportuna et iucunda. Equidem magnopere optassem, ut ad Lindebrogii exemplum potuissent ab sese impetrare Valesii, ut similem Variarum lectionum, quas ex tot collationibus veterum exemplarium contulerant, syllogen et indicem exarare voluissent, ut facile factu illis fuit. Est enim in huius auctoris antiquis codicibus eadem ratio, quam observavi in epistolarum Ciceronis ad Atticum vetustissimis et fidelissimis exemplaribus, ut non turbide per variorum hominum hariolationes in diversa velut portentosa ludicra discedant, sed fere consentiant, et presse retineant similitudinem priscae lectionis, simulata per summam fidem imitatione veteris scripturae, licet eius sententia periisset; unde nunquam dubitavi, quin quod veram eorum qui scripserunt manum non habeamus nec assequamur, non alteri causae id attribui debeat, quam imbecillitati nostrae, quae aut iustam

anſam recorrigendi arripere nequit, aut non ſemper nos ad reſtitutionem ſatis inſtruit. Quod ſi exemplarium Valeſiis inſpectorum, et ut reor, annotatorum ſingulae notulae publicarentur, praeſtare auſim futura longe plura, quae ad inſtaurandum Ammianum a nobis poſſent proficiſci. Nam non negabo ſpecimen. Sic libro XIV cap. 6 §. 20. dicuntur feminae *iactari volubilibus*, aut ut Valeſius *volucribus, gyris*, quum in codice Regio, ut et Romana editione advertat pro media voce exſtare *volvetur*. Quaeſo quae probabilitas huius rei aut quae convenientia inter eas voces? Certe longe veriſimilius accidet hinc unicuique, auctorem ſcripſiſſe *iactari volucriter gyris*. Illa enim vox eſt Ammiani, ut patet ex Lindebrogianis ad librum XXVIII cap. 6 et infinitis locis. Sic eod. lib. cap. 11 §. 21. dicitur Gallus Caeſar *terrore propinquantis exitus iam praeſepultus*. Obſervabis, mi lector, exitum pro pernicie nunquam poni ab Ammiano, prorſus dico nunquam. Nam alia locutio eſt, quum ait *glorioſos vitae exitus*. Et hinc contigit, ut quum libro XXV cap. 3 §. 8. olim legeretur *magno ſpiritu contra exitum certans arma poſcebat et equum*, Gruterus ex Fauchetianis membranis reſtituerit *exitium*. Quod iam ſatis ſuſpectam facit hanc vocem. Quin et editio Romana habet *exituiam*. Nec poteſt eſſe dubium, quin dederit auctor *propinquantis exitii iam*. Sic millies hanc vocem adhibet. Libro XV cap. 1 §. 3. peſſime Hadrianus edidit *confeſtim a iuſtitia declinavit ita intemperanter, ut aeternitatem eam aliquoties aſſereret ipſe dictando*, imitans Lindebrogium, quum editio Romana, Auguſtana, Henrici legat veriſſime *Aeternitatem meam*. Sic enim innuit ipſum dictaſſe aut in epiſtolis iuſſiſſe ſcribi *Aeternitas Mea*. Libro XV cap. 5 §. 34. *Ut Romae in circo maximo populus, incertum ratione quadam percitus an prae-*

ſagio, *SILVANVS DEVICTVS EST*, *magnis vocibus exclamaret.* Sic edunt hodie plerique, quum in Romana editione habeatur *praeſagio et Silvanus devius magnis*, Auguſtana *praeſagio ut SILVANVS DEVIVS magnis*, priore loco vocula*m ut* non agnoſcente. Hic tacent Valeſii, quum utique ſit aliquid non ſatis certum. Quaſi vero pugna ingens expeditioque ſuscepta eſſet, cuius exclamaretur felicitas. Unus Lindebrogius notat in MS. Florentino legi *Et Silvanus devii eſt*, nec dubito quin tale quid fuerit in codicibus per Valeſios inſpectis. An igitur cunctari poſſumus, quin ex eo credamus clamorem iſtum fuiſſe, et Ammianum ſcripſiſſe, SILVANVS DESIIT ESSE, quam deceſſoris mei Zuerii Boxhornii coniecturam pro veriſſima amplector. Eodem libro cap. 6 §. 2. *Ne vi nimia tormentorum levi corpore fatigato, reos atrocium criminum perſpicue citari faceret multos.* Sic edidit Hadrianus neſcio qua fiducia, certe ineptiſſime, quum omnes ante eum pro undecimo vocabulo *promiſcue* vel *promiſce* legant, quorum utrumcunque eſt veriſſimum. Libro XVI cap. 5 §. 1. miror contemptis libris MSS. edi *ex rhetris Lycurgi et axonibus*, quum Auguſtana *ex Lycurgi id eſt axonibus*, aeque ac miror in MSS. ipſis legi teſte Valeſio *ex rhetris Lycurgi, id eſt axibus.* Expreſſum vero id vidi in Romana editione *Lycurgi.* 1. *axibus*, quum utique ſciverit Valeſius, ſciat omnis orbis, poſteriores non eſſe Lycurgi, ſed Solonis. Gruterus ſilens de excerptis duorum codicum, quae habuit, ſuſpicatur excidiſſe eam ipſam appellationem ob ſimilitudinem literarum, quae prava accuſatio eſt bonorum librariorum. Nam nihil certius poteſt eſſe, quam ab iſta concordia codicum nos eo duci, ut credamus dediſſe Ammianum *ex rhetris Lycurgi, item axibus* vel *axonibus.* Quippe infinitis exemplis conſtat ſolita eſſe in MSS. libris commiſceri

idem, item, id eſt: et ſic alia nota perperam intellecta fecit, ut libro XVII cap. 12 §. 6. *eſſe Valeriam* exhibeat Romana, quum in MSS. ſit cc. Eodem libro XVI cap. 11 §. 4. *Invaſere Lugdunum incautam: eamque populatam niſu valido concremaſſent.* Sic putant Valeſii ſe recte defunctos eſſe, quia alibi *niſu valido firmare* dixit auctor, quum MSS. libri hic legant *viſu . . a concremaſſent.* Quaeſo per Muſas! unde hinc liquide exſculpi potuit niſus ille validus? Utique teſtatur ipſe primam literam in ſcriptis exſtare v, non n: deinde finalem et proximam verbo *concremaſſent* eſſe a, non o. Quid inde poteſt ſequi, niſi ut ſcripſerit *populatam vi ſumma concremaſſent*, ut XXIII, 6. *Quibus ineuntes praelia viri ſumma vi vehi exſultantes ſolent.* XXIX, 1. *Quorum ſumma vi ſalus crebro oppugnabatur.* Alibi *nimia vi* ſolet ſcribere. Sic indigne videtur tractari Ammianus lib. XVII cap. 4 §. 15. de obeliſco. *Sola poſt haec reſtabat erectio, quae vix aut ne vix quidem ſperabatur poſſe compleri: erectisque usque periculum altis trabibus, ut machinarum cerneres nemus* etc. Unde illic inolevit *τὸ erectisque?* Editio Romana habet *id eſt isque periculum*, quod haud dubie eſt ex Mſto. Auguſtana *id eſt absque periculo. Altis*, ex mutatione editoris. Unus Lindebrogius Romanae editionis lectionem ab codice Florentino teſtatur confirmari. Non poſſunt aliter in MSS. ſuis inveniſſe Valeſii. Et cur tacent? Si verum vis, ſcripſit Auctor *fixis usque ad per.* Semper certe illo verbo in tali negotio utitur. XIX, 2 *acies immobiles ſtabant, ut fixae.* XX, 7 *machinae haerebant velut altis radicibus fixae.* Alibi *fixis tentoriis.* XXII, 15. *Si ſtipitem quisquam fixerit rectum.* Sic libro XVII cap. 5 pro *maximopere* una editio Romana, fideliſſima ſcripti codicis imitatrix, habet *maximo opere.* Sic libro XVII cap. 9 §. 2. legitur *ſperans ex Chamavorum ſegetibus id*

Digitized by Google

ſuppleri poſſe, quod ablatum eſt. At in Romana editione non exſtat illud *poſſe.* Quod propterea non dubito etiam abeſſe ab libris ſcriptis, et immiſſum ab illis, qui non cogitabant *ſuppleri* hoc loco uſurpatum pro ſuppletum iri, ut in Cicerone idem deprehendi tum alibi, tum in epiſtola XVIII ad Brutum: eſtque idem lapſus, quem Valeſius inducere in Ammianum voluit, quum in libri XIV poſtremis verbis legendum ſe ait coniicere *ſcrutari poſſe putabit*, quum media vox in nullo legatur antiquo codice, et Gruterus recte iam τὸ *putabit* confirmans ſtatuiſſet eius interpretationem eſſe *ſcrutari poterit*, at Boxhornius rem non perſpicue videns malo ſenſu daret *ſcrutari putabit.* Sane omnia perperam, et unica veritas in vetuſtis libris. Sed neque unquam intelligere potui, aut ad intelligenda quisquam praeit verba libri XV cap. 3 §. 4. *Inter quos facile Paulus et Mercurius eminebant: hic origine Perſa; ille natus in Dacia: Notarius ille; hic ex miniſtro triclinii Rationalis.* Neque etiam dubito, quin tantundem intellexerint duo Valeſii, quod ipſi facile fatentur ex ore unius Henrici, qui animadvertit in libro XIV cap. 5 non procul ab initio hunc eundem Paulum in Hiſpania natum eſſe dixiſſe; adeo ut inde colligat aperteque ſtatuat in altero horum locorum mendum eſſe neceſſe eſſe, quum et in actis paſſionis Artemii hic Paulus notarius Hiſpanus dicatur. Sic ille maximus vir nodum nectit iuſtiſſime et firmiſſime, ſed non ſolvit; cuius rei tamen copiam ei fuiſſe in uſu tot veterum codicum mihi imaginor. Neque ego mihi ſatisfeciſſem, niſi prima illa Romana editio, certe veteris libri inſtar, mihi fuiſſet ad manum, quod benignitati Ampliſſimi et Conſultiſſimi Viri IOANNIS DE WIT debeo. In ea legitur, *hic origine Perſa natus in Dacia.* Ex quo patet τὸ *ille* non fuiſſe in Mſto libro, unde iſta editio fuit expreſſa. Sed neque illa vox apparet in

Digitized by Google

editione Auguſtana. Hinc patet oportere iſtam vocem expelli, et continenter ſcribi *hic origine Perſa natus in Dacia*, nempe Mercurius, cuius ſolius modo patriam inculcare debuit, non item Pauli, de quo id fecerat libro praecedente. Paulum ibi dixerat Hiſpanum eſſe: nec operae erat aut hic aut alibi id ipſum iterare. De Mercurio nunc notat maiores eius fuiſſe Perſas, quum ipſe natus fuerit in Dacia, parentibus eius quamcunque ob cauſam migrare ex Perſia in Daciam coactis, exemplo eodem, quo ille apud Pariſios natus in Galliis ad Perſas abierat profugus, exindeque ſortita coniuge, liberisque ſusceptis, Perſis ſervierat, ut narrat libro XVIII cap. 6 §. 16. Ita obſcuriſſimo loco ſubventum vides. Sed in his, quae ſic video reſidua eſſe, luxuriari, et late evagari poſſem, ſi ratio praefationis me non contineret.

Praeterea ſunt nonnulla in notis Valeſianis, de quibus admoneri publice refert, ut libro XXX cap. 1 in fine vult probare Ammianus ex Demoſthene, nunquam ſimilitudine aut impunitate alterius criminis delui id, quod contra ac liceat arguitur factum. Id appoſitis Demoſthenis verbis illuſtrat Valeſius, quae certum eſt ab eo deſcripta ex ipſo Mureto, quem citat, ne inſpecto tunc quidem Demoſthene; quod liquide patet ex verbis ὥσπερ γὰρ εἴ τις ἑάλω, quae ſic prorſus quoque citat Muretus, quum eorum ſententia ſit manca et imperfecta. Itaque et Quintilianus extendens amplius reddit *Nam ut ſi quis eorum damnatus eſſet.* Hunc genitivum, qui omnino neceſſarius eſt, in Graecis omitti vides. Atqui pleniſſime et optime Demoſthenes, ὥσπερ γὰρ ἄν τις ἐκείνων προήλω. Ne dicam mox in Demoſthene etiam non legi οὕτως ἂν σὺ νῦν ἁλῷς, ſed νῦν δίκην δῷς. Citavit hunc locum quoque Theon in Progymnaſmatibus pag. 11, ubi ſcribit ὥσπερ γὰρ ἄν τις ἐκείνων ἑάλω. Ipſius vero huius ratiocinationis vim

claro exemplo firmare dicam an alludere videtur Livius in concione tribunorum plebis, *proditam Veiis rempublicam esse ab ducibus, proditum deinde, quia illis impune fuerit, in Volscis ab consule exercitum* etc. vociferantium libro IV cap. 40. Item libro XVI cap. 11 §. 4. ad voces *Laeti barbari*, sumit Henricus occasionem, qua vult succurrere auctori *Panegyrici dicti Constantio Caesari*, ut scribit, quum verba ibi allegata exstent in Panegyrico, qui dictus Maximiano Caesari, quod etiam satis admonebat mentio Diocletiani. Denique videas ab Ammiano in libro XXVI cap. 8 §. 3. fieri mentionem lacus Sunonensis, de quo notat Valesius [Videtur porro hic Sunonensis lacus idem esse, qui Ascanius a Geographis dicitur iuxta Nicomediam.] Quae coniectura binominis lacus iam diu antequam scriberet Valesius, ab Abr. Ortelio in mundum producta est, ut patet cuicunque ex Geographico eius Thesauro. Sed quis Ascanium lacum apposuit Nicomediae? Ortelius perspicue distinguit scribens [quo aut Ascanium lacum aut Nicomedienfium designare videtur.] Et apud eundem Ortelium in v. *Nicomedienſium lacum* Pet. Gyllius observat, de lacu supra Nicomediam scribere Plinium, quem falso quidam putent Ascanium, cum hic sit iuxta Nicaeam, distans ab illo amplius centum mille passibus, cuius fluvius influat in Propontidem, illius vero in Sagarim.

Sed neque audiri meretur Io. Pricaeus, dum in notis ad Apuleium Miles. librum VII pag. 359 notat [Ammianus lib. 26 ex Apuleio nostro *Gradum sensim referentes moris diuturnis excruciabant.* repono ex Auctore nostro *m. diutinis e.*] Locus hic exstat libro XXV cap. 6 §. 11. Quae coniectura est sine ulla causa, quum aliter potuerit loqui Apuleius, aliter Ammianus, licet saepe imitans, nunc tamen se retinens. Ut enim *diutinus* placuit Apuleio, (et

Digitized by Google

uſus diutinus etiam Ammiano XVI, 12, at prope illic *uſu praeliorum diuturno*) ſic *diuturnus* Ammiano, unde alibi *aerumnis diuturnis attritus*, alibi *diuturna carie, diuturnos errores Aeneae, diuturna Principis permanſio, diuturnam morborum aſperitatem.* Cui ipſi etiam nequaquam aſſentiendum cenſeo in eo quod ad eiusdem Apologiam affert, quaſi lib. XIV cap. 6 §. 11. ſcribi oporteret, *Dotatur ex aerario filia Scipionis, quum nobilitas et flos adultae virginis diuturnam abſentiam pauperis erubeſceret patris.* Graſſatur enim licenter contra veteres codices, qui manifeſte dictant fuiſſe *cum nobilitas florem adultae virginis diuturna in abſentia pauperis erubeſceret patris.* Sed etiam praeter caeteros animadverſione dignus locus eſt lib. XXVII cap. 3 §. 8. *collecta plebs infima* Lampadii *domum iniectis facibus incenderat et malleolis, ni vicinorum et familiarum veloci concurſu a ſummis tectorum culminibus petita ſaxis et tegulis abſceſſiſſet.* Ubi egregie Hadrianus excitavit renovavitque illud *vicinorum*, quod disputat in praefatione; quum etiam in Vaticano libro exſtare ſciam, *ne vitiorum*, non *ne ſervitiorum.* Sed quum idem voluit *familiarum*, nequivi illuc accedere. Cauſatur familiares et amicos Lampadii, ſummum domus eius tectum conſcenſuros non fuiſſe, ſed opera ſervorum ſuorum ad arcendum incendium et ad repellendam plebem uſuros. Quaeſo cur non illi aeque, ac vicini? An vicini eius non erant aut poterant eſſe eadem dignitate, qua familiares? Cur autem familiares et amici eius, ſi ad manum eſſent, non conſcenderent ea cauſa tectum? praeſertim ſi celeritatem ea res requireret? Familias ſumi pro ſervis tralaticium eſt. Et ſane teſtatur *familiarum* legi in codice Colbertino. Attamen putavi familiares magis convenire cum vicinis, quam ſervos, quum utique vicini poſſent eſſe ingenui. Quidquid ſit, quum priores conſentiant in τὸ *familiarium*, ne

quid abscondam, putavi Ammianum hic ante oculos habuisse Tullium, cuius verba sunt de senectute cap. 7. *Possum nominare ex agro Sabino rusticos Romanos vicinos et familiares meos.* Mulieres et servitia ex tectis iacientia tegulas et saxa iungit Livius v, 21. Neque tamen taceri debet, quod velut ex suo promit Valesius lib. XIV, cap. 2 §. 3, *Cognitis enim pilatorum caesorumque funeribus*, esse ipsum Boxhornii; perinde ac libro XV cap. 6 §. 3. eiusdem εὕρεμα est *pondus largiretur*, etsi tanquam omnibus qui illud legerunt fatiscentibus scribat Valesius ex relationibus scripturae variae, quam ex libris priscis memorat, apparere sic legendum esse; atque etiam XVI, 11 §. 8. quod simili pompa profert, *concaede*, quod si inspexeris, palam dixeris vidisse Valesium in Boxhornio. Quin et libro XVIII cap. 4 §. 5. quum Boxhornius in MS. notari ab Lindebrogio advertisset *paritas*, ex continenti subiecit [e quo facies *parvitas* aut *raritas*] limis oculis id praetermisit Valesius, quum quod Ammiano perierat, sic iam biennio ante in his oris fuerit restitutum, antequam innotesceret Lutetiae. Certe non ego is sum, qui amare possim notas domino suo uberiores. Ne et hoc reticeam, displicet in editione postrema Parisina varietas et inaequabilis in scribendo fluctuatio, ut *Samosata* modo ut femininum singulare, modo ut neutrum plurale, nunc *Darius*, nunc *Dareus*, de quo notavit Henricus. Libro XIV, 8 *Cassii montis*, alibi *Casii*. XVI, 4 edit *die noctuque*, sed XVIII, 4 et XXVIII, 4 *eandem incudem diu noctuque tundendo*. Libro XXIX, 1 et XXXI, 2 edit *cladum*; ubi omnes, etiam Henricus ante eum *cladium*, quam formam retinet initio libri XX, et eodem libro XXXI, 16. Itidem *Gothi* et *Gotthi* in libro XXXI, cap. 2 hic *Euphratem*, illic *Euphraten*. Quartus pluralis nunc in *eis*, nunc in *es* terminatus. Quae omnia

omnia non alium in finem colligo, nisi ut pateat praeter lacunas hic illic hiantes insanum multa in hoc scriptore restare sananda, utque ad eam spem se erigant illi, quorum ea felicitas est, ut libros ante typographiam inventam scriptos queant inspicere.

Erant alia, quae ad Ammianum pertinentia post praefationes poterant addi, eiusdem scilicet generis collectanea, qualia ab Chilletio conscripta addi iudicavit Hadrianus, et huius exemplo etiam nos; etsi profecto digna, quae cum Henrici solida et perdocta praefatione iungerentur, nequaquam iudicantes. Talia sunt, quae conscripsit Ger. Io. Vossius, et Balthasar Bonifacius, similesque, ac modo Mart. Hankius. Sed quum ea ignorare nullus paulo humanior queat, neque quidquam afferatur, quod ante ipsos ignotum orbi fuit, facile permittimus, ut in eis ipsi auctores sibi placeant.

Atque ita meo et loco et nomini responsum, ut opinor, erit, haec qualiacunque nominari merentur, exaravisse; et tum publicae eruditionis adiuvandae ergo, praesertim vero ut nostratium iuvenum ingenia, mirum quantum noxiis consiliis in arctissimas, quas falsa sed glorioſa insigniunt multarum historiarum specie, compendiorum angustias et vanas hodiernorum acroamatum quisquilias conclusa, ista etiam varietate pascantur, in hac statione mea istum quoque pulverem collegisse. Quod si tamen hic titulus nimium conspectus nimiumque honestus videtur, licuerit mihi me in hanc laboris placiti faciem commisisse, ut etiam Hylas a me dictus fuisse ostendatur, vel potius ab Ammiano dictum fuisse Hylam me ostendente appareat: quod ne proverbiali iaculatione in alterutro a me scribi opineris, testabitur libri alterius ab vigesimo caput octavum. Hinc iam nihil nisi publicae benevolentiae haec discrimina mea commendo; in quae prae

ter cauſas iam memoratas tanto facilius attrahi me toleravi, quod hic ipſe Ammianus erat, cuius exemplar ab Lindebrogio uſurpatum, primum omnium inter vetuſtos Florentiae codices vidi, quum bibliothecam S. Marci elegiſſet ad committenda benevolentiae ſuae, quae immenſa et incredibilis futura erat, pignora Illuſtris et tum de omni ſtudiorum ac ſtudioſorum hominum genere, tum de me et fratre meo optime meritus ANTONIUS MAGLIABEQUIUS, et hunc ante omnes codicem e ſorulis produci iubendo tacitum eius amorem, infixum quidem iam ante, longe ardentiorem inſpirans ſic quoque me devinciret ad grates laudesque acternas Illi agendas. Vale igitur, Lector, et tibi gratulare, quod, quamtumvis duro, aſpero, incompto et plane barbaro ſermone, ut ex laſcivis omnino ingeniis nonnulli ſuſtinuerunt opinari, ſcripſerit Ammianus; id tamen quod iidem ſpernendi profecto et pro nugacibus damnandi addiderunt, ſcripſiſſe ita, ut vix quid dicat conſequi poſſis, rebus queas refutare, ac partem ſaeculorum utique digniſſimam, quam et Chriſtianus homo recognoſcat, certe clareque contemplari.

Digitized by Google

HADRIANI VALESII

HISTORIOGRAPHI REGII

AD LECTOREM

PRAEFATIO

IN POSTERIOREM AMMIANI M. EDITIONEM.

HISTORIAM Romanam antiquitatis ſtudioſi ſemper ceteris omnibus non immerito praetulere. Nam cum Imperium iam inde a Iulio Caeſare atque Auguſto maximas ac nobiliſſimas Europae, Aſiae Africaeque Provincias complectatur: accidit res Romanorum legentibus, ut uno ſimul tempore in unius populi bellis civilibus ac externis, omnium nationum, et totius fere generis humani per orbem terrarum geſta cognoſcant: quo quid fieri, quid fingi poteſt utilius atque iucundius? Inter Hiſtoriae Romanae Latinos Scriptores proximum Cornelio Tacito et Suetonio Tranquillo, quos et ſecutus eſt, locum tenet Ammianus Marcellinus, res Romanas annorum CC. XXCIII. ab exortu Nervae ad Valentis Aug. mortem XXXI. libris complexus. Hunc Itali, Galli, Vindelici, ipſi etiam Germani, aliique clariſſimi Europae populi certatim in membranis diligentiſſime deſcripſerunt, et in nobiliſſimis ac locupletiſſimis Bibliothecis ſervandum curaverunt. Ex quo iudicari poteſt, quanti celebrem Auctorem fecerint, cum tamdiu tam aſſiduam operam dederint,

Digitized by Google

ut (quantum in ipsis erat) salva ad posteros eius Historia perveniret. Intelligebant nimirum utilitatem Operis, quo plurima memoria dignissima continerentur, quae ab aliis partim transcursu dicta, aut in artum contracta, partim etiam ex toto omissa esse constabat. Post inventam artem impressoriam, eruditis ingeniis non minor fuit cura librorum Ammiani. In Italia, in Gallia atque Germania docti clarique Critici atque Typographi, ope codicum antiquorum adiuti, pro se quisque Ammianum publicavere, dum alii alios sagacitate, iudicio ac labore superare contendunt: nec ullum alium Scriptorem toties typis mandatum memini. Igitur anno M. CCCC. LXXIV. Romae, ubi nata et composita fuerat, primum edita est Ammiani Marcellini Historia, studio A. Sabini Poëtae laureati. Secuta est Romanam aliquanto post editio Bononiensis in Aemilia; mox Basiliensis Iohannis Frobenii; tum unius eiusdemque anni duae, altera Mariangeli Accursii Augustae Vindelicorum, V. libris Amminani auctior; altera Hieronymi Frobenii Iohannis filii Basiliae Sequanorum, curante Sigismundo Gelenio: anno XIII. post iterum alia Frobenii Basiliae, uno libro locupletior: Roberti Stephani, deinde Henrici Stephani editiones Luteciae Parisiorum, Sebastiani Gryphii Lugduni Segusianorum, alibi aliae, quas singulas ac universas enumerare difficile sit ac supervacaneum. Et illi quidem Editores ad unum omnes tantummodo curaverant, ut Ammianum Marcellinum emendatiorem et auctiorem haberemus. Primus Fridericus Lindenbrogius Hammaburgensis I. C. vir eruditus et diligens, quod nemo antea tentaverat, facere aggressus est; nec contentus auxilio codicis Florentini aliqua in Ammiano correxisse, anno M. DC. IX. Auctorem intellectu perquam difficilem perpetuis observationibus exposuit: varias etiam codicis Florentini ac priorum editionum

lectiones adiecit. Lindenbrogium Ianus Gruterus excepit, qui Ammianum ope veteris codicis emendatum, ſed nudum a notis et obſervationibus publicavit. Heic notandum eſt, Marcellini XIII. priores libros, quibus res CC. LVIII. annorum continebantur, ſummo Hiſtoriae Romanae damno in omnibus priſcis codicibus deſiderari; poſteriores libros octodecim paene eisdem ac totidem ubique lacunis deformatos reperiri.

Ad hunc igitur modum ſe habebat Ammianus Marcellinus, et duabus poſtremis eius editionibus plerique adquieſcebant. Intellexit Henricus Valeſius frater meus, veterem ac bonum Hiſtoricum, iniuria temporum, negligentia ſcriptorum, et audaci nonnullorum Criticorum inſcitia depravatum ac mutilum, validioribus remediis indigere, ut in priſtinum nitorem reſtitueretur: et ſuscepto improbo labore, veterrimas Marcellini editiones, quae nobis membranarum ex quibus deſumtae ſunt, inſtar eſſe debent, diligentiſſime evolvit, et cum optimis codicibus mſſ. contulit, ut celeberrimi nominis Hiſtoricum, quantum fieri poterat, emendaret. Ut autem notis diffuſis, doctis ac laborioſis eumdem explicaret, et omnibus fidem diligentiamque praeſtaret; non Hiſtoriae ſolum Romanae Scriptores Latinos ac Graecos ad Ammiani tempora pertinentes, ſed etiam quoscumque alios aequales eius aetatis aut ſuppares, Leges quoque Romanas Codicis Theodoſiani exacte perlegit. Ea ratione Marcellinus a mendis quamplurimis vindicatus, et anno M. DC. XXXVI. Pariſiis eſt editus vivo adhuc Lindenbrogio: et una cum difficillimis quibusque Auctoris locis Romanae eorum temporum antiquitates ac leges, dignitates Palatinae, civiles, ac militares explicatae. Nihil Valeſius intactum, nihil intentatum reliquit: nullos (ſi ita loqui licet) ſcopulos metu periculi aut laboris vitavit. Miratus eſt Lector

Digitized by Google

ſollertiam, ſagacitatem, acumen, felicitatem etiam hominis ſingularem in corrigendis deſperatis Ammiani locis; doctrinam in exponendis: altiſſimum eius ingenium, acerrimum iudicium, variam ac interminatam eruditionem tum agnovit quisque atque ſuſpexit. Superfuit Valeſius editioni Ammiani annis quadraginta. Per tot annos licet Hiſtoriae Eccleſiaſticae aliisque operibus vacaret, nihil ſibi patiebatur elabi, quod ad Ammianum Marcellinum pertineret: ut quidque occurrerat, ſedulo adnotabat, et libro ſuo curabat adſcribi. Sic ſenſim accreverunt emendationes obſervationesque, tanto pluris faciendae, quanto altioris ac diuturnioris erant meditationis. Hae obſervationes ac emendationes novae, et raritas venalium exemplarium alteram Ammiani Marcellini Editionem tacite poſtulabant. Vivo adhuc Valeſio, novae Editioni Blavius Typographus Batavus, poſt eo mortuo Elzevirius eiusdem regionis Typographus imminebat. Interceſſit Illuſtriſſimus Colbertus, et pro ſumma ſua in litteras litteratosque voluntate, Ammianum Luteciae publicandum curavit, ac mihi editionis curam onusque delegavit. Optandum quidem mihi fuerat, ut meis potius quam alienis operibus manus admoverem, et magis ut propriis quam alienis ſcriptis edendis inclareſcerem: ſi tamen aliena dici poſſunt, quae arta ſanguinis et nominis ac vitae ſtudiorumque communitas pro domeſticis haberi iubet. Ultro igitur parui mandatis ampliſſimi et excellentiſſimi viri, cui iure a quoquam negari nihil poteſt, et cunctis ſepoſitis quae in manibus habebam, huic uni negotio totus vacare conſtitui. Ac primum ſingulis Ammiani libris ſuam epitomen varia in capita diſtinctam praepoſui, ut cuncti quid unoquoque libro contineretur, ſtatim in prima eius fronte notatum conſpicerent: ſingula capita cuiusque epitomes marginibus paginarum ſuo quodque ordine ap-

Digitized by Google

posui: Imperatorum nomina, paria Consulum, et annos Christi nati singulis paginis, quantum fieri potuit, exacte praefixi, ut legentes statim scirent, sub quo quidque Principe et quo anno gestum esset. In Ammiano deletis, quae communi doctorum consensu mendosa et damnanda erant, emendationes Valesii, Criticorum ac veterum membranarum auctoritate confirmatas, quasdam etiam certa coniectura fretas substitui. Quae a nonnullis ad implendam sententiam verbis Ammiani Marcellini erant inserta, duobus uncinis inclusi, quoties in priscis codicibus scripta non reperiebantur. Notas fratris posteriores a prioribus distinxi, ac duobus asteriscis inclusi, ut omnes intelligerent ac viderent quae post editum Ammianum nova observavisset, ac Notis suis adiecisset. Addidi et inserui ipse non raro adnotationes ac observationes meas, quotiescumque verba Historici nostri explicationem postulare videbantur, et quoties codicis Colbertini, de quo infra plura dicturus sum, et codicis Valentini, ex quo varias lectiones P. Pithoei manu notatas legi, aliam in sententiam me trahebat auctoritas. Eiusdem codicis Colbertini passim mentionem feci, quoties cum aliis codicibus conveniebat, aut fratris mei emendationem opinionemque comprobabat. Notarum mearum pars est, disceptatio de Hebdomo. Et quoniam mea a fraterais discernenda erant, ne a legentibus confunderentur, ea duobus uncinis diligenter inclusi. Itaque quidquid in Notis duobus uncinis clauditur, meum est. Ammiano Marcellino subiunxi de Constantio Chloro, de Constantino Magno et aliis Imperatoribus Excerpta vetera Auctoris ignoti, et ex libris Chronicorum de Odoacre et Theoderico Regibus Italiae nonnulla magni facienda, quae Valesius a V. Cl. Iac. Sirmundo amico suo acceperat, ac notis illustraverat. Adieci Indicem rerum memorabilium, quae Ammiani Mar-

Digitized by Google

cellini libris, notisque fratris ac meis continentur, quam maxima potui cura diligentiaque confectum, cuncta ad Historiam Romanam atque ad doctrinam pertinentia complexum. Nuda enim nomina provinciarum, urbium et locorum, atque quarumlibet dignitatum, et exempla ex antiquitate petita, ac Philosophorum de rerum natura, ac de moribus, Theologorum de Diis Gentium placita in Indice notare inutile ac supervacuum existimavi. Fridericus Lindenbrogius post editum Ammianum vixit annis plus minus triginta: quo toto temporis spatio non oblitus tanti Historici, suis Observationibus plurima adiecit: quae ex urbe Hammaburgo ad me missa, corpori eius Observationum adiunxi, ac suis quaeque locis inserui. Cunctas istas accessiones duobus asteriscis medias interposui, ut a prioribus Observationibus separarentur. Addita sunt et ipsius Collectanea Variarum Lectionum. Antonius Oiselius, Loiselius aliis dictus, vir doctus, codicem quendam Ammiani M. Valentiae Segalaunorum evolverat, cum ibi anno M. D. LX. sub Cuiacio Professore Ius Civile disceret: sicuti Petrus Pithoeus, Cuiacii quoque auditor, eadem in urbe anno M. D. LVIII. ex eodem codice varias lectiones excerpserat, et in margine Ammiani sui, Lugduni anno M. D. LII. a Gryphio vulgati, manu sua adnotaverat: quas mihi beneficio V. Cl. Fauri Doctoris Theologi nanciscī contigit. Hunc codicem Ammiani M. qui Antonio Oiselio et Petro Pithoeo Valentiae magno usui fuit, et eidem Pithoeo non multum vetus, sed ex vetustissimo descriptus dicitur, Valentinum voco, et tum in alicuius Valentiae Monasterii Bibliotheca servatum fuisse existimo. Excerpta Oiselii atque Pithoei, ut ex eodem fonte hausta sunt, inter se consentiunt. Oiselii pauculas notas a Lindenbrogio descriptas reperi: quas ne quis desideraret, Lindenbrogii Observationibus sub-

Digitized by Google

texendas duxi. Librum Claudii Chifletii I. C. Sequani de Vita A. Marcellini, et eiusdem libellum de dignitatibus praecipuis eorum temporum quae sunt ab A. Marcellino descripta, opuscula minime contemnenda emendavi ac recognovi, et post Praefationem fratris mei, Historiae Ammiani praefixi. Omni denique ratione operam dedi, ut nostra editio esset quemadmodum postrema sic optima, et omnibus numeris absoluta. Chifletius iste in Vita Ammiani non semel meminit *Scholiorum suorum*, quibus eum Historicum exponere conatus erat: sed ea numquam edita sunt, nec apud Chifletios usquam hodie reperiuntur.

Marcellus Donatus Ponzanus Comes, homo Mantuanus genere clarus, circa annum M. DC. scripsit Dilucidationes in T. Livium, in C. Tacitum, in C. Suetonium Tranquillum, in A. Marcellinum, et in V. Historiae Augustae Scriptores: quas omnes Ianus Gruterus sui Thesauri Critici Tomo VI. inseruit. Sed nec Graecos nec Latinos Historicos eorum temporum laudat, nihil ad Historiam Ammiani pertinens tractat, nullos aequales eius aetatis Auctores attingit; Caelium Rhodiginum, et Alexandrum ab Alexandro, at quos Criticos? Italos Italus saepe nobis obtrudit. Praeterea nullis codicibus adiuvatur: ac de Officiis tantum Palatinis, civilibus et militaribus paucula infeliciter effudit. Quare Observationes eius, aut, sicuti maluit, obscurae *Dilucidationes* LXVIII. circiter pagellarum in A. Marcellinum, nobis indignae visae sunt, quas editioni nostrae adiungeremus. Nunc de A. Marcellino aliqua dicenda sunt.

Ammianus Marcellinus, Protector Domesticus, cum Urficino Magistro militum a Constantio A. in Orientem missus: postea eum in Italiam, deinde in Gallias, variasque orbis Romani partes secutus est: demum cum eodem in tractus Orientis revertit:

Digitized by Google

ubi quid Urſicinus, quid ipſemet rerum egerit, et poſt mortem Conſtantii expeditionem Iuliani in Perſas cui interfuit, fuse enarrat. Eum patria Antiochenſem fuiſſe, prolata Libanii ad ipſum epiſtola ita frater meus docuit, ut nullus dubitationi locus relinquatur. Petrus Pithoeus ad latus Ammiani ſui manu ſua notavit, eum Chriſtianum fuiſſe, propterea quod in libro XXVII. c. 5 ſcripſit, *Antiſtites quosdam provinciales*, id eſt Epiſcopos Chriſtianorum, parco victu, vili veſte, et demiſſis oculis, *perpetuo numini verisque eius cultoribus ut parcos commendari et verecundos*. An ideo Ammianus Chriſtianus habendus eſt, quod Deum Chriſtianorum *perpetuum numen*, id eſt Deum aeternum, et Chriſtianos *Antiſtites*, *veros perpetui numinis cultores* appellat? Quaſi non *veros perpetui numinis cultores*, Ammianus vocaverit Gentiles ipſos ac ſui ſimiles, quibus quidam etiam Chriſtianorum Epiſcopi in provinciis ſanctitate vitae et verecundia commendarentur ac placerent. Ita tamen de Ammiano ſenſit et Claudius Chifletius, cum verbis eius ſupra laudatis, tum aliis leviſſimis coniecturis adductus. Sed qui attente legerit, quae praeter cetera in fine libri XIV. de Adraſtia vel Nemeſi, quae in libro XVI. de Mercurio, quae in libro XXI. de numine Themidis, de Haruſpicina, de Auguriis, variisque artibus futura praenoſcendi, veteres Theologos ſuos et Phyſicos ac Myſticos ſecutus ſcripſit: profecto fateri cogetur, eum cultui Deorum addictum ac devotum fuiſſe. Certe de Diis Gentium tamquam de ſuis ſemper loquitur; de Chriſtianis ſacris Myſteriisque non item. Numquam Chriſtianis ſe adiungit; numquam et nusquam eorum ſe numero adſcribit: et Iulianum A. quem ſuum heroa fecit, hanc praecipue ob cauſam mihi videtur toties et tantopere laudare, quod a Religione Chriſtiana ad numinum cultum deſciverit. Qua tamen erat pru-

Digitized by Google

dentia, adeo modeſte atque ſincere, ac nonnumquam etiam benivole de Chriſtianis rebus commemorat, ut aliqui unum ex noſtris putaverint. Nimirum ſicuti exiſtimo, vir bonus, integer et ſapiens Religionem Chriſtianam non ſequi tuto ſe poſſe intelligebat: eamdem Principibus ſuis acceptam et toto fere orbe Romano diffuſam palam damnare non audebat. Sed et forſitan religionum diverſitates non improbavit, perſuaſumque habuit (ſicut ait de notitia Dei Symmachus) una via non poſſe perveniri ad tam grande ſecretum.

Valentiniano et Valente imperantibus Ammianus M. militiae renuntiavit, et Antiochiam domumque rediit. Ubi poſt Theodori coniurationem patefactam atque oppreſſam, iniquo Iudicum Advocatorumque colludio litibus inquietatus ac vexatus videtur fuiſſe, non ſine aliqua rei familiaris iactura. Sic enim expliçanda iudico verba haec A. Marcellini in libro xxx cap. 4 §. 4. ubi in Orientalium Rom. cauſſidicinam fuse invehitur. *Ergo abſolutis ſuper eius indignitate paucis, quam in illis partibus* (Orientis) *agens expertus ſum, ad coeptorum curſum regrediar inſtitutum.* Quapropter indignatus, Orienti ac patriae valedixit iam aetate provectus, et Romam ſeceſſit Gratiano, Valentiniano et Theodoſio Principibus, ut frater meus credit: ut ego malo, vivo adhuc Valente A. Tanta in urbe Ammianus cum domicilium conſtituiſſet, multos Senatores qui Clariſſimorum titulo et Nobilium appellatione cenſebantur, ſibi amicos adiunxit: quos Magiſtratu aliquo, in primis Praefectura Urbana egregie functos, ex occaſione in ſua Hiſtoria laudare conſuevit. Hos inter primas tenuit Hypatius, vir Conſularis, frater Euſebiae Auguſtae, ac Euſebii ſimiliter Conſularis, qui ex Oriente in Occidentem quoque transierat, et Romae ſedem ceperat: quem in libro xxix. eximie laudat, et amicitia cauſa *no-*

Digitized by Google

ſtrum Hypatium appellat. Adnumerandus eſt et magnis amicis A. Marcellini Eutherius, qui Conſtantis A. Cubicularius, deinde Iuliani Praepoſitus Cubiculi fuerat, ac Romae domicilium fixerat: cuius virtutibus in libro XVI. enarrandis vacat. Nec tum etiam defuere Urbi viri doctrina praeſtantes, quibus A. Marcellinus familiariter uteretur. Igitur ut erat homo nobilis et locuples, otii ignobilis impatiens, in tam iucundo ſuavique ſeceſſu totum ſe litteris dedidit. atque ut miles quondam et Graecus linguae Latinae ac Hiſtoriae Romanae magis aſſueſceret, Catonem maiorem vel Cenſorium, Caeſaris Commentarios, Salluſtium, M. Tullium Ciceronem, alios utriusque linguae Auctores diligentiſſime evolvit: quos et paſſim in Hiſtoria ſua laudat. Talibus et tantis praeſidiis inſtructus, Hiſtoriam Romanam ab exortu Nervae usque ad Valentis A. interitum XXXI. libris Latine ſcribere aggreſſus eſt. Et priora quidem a Nerva ad Conſtantinum Maximum aut omiſſa maxima ex parte, aut negligenter et nullo rerum ac temporum ordine ſervato ſcripta hactenus fuerant, quae XIII. libris fuſius ac multo diligentius expoſuit, qui pridem magno Reip. litterariae damno deſiderantur. Cetera a Magnentii caede ad Valentis mortem, quae vidit, quibus ipſe interfuit, et quorum etiam aliqua pars fuit, aut quae ex amicorum relationibus didicit, XVIII. voluminibus narravit. Haec ut notiora et oculis animisque aequalium inſerta, aut memoriae inſixa, latiſſime explicare conatus eſt. Sed prae ceteris in rebus Iuliani A. prope nimius haberi poteſt: in quo nonnulla quidem laude digna, multa nihilominus (quemadmodum ipſemet Hiſtoricus nonnumquam fatetur) vituperanda fuerunt. Certe ſcriptor alioquin diligens et veri ſtudioſus, XI. fere libros Iuliani laudibus implevit: reliquos ſuae aetatis Imperatores, Conſtantium, Iovianum, Valentinianum et

Valentem, ceu invidos et detrahentes eius Principis memoriae, non raro deterit arguitque: paene ut mihi perſuadeam, Ammianum unius Iuliani cauſa tantum Opus ſuscepiſſe, ne quam amplificandae virtutis herois ſui quem ſummopere mirabatur omnibusque praeferebat, occaſionem praeteriret. Hiſtoriam autem ſuam non continuo labore compoſuit: ſed ut erat plures in libros diviſa, per partes eam vulgavit, et nunc unum volumen, nunc alterum frequenti auditorio, ac amicorum ſuorum et doctorum hominum iudicio commiſit, magnamque inde laudem eſt conſecutus: ut docet epiſtola Libanii a fratre laudata. Recitationes porro (ſicuti et declamationes) duorum generum fuere: publicae aliae; aliae privatae. Publicae recitationes erant ac nuncupabantur, quae aut in certaminibus publice propoſitis praemiis, aut in aliquo loco publico citra ullum certamen fiebant. Eiusmodi exſtitere Oratorum ac Poëtarum certamina, quotannis in Albano a T. Flavio Domitiano edita: ubi Statius ſe praemio ter donatum ſcripſit. Tale Lugduni ad aram Auguſti certamen Graecae Latinaeque facundiae, editum a Caio Caligula, in quo victi victoribus praemia conferebant. Sic Nero orationis carminisque Latini coronam omnium conſenſu ſibi conceſſam recepiſſe dicitur a Tranquillo. Publice quoque Statius Romae Thebaïdem ſuam plaudente populo recitavit: uti Iuvenalis in Sat. VII. prodit his verſibus:

Curritur ad vocem iucundam et carmen amicae
Thebaidos, laetam fecit cum Statius Urbem,
Promiſitque diem: tanta dulcedine captos
Afficit ille animos, tantaque libidine vulgi
Auditur.

Durabant adhuc Romae circa annum Chriſti D. LXXX. publicae orationum et carminum recitationes: et ibi in foro Traiani magnifica poëmata ab Aucto-

ribus recitata Senatus Populusque Romanus audiebat: ut teſtatur Fortunatus Italus in libri III. Carmine XXIII, de opuſculis et epigrammatis cothurnatis ac tumidis Bertechramni Burdigalenſis Epiſcopi hisce verbis, indicans et Poëtis qui placuiſſent, a Senatu calceos filis aureis ornatos dari conſueviſſe.

Vix modo tam nitido pompoſa poëmata cultu
Audit Traiano Roma verenda foro.
Quod ſi tale decus recitaſſes aure Senatus:
Straviſſet plantis aurea fila tuis.

Studioſi et docti quidquid compoſuerant, Proceres quidem ac locupletes domi nunc per ſe, nunc per lectorem coram amicis invitatis recitabant: mediocres vero ac tenues in aedibus Optimatum, conductis ſubſelliis et anabathris pulpitisve. Privatarum recitationum mentionem facit Suetonius Tranquillus in Claudio capite XLI. Caius Plinius Secundus paſſim in libris Epiſtolarum, et Iuvenalis in Sat. I. et VII. qui Frontonem recitantibus Poëtis porticus ſuas marmoreas commodaviſſe ſcribit, et in his conſeſſibus quosdam ſolitos eſſe disponi, qui plauderent et magnis vocibus acclamarent. Et in Sat. III. ipſe Aquini ubi natus erat, ſatiras ſuas praeſentibus amicis quos convocaverat, recitaviſſe ſe ait: et magna frequentia magnoque ſucceſſu ter auditus eſt: quod et in eius Vita a veteri Scholiaſte ſcriptum invenio. Ammianus igitur famae gloriaeque dulcedine ſimiliter ſuccenſus, et experiendi amicorum doctorumque virorum iudicii cupidus, Romae ex more ſuam per partes recitavit Hiſtoriam, prout librum quemque compoſuerat. Hinc oratione numeroſa et bene ſonante, plena pompae et maieſtatis eſt uſus, qualem recitationes iſtae poſtulabant, ut aures et animos auditorum impleret. Ad pompam recitationum pertinent, dictorum factorumque aetatis ſuae memorabilium cum priſcis, ho-

Digitized by Google

minum cum hominibus comparationes, ad commovendos animos amplificatae rerum imagines, tragicae Fortunae compellationes, crebritas figurarum ac translationum, descriptiones proeliorum et obsidionum nonnunquam lusibus lascivientis ingenii locisve communibus quam Historiae legibus convenientiores. Eamdem ob causam A. Marcellinus ubique omnis generis doctrinae famam affectavit. Cui rei indicio sunt laudationes tot veterum Auctorum, laudatae saepius Ciceronis sententiae, Virgilii, Menandri, et aliorum versus inserti: tot et tanti excessus narrationem rerum interrumpentes, de Adrastia vel Nemesi in libro XIV. de origine doctoribusque Gallorum, et de Alpibus Gallicanis in libro XV. de obeliscis, et de notis hieroglyphicis, et de variis terrae motibus in libro XVII. de causis ac generibus pestilentiae in libro XIX. de defectibus Solis et Lunae, deque variis Lunae mutationibus et figuris, nec non de arcu caelesti in libro XX. de variis artibus futura praenoscendi, et de Geniis libro XXI. de Nilo, de crocodilo, de ibi, ac de pyramidibus in libro XXII. descriptiones V. muralium machinarum, nec non XVIII. maiorum Provinciarum Regni Persici, item de ortu margaritarum in libro XXIII. de cometis, et de facibus caelo decidere visis in libro XXV. de ratione Bissexti in libro XXVI. de causidicina, deque Iurisconsultis, et variis Advocatorum generibus in libro XXX. Descriptiones quidem variarum Provinciarum Imperii Romani apud A. Marcellinum longe lateque diffusae sunt: quae apud Sallustium de bello Iugurthino, apud Caesarem et Livium aliosque Historicos multo breviores reperiuntur. Sed non omittendi sunt duo maximi excessus de vitiis Senatus Populique Rom. in libris XIV. et XXVIII. quos qui attente mecum consideraverit, facile sibi persuadebit, tum lenes admodum atque patientes fuisse Romanos, si aut pravi, quo-

Digitized by Google

rum vana ſtudia et vitia in Ammiani libris deſcribebantur, aequo animo tuleruut a peregrino Graeculo in Hiſtoria palam traduci ſe ac derideri; aut boni exiſtimaruut liberas eorum reprehenſiones ac notas nihil ad totius ampliſſimi Ordinis ac univerſae civitatis dedecus ulla ratione pertinere.

Petrus Pithoeus in margine Ammiani ſui, cum codice Valentino collati, manu ſua ſcripſit, praeter XIII. priores libros qui deſiderantur, in libris XVIII. qui ſuperſunt, *multa etiam deeſſe videri: quandoquidem Ammianus ſaepe plures annos indictos transmittit: quod ex Conſulibus quos notat ordine, in Faſtis intellectum iri.* Ita Petrus Pithoeus loquitur et ſentit. Sed ei reſpondere poſſumus, Ammianum quidem Conſules aliquot in XVIII. voluminibus quae ſuperſunt, omiſiſſe: non tamen eorum annorum res geſtas omiſiſſe. Omiſit quidem Ammianus in rebus annorum XXV. paria Conſulum IX. videlicet Lupicinum et Iovinum, Valentinianum II. et Valentem II. et Valentinianum Nobiliſſimum Puerum et Victorem, Gratianum Auguſtum II. et Probum, Modeſtum et Arinthaeum, Valentinianum IV. et Valentem IV. poſt Conſulatum Gratiani III. et Aequitii; Valentem A. V. et Valentinianum iuniorem A. Valentem A. VI. et Valentinianum A. II. Coſſ. Sed quae his Conſulibus hisve annis acta ſunt, nihilominus expoſuit: cum aliquando bella duobus aut etiam pluribus annis geſta continua oratione enarret, ne ſeriem rerum interrumpat. Exempli cauſſa translatos in Thraciam Gothos, et Valentis A. cum eis pugnam ac mortem fuſe in libro ultimo commemorat: quibus utrumque Coſſ. factum ſit, non commemorat. Vir doctus, qui codicem Regium manu ſua deſcripſit, in libro XXIV. poſt haec verba de Arinthaeo Perſas perſequente, *latebrae texere notiſſimae*, ad marginem adnotat ſuſpicari

ſe,

se, plurima heic deesse: cui coniecturae meus frater merito accedit. Deest enim (ut ipse observavit) legatio Saporis Persarum Regis ad Iulianum A. Libanio et Socrati non indicta: deest relatio rerum ab Arsace Rege Armeniae et a Procopio ac Sebastiano in Mesopotamia gestarum; et quae fuerit causa, quare Iuliano in Assyria Arsaces. Procopius ac Sebastianus, sicut iussi erant, cum suis copiis occurrere non potuerint: cuius rei *causas* a se *praedictas*, paullo infra ipsemet Ammianus in fine eiusce libri prodidit. Desideratur in eadem lacuna et dolus transfugarum Persarum, quorum fraude deceptus Iulianus suam classem incendit: quos ibidem Historicus *infaustos ductores* appellat, et in tormentis fraudem confessos esse tradit. Sed post obitum Valentiniani A. qui libro xxx. enarratur, plurima eaque maxima ac memoria dignissima in Historia Ammiani desidero, quae scriptor diligens plane videtur nec omittere debuisse, nec vero ulla ratione omissurus fuisse. Scripsit quidem Ammianus in fine libri xxx. Valentinianum iuniorem tum quadrimum in Pannonia, post Valentiniani patris sui repentinam mortem, ab exercitu ex Optimatum sententia Augustum consalutatum esse. Sed quae secuta sunt, apud Ammianum, qualem nunc habemus, nusquam reperiuntur: videlicet quomodo Gratianus A. Imperium Valentiniano fratri se insciente delatum, cum Valente patruo sua auctoritate confirmaverit: qui et quando Imperium Romanum in Occidentis partibus, et Comites ac numeros militares cum fratre partitus sit; et Gallias, Hispanias, ac Britannias sibi retinuerit, Italiam et Africam cum parte Illyrici Occidentalis, et Frigeridum Ducem ac Sebastianum Comitem prae ceteris ei attribuerit: quemadmodum communem amborum patrem Valentinianum cum Valente fratre collega suo totius orbis Romani provincias, legiones quoque,

ac Comites seu Magistros militum divisisse refert Ammianus in libro XXVI. Iam damnatio ac supplicium Maximini Praefecti Praetorio, et Simplicii ac Doryphoriani sub Gratiano, apud Ammianum desideratur: de quorum tamen mortibus et merita poena *postea tempestive se dicturum* in libro XXVIII. pollicetur. Desideratur apud eundem mors Theodosii Magistri militum, Theodosii postea Imperatoris patris, viri Britannicis Africanisque victoriis illustris, et de Repub. optime meriti, ac *plurimorum Nobilium*, hoc est Senatorum, quos *una occisos* anno Domini CCC. LXXVII. tradit Hieronymus in Chronico. Desiderantur et multa alia in Oriente et Occidente domi forisque gesta toto triennio, quod inter Valentiniani et Valentis mortem intercessit. Theodosium quidem post Britanniam et Africam Imperio Rom. restitutas, sua gloria invisum aulicis reddiderat: a quibus insimulatus rerum novarum apud Gratianum, ac iussus interfici, post Baptismum acceptum, Carthagine percussori ultro iugulum praebuit: sicuti in libri VII. capite XXXIII. tradit Orosius. Quare errant Socrates in libri IV. capite XIX. et Paullus Diaconus Aquileiensis, et qui ambos secutus est Chifletius in Vita Ammiani: quum Theodosium, quem *Theodosiolum virum fortem ex Hispania* Socrates appellat, propter nomen suum in coniuratione Theodori iussu Valentis A. morte affectum tradunt. Nam Carthago Africae caput, ubi Theodosius iugulatus est, non Orienti sed Occidenti adscribebatur; non parebat Valenti, sed Valentiniano iuniori, cuius curam ac tutelam cum matre gerebat Gratianus: qui fratrem maxima *pietate dilexit et educavit*, ut in libro XXX. loquitur Ammianus. Nihil igitur Valenti Imperatori Orientis in Theodosium Magistrum militum licere potuit: qui semper in Occidentis provinciis bella gessit, semper Occidentis Principibus subiectus fuit,

Digitized by Google

nec umquam Ortivi Imperii fines ingreſſus eſt. Praeterea Theodorus Notarius cum coniurationis conſciis iuſſu Valentis damnatus, Antiochiae periit Gratiano A. II. et Probo Coſſ. anno Chriſti CCC. LXXI. hoc eſt toto fere ante caedem Theodoſii ſexennio. Non itaque Theodoſio quatuor priores nominis ſui litterae, nec Theodori coniuratio, ſed aulicorum et inimicorum calumniae cauſa cruentae mortis fuerunt: neque a Valente, ſed a Gratiano fraude invidorum Palatinorum decepto caedes iſta tam iniqua mandata eſt. Haec igitur omnia quae nunc apud A. Marcellinum non leguntur, perſuaſere Chifletio, ut in Vita Ammiani ſcriberet, eum in libro XXXI. qui nobis deſit, cuncta iſta ſupradicta narraſſe, et librum qui nunc XXXI. vocetur, XXXII. fuiſſe, atque ita appellandum eſſe: quam opinionem veriſimillimam iudico. Ceterum inter Epigrammata Graeca reperiuntur nonnulla cum in pagina IV. tum alibi, quibus nomen Ammiani praefigitur; Hiſtorici, an alius cuiusquam, incertum eſt: ſicut nec conſtat, an Hiſtoricus noſter fuerit, qui ſub Gratiano, Valentiniano et Theodoſio *Comes rerum Privatarum Ammianus* vocatur in libro XII. Codicis Theodoſiani: quibus imperantibus A. Marcellinum Romae vixiſſe, et Hiſtoriam Romanam ſcripſiſſe indubitatum eſt.

Sunt, qui A. Marcellinum plurimum damnent et aſpernentur, tamquam paſſim Grammaticos canones excedentem. Certe nonnumquam declinationes ac terminationes nominum mutat: ut in libro XV. *G. et T. ſaevium tyrannorum:* in libro XXIX. de Theodoſio, *ſuppliciorum ſaevium repertorem:* in libro XVII. de terrae motuum generibus, *climatiae qui limes ruentes et obliqui:* in libro XX. *limibusque oculis eos a. m. contuens m.* Ibidem, *c. f. lapidum madore etiamtum infirmium.* Quamquam Caper Grammaticus dici aſſerit *infirmus* et *infirmis*, ſicuti

imberbus et *imberbis*, *inermus* et *inermis*. Ita in libro XX. *ſonus* pro *ſoni*, *ſonu* item pro *ſono* in veteribus membranis et in editionibus reperitur. *Iterata magnitudine ſonus Auguſtum appellavere.* Item, *Exclamabatur undique vocum terribilium ſonu.* Initio libri XXVII. *Dum cedentes obiectu corporis et vocis iurgatorio ſonu audentius pertinet.* Ubi et *pertinet* ſumitur active pro retinet: quemadmodum ſcriptum praefert codex Colbertinus. In libro XXI. *Hi genii animis connexi mortalium, eas tuentur.* In libro XIX. *Animis in ventum ſolutis proiiciebantur exſtincti.* *Animis* pro animabus. In libro XVI. *Circumdata retiis buſta*, pro retibus. In libro XXV. *Ductore eorum aliae turmae appoſito.* In libro XVII. *Ablatum uno templo miraculum.* In nominibus IV. declinationis morem veterum praeſertim Poëtarum ſequitur, et III. caſum non aliter quam litera *u* terminat. In libro XXVI. *impetu*, necnon *ictu:* in XXIX. *acceſſu.* Interdum et ſignificationes nominibus novas Ammianus attribuit. Ergo *pruinam*, quam vulgo gelu canum vocitamus, ſumit pro glacie in libris XVII. XXIV. aliisque, eique *cruſtas*, *acumina*, ac *congeriem* tribuit. In libro XIV. ex turba *turbelam* facit, et Hermogenis meminit, *apud CP. populari turbela discerpti.* Ex *turbela* orta eſt vox Francica *trouble.* Iam apud Ammianum M. in verbis praeteritorum mutationes aut potius depravationes aliquando reperio. In libro XVI. verbo *pello* dat praeteritum *pepuli*, uti facere debuit; in libro XXX. etiam *pulſi: percello* ſimiliter nunc *perculi*, in libro XVII. nunc et *perculſi* in XVII. et XXV. Verbum *fodio* ex tertia coniugatione in quartam transfert Marcellinus in libro XXIV. *Id a. Traianus egeſto ſolo fodiri in m. c. a. curaverat.* Gaudet etiam mutationibus temporum. In libro XXII. *Poterantque miſerandi homines Chriſtianorum adiumento defendi, ni Georgii*

Digitized by Google

odio omnes indiscrete flagrabant: ubi Critici adversantibus codicibus edi curarunt *flagrassent.* Quin etli priscis membranis maior quam editis libris fides habetur, *aestimare* passim ponit Ammianus Marcellinus pro *existimare:* ut Sulpicius Severus de Vita S. Martini, Aurelius Victor in Caesaribus, aliique facere consueverunt. Ne de Nostris loquar, qui utrumque verbum uno eodemque reddunt, *estimer.* Utitur etiam saepissime sine causa verbis frequentativis, sed novis et inusitatis, ut prisci codices testantur, et in Notis non semel observare memini. In libro XXVI. *vastitatis propinquioribus locis*, pro vastatis. Circa finem libri XXXI. *Portatis scriptis et recitatis, utque decebat contemptatis:* ubi aliae editiones excusum habent *contemptis,* aliae *contemplatis.* In his aliisque eiusmodi, si quando peccavit A. Marcellinus, si nonnumquam a legibus Grammaticae recessit: facile aequalium aetatis suae ac supparium Auctorum exemplo defendi potest, qui eadem ratione, aut certe non multo melius locuti sunt ac scripserunt: cum iam Imperium Romanum a pristino splendore ac potentia, ac simul lingua Latina a veteri elegantia degenerare coepisset. Ut omittam Ammiano homini Graeco linguam Latinam minus notam esse debuisse, quam Italis et ceteris Occidentalium Provinciarum incolis, quibus Latinus sermo erat innatus.

In emendando Ammiano maximo mihi adiumento fuit codex recentior quidem, sed ex veterrimo ac optimo exemplari descriptus, quem Colbertinum appello, propterea quod in Bibliotheca Colbertina servatur. In eo igitur codice, qui a V. C. tantae Bibliothecae praefecto mihi est commodatus, plurima reperi, multo quam in omnibus Ammiani M. editionibus emendatiora: quas emendationes, quoniam certissimae erant, sequi non dubitavi. Earum emendationum sive restitutionum ac lectio-

Digitized by Google

num partim mentionem in Notis feci, partim etiam omisi. Omissa tantum attingam pauca de multis. Omnium enim eorum quae notare oblitus sum, nunc meminisse non possum.

In libro XVI. c. 5. §. 4. de Alexandro Magno scriptum invenio. *Ut cum nervorum vigorem sopor laxasset infusus.* Uti et Rittershusius in Ligurinum emendavit: cum *nervorum rigorem* libri editi obtrudant.

In libro XXII. c. 5. §. 3. de Iuliano Christianos inter se maligne committente. *Dissidentes Christianorum Antistites c. p. d. in Palatium intromissos monebat civilius, ut discordiis consopitis quisque nullo vetante religioni suae serviret intrepidus.* Sic codex Colbertinus; sic et Florentinus a Lindenbrogio lectus: cum in editis legatur, *Diss. Chr. Ant. c. p. d. i. p. i. monebat, ut civilibus discordiis consopitis*, etc. minus bene. *Monebat civilius*, id est, admonebat comiter, et humane; principali fastu depositio hortabatur. Hoc in Ammiano mutare ac emendare, et in Notis meis observare non memini.

In libro XXV. c. 3. §. 6. de Iuliano A. *Audenter effunderet semet in pugnam.* Qui solam audaciam viro fortissimo tribuit, minus aliquid quam par sit tribuere videtur. P. Pithoeus in codice Valentino pro *audenter* legisse se *ardenter* notavit ad oram Ammiani sui: idem legi et in codice Colbertino. *Ardorem* Iuliano similiter tribuit non semel A. Victoris Epitome. *Cumque inconsulto ardore nititur ordines ad proelium componere, ab uno ex hostibus et quidem fugiente, conto percutitur.*

In libro XXV. c. 4. §. 4. de Iuliani A. frugalitate. *Namque in pace victus eius mensura atque tenuitas erat recte noscentibus admiranda.* Ita codex Colbertinus, optime: quasi Iulianus certi ponderis ac mensurae cibis vinoque uteretur. At in vulgatis libris *victus eius mensarumque tenuitas* tautologiam

ridiculam continebat. *Victus* enim, et *menſa*, una eademque res eſt: et *menſae* Iuliani pro menſa abſurde vocarentur.

Ibidem §. 5. *Expergefactus explorabat per ſemetipſum vigiliarum vices et ſtationum: poſt haec ſeria, ad artes confugiens doctrinarum.* Ita editiones: quaſi ſerium non ſit ſtudium litterarum, aut ſaltem minus ſerium nocturna exploratione vigilum, atque ſtationum, quam Iulianus ſtudiis praemittere conſueverat. In codice Colbertino unius litterulae adiectione locus ſic emendatur. *Poſt haec, ſerias ad artes confugiens doctrinarum.* Id eſt: poſt explorata caſtra, ſive poſt facta haec quae in bello neceſſaria ſunt, Iulianus ad ſeria convertebatur, litterisque vacabat.

In libro eodem c. 7. §. 8. de Ioviano A. in ſumma rerum omnium inopia cum Perſis de pace per quatriduum deliberante. *Quo temporis ſpatio a. h. m. ſi exabuſus Princeps paullatim terris hoſtilibus exceſſiſſet, profecto veniſſet ad praeſidia Corduenae, uberis regionis et noſtrae,* etc. Ita codex Colbertinus diſerte ſcriptum habet: cum in editis Ammiani libris legatur *abuſus.* Deceptus erat Ioviamus ab aulicis adulatoribus, inſtantibus affirmantibusque, ni confeſtim ex Aſſyria rediret, Procopium cum exercitu cui praeerat, facile ac certo res novaturum, ut paullo infra Ammianus ipſe ſcribit. *Exabuſus* ergo in paſſiva ſignificatione eſt, malis adulatorum conſiliis meliora et honeſtiora praeferens, *desabuſé, détrompé:* fitque ex *abuſus*, ut *exauctoratus*, ex *auctoratus*, *exarmatus*, ex *armatus*, *exoneratus*, ex *oneratus.*

In libro XXVI. c. 1. §. 11. *Ut ad unum diſtinctumque exitum circumverſio curſus annui revoluta.* Ita codex Colbertinus, et quidem optime. At ex editionibus aliae, *circumverſio anni revoluta;* aliae, *converſio curſus anni revoluta,* minus bene.

In eodem libro c. 6. §. 7. de Petronio Patricio, ſocero Valentis A. *Nocentes pariter et infontes poſt exquiſita tormenta quadrupli nexibus vinciebat.* Ita legit P. Pithoeus in codice Valentino, ut ad marginem Ammiani ſui notavit. Ita et ego legi in codice Colbertino. *Quadrupli nexibus vinciebat,* id eſt condemnabat quadrupli, ut eos nudaret fortunisque ſpoliaret. At in editionibus reperitur, *quadruplicibus nexibus vinciebat.* Quo nihil fingi poteſt abſurdius: quaſi miſeri iſti a Petronio quadruplici ſerie catenarum vincti tenerentur in carcere.

In eodem libro c. 6. §. 20. *Andriſcus de genere quidam infimae ſortis.* Id eſt, Andriſcus quidam natus genere plebeio, genere infimae plebis, fullone genitus. Ita codex Colbertinus; ita et editio Roberti Stephani. At ceterae editiones: *Andriſcus degener quidam infimae ſortis*, male. Nam ſi degener hoc loco eſt homo obſcuri generis; nihil opus fuit addere, *infimae ſortis:* quod idem plane ſignificat.

In eodem libro c. 9. §. 4. de Arbetione Exconſule. *Ut Conſtantiniani Ducis verecundia truces animi lenirentur.* Arbetionem virum Conſularem, *Conſtantinianum Ducem* a Conſtantino Maximo cognominat codex Colbertinus: quem libri typis impreſſi *Conſtantianum Ducem* a Conſtantio Conſtantini filio. Si Arbetio qui Conſtantii ante quinquennium mortui Dux fuerat, anno Domini CCC. LXVI. iam ſenex et admodum aetate provectus erat; haud dubie ſub Conſtantino Maximo ante XXX. annos defuncto ducere copias potuit.

In eodem libro ibid. §. 7. *Qua ſucceſſus alacritate Valens, caſtra promovit ad Phrygiam.* Hunc omnium editionum errorem unius litterae mutatione codex Colbertinus corrigit eum in modum: *Qua ſuccenſus alacr. V. c. p. a. P.* Scilicet

Digitized by Go

animi hominum ſecundis initiis incenſi, ad propoſita exſequenda atque conſummanda incitantur. Valens igitur Gomoarii ad ſe transitione *ſuccenſus*, et alacrior factus erat ad belli Procopiani reliquias perſequendas. Eum errorem in Ammiano emendare non memini.

In eod. lib. ibid. §. 8. *Procopius ſalutis intercluſo ſuffugio verſus in pedes.* Ita libri editi. At codices Colbertinus et Valentinus teſte P. Pithoeo, ac editio Rob. Stephani: *Pr. ſalutis intercluſo ſuffragio, etc. Suffragium ſalutis*, eſt ſuffragium ſalutare, vel ad ſalutem conferens, auxilium ſalutare. Ita A. Marcellinus loqui ſolet.

In libro XXVII. c. 2. §. 8. de Iovino Alamannos caedente ac perſequente. *Per aperta camporum ſequebatur et mollia, calcando ſemineces et conſtrictos.* Ita codex Colbertinus: cum in editis libris legatur *conſtratos* minus bene. Nam ſi ab hoſte calcabantur, iam humi ſtrati eſſe debebant. Mors autem inſtans vulneratorum corpora conſtringit ac velut in globum cogit. Quare ſtatim ſubiungit A. Marcellinus: *Quos vulneribus frigorum aſperitate contractis dolorum abſumſerat magnitudo.* Corporibus erant conſtrictis, qui vulnera habebant frigore contracta.

In eodem libro c. 3. §. 1. de Terentio Excorrectore Tuſciae. *Eaque confidentia deinceps inquietius agitans multa, in Navicullariorum negotio falſum admiſiſſe convictus*, etc. Ita codex Colbertinus, optime. At libri editi: *E. c. d. inquietius agitans, multa in Navicullariorum negotio falſo admiſiſſe convictus.*

In eodem lib. c. 3. §. 4. de domo Symmachi a Romanis incenſa. *Quod vilis quidam plebeius infixerat, illum dixiſſe ſine indice ullo vel teſte*, etc. Ita ſcriptum reperi in codice Colbertino: ita reperit et in Valentino P. Pithoeus. Id eſt, infixerat

omnium auribus animisque: plebi Romanae plebeius iſte calumniator plane perſuaſerat. At in vulgatis libris legitur *finxerat:* quod verbum priore minus eſt validum.

Ibidem §. 9. de Lampadio Praefecto Urbi. *Eaque vi territus ipſe, fremituque crebreſcentis ſeditionis in maius, ſeceſſit ad Mulvium pontem.* Quanto melius codex Colbertinus? *Eaque vi territus ipſe primitus crebreſcentis ſeditionis in maius, ſ. a. M. p.*

Ibidem c. 6. §. 8. Valentiniani A. de Gratiano filio loquentis verba ſunt et promiſſa. *Potioribus* (*invidiae metu dicitur*) *protinus ſuccreturum.* Ita codex Colbertinus, bene. At libri vulgati: *Paucioribus invidiae metu, ut dicitur, protinus ſuccreturum. Invidiae metu dicitur*, id eſt, abſit invidia, faceſſat invidia: pace mihi liceat Caeleſtes dicere veſtra.

In libro XXVIII. c. 1. §. 4. de Phrynico Tragico. *Cum cothurnarius ſtilus procederet lacrimoſus.* Ita editi libri omnes. At codex Colbertinus quem ſecutus ſum, mutata unica litterula multo melius: *Cum cothurnatius ſtilus procederet lacrimoſus.* Id eſt, cum magis magisque cothurnate et tragice ac miſerabiliter cladem Mileſiorum deploraret, ac flebiliter verſibus exponeret. *Cothurnarius* quidem *ſtilus* Latine dici non poteſt, ſed cothurnatus aut cothurnoſus: et ita Ammianus ſcripturus fuit, cum *cothurnarius* haudquaquam Latinum ſit nomen. A *cothurnatus* fit *cothurnate* et *cothurnatius.*

In libro XXIX. c. 1. §. 14. *Advenit aliquando tamen ipſe quoque Theodorus.* Sic codex Colbertinus, et reliqui omnes. *Aliquando tamen*, hoc eſt, aliquando tandem. Et ſic fere ſemper Ammianus *tamen* ponit pro *tandem;* ut Apuleius *interim* pro *interdum.*

Digitized by Google

Ibidem §. 21. *Quorum in aerario bona coacta, et ipſe ad quaeſtus proprios redigebat.* Ita codex Colbertinus, et Rob. Stephani ac Seb. Gryphii editiones: vulgo, *in aerarium.*

Ibidem §. 23. *Nihilominus tamen ipſi quoque cum cognitoribus Principi caedes incendiaque flagitantes Furias imminere.* Sic editiones, nullo bono ſenſu. Quid enim ſibi volunt *Furiae* illae *caedes et incendia flagitantes?* Quanto melius codex Colbertinus? *Nihilominus tamen ipſis quoque cum cognitoribus Principi caedeis incendiaque flatantes Furias imminere.* Id eſt, flantes caedes ac ignes. Verbis frequentativis uti gaudet et ſolet A. Marcellinus. *Flato* a *flo* deductum, ut *nato* a *no*, *dato* a *do;* unde adverbium *datatim.* Ceterum notandum eſt, quod ſcribit heic Ammianus, ipſius Valentis A. et ipſorum quaeſitorum cruentam ac funeſtam mortem Theodoro eiusque coniurationis conſciis fuiſſe cum ipſorummet exitio praedictam. Et Valentem quidem nemo neſcit miſero mortis genere periiſſe. Modeſtus autem Praefectus Praetorio, ac poſt Conſul, homo Arianus et avarus, qui huic cognitioni iuſſu Principis praefuit, et *Summates*, qui cum ipſo de Theodorianis iudicaverunt, nec ab Ammiano nominantur, qualem exitum fecerint, ignoramus.

Ibidem c. 2. §. 22. *Feſtus quidam adminiſtrata Syria, Magiſterioque Memoriae peracto, bona lenitudinis et reverentiae reliquit exempla.* Sic editiones Rob. Stephani, Seb. Gryphii, aliorumque: nullo ſenſu. Quid enim eſt, *relinquere bona exempla reverentiae?* Quanto felicius codex Colbertinus? *Bona lenitudinis et reverentia reliquit exempla. Reverentia exempla*, id eſt reverenda, verenda, honoranda. Eadem ratione *Reverentiſſimus* in veteribus inſcriptionibus ac titulis epiſtolarum pro *Reverendiſſimus* ſaepiſſime occur-

Digitized by Google

rit. Epiſtola Pauli Verodunenſis Epiſcopi ad Deſiderium Cadurcorum Epiſcopum inſcribitur *Domino reverentiſſimo Deſiderio Papae P. P.*

Ibidem c. 3. §. 8. *In hoc negotio Protectores ad exhibendas miſſi perſonas, dicuntur fuſtibus praeter ſolitum uſi.* Ita Stephanus et Gryphius: Frater meus, *dicuntur fuſtibus p. ſ. caeſi.* At codex Colbertinus: *De fuſtibus praeter ſolitum caeſi.* Et ita ponendum curaveram: ſed Typographus *de* ſuſtulit, quod vitioſum putabat.

Ibidem c. 4. §. 1. de Valentiniano A. *Illud contemplans quod maius pretium operae forſitan regendis verius milite Barbaris quam pellendis.* Ita codex Colbertinus, optime. Vult dicere Ammianus, Valentinianum A. qui in Alamannorum et Quadorum aliorumque Barbarorum finibus caſtella ac munimenta ſtatuebat, eosque longe a limitibus Imperii Romani repellere conabatur, multo melius forſitan facturum fuiſſe, ſi voluntaria Barbarorum opera in bellis uti, eorumque auxiliis militaribus Romanos praeponere maluiſſet. At vulgati libri: *Illud contemplans, quod maius pretium operae forſitan fecerat regendis veteri limite Barbaris quam pellendis.*

Ibidem c. 5. §. 3. de Firmo Mauro. *Ultimorum metu iam trepidans ne amandatis quae praetendebat, ut perniciosius et contumax condemnatus occideretur.* Quanto melius editionibus iſtis codex Colbertinus, qui pro *contumax* ſcriptum habet *contumelioſius?* Neque enim tum *contumax* aut fuit, aut dici potuit ac debuit Firmus, qui miſſis per ſuos ad Imper. Valentinianum relationibus factum ſuum defendere ac ſeſe purgare conabatur. Sed *contumelioſius* erat Imperio Romano, id eſt *pudendus, dedecoroſius,* qui cum eſſet Romanae ditionis, fratrem ſuum per inſidias interemerat.

Digitized by Google

In libro xxx. c. 5. §. 6. de tributorum oneribus et augmentis. *Et flagitantium miniſtrorum amaritudine quidam oppreſſi, cum non ſuppeteret quod daretur, erant perpetui carcerum inquilini.* Sic editiones. Quanto elegantius codex Colbertinus? *Et flagitantium miniſtrorum amaritudine quidam expreſſi, c. n. ſ. q. d. e. p. c. i. Expreſſi*, id eſt *exhauſti, exſucti*, opibus cunctis nudati, *ſucez, preſſez, preſſoirez.* Translatio elegans ducta a torculari, quo uvae premuntur, et vinum e racemis exprimitur: unde et altero nomine *preſſorium* appellatur. Veſpaſianus Procuratoribus rapaciſſimis *vulgo proſpongiis dicebatur uti, quod quaſi et ſiccos madefaceret et exprimeret humentes:* ut ait Suetonius in capite XVI. *Exprimeret humentes*, hoc eſt plenos exhauriret ac exſugeret, et rapinis locupletatos damnaret atque ſpoliaret.

In libro xxx. c. 6. §. 3. de Valentiniano A. *Paullatimque lenitus et ad molliora propenſior*, etc. Sic editiones. At in codice Colbertino deſunt haec, *et ad molliora*, quae ob id in Ammiano duobus uncinis incluſi.

In libro xxxi. c. 2. §. 9. de Hunnis hoſtes laqueis intercipientibus. *Ut laqueatis reſiſtentium membris, equitandi vel gradiendi adimant facultatem.* Ita in editionibus legitur, ſed mendoſe. Quippe ut Hunni, ſic et Barbari Scythiae incolae fere omnes ex equis pugnabant: et cum equitarent, pedibus ingredi non poterant, nec eis ab hoſte *gradiendi facultatem adimi* neceſſe erat. Quanto verius et certius codex Colbertinus ſcriptum praefert? *Ut laq. reſ. me. equitandi vel gravandi adimant facultatem. Gravandi* hoſtis, id eſt feriendi hoſtis, nocendi hoſti, *grever.*

Ibidem c. 4. §. 6. *Quem qui ſcire velit, (ut eminentiſſ. memorat vates) Libyci velit aequoris idem diſcere, quam multae Zephyro truduntur harenae.*

Digitized by Google

Ita codex Colbertinus, optime: cum in editis libris legatur, *turbentur harenae*, minus bene.

In libro XXXI. c. 5. §. 1. de Thervingis esurientibus, quibus Duces Romani turpi commercio canes pro singulis mancipiis comedendos dederant. *Et tenebantur consulto, nefandis nundinandi commerciis.* Ita editiones omnes, quas corrigit codex Colbertinus hoc modo: *Et ten. cons. nefandis nudandi commerciis:* hoc est, suis omnibus bonis spoliandi. Sic Martialis de muliere amatio opes suas vestesque pretiosas conferente:

Vae glabraria: vae tibi misella.
Nudam te statuet tuus Lupercus.

Id est, te spoliabit, te nudabit, cunctisque opibus exuet. Et ipse Ammianus in libro XXVI. c. 6. §. 7. *Ad nudandos sine discretione cunctos immaniter flagrans.*

Haec sunt pauca de plurimis, quorum in notis meis mentionem facere rationemve reddere non memini, aut verius propter Typographorum festinationem non potui.

Sunt et multa, quae in Ammiano emendavi, codicis Colbertini vestigia (ut ita loquar) et litteras secutus; aut etiam sola coniectura sed certa et indubitata adductus: qualia sunt quae subiiciam.

In libro XXIII. c. 6. §. 15. post enumeratas XVIII. maiores Regni Persici regiones, statim adiicit A. Marcellinus. *Citra omnes propinqua est nobilis Assyria.* Ita omnes editiones et prae ceteris ipse codex Colbertinus: sed male. Cur enim Assyria *nobilis* diceretur magis quam Media, aut Persis, aut Parthia: quae similiter ut Assyria maximis Regnis originem, sedem ac nomen dederunt? Praeterea *propinqua Assyria* dicitur ab Ammiano: cui regioni sit propinqua, non dicitur. Quare non dubitavi sublatis 2 litteris ita locum emendare: *Citra omnes propinqua est nobis Assyria. Propinqua*

Digitized by Google

nobis Assyria, id est propinqua Romanis, quos A. Marcellinus nunc *nos*, nunc *nostros* appellare consuevit. In libro XXVII. c. 12. §. 1. *Sapor cum suis paullisper nobis visus amicus.* c. 12. §. 9. *Haec inter nos et Saporem discordiarum excitavere causas.* Ibidem. *Quod ratione iusta est observatum, ne fracti foederis nos argueremur et pacis.* Sane ultima omnium Persici Regni maximarum regionum numero XVIII. aetate Ammiani fuit Assyria, et Romanis, hoc est Mesopotamiae Imperii Rom. provinciae proxima: *citra omnes*, seu omnium regionum Persidis citima habita ratione Roman. ultima et extima habita ratione Persarum.

Ibidem c. 6. §. 21. *Adiabena ab amne perpetuo Adiaba cognominata, ut a fluminibus maximis Aegyptus, et India, et Euphratensis, itidemque Iberia ex Ibero, nunc Hispania, et a Baeti amne insignis provincia Baetica.* Emendavi sublata una littera: *Et a Baeti amne insigni provincia Baetica.* Qua emendatione nihil certius: ut maxima flumina, Nilus Aegypto, Indus Indiae, Euphrates Commagenae vel Euphratensi, Iberus Iberiae seu Hispaniae, et Baetis amnis insignis provinciae Baeticae nomen dederunt; sic et Adiabenae amnis perpetuus Adiabas, nec unquam aestate deficiens. Vere Baetis *amnis insignis* Ammiano dicitur, Solino *nobilis*, quem Plinius *multorum fluminum capacem* esse, et *provinciam* (Baeticam) *adoptare* ait. Nemo autem non videt Baeticam non meliori iure aut maiori ratione ab Ammiano M. *insignem provinciam* vocari debuisse aut etiam potuisse, quam Assyriam, aut Aegyptum, aut Indiam, aut Hispaniam, cuius tantummodo pars erat Baetica.

In libro XXVI. c. 1. §. 13. *Hocque excepto emersserunt alia plurima quae fallebant.* Ita omnes libri editi, atque etiam scripti, nullo sensu. Pro quibus verbis emendavi: *Hocque ex coepto emersserunt*

Digitized by Google

alia pl. quae f. id est, ex audacia Sacerdotum, intercalando subtrahentium vel augentium tempora in gratiam publicanorum et litigantium.

In libro XXVI. c. 10. §. 9. *Et pacis obtentu vitium detestandum agitabatur.* Sic libri editi: quibus in verbis nullus est sensus. Codex Colbertinus: *Et pacis obtentui tum detestandum agitabatur.* Ex quibus emendavi ad hunc modum: *Et pacis obtentu iudicium detest. agitabatur.* Quam emendationem paullo post sequentia Ammiani verba confirmant, quibus *iura* et *leges*, et *iudices* describuntur, ex voluntate ac libidine Imperatoris in Procopianos saevientes.

In eodem libro c. 10. §. 15. *Horrendi tremores per omnem orbis ambitum grassati sunt subito: quales*, etc. Ita libri editi. At codex Colbertinus: *Horrendi erroris*, etc. Ex quo emendavi: *Horrendi terrores. Terrores* heic dicuntur res terribiles aut terrificae, quae animos terrificant; videlicet fulgura, fulmina, et terrarum motus ac marium. Certe Ammianus ipse in libro XVII. de terrae motu sic loquitur: *Qua de causa terrores huiusmodi vaporatis temporibus, aut nimia aquarum caelestium superfusione contingunt.* Ubi et codex Colbertinus diserte scriptum habet, *terrores.*

In libro XXVII. c. 3. §. 8. de plebe Rom. domui Lampadii Praefecti Urbi faces admovente. *Ni servitiorum et familiarium veloci concursu, a summis tectorum culminibus petita* (plebs) *saxis et tegulis abscessisset.* Ita editiones mendose omnino. Nam certe familiares et amici Lampadii summum domus eius tectum conscensuri non fuerunt, sed opera servorum suorum ad arcendum incendium et ad repellendam plebem usuri. In codice Colbertino lego: *Ne vitiorum et familiarum veloci concursu, a. f.* etc. Ex quibus addita una litterula, detracta altera,

Digitized by Google

altera, feci: *Ni vicinorum et familiarum veloci concurſu*, etc. *Familias* Ammianus pro famulis poſuit, ut in libro XIV. Senatores *familiarum agmina poſt terga trahere* ſcribit. Vult ergo dicere, vicinos Lampadii, et ſervos eius amicorumque ad arcendam plebem concurriſſe.

In eodem libro c. 7. §. 5. de ſaevitia Valentiniani A. *Eminuit tamen p. i. t. i. a. h. n. mors Dioclis et Diodori, triumque Apparitorum poteſtatis Vicariae per Italiam, ob id vexatorum atrociter, quod*, etc. Ita editi libri, mendoſe omnino et male. Aliud enim eſt, homines ſupplicio capitali afficere; aliud, tantummodo *vexare*. Codex Colbertinus pro *vexatorum* ſcriptum habet *peccatorum*. Ex quo emendavi *necatorum*, una mutata littera, et altera ſublata: quae emendatio non minus certa quam neceſſaria eſt.

In eodem libro c. 8. §. 4. *Motus aduleſcentis et ſeneſcentis Oceani, Situmque Britanniae p. c. u. explanavi.* Ita Codex Colbertinus. Ex quo emendavi: *Motus ad. et ſen. Oceani, ſitumque Britanniae*, etc. cum editiones habeant, *tractumque Britanniae*, mendoſe.

In libro XXVIII. c. 1. §. 29. *Paphius quinetiam et Cornelius Senatores, ambo venenorum artibus ſe polluiſſe confeſſi*, etc. Sic editi libri. At codex Colbertinus, atque etiam Valentinus teſte P. Pithoeo, aliique: *Ambo venenorum artibus praeveniſſe polluiſſe confeſſi.* Ex quibus emendavi, ſublatis tribus litterulis: *Ambo venenorum artibus pravis ſe polluiſſe confeſſi.*

In libro XXVIII. c. 3. §. 8. de Areanis in Inſula Britannia ſtationes agentibus. *Acceptorum promiſſorumque magnitudine praemiorum allectos, quae apud nos agebantur, aliquoties Barbaris prodidiſſe.* Ita vulgatae editiones. At codex Colbertinus: *Acceptarum promiſſarumque magnitudine*

Digitized by Google

praecarum adlectos, quae apud nos agebantur, aliquando Barbarico dediſſe. Ex *praecarum* feci *praedarum.* Ex *Barbarico dediſſe* forte faciendum, *Barbaris edidiſſe.*

In libro XXX. c. 4. §. 7. *Cicero orationis imperioſae fulminibus ſaepe depreſſos aliquos iudiciorum eripiens flammis.* Ita libri ſcripti et editi, mendoſe. Nam fulmen igni ſuo non eripit quemquam, ſed potius involvit. Quare legendum puto *fluminibus.* Certe et *aureum eloquentiae flumen fundens Ariſtoteles* vocatur a M. T. Cicerone.

In libro XXXI. c. 2. §. 29. de Alanis. *Gladius humi figitur nudus: eumque ut Martem, regionum quas circumeunt, praeſulem verecundius colunt.* Ita libri editi: quidam *circueunt.* At codex Colbertinus: *Eumque ut Martem, regionum quas circumcircunt praeſ. ver. colunt.* Legendum omnino eſt, *u* in *a* converſo, *circumcircant.* De verbo *circare* et *circitare*, (unde et *circitor*, et noſtrum *chercher* profluxit) vide Gloſſas veteres, et Ioſ. Scaligerum in Propertium. Certe et Ammianus ibidem ait, Alanos *locatis in orbem ſarracis, ferino ritu veſci.*

In libro XXXI. c. 5. §. 6. de caede militum Rom. a Gothis facta. *Quae accidiſſe idem Lupicinus latenti nuntio doctus.* Ita libri editi. At codex Colbertinus: *Quae accedens idem Lup. lat. nun. d.* Pro quo ſubſtitui: *Quod accidens i. L. l. n. d.* Id eſt, quem caſum, quam ſuorum cladem edoctus. Ita Ammianus non ſemel loquitur.

Haec ſunt pauca de multis, quae codicis Colbertini beneficio, aut certis coniecturis ductus, in A. Marcellino correxi: et quorum in Notis meis rationem reddere Typographis feſtinantibus nequaquam potui.

In Friderici Lindenbrogii I. C. Obſervationibus multa reperias, quae doctrinam eius ingenium-

Digitized by Google

que teſtentur, diligentiam quoque hominis paene nimiam arguant, dum ſaepe minutiis immoratur, et totas paginas Graecis excerptis ubique implet, quibus aequo animo carere poſſemus. Hae Obſervationes cum a me legerentur attente, ut auctiores ac emendatiores ederentur: nonnulla in eis notavi, quae a Lindenbrogio ſcripta nollem. De quibus lectorem admonere operae pretium erit, ne quis incautus viri docti auctoritate deciperetur.

L. 15. c. 11. §. 14. *Eluſae* (inquit) *mentio apud Claudianum, qui ex ea nefandiſſimum illum Ruſinum eunuchum originem duxiſſe putat.* At Rufini Conſularis et Patricii, ac Praefecti Praetorio ſub Arcadio A. ſolum paene crimen ambitio cum avaritia coniuncta. Dotes enim animi et corporis ei multae magnaeque inerant. Neque vero *hic eunuchus* fuit: cum in veteri Chronico poſt Rufini caedem *eius uxor et filia exſulaſſe* dicantur. Plane mihi videtur Lindenbrogius, cum de Rufino ſcriberet haec, Eutropium eunuchum, Praepoſitum ſacri cubiculi Arcadii, in mente habuiſſe: in quem, ſicut in Rufinum, Claudianus duos libros ſcripſit.

L. 17. c. 12. §. 2. Ad *Sarmatarum loricas ex cornibus raſis* refert Lindenbrogius Statii *Gortynia cornua*, id eſt arcus cornutos Cretum: et Virgilii *rubrae cornua criſtae*, hoc eſt, criſtas galeae, cornibus animalium ſimiles.

Lib. 17. c. 12. §. 16. Haec de Sarmatis verba Ammiani laudat ex libro XVII. (c. 12. §. 16.) *Ingerebat ſe maximus numerus catervarum confluentium nationum et Regum, ſuspendi a iugulis ſuis gladios obſecrantium, poſtquam Araharium impune compererant abceſſiſſe.* Ea verba Lindenbrogius vir litteratus ad litteram (ut vulgo loquuntur) ſimpliciterque intelligit: quaſi Sarmatae a Conſtantio A. petierint, ut ad expiandas incurſiones ſuas in Pannonias et Moeſiam, nudi gladii cervicibus ſuis ap-

penderentur: laudatque Guntherum, et epiſtolam Friderici A. ac Wipponem de Vita Chunradi Salici, ut ſimilibus exemplis obſervationem ſuam confirmet. Inſuper in Indice ſuo rerum memorabilium apud A. Marcellinum, ob novam iſtam obſervationem haec manu ſua addidit in littera G. *Gladios a iugulo ſuspendere, mos ſupplicum, pag.* 115. Nollem Lindenbrogio hoc excidiſſe. An tot et tanti, et tam feroces Sarmatae tali ſe ignominia affici ultro rogavere, cui mortem haud dubie cuncti praelaturi fuerunt? Unde petere tot vincula, tot enſes milites Romani potuere, qui tantae multitudini ſufficerent? Haec Ammiani verba figurate ut dicta, ſic accipienda ſunt. Sarmatae viribus ſuis diffiſi, ſupplices vitam veniamque cum pace precati ſunt: quam iam Araharium popularem ſuum a Conſtantio A. obtinuiſſe noverant. *Vitam* et *ſalutem, veniam* et *pacem* ea de re ibidem loquens Ammianus appellat. *Suspendi a iugulis ſuis gladios obſecrant*, qui vitam precantur et veniam. *Suſpenſio gladiorum a iugulis* hoſtilibus, vitae datio eſt. *Gladium ſuum ab alicuius iugulo ſuspendere*, idem eſt, ac enſem nudum alienae cervici iamiam feriendae imminentem ſuſtinere, aut inhibere, *retenir, arreſter:* uti Ammiano pag. 181. *apparatum Saporis ſuspendere*, nihil aliud eſt quam expeditionem Saporis in Romanos retardare ac ſuſtinere. Idem Auctor in libro xxx. pag. 660. ut indicet expeditionem Valentiniani in Sarmatas et Quados, morte eius dilatam ac retardatam, aut etiam penitus omiſſam eſſe, ſic loquitur: *Suſpenſo inſtante procinctu.* Apud Gregorium Turonicum Epiſcopum in libri II. Hiſtoriae Franc. capite III. *ſuspendere gladium*, vitam dare eſt. Verba Gregorii de Hunerico Rege Vandalorum, Catholicos in Africa perſequente, talia ſunt: *B. vero Eugenium* (Carthaginenſem Epiſcopum) *decollari iuſſit,*

ſub ea ſpecie, ut ſi in ea hora qua enſis ſuper cervicem eius incumbebat, non reverteretur ad haereticorum ſectam, non occideretur, ne etc. *ſed exſilio damnaretur. Quod ita factum eſſe, manifeſtum eſt. Nam cum imminenti morte interrogatus fuiſſet, ſi mori pro fide Catholica deſtinaret; reſpondit: Haec enim eſt ſempiterna vita, pro iuſtitia mori. Tunc* SUSPENSO GLADIO, (id eſt ſuſtentato, retento) *apud Albigenſem Galliarum urbem exſilio deportatus eſt.* Plura addi nihil neceſſe eſt.

L. 17. c. 13. §. 25. Lindenbrogius negat, Conſtantium A. recte dictum eſſe *ſecundum Sarmaticum*, propterea quod ante ipſum M. Aurelius Antoninus, et A. Antoninus Baſſianus Caracalla, aliique Imperatores ob victos Sarmatas Sarmatici quoque ſint dicti. Sed fallitur. Nam ut e. c. Maximianus Galerius apud Euſebium in libro VIII. H. E. *ſecundo Carpicus maximus, ſexto Armenicus maximus* appellatus eſt, quod bis Carpos, ſexies Armenios deviciſſet, et ob ea cognomine Carpici iterum, Armeniaci ſexies a militibus eſſet honoratus, ſic Conſtantius *ſecundo Sarmaticus* ab exercitu ſuo publice cognominatus eſt, quod bis Sarmatas proelio ſuperaviſſet, et antea ob aliam ex eadem Gente relatam victoriam cognomen *Sarmatici* militari acclamatione accepiſſet. *Secundo Sarmaticus*, vel *ſecundus Sarmaticus*, (nam ita Ammianus cum editus tum ſcriptus loquitur) una eademque res eſt. Nec verba A. Marcellini aliter quam dixi, ſunt accipienda.

L. 18. c. 2. §. 15. *Regionem cui Capellatii vel Palas nomen eſt, ubi terminales lapides Alamannorum et Burgundiorum confinia diſtinguebant*, falſo putat Lindenbrogius eſſe *Palas*, caſtrum in agro Trevirico a Ditmaro memoratum. Quippe *regio Capellatium vel Palas* trans Rhenum poſita erat in magna Germania, et inter Alamannos ac Burgun-

dios vel Burgundiones, Gentes Germaniae Transrhenanas iacebat: ut aperte docet Ammianus in libro XVIII. ac XXVIII. At *Palas* Ditmari, castrum erat cis flumen Rhenum in provincia Galliae Belgica prima: quod Ditmarus in libro VI. tradit *a Trevirensibus adversus Regem* munitionibus *firmatum* esse.

L. 19. c. 6. §. 7. armaturam Gallorum Francorumque confundit Lindenbrogius, et quia Ammianus ibi *Gallos securibus gladiisque succinctos* descripsit, laudat Apollinarem Sidonium, et Procopium, ac Agathiam: qui Francorum secures ancipites vel bipennes, vulgo Franciscas a Gente cognominatas, et hastas lanceasve quae angones vocabantur, descripsere.

L. 21. c. 15. §. 6. de Constantio Aug. *Uxorem autem praegnantem reliquit. Unde edita postuma*, etc. Ad ea Ammiani in libro XXI. verba ista Lindenbrogius adiecit, et quidem post editum pridem Ammianum suum: *Ante Constantium obiisse eius uxorem scribit Zonaras.* Γαμετὴ δ' ἦν αὐτῷ Εὐσεβία. Et paullo inferius: τοῦ Κωνσταντίου προτέθνηκεν, ἅπαις διὰ βίου μείνασα. Hoc de Eusebia uxore Constantii A. vere prodidit Zonaras: quae *Regina Eusebia, quod vixerat, sterilis* dicitur et Ammiano in libro XVI. At idem nihilominus tamen in libro XXI. c. 6. §. 4. scribit, Tauro et Florentio Coss. anno Christi CCC. LXI. Constantium Antiochiae *Faustinam sortitum esse coniugem*, (*amissa iampridem Eusebia*) quam eodem anno moriens *praegnantem reliquerit.* Eius filiam postumam, nomine patris Constantiam appellatam esse: quam parvulam nunc sinu, nunc lectica secum Procopius tyrannus circumtulerit, et quae postea adulta Gratiano A. nupserit; sicuti in libris XXVI. et XXIX. Marcellinus narrat. Distinguendae ergo fuerunt duae minimum Constantii A. uxores: prior Eusebia sterilis; posterior Faustina,

ex Conſtantio A. mater Conſtantiae A. quae duae Auguſtae cum ab Ammiano diſertis verbis non ſemel diſtinctae fuerint, ab homine qui Ammianum obſervationibus ſuis illuſtrabat, ignorari aut confundi non debuere.

L. 28. c. 5. §. 6. *Gruthungos* Ammiani, quos Vopiſcus *Gauthunnos*, Claudianus *Gothunnos*, Zoſimus *Prothingos* mendoſe vocet: a Sidonio *Vithungos:* ab Ammiano ipſo in libro XVII. *Iuthungos* appellari ait Lindenbrogius, et unos eosdemque ſibi videri: *Gruthungos* vel potius *Greuthungos* Gentem Gothicam, et *Iuthungos* ſeu *Vithungos*, nationem Alamannicam longiſſime a Greuthungis diſtantem confundens.

L. 28. c. 5. §. 11. Ammiani ex libro XXVIII. verba haec laudat Lindenbrogius: *Sobolem ſe eſſe Romanam Burgundii ſciunt.* Tum addit: *De Burgundiis hoc eatenus verum putare ſe, quatenus in Aeduorum fratrum populi Rom. ſedes ſucceſſerunt.* Quo nomine a fratre meo in Notis merito reprehenditur. Quippe nondum cis flumen Rhenum in Sequanis et Aeduis aliisque Galliarum regionibus et provinciis ſedem ceperant Burgundii vel Burgundiones, ſed trans Rhenum adhuc habitabant, quum Ammianus ſcribebat Hiſtoriam: quos Burgundiones nonniſi Honorio et Theodoſio iuniore Principibus Rhenum transiſſe perpetuae poſſeſſionis cauſa et *Lucio V. Cl. Conſule* anno Domini CCCC. XIII. poſt Valentis A. mortem XXXV. *partem Galliae Rheno propinquam armis obtinuiſſe* Tiro Proſper et Caſſiodorus Senator in Chronicis tradunt. Quod autem ibidem ait A. Marcellinus, *Burgundios*, qui ceteris omnibus Hiſtoricis *Burgundiones* vocantur, *ſalinarum finiumque cauſſa Alamannis ſaepe iurgaſſe:* ſic explicat Lindenbrogius, ut dicat harum ſalinarum meminiſſe Iohannem Sarisberienſem in epiſtola 196. hisce verbis: *Utinam ſepeliatur in*

Digitized by Google

ſalinario Aeduorum. In quo ſui ſimilis eſt, et uti ſupra, graviter errat Lindenbrogius. Nam ut ambo populi, Alamanni et Burgundiones aetate A. Marcellini trans flumen Rhenum ſedes adhuc ſuas habebant: ſic *ſalinae* ab Ammiano memoratae, in utriusque Gentis confinio trans Rhenum quoque poſitae erant. Ac *linae* cis Rhenum erant in Sequanis, cum Ledone Salinario et caſtro Salinenſi, nihil ad ſalinas iſtas Transrhenanas, de quibus Alamanni et Burgundiones inter ſe pugnabant, ulla ratione pertinentes, duobus puteis ſalſis illuſtres: quas *Salinas* Iohannes Sarisberienſis *Salinarium Aeduorum* vocavit, cum *Salinarium Sequanorum* appellare debuiſſet. Nam ullas in Aeduorum finibus, hoc eſt in pago Auguſtodunenſi, in Cabillonenſi item, et Matiſconenſi, ac Nivernenſi ſalinas eſſe non novi. Et de Lindenbrogio hactenus: quae ſolo amore veri impulſus adnotavi, ac ſtudioſos admonui, ne quis minime praemonitus, eosdem in ſcopulos imprudens ac incautus incideret.

Habes, erudite et candide lector, Ammianum celeberrimum Hiſtoricum, in quem totos menſes viginti me aſſidue impendiſſe non poenitet. Habes editionem noſtram, tempore quidem noviſſimam, ſed certe tamen (ſi fas eſt dicere) omnium primam. Quippe ſingula ac univerſa cunctarum priorum editionum bona complectitur; earumdem vero vitiis caret: plurima praeterea optima et maxima ac perquam utilia continet, quae ceteris omnibus deſunt. Quo nomine (ut ſpero) commendanda, et apud poſteros famam eſt aliquam meritura. Fruere igitur, et vale.

Digitized by Google

HENRICI VALESII

AD CANDIDUM LECTOREM

PRAEFATIO

IN PRIOREM AMMIANI MARCELLINI EDITIONEM.

Ammianus Marcellinus Antiochiae genitus fuit, parentibus ut coniicere eſt nobiliſſimis. Ipſe admodum adoleſcens inter Protectores Domeſticos militavit. Quo maxime argumento eius nobilitas deprehenditur. Ducum enim, Comitum et Magiſtrorum militarium filii in eam ſcholam referebantur. Itaque et Conſtantius Chlorus, et Iovianus, qui poſtea Auguſti fuerunt, et Gaudentius Aëtii pater, qui poſt ad Magiſterii equitum culmen pervenit, a Domeſticatu militiam exorſi ſunt. Ac ceteri quidem milites in votis habere conſueverant hanc militiae promotionem, ut Protectores fierent, quemadmodum ſcribit Paulinus in Epiſt. 39. Marcellinus vero noſter ab eo loco militiam auſpicatus eſt adoleſcens, ad quem vota nobilium iuvenum ac deſideria adſpirabant. Cum autem hic mos eſſet, ut ex Domeſticis Protectoribus alii in Comitatu conſiſterent ad Imperatoris cuſtodiam, alii cum Magiſtris militum per varias orbis Romani provincias mitterentur: (quod in Adnotationibus uberius explicui) Marcellinus noſter cum Urſicino Magiſtro equitum miſſus eſt in Orientem, eidemque a Conſtantio Aug. obſequi eſt iuſſus: ut ipſemet ſcribit libro XIV. Urſicinus autem a Conſtantio ad tutelam

Digitized by Google

Orientis deſtinatus eſt anno Natalis Dominici 350. ut elicitur ex libro XVIII. Poſtea Urſicino iuſſu Imperatoris Mediolanum accito, Marcellinus quoque noſter una cum eo in Italiam venit, Conſulatu Conſtantii ſeptimo et Conſtantii Galli tertio, qui annus erat 354. Natalis Dominici. Anno autem ſequenti, cum idem Urſicinus, ad opprimendam Silvani tyrannidem a Conſtantio mitteretur in Gallias, Ammianum Marcellinum una cum aliis ſpectatae induſtriae Protectoribus ſecum duxit. Exſtincto brevi Silvano, Urſicinus aliquamdiu detentus eſt in Galliis: tandemque a Conſtantio Sirmium evocatus, paullo poſt reddita Magiſterii dignitate in Orientem remiſſus eſt, iuncto ut antea Marcellino. Ibi quae Marcellinus noſter geſſerit, quibus in proeliis obſidionibusque verſatus ſit, quas legationes obierit, ſatius ac iucundius fuerit ex ipſius narratione quam noſtris verbis diſcere. Poſt obitum Conſtantii Iulianus rerum potitus, ingenti apparatu bellum intulit Perſis. Cui expeditioni ſe interfuiſſe Marcellinus noſter affirmat. Valentiniano deinde et Valente regnantibus quid egerit, aut ad quam dignitatem promotus fuerit, quoniam ipſe tacuit, obſcurum eſt. Videtur tamen, ſi coniicere licet, tum relicta militia ad otium ſe contuliſſe. Certe Valentis temporibus quin Antiochiae (quam eius patriam fuiſſe dixi) commoratus ſit, dubitari non poteſt. Nam in libro XXIX. c. 1. ubi coniurationem illam Theodori commemorat, quae Antiochiae patefacta ſimul et vindicata eſt, his verbis utitur: *Et quoniam addici poſt cruciabiles poenas vidimus multos, ſummatim (quia nos penitiſſima geſtorum memoria fugit) quae recolere poſſumus, expeditius abſolvemus.* Quibus accedunt ea quae infra dicit in eodem libro, et in lib. XXX. Gratiano demum ac Valentiniano Iuniore et Theodoſio ſimul imperantibus, Marcellinus Oriente relicto Romam mi-

Digitized by Google

gravit: quam ob cauſam, et utrum a Principe illuc evocatus, incertum eſt. Ceterum magnitudine et copiis urbis in qua domicilium conſtituerat, non ad luxum ac deſidiam abuſus eſt, ut plerique tum facere ſolebant: ſed optimarum artium ſtudiis, et Auctorum maxime Latinorum lectioni vacans, in clariſſimi et doctiſſimi cuiusque amicitia conſenuit. Teſtes ſunt unus et triginta Hiſtoriarum libri, quibus res Romanas ab exordio Nervae ad Valentis obitum comprehenderat. Quos quidem libros Romae ab eo ſcriptos fuiſſe multa argumenta demonſtrant. Primo enim cenſurae illae ſane graves, quibus in vitia Nobilitatis ſimul ac plebis Romanae invehitur, non modo in libro XIV. c. 6. ſed etiam in XXVIII. c. 1. §. 4. et alibi, non ab alio quam ab urbis Romae inquilino proficiſci potuerunt. Cur enim unius populi Rom. delicta tam accurate retulit? An ſolus eo tempore populus Rom. vitiis ſcatebat? Nonne eadem Conſtantinopoli etiam agebantur? Sed nimirum qui Romae reſidebat, et Romanis hiſtorias ſuas recitabat, huiusmodi obiurgationibus admonere cives Romanos, et ad meliorem frugem revocare cupiebat. Praeterea idem oſtendit repreheuſio Senatoris cuiusdam Rom. quae legitur in principio libri XXVI. Sed in exordio ipſo libri XXVIII. longe clarius id ipſum ſignificat Marcellinus. Ait enim timuiſſe ſe, ſi calamitates urbis Romae accuratius commemoraret, ne idem ſibi accideret quod olim Phrynicho: qui cum expugnationem Mileti (quae Colonia Athenienſium erat) argumentum ſumpſiſſet tragoediae, ſuffragiis populi Athenienſis graviter multatus fuiſſe dicitur. Denique in lib. XXX. c. 4. de Advocatorum profeſſione locuturus, ſe in Occidente fuiſſe, cum ea ſcriberet, teſtatur his verbis: *Ergo abſolutis ſuper eius indignitate paucis quam in illis* (Orientalibus ſcilicet) *partibus agens expertus ſum, ad coeptorum curſum*

regrediar. Quod si quis fortasse his argumentis non satis convictus est, Libanii certe Antiocheni testimonio fidem non derogabit. Hic in Epistola ad Marcellinum nostrum, eum Romae vixisse, et historias suas magno cum plausu et favore populi Romani recitasse docet. Sed quoniam haec Epistola et laudes Marcellini nostri, et alia quaedam de ipso necessaria scitu continet: operae pretium duxi, eam hic integram ex codice Bibliothecae Regiae apponere.

ΛΙΒΑΝΙΟΣ ΜΑΡΚΕΛΛΙΝΩι.

Καὶ σὲ ζηλῶ τοῦ Ῥώμην ἔχειν, καὶκείνην τοῦ σε. σὺ μὲν γὰρ ἔχεις ᾧ τῶν ἐν γῇ παραπλήσιον οὐδέν. ἡ δὲ τῶν ἑαυτῆς πολιτῶν, οἷς πρόγονοι δαίμονες, οὐχ ὕστερον. ἦν μὲν οὖν δή σοι μέγα, καὶ τὸ μετὰ σιγῆς ἐν τῇ τοιαύτῃ διάγειν, καὶ τὸ λόγους ὑπ' ἄλλων λεγομένους δέχεσθαι. πολλοὺς δὲ ἡ Ῥώμη τρέφει ξήτορας πατράσιν ἀκολουθοῦντας. νῦν δ' ὡς ἔστιν ἀκούειν τῶν ἐκεῖθεν ἀφικνουμένων, αὐτὸς ἡμῖν ἐν ἐπιδείξεσι ταῖς μὲν γέγονας, ταῖς δὲ ἔσῃ, τῆς συγγραφῆς εἰς πολλὰ τετμημένης, καὶ τοῦ φανέντος ἐπαινεθέντος μέρος ἕτερον εἰσκαλοῦντος. ἀκούω δὲ τὴν Ῥώμην αὐτὴν στεφανοῦν σοι τὸν πόνον, καὶ κεῖσθαι ψῆφον αὐτῇ τῶν μέν σε κεκρατηκέναι, τῶν δὲ οὐχ ἡττῆσθαι. ταυτὶ δὲ οὐ τὸν συγγραφέα κοσμεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ ἡμᾶς ὧν ἐστὶν ὁ συγγραφεύς. μὴ δὴ παύσῃ τοιαῦτα συντιθεὶς, καὶ κομίζων ἐκεῖθεν εἰς συλλόγους, μηδὲ κάμῃς θαυμαζόμενος. ἀλλ' αὐτός τε γίγνου λαμπρότερος, καὶ ἡμῖν τοῦτο δίδου. τοιοῦτον γὰρ πολίτης εὐδοκιμῶν κοσμεῖ τοῖς αὑτοῦ τὴν πόλιν τὴν ἑαυτοῦ. σὺ μὲν οὖν ἐν τοιούτοις εἶης. ἡμῖν δ' ἐν πένθει κειμένοις εἰ μή τις θεῶν ἀμύνοιε, οὐκ ἔσθ' ὅπως οἴσομεν. ὃς γὰρ δὴ μόνος ἦν ἡμῖν οὐ κακὸς ἐκ μητρὸς ἀγαθῆς, εἰ μὴ καὶ ἐλευθέρας, οἴχεται καὶ τέθαπται λύπῃ τελευτήσας, etc.

LIBANIUS MARCELLINO.

ET tibi quod Romae es gratulor, et Romae quod te poſſidet. Nam et tu eam urbem habitas, cui orbis terrarum nihil par habet. Et illa civibus ſuis qui Heroas pro conditoribus habent, te nihilo inferiorem tenet. Ac magnum quidem tibi eſſet, vel cum ſilentio in tanta urbe degere, et aliorum recitationes audire. Multos enim alit oratores Roma, a parentibus non degeneres. Nunc vero, ut ab iis qui illinc veniunt, accepimus, tu ipſe tua partim iam recitaſti, partim recitaturus es, cum hiſtoriae tuae plura in membra diviſae ſint, et partis publicatae laudatio, ſequentium publicationem invitet. Accepi etiam Romam ipſam labores tuos coronare, et totius civitatis hoc iudicium eſſe, te hos quidem longe ſuperaſſe, ab illis vero non eſſe ſuperatum. Et haec quidem non ſolum hiſtoriae ſcriptorem, ſed nos etiam a quibus profectus eſt, ornant. Perge igitur talia componere, ac deinde in corona recitare, et admirationem ac plauſum referre. Nec deſine laudes tuas ac ſimul noſtras ampliſicare. Eiusmodi enim civis gloria patriae quoque ornamento eſt. Ac tuae quidem res in eo ſtatu ſint. Ego vero luctu confectus, niſi Deorum quis opem tulerit, quid agam neſcio. Nam qui mihi unicus erat, non malus bonae matris licet non ingenuae filius, periit humatusque eſt, prae dolore mortuus, etc.

Haec inſignis Epiſtola non hoc tantum quod aſſerimus probat: ſed praeterea docet Ammianum Marcellinum, quod in principio dixeram, domo Antiochenſem fuiſſe. Eſt certe Marcellinus in laudem Antiochiae propenſior, nec fere umquam de ea civitate niſi adiuncto elogio loquitur. Hinc etiam eſt, quod Antiochenſes male acceptos proſcriptosque a Iuliano in eo volumine quod Μισοπώγωνα appellavit, ipſe utpote cives ſuos benivole ex-

cuſat. Sic enim ait in lib. XXII. ſub finem: *Quocirca in eos deinceps ſaevius ut obtrectatores et contumaces, volumen compoſuit invectivum, quod Antiochenſe vel Miſopogonem appellavit, probra civitatis infenſa mente dinumerans, addensque veritati complura.* Ceterum cum poſt obitum Valentis Marcellinum in Urbem veniſſe, ibique hiſtorias compoſuiſſe docuerim: tempus ipſum, quo hae hiſtoriae ſcriptae ſunt, ſatis demonſtratum puto. Quamquam tantum tamque arduum opus non uno die, aut anno detextum eſt; ſed per partes ſubinde ab Auctore publicatum: quod etiam in Epiſtola ſupra allata teſtatur Libanius. Et librum quidem XXVII. poſt necem Gratiani, et poſt tyrannidem Maximi iam profligatam ſcriptum fuiſſe patet ex libro ipſo XXVII. quod etiam ex prooemio libri XXVIII. colligi poteſt, ubi ait: *Tamen praeſentis temporis modeſtia confiſus, etc.* Praeterea in libro XXVI. Neotherium Conſulem memorat. Fuit autem Neotherius Conſul anno Domini 390. At in libro XXII. de Serapeo ut adhuc ſtante loquitur: quod Theodoſii Imp. edicto deſtructum eſt Conſulatu Timaſii et Promoti, id eſt anno ante Conſulatum Neotherii, ut ſcribit Marcellinus in Chronico. Quamquam Tatiano et Symmacho Coſſ. anno Dom. 391. id accidiſſe indicat Theodoſii ipſius edictum in codice Theodoſ. de Paganis. Quanti porro faciendum ſit hoc Hiſtoriarum opus Marcellini noſtri, ex allato Libanii teſtimonio perſpici poteſt. Mihi quidem Marcellinus ſummis quibusque Hiſtoriae Scriptoribus comparandus videtur. Nam cum duo maxime in hiſtorico ſpectanda ſint, res et verba: elocutio quidem haudquaquam rerum geſtarum Scriptori negligenda eſt: rerum tamen prima ac potiſſima cura eſſe debet. Et Marcellinus quidem cum argumento operis, tum delectu ac diſpoſitione, et iudicio ac fide nemini cedit: in proeliorum vero

Digitized by Google

obſidionumque narrationibus multos longo intervallo ſuperat. Verba autem ipſa ſunt ea quidem Latina fere omnia: ſed conſtructio et collocatio verborum eſt, ut ita dicam, fere militaris. Nolim tamen omnino negare, in hiſtoriis Marcellini quaedam occurrere reprehendenda. Nam et interdum verboſior eſt quam par ſit, et doctrinae famam nimis affectat: quod vitium eſt plerumque eorum, qui provecta iam aetate ad ſtudia ſe contulerunt. Hinc exceſſus illi intempeſtivi atque pueriles de terrae motuum cauſis, de cometis, de Iride. Praeterea numerum et tonum hiſtoricum raro ſervat: ſed fere cothurnatus incedit, cum Hiſtorico conveniat tracta et leniter fluens oratio, quam εἰρομένην λέξιν Ariſtoteles appellat. Sed haec fortaſſe excuſari poterunt, ſi meminerimus quod in dicta Epiſtola teſtatur Libanius, hiſtorias a Marcellino noſtro πρὸς ἐπίδειξιν, id eſt ad oſtentationem eſſe compoſitas. Proinde mirum videri non debet, ſcenae aliquid ac plauſui ab eo datum fuiſſe. Adde quod haec vitia reliquis operis virtutibus ac dotibus facile obſcurantur. Denique, ut paucis abſolvam, eum ad rerum civilium, tum ad Eccleſiaſticae hiſtoriae cognitionem hic Scriptor non modo utilis eſt, ſed etiam neceſſarius. Etſi etiam Deorum cultui mancipatus fuit, quod certe negari non poteſt, ea tamen fide, ſinceritate, modeſtia de Chriſtianorum rebus loquitur, ut niſi ex plurimis locis toto opere ſparſis conſtaret eum cultorem numinum fuiſſe, Chriſtianus non immerito poſſet videri. Mitto quod antiquitates et origines tum maiorum noſtrorum, puta Francorum, tum Alamannorum et Burgundiorum aliarumque gentium non aliunde, quam ex Marcellini hiſtoriis peti poſſunt. Atque utinam tredecim quoque priores libri ſupereſſent, quibus res geſtas Auguſtorum ab exordio Caeſaris Nervae ad Conſtantii tempora pertexuerat. Etſi enim prio-

rum Principum gesta succinctius memoraverat, ut ex eo apparet quod xxx. prope Imperatorum historiam tredecim libris erat complexus: non tamen dubitandum est, quin plurima scitu digna iis voluminibus continerentur. Sed praeterquam quod libri illi vetustatis iniuria perierunt, octodecim reliqui, tamquam ex naufragio quodam ita laceri mutilique ad nos pervenerunt, ut vel una haec ratio multos ab eorum lectione deterruerit. Quod quidem non scriptorum dumtaxat exemplarium vitio contigit, sed etiam editorum culpa. Prima quidem Marcellini Historiarum Editio Romae prodiit anno Domini MCCCCLXXIV. cui praefuit A. Sabinus Poëta laureatus. Haec Editio, utpote nondum exorta Criticorum natione, omnium fidelissima est. Naevos enim exemplaris sui et lacunas servat omnes. Hanc secuta est Editio Bononiensis anno 1517. quam curavit P. Castellus, vir nec ingenio nec iudicio ullo praeditus. Ac nescio utrum stuporem hominis mirari magis, an audaciam atque impudentiam debeas. Nam neque ullum codicem manuscriptum consuluit; et coniecturae adeo infeliciter indulsit, ut monstra quaedam ac deliria in Marcellini libros intruserit. Denique lacunas omnes quae in Editione Romana fideliter expressae fuerant, ipse insertis vocabulis explevit, aut ita coïre fecit, nullum ut earum vestigium lectoribus relinqueretur. Itaque haec Editio omnium fere errorum, qui in Marcellini libris occurrunt, seminarium merito dici potest. Quod si quis eam in manus sumpserit, ac vel ipsam Castelli Epistolam legerit, is profecto fatebitur nihil a nobis exaggerari. Huic, anno post, successit Editio Basiliensis a Iohanne Frobenio excusa, quae Bononiensem illam dumtaxat expressit. Tandem vero anno MDXXXIII. Editiones duae prodiere: prior Augustae Vindelicorum,

corum, emendata a Mariangelo Accurſio: poſterior Baſileae apud Hieronymum Frobenium Iohannis filium, cui praefuit Sig. Gelenius. Haec Calendis Iulii; illa menſe Maio abſoluta eſt. Utraque porro ex ſcriptorum codicum fide emendata et aucta. Nam Accurſius libros quinque poſtremos, qui in ſuperioribus Editionibus deerant, ex ſuo codice primus adiecit. In Editione vero Gelenii, qui Hirsfeldenſi Mſ. exemplari uſus eſt, ultimus liber cum extrema triceſimi pagina deſideratur. Ceterum has inter ſe Editiones conferre nec inutile mihi, nec iniucundum fuit. Erat quidem in utroque horum virorum magna doctrina, ut ſcripta utriusque teſtantur. Sed in Gelenio maior quaedam ingenii vis, et iudicium acrius fuit. Quod cum multi praeclari labores illius viri teſtantur, tum maxime interpretationes Latinae Dionyſii Halicarnaſſenſis, Appiani, Philonis item ac Ioſephi, Origenis et aliorum. Ex quibus apparet eum excellenti ingenio et ſingulari doctrina praeditum fuiſſe. Sed et Ammiani Marcellini hiſtoriae ab eo editae id ipſum abunde teſtantur. In quibus plurima acute et ingenioſe emendavit; et inſignem paginarum tranſpoſitionem, quae in Mſſ. omnibus codicibus reperitur, et in Editione exſtat Accurſii, mira dexteritate reſtituit. Quamobrem eius viri nomini libenter hoc laudis teſtimonium impertimus, neminem adhuc exſtitiſſe, qui de hiſtoria Marcellini melius meritus ſit. Has ſecuta eſt Editio Frobenii anno MDXLVI. in qua ultimus liber adiectus, et quidam loci a neſcio quo emendati ſunt, ope Editionis Auguſtanae, ut equidem cenſeo. Ex hac deinceps Editione reliquae omnes cum in Gallia, tum in Germania propagatae videntur, donec Fridericus Lindenbrogius, vir eruditus ac diligens, novam Editionem aggreſſus eſt anno MDCIX. Qui

Digitized by Google

praeterquam quod aliquot locos Scriptoris noſtri ope Mſ. codicis Florentini egregie correxit; primus omnium Auctorem ſane difficillimum perpetuis Obſervationibus illuſtrare auſus eſt. Varias denique Mſ. codicis lectiones in calce Editionis appoſuit, quae novam quandoque Editionem aggreſſuris magno uſui eſſe poſſent. Proinde et doctrinae et induſtriae non mediocrem certe laudem meretur. Hae fere ſunt Editiones Hiſtoriarum Marcellini, quae ſingulare quiddam prae ceteris habuerunt. Nam reliquae ex his tamquam fontibus derivatae ſunt omnes. Editio verbi gratia Roberti Stephani ad exemplar Gelenianae illius expreſſa eſt. Henrici autem Stephani, Gryphiique Editiones Baſilienſem illam anni MDXLVI. inſtar archetypi ſecutae ſunt. Earum porro ſeriem Editionum paullo fuſius hic enarrandam eſſe duxi duabus de cauſis. Nam cum in Annotationibus noſtris priores quatuor ſaepiſſime nominentur, officii noſtri fuit Lectorem de ſingulis praemonere. Altera ratio eſt, ut appareat Lectori, quibus praeſidiis ſuccinctus novam hanc Editionem ſuſceperim. Etenim Romana quidem et Auguſtana et Baſilienſis Editio, utpote ex Mſſ. exemplaribus profectae, ſcriptorum codicum vicem merito praeſtiterunt. Bononienſis autem illa, (quod unum maxime intererat) fontem mihi omnium mendorum aperuit. In quo certe nos feliciores et Accurſio fuiſſe et Geleuio nemo dubitavit. Hi enim, ut mihi quidem videtur, ſolam Iohannis Frobenii Editionem viderant, quae Bononienſem, uti ſupra dixi, cum omnibus mendis expreſſerat. Nec quisquam ante nos de facinore P. Caſtelli ne ſuſpicatus quidem videtur. Nobis porro praeter haec ſubſidia, Mſſ. etiam codices non defuerunt. Inter quos merito palmam ferat codex Bibliothecae Regiae, quem a Viro clariſſimo doctiſſimoque Nicolao Rigaltio, eius Bibliothecae Praefecto, com-

Digitized by Google

modatum accepi. Hic codex etsi non multum antiquus, ex optimo tamen exemplari et ab erudito homine descriptus, in plurimis locis emendandis permagno mihi usui fuit. Huic accessit codex Bibliothecae Vaticanae, qui olim Monasterii Fuldensis fuerat, ante quadringentos plus minus annos exaratus. Ex eo locos quosdam a I. Iacobo Bouchardo erudito viro ut petieram collatos, misit ad me Nicolaus Fabricius Peirescius V. Cl. qui cum rei publicae litterarum bono natus est, tum in nostris privatim studiis iuvandis et promovendis nulli labori et impensae parcere solet. Et quamquam pagellas ab eo ad me missas serius et affecta iam Editione nostra accepi: observavi tamen Vaticanum codicem illum fere ubique cum Regio consentire. Praeterea librum Antonii Loiselli, in quo vir ille doctissimus varias aliquot lectiones Mſ. codicis, qui olim Valentiae Cavarum fuit, adnotaverat, benigne mihi communicavit Hieronymus Bignonius V. Cl. et inter praecipua Luteciae nostrae ornamenta numerandus. Denique Friderici Lindenbrogii et Gruteri Editiones, varias quoque lectiones ex Mſſ. exemplaribus Florentino et Fauchetii suppeditarunt. His igitur auxiliis instructus, Marcellini historias mendis quamplurimis purgatas in publicum emisi. Adnotationes quoque uberiores addidi, quibus cum emendationum mearum rationem redderem, tum difficiles quosque locos (cuiusmodi in hoc Scriptore occurrunt plurimi) explicarem. In quo quid praestiterim, tuo Lector iudicio relinquo. Hoc quidem mihi videor iure posse dicere, dedisse me operam, ut nullum obscuriorem locum tacite et dissimulanter praeterirem. Postremo Excerpta de gestis Constantini, quorum in Adnotationibus saepe mentionem facio, huic Editioni nostrae subiungere placuit. Eorum autem mihi copiam fecit R.

P. Iacobus Sirmundus, iudicio, doctrina, ſtilique elegantia, ut inter omnes conſtat, eminentiſſimus. Cuius etiam humanitati debetur nummus ille HannibalIiani Regis, qui Adnotationum noſtrarum veſtibulum exornat. Eius enim nummi ectypum pro ſua erga me benevolentia liberaliter mihi communicavit. Frueris igitur, amice Lector, hoc labore noſtro: et ſi quando, ut in tam lubrico opere, lapſi erimus, nobis humaniter condonabis.

Digitized by Google

CLAUDII CHIFFLETII I. C.

SEQUANI VESONTINI,

DOLANAE ACADEMIAE REGII ANTECESSORIS,

DE

AMMIANI MARCELLINI

VITA ET LIBRIS RERUM GESTARUM

MONOBIBAION.

AMMIANUS MARCELLINUS natione Graecus fuit, ut saepius profitetur: unde domo, perincertum. Pater et genus ignorantur; nisi quod ingenuum se et nobilem fuisse non obscure indicat, cum fugiens vim Persicam, tandem *se nimietate pedibus incedendi superatum, ut insuetum ingenuum*, (utar enim verbis eius quantum licebit) narrat lib. XIX. Solet autem Marcellinus, cum multis aliis, ingenuos nobiles appellare. Fit quidem mentio *Antonii Marcellini*, sub Constantino Magno Praesidis provinciae Lugdunensis primae: ad quem exstat L. 1. Cod. Theod. Sine censu vel reliq. et aliquot aliae. Is an huius pater fuerit, nec negare, nec adfirmare ausim. Certe *Marcellini* Cos. cum Probino, Constantini filiorum temporibus, fasti meminerunt; sicut et *Marcellini Comitis Orientis*, in L. VI. C. utroque, de oper. publ. quae data est Lime-

Digitized by Google

nio et Catullino Coſſ. Item *Marcellini* P P. ad quem L. III. C. Theod. de honorar. C. quae data eſt Acindyno et Proculo Coſſ. Invenio et *Marcellinum* appellari a Sexto Victore, in veteribus etiam libris, qui cum Chreſtio et Magnentio in Conſtantis necem conſpiravit: ſed non facile dixerim, an ad *Ammianum* pertinuerit, quem nomine tenus refert. Coniicio tamen eumdem eſſe, quo duce Magnentius Nepotianum, res novas Romae molientem oppreſſit; quem Zoſimus *Magiſtrum Officiorum* appellat. De his igitur nihil aliud habeo quod dicam, quam Marcellinorum familiam, unde Ammianus, illis temporibus illuſtrem fuiſſe, et Comitivae, et Magiſterii dignitatibus decoratam. Ex eius forte poſteris (nihil enim praeter nominis coniecturam habeo) eſt is, ad quem reſcribunt Honorius et Theodoſius Iunior in L. III. C. Theod. de religioſ. qui mihi videtur idem eſſe cum illo *Marcellino Tribuno, et Notario*, quem in collatione Catholicorum et Donatiſtarum Imperatores iidem cognitorem et iudicem dederunt; cuius meminit Oroſius lib. VII. cap. XXXII. et paſſim in Epiſtolis Divus Auguſtinus, ad quem etiam videtur dediſſe inſignes de Civitate Dei libros. Nam ne eumdem faciam cum hoc noſtro, annorum ratio repugnat. Alioquin dicendum eſſet *Ammianum* centenario paullo minorem, tam arduae et laborioſae cognitioni praefuiſſe. Denique illius Epiſtola, inter Auguſtinianas quarta, ab huius ſtilo remotiſſima eſt. Fuit igitur de nomine eius et familia; ut et alter *Marcellinus Comes Iuſtiniani Imp. a cancellis*, cuius Chronicon laudabile exſtat.

Porro qui *Ammianum* Conſtantinopolitanum faciunt, quem ſecuti ſint non video: nam in fine Operis tantum ſe *Graecum* profitetur; nullibi Thracem: quod ei facile fuiſſet in Thraciarum deſcriptione, et Byzantii mentione. Procul dubio

non ſiluiſſet *ius Buleutarum*, ad exemplum urbis Romanae a Iuliano Byzantiis datum, aliaque in eos collata beneficia, quae Zoſimus expreſſit: ut verum ſit, quod initio dixi, patriam eius ambiguam et incertam.

Ab adoleſcentia prima liberalibus diſciplinis imbutus fuiſſe videtur, et ſermonis utriusque copiam, adiuncta rerum geſtarum ſcientia, conſecutus. Unius ſane *Ciceronis* lectione delectatum, paſſim tota Hiſtoria indicat: cuius utinam ſtilum, ut ſententias, quas ſaepiſſime interſerit, fuiſſet imitatus! His adducor ut credam, a prima pueritia *Marcellinum*, quamvis ortu Graecum, in Occidente vixiſſe, ibique Latinae loquutionis facultatem conſequutum. Nam ſequens eius aetas provectior et maturior, toties bellis et rebus gerendis interpellata ac impedita, ei rei vix ſuffeciſſet. Militiam enim armatam ſtatim ſectatus eſt, primumque a *Conſtantio* adoleſcens admodum, in cohorte *Urſicini* Magiſtri equitum fuit adſcriptus; quem etiam ſaepiſſime occaſione data commendat, ac eius militares virtutes ad invidiam usque praeclaras celebrat. Quo ab Oriente revocato, inter Protectores Domeſticos Conſtantii *equeſtres*, ut puto, potius quam *pedites*, retentus fuit *Marcellinus*, homo adhuc adoleſcens; quamvis eius ordinis viri ex iis delecti eſſent, qui arma iam tulerant, bellisque aliis et expeditionibus interfuerant, ut Iuliani Imperat. ad Leontium Epiſtola probat. Is locus et gradus militiae ea tempeſtate adeo fuit honeſtus, ut *Iovianus* ex Domeſtico Protectore, et Ammiani collega, factus *Scholae Primicerius*, ex Primicerio *Imperator* creatus ſit; idque finis libri XXI. et ſequentes docent.

Miſſus poſtea in Galliam *Urſicinus*, quaſi ſucceſſor *Silvani* Magiſtri equitum et peditum, natione Franci, qui tum imperium invaſerat Coloniae

Agrippinae; ceu altiore consilio, ut in ipsis primordiis tyrannus opprimeretur, duxit secum egregio facinori perpetrando, ut postularat, Tribunos, et Protectores Domesticos decem, ad iuvandas necessitates publicas. Quia vero *Ursicino* iam cognita erat *Ammiani* industria et fides, eum inter alios delegit cum *Veriniano collega:* eoque tandem res processit, et tam vafre acta est, ut *Ursicini* et comitum arte atque industria summa deiecto ac caeso *Silvano*, Imperium *Constantio* adsererent, quod liber xv. luculentius explicat. In ea peregrinatione et legatione puto *Ammianum Vesontionem Sequanorum matrem, patriam mihi dulcissimam* vidisse, tunc tantumnon dirutam, et in oppidum redactam, licet maximam olim, sed *Alamannorum* vastatorias manus haud multo ante perpessam. De ea sic in Galliarum descriptione lib. xv. *Apud Sequanos Bisontios vidimus, et Rauracos, aliis potiores opidis multis.* Quin et ibidem diutius commoratum ideo crediderim, quia occiso Silvano *Julianus* Caesar creatus, et in partes Galliarum praemissus, exercitum sequentem in unum iusserat *Vesuntii* *) congregari, *cui praesidebat Ursicini successor Marcellus, ipseque Ursicinus Ammiani nostri Dux, praeceptus a Constantio iisdem in locis agere, adusque expeditionis finem.* Interfuit igitur, aut vero interesse potuit *Marcellinus* noster proeliis illis levioribus, quae apud Brocomagum, *Senonas*, et alibi ante *pugnam Argentoratensem* memorabilem facta sunt. Nam ne gloriae huius particeps esset, obstitit *Ursicini* paullo ante initum proelium revocatio: qui litteris *Constantii* ex *Juliani* comitatu arcessitus, *Sirmium* ad Imperatorem comitantibus sociis venit, in quorum, ut diximus, numero erat *Ammianus:* ibique *libratis super pace cum Persis consiliis, in Orientem cum Magisterii potestate re-*

*) immo *Remis.* Vales.

mittitur: simulque individuus eius comes *Marcellinus*, iussu Imperatoris profectus est, adolescens etiamnum, altiorum dignitatum militarium nondum capax. Ita enim de se lib. XVI. refert: *Provectis e consortio nostro ad regendos milites natu maioribus, adolescentes eum* (Ursicinum) *sequi iubemur, quidquid pro Rep. mandaverit impleturi.* Sed cum *Ursicinus*, grassantibus in palatio *Constantii* adulatoribus, accepto successore *Sabiniano*, a Persica expeditione ad comitatum Imperatoris revocaretur, atque in delenimentum ablatae provinciae, Magisterium pedestris militiae ei offerretur; dum ad iussa festinat, et *Ammianum* atque solitum comitatum trahit, cuncti *paullisper cis Taurum morati*, (causa in obscuro est) tandem *ad partes Italiae ex imperio festinantes, prope flumen venerunt Hebrum* in Thraciam, *ibique* alia *Principis scripta recipiunt, iubentia omni causatione posthabita reverti in Mesopotamiam, sed sine Apparitione: nullam expeditionem periculosam curaturos, omni potestate ad Sabinianum translata.* Ubi tamen praeclaris factis bellicis inclaruit *Ursicinus* cum *Marcellino* et comitibus; quae lib. XVIII. latius digeruntur. In eo de se persaepe Auctor scribit, citra adrogantiam tamen. Inter cetera autem conspicuum est, et pietatis laude celebre factum eius, qui *liberalem puerum, torquatum et ingenuum*, a matre vastatorios Persarum globos fugitante in medio aggeris relictum, et tunc eiulantem, impositum equo praeferens sustulit, et in tuto intra civitatem proximam locavit; parumque abfuit, quin regrediens ad socios caperetur, quos securos hostium, signo e longinquo demonstrato, periculi instantis admonuit: quo ea ratione superato, missus est *Marcellinus* ab *Ursicino* ad *Satrapam Corduënae*, qui a Romanis non erat alienus, ut Persarum consilia scrutaretur: delectusque ideo fuit, quia libe-

Digitized by Google

ralibus disciplinis deditus erat, quibus etiam *Satrapa* delectabatur. Quae legatio felix adeo fuit, ut Persicum apparatum oculitus didicerit, retuleritque comitatui Ursicini. Eo tempore ac bello retinuisse adhuc Ammianum militiam et dignitatem Protectoris Domestici, ex eo constat, quod *Verenianum* aequalem, Protectorem Domesticum, de quo supra, *collegam suum* appellat, cum eius casum describit: non enim dubito, quin is sit, quem Editiones corrupte appellant lib. XV. modo *Verianum*, modo *Verinianum*. In eo bello a Duce suo Ursicino vi Parthica separatus *Marcellinus*, *Amidam* magnis tenuit aerumnis, quae ab hoste tandem, propugnante inter ceteros nostro, non obtinendae salutis, sed fortiter moriendi studio flagrante, ut ait, post longae ac periculosae obsidionis moram capta est: ex qua quomodo evaserit, et quibus fuerit agitatus casibus, donec reperto Duce suo, cum eo *Antiochiam* revisit, modeste commemorat lib. XIX.

Reverso autem ad commilitium Principis *Ursicino*, factoque iterum Magistro peditum Praesentalium, probabile est, comitem eius adsiduum *Ammianum*, ad Protectoris Domestici ordinariam functionem rediisse: aut si ad ampliores dignitates fuerit provectus, modeste reticet. Bellis sane, ac proeliis, et periculosis expeditionibus, aetate iam in maturum glisscente, accessionem honoris meruerat, cuius tamen prae litterarum ac doctrinarum dulcedine valde appetens, aut ambitiosus non videtur fuisse. Porro quamvis *Palatinorum* calumniis appetita esset Ursicini clarissima et consummatissima virtus, isque deposita militia honorata, digredi ad otium ignobile iussus sit, ut lib. XX. perstringitur: credo tamen *Ammianum* suum locum et ordinem, qualiscumque tandem fuerit, retinuisse; quia de *Ursicino* tunc separatim loquitur, quasi

Digitized by Google

ab eius fortuna discretus; cum alioquin in rerum ab eo gestarum commemoratione se ipsum ei frequentius adiungat: et vero hanc status sui commutationem haud dissimulasset. Quas autem mortuo Constantio, sub *Iuliano*, *Valentiniano*, *Valente*, *Gratiano*, ac *Theodosio*, militares aut civiles dignitates gesserit, ex eius verbis nobis est incompertum. In fine quidem Operis simpliciter se *militem* appellat; ut incertum sit, miles cum dignitate fuerit, necne. Militavit quidem bello Persico *sub Iuliano*, cui etiam *Historicus Eutropius* interfuit; sed an ut Protector Domesticus, aut sub alio dignitatis militaris titulo, quem eius industria merebatur, ideo est obscurius, quia posteris id tradere curae ei non fuit: ab omni enim vanitatis ac iactantiae suspicione abest longissime *Ammianus*. Forte noluit referre auctus suos et dignitates adiectas, sive a *Iuliano*, sive ab aliis, ne beneficii huius publicatione de Historiae suae fide vel saltem suspicione tenus deminueret. Sed tamen in Reip. luce versatum tantae industriae virum, ac titulis dignitatum decoratum fuisse non dubito; cum etiam sub *Gratiano*, *Valentiniano Iuniore*, ac *Theodosio* Comitivam rei Privatae meruerit, id est ab armata ad palatinam dignitatem transierit. Nam sic inscribitur lex XLI. Cod. Theod. de appellat. IIDEM A. A. AD AMMIANUM COM. R. P. quae eiusdem anni est, licet alterius diei, cum L. v. in Cod. utroque ad leg. Iul. repet. quae ad Magistratum et in administratione positum scripta est; cuius est inscriptio plenior in Theodosiano Codice: IIDEM AAA. HAVE MARCELLINE. K. N. B. ut nemini mirum videri debeat, si a nobis initio libri suus titulus ei fuerit restitutus. In ea dignitate, quae inlustris erat, collegam habuit *Nebridium*, quem anno praecedenti, et eodem etiam lego appellari *Com. rei Priv.* in L. XVI. et XVIII. C. Theod. de Petit. et ultro dat. et del. Item

in L. v. Cod. Theodoſ. de palat. ſacr. Larg. et rer. Priv.

Porro in partione Comitum, et numerorum militarium, quam *Valentinianus* et *Valens A. A.* fecerunt apud *Naiſſum* Illyrici urbem, dum ille Occidenti, hic Orienti ſe accingit: videtur partem *Valentis* ſecutus *Marcellinus*. Nam res eius, et cognitiones ſaevas ſub eo habitas digerens, lib. XXIX. tandem ſubiungit: *Addici poſt cruciabiles poenas vidimus multos, ut in tenebroſis rebus confuſione cuncta miſcente.* Et aliquanto poſt, ubi lanienam nobilium plebeiorumque memoravit, addit: *Omnes ea tempeſtate velut in Cimmeriis tenebris reptabamus, paria convivis Siculi Dionyſii pavitantes.* Praeter Orientis et Perſidis peregrinationes non ſemel inſtitutas, Gallias etiam ac Germanias, ex iis quas retuli cauſis adiit; ſed et Aegyptum luſtravit, viſa pleraque in ea narrans. Thraeias deſcribens lib. XXVII. 4. obſcura varietate omiſſa, ſufficere ait, ea expedire, quae vidiſſe meminit. Orientalium rabularum, et circumforaneorum oratorum vafritie verſutiaque aliquando vexatus fuit; quam iniuriam ulciſcitur ſatis exceſſu de moribus eorum inſtituto lib. XXX. eosque ſuis depingit coloribus.

Etiam vixiſſe Romae Ammianum non dubitaverit, qui populi Rom. mores, et errata ab eo expreſſa lib. XIV. 6. et XXVIII. 4. legerit: nec enim niſi teſtis oculatus talia obſervare et ſcribere potuit.

Fuit *Ammianus* (ut et hanc vitae eius dotem exſequar) *profeſſione Chriſtianus*, niſi fallor, aut ſaltem animo et voto a Chriſtianis non alienus: de quibus honorifice in tota Hiſtoria ſparſim ſentit, et ſcribit; dataque occaſione libens eorum mentionem interſerit, non odio, ut maligni Scriptores, ſed ad commendationem potius. Nam cum lego lib. XVIII. extremo factum Saporis Perſarum Regis

Digitized by Google

laudari, qui in caſtellis duobus a ſe captis *inventas virgines, Chriſtiano ritu cultui divino ſacratas, cuſtodiri intactas, et religioni ſervire ſolito more, nullo vetante, praecepit;* vix eſt ut credam Chriſtiani oris haec verba non eſſe. Cum item narrat lib. XXIX. 5. Theodoſium patrem leniter ſuscepiſſe Chriſtiani ritus Antiſtites, a *Firmo Tyranno* miſſos, ut pacem orarent; quid aliud, quam ex ea in Chriſtianos humanitate laudem *Theodoſio* adſeruit? Sed haec ſunt leviora: his autem quae ſubiiciam, quid clarius? nam de Conſtantio ita ſtatuit lib. XXI. 16. *Chriſtianam religionem abſolutam et ſimplicem anili ſuperſtitione confudiſſe.* In quo ei cum tota hiſtoria Eccleſiaſtica convenit, quae uno ore *Arianae* pravitatis conſenſum *Conſtantio* affingit. *Superſtitionis* enim nomine haereticas ſententias intelligit *Ammianus*, quia et de *Manichaeis* loquens lib. XV. *ſectam ſuperſtitionum appellat.* Cum autem lib. XXII. 11. de *Georgii Alexandrini Antiſtitis* acerbitate, et vindictae nimio ſtudio usque ad vile delationis officium, quem ob id plebs Alexandrina crudeliſſime occidit, plura dixiſſet; ſubiungit: *Profeſſionisque ſuae oblitus, quae nihil niſi iuſtum ſuadet et lene, ad delatorum auſa feralia deſciſcebat.* Sed paullo poſt Martyres ait appellari, *qui deviare a religione compulſi, adusque glorioſam mortem intemerata fide progreſſi ſunt.* Nemo ſane pagani ſpiritus homo ſic loqueretur. Quid vero de Iuliano ſcribit libro XXII. et XXV. *Inter quae* (inquit) *erat illud inclemens, quod docere vetuit magiſtros Rhetoricos et Grammaticos Chriſtianos, ni transiſſent ad numinum cultum.* Illud enim verum eſt, ob gentilem ſuperſtitionem Iulianum ab eo numquam laudari; quin immo libro praecedenti ſic de eo: *Pergebat ulterius Imperator, placida ope numinis, ut arbitrabatur, erectior.* Caute quidem, quaſi aliud ipſe Auctor ſentiret. Illa quae

Digitized by Google

de Antiſtitum provincialium vitae ſeveriori diſciplina traduntur ab eo lib. XXVII. nonne Chriſtianum pectus ſapiunt? *Quos tenuitas edendi potandique parciſſime, vilitas etiam indumentorum, et ſupercilia humum ſpectantia perpetuo numini, verisque eius cultoribus ut puros commendant et verecundos.* Ioviani autem virtutes commemorans, inter cetera ait: *Chriſtianae legis idem ſtudioſus.* Si ergo in laude Ioviani ponit, *Chriſtianum* fuiſſe; de Chriſtiana eum lege bene exiſtimaſſe neceſſe eſt. Haec pro adſerenda *Marcellini* profeſſione et religione dicere volui; ne quis eum poſthac ut paganum et melioris voti exſortem condemnet. Sane cum Iudaeis non ſentit, quos lib. XXII. 5. *faetentes, ac tumultuantes* vocat. Multa ſunt tamen in eo *Helleniſmi* veſtigia, qualia fuiſſe in Chriſtianis illorum temporum notiſſimum eſt. Quis enim Iovianum inter Principes Chriſtianos non refert: de quo nobile Auctoris teſtimonium protulimus ante. At huius Imperii primordio, et hoſtiae pro eo caeduntur, et exta inſpectantur, ut libro XXV. continetur. Gentilitas macula fuit tam elui pertinax, ut veſtigia eius remanſerint diutiſſime: et dum in fidei ſummam conſentirent gentes, multa illis primi religionis Antiſtites et Inſtitutores condonabant.

Videtur tardius, et quinquagenario maior ad ſcribendam Hiſtoriam deſcendiſſe, id eſt conſummatior belli pacisque temporibus, et poſt obſervatas inſignes rerum, quibus interfuit, viciſſitudines. Mecum faciet, qui tempus quo ſe adoleſcentem dixit, circa octavum nempe Conſtantii Conſulatum, cum eo contulerit, quo Hiſtoriam ſcripſit, quod contigit Theodoſio imperante, ſed ante ruinam templi ambitioſi *Serapidis* Alexandrini, cuius ut ſtantis adhuc, meminit in Aegypti deſcriptione, et poſt *Gratiani* mortem. Huius enim ut fato functi ſic meminit lib. XXVII. *Imperatorem impleſſet cum*

Digitized by Google

veterum lectiſſimis comparandum, ſi per fata proximosque licuiſſet, qui virtutem eius etiamtum inſtabilem obnubilarunt actibus pravis. Quin etiam eius ut mortui virtutes ac vitia, data occaſione, ſtrictim commemorat, vivis parcere multorum exemplo ſolitus. Nam quod *Theodoſio* Imperium regente ſcripſerit, cuius parentem *Theodoſium* eximie laudat, eiusque res geſtas ſtylo altiore condit, et a quorumdam reprehenſionibus defendit, praeter ſuperiorem rationem vel inde exiſtimo, quia *Theodoſium iuniorem, ducem Moeſiae, prima etiamtum lanugine iuvenem, Principem poſtea perſpectiſſimum* appellat libro XXIX. 6. Sed et ſaeculi Theodoſiani felicitatem ac modeſtiam videtur commendare libri XXVIII. principio, cum ait: *Praeſentis temporis modeſtia fretus, carptim, ut quaeque memoria digna ſunt, explanabo.* Ab VIII. autem Conſulatu Conſtantii ad exortum Theodoſii Principis anni ſunt XXIV. ad Gratiani A. caedem XXVIII.

De tempore mortis ac genere nihil habeo quod dicam: tantum moneo, Ammianum in ſtudiis doctrinarum ad extremum usque vitae ſpiritum operam poſuiſſe, ex eoque colligo, quod, dum populi Rom. et maxime Nobilitatis otia, malasque artes reprehendit, *doctrinas* ait, *ut venena deteſtari*, producto in eam rem *Socratis* nobili dicto, qui e vita poſtridie diſceſſurus, aliquid amplius ſcire optavit.

Sed et ſollemne eſt *Ammiano*, bene vel male geſtam Remp. doctrinae, aut ignorantiae adſcribere. Itaque *peritiam Gratiani* in fine lib. XXX. laudat: ut alibi *Valentis* rudem et male informatum animum atque ut ille appellat *inconſummatum* notat. Ex hac mentis inclinatione et propoſito, *Valentinianum* Imperat. ante *Gratiani* aſſumptionem, ſic pro eo apud milites ſpondentem inducit XXVII. 6. *Quoniam humanitate, et ſtudiis diſcipli- arum ſol-*

lertium expolitus, librabit ſuffragiis puris merita recte ſecusve geſtorum: faciet ut ſciant ſe boni intelligi, etc. Eo pertinet, quod de *Orſito Praef. V.* lic ſcribit XIV. 6. *Forenſium negotiorum oppido gnarus, ſed ſplendore liberalium doctrinarum minus quam Nobilem decuerat, inſtitutus.* Culpat etiam in libro XXX. 4. *Modeſtum* *) *Praefectum Praetorio, quod ſubagreſte ingenium, nullis vetuſtatis lectionibus expolitum habuerit:* et Nobilitatem Romanam non ſemel carpit, quod a doctrinis aliena, et *in perpetuum clauſis apud eos ſepulcrorum ritu bibliothecis*, malas otii artes tantum agitaret. Quae omnia varie ſparſa et collecta, mores animumque *Marcellini* velut ob oculos legentibus ponunt.

Synchronos habuit (praeter alios multos, quorum ingenii opera nobis ſunt ignota) hos monumentorum exſtantium gloria florentes: ex Latinis, *Ambroſium, Severum Sulpicium, Symmachum, Macrobium, Auſonium,* (quem Graeci, et Codex uterque *Auxonium* appellant) *Sext. Aurel. Victorem, Eutropium, Ruſum Feſtum, Iulium Valerium, Vegetium:* ex Graecis, *Baſilium, Gregorium utrumque, Nazianzenum, et Nyſſenum, Epiphanium, Libanium, Muſonium, Iamblichum, Eunapium, Themiſtium,* aliosque non paucos: quorum plerique dignitatibus et adminiſtrationibus ſive civilibus, ſive eccleſiaſticis claruerunt.

Amicos praecipue coluit *Urſicinum Comitem*, et Magiſterii dignitate toties praepollentem, ut dixi; *Hypatium* praeterea Urbis, ac Praetorii Praefectum, Conſularem et Conſtantii Aug. quondam affinem, de quo ita lib. XXIX. *Inter quos omnes adoleſcentia et virtutum pulcritudine commendabilis noſter Hypatius eminebat:* ubi de eo plura. Cum igitur uberrimo illo eruditorum ſaeculo, tot Principes

*) immo *Valentem Aug.* Valeſ.

cipes fuerit emenſus, toties res translatas viderit, iis interfuerit vir doctus, erùditus, probus, ſpectatus, et conſummatus: non potuit non ſecundum ingenium ad Hiſtoriam ſcribendam attuliſſe.

Natura etiam probum, veri amatorem, aequi bonique ſtudioſum fuiſſe, ex eius apparet Hiſtoria, prorſusque alienum ab omni odio, invidia, ambitione, adulatione: adeoque res geſtas diligenter ac prudenter ſcribit, virtutes Imperatorum ac Ducum, rei militaris errores perite revincit, et vitia Principum libere et ingenue retegit: ut qui ſtilum admoverint felicius narrationi rerum, pauci hodie ſuperſint; nec indignus videatur, qui cum *Salluſtio*, *Livio*, *Cornelio*, quadrigam Hiſtoriae Romanae et Latinae conſtituat. Nam ceteri vitarum et epitomarum ſcriptores, inter ſecundarios et proletarios referendi ſunt potius.

Reliquerat autem rerum geſtarum libros xxxi. id eſt eius Hiſtoriae ſeriem fuerat complexus, quam omnium maxime intererat ſalvam permanere: ſed libri xiii. priores cum xxxi. deſiderantur, magno veteris memoriae damno, quod vix aliunde ſarciri poteſt. Nam multa memorabilia et hodie ſepulta fuiſſe complexum, argumento ſunt reliquiae nobiles accuratiſſime conſcriptae: quamquam in iis ſtylum diffudit, quo propius ad ſui aevi memoriam acceſſit. Scripſit enim ad xv. usque audita lectaque, et aetatem eius, aut cognitionem Reipubl. ſupergreſſa: exinde vero viſa cognitaque digerit. Videtur initium ducere a fine Hiſtoriae Cornel. Taciti, qui res Domitiani ſcripſerat. Nam in fine Operis a principatu *Nervae* ad usque *Valentis* interitum ſe Hiſtoriam perduxiſſe commemorat, quam claudit exitu notabili et clade inſigni, quae cladibus aliis poſtea ex eadem cauſa ſupervenientibus initium dedit: ubi etiam *D. Hieronymus* Chronici *Euſebio* ſubiecti filum abrumpit. Non puto enim *Ammia-*

num agitaſſe, Hiſtoriam ulterius producere, quia et conſilii ſui certus quaedam diu poſt geſta, data occaſione repraeſentat: ut in fine lib. XXVIII. nec ullum contrarii inſtituti veſtigium reliquit; quin immo videtur data opera vitaſſe, ne viventium Principum res bene ſecusve geſtas deſcriberet, cum librum XXVI. ſic ordiatur: *Dictis impenſiore cura rerum ordinibus adusque memoriae confinia propioris, convenerat iam referre a notioribus pedem, ut et pericula declinentur veritati ſaepe contigua, et examinatores contexendi Operis deinde non perferamus intempeſtivos.*

Latina, quam Graeca et populari lingua ſcribere hiſtorias elegit, quia in palatio et comitatu Imperatorum verſabatur aſſidue: ubi Latinae linguae dignitas adhuc retinebatur, et leges, conſtitutiones, forma dignitatum, acta conſiſtoriana, teſtamenta, aliaque permulta, etiam in Oriente verbis civilibus expediebantur. Primus *Theodoſius* Iunior id infregit, facta poteſtate in teſtamentis Graeca lingua utendi. Exinde enim Graecarum etiam conſtitutionum licentia fluxit, cum ante eum paucas haberemus.

In tota autem Hiſtoria noſter prudens eſt conſiliorum indagator, eventuum ſollers narrator, quos cum veteri hiſtoria non inconcinne confert. Res urbanas, civiles, domeſticas, palatinasque pravitates atque artes attingit eximie, ne quis putet in bellis tantum externis ſcribendis quorumdam more operam conſumere. Non ſolum etiam publica fata condit; ſed multorum privatorum memorabiles eventus. Denique ſuorum temporum mores, eorumque cauſas proponit aperte: atque (ut vere dicam) nemo verius et liberius Principum, Palatinorum, militum, urbanorum, forenſium, nobilitatis, plebis vitia et perverſa ſtudia depinxit. Praeter iam narrata, ſunt etiam haec in Ammiano fere

Digitized by Google

fingularia. Nam librorum initiis praefari amat, idque praeſtat *Livio et Tacito* multo frequentius. Ad annalium legem non ſe adſtringit, nec ſcrupuloſe annos ſequitur: ſed leviter ratione temporum obſervata, carptim, ut quaeque memoria digna ſunt, explicat. Utitur frequenter veteris Hiſtoriae, ſive Graecae ſive Latinae collatione: qua in re parcior eſt eo *Cornel. Tacitus*, ſobrietatis hiſtoricae cultor maximus. Iactat ſaepe [a]) *Hiſtoriam non decere produci per minutias ignobiles, et ſqualidas perſonas*, [b]) *discurrere per negotiorum celſitudines adſuetam:* in quod tamen vitium aliquando nimia ingenii indulgentia delabitur; vel tum maxime, cum Graecam diligentiam, [c]) quam ille in *Timagene* laudans, Graecis omnibus tribuit, ſupra modum affectat. In exceſſibus, qui variam eius doctrinam arguunt, et Hiſtoriam praeparant ac illuſtrant, frequens eſt: quod forte tempora illa ferebant: cui et facilius eo nomine indulgendum, quia propoſiti non obliviſcitur. Sane praemiſſae rerum geſtarum narrationibus, locorum ac regionum deſcriptiones, non ſolum venia, ſed excuſatione omni dignae ſunt: quod verbis eius oſtendere malo, Galliarum deſcriptioni praemiſſis: [d]) *Galliarum tractus et ſitum oſtendere, puto nunc tempeſtivum, ne inter procinctus ardentes proeliorumque varios caſus ignota quibusdam expediens, imitari videar deſides nauticos, adtrita lintea cum rudentibus, quae licuit parari ſecurius, inter fluctus reſarcire coactos et tempeſtates.* Conciones omnes apud eum ſunt Imperatoriae, et militares adloquutiones militariter ſcriptae; qnamquam in iis optimi et clari ſenſus contineantur: mirumque eſt, eas tantum *Conſtantio, Iuliano*, et *Valentiniano* tribui; *Gratianum*

a) *Lib.* XXVIII. 1. 15.
b) *Lib.* XXVI. 1.
c) *Lib.* XV. 9.
d) *Lib.* XV. 9.

Digitized by Google

vero, qui ſtudiis litterarum et melioribus diſciplinis imbutus eſſet, (nam de *Valente* rudi et inconſummato non ita mirum) nec poſt Imperii participationem, ſed nec poſt nobilem illam *Argentuarienſem* pugnam induci concionantem. Niſi cogitemus ab adſumpto in *Caeſaris* nomen, aut *Auguſti* conſortium Principe, vivo patre adlocutiones pro more tunc non fieri ſolitas. Pugna vero Argentuarienſi commiſſa et perpetrata, noluit Auctor *Gratianum* in concionibus detinere, auxilium patruo ferre properantem. In deſcriptionibus locorum et regionum, ut diximus, non tantum lecta et audita, ſed etiam viſa et curioſe comperta refert, idque in *Aegypti*, *Thraciarum* et *Perſidis* topographia maxime praeſtat. De *Gallorum* autem antiquitate, quae a regionum incolis didicerat, [e]) profitetur in eorum monumentis inciſa legiſſe: tanta cura et diligentia rerum ſcriptioni vacavit. Studium ſuum veritatis indagandae et publicandae ſaepe commendat, a qua numquam ſponte digreditur, quam nec ſilentio corrumpit, nec mendacio; eoque ad aequalem ſui memoriam provocat *confiſus*, (verbis enim eius hinc inde adſumptis utar) *quod nec metu, nec adulandi foeditate conſtricta poſteritas, incorrupta poſterorum ſoleat eſſe ſpectatrix.* Arcana tamen Principum et interiora Aulae nullius uſus, non vult videri anxie perſequi: quae palam geſta, et quae ad exemplum pertinent, quamvis occulta, ſcribere mavult. Nam de ſecretis litteris Iuliani iam tum Auguſti ad Conſtantium ita: [f]) *His litteris iunctas ſecretiores alias, Conſtantio offerendas, clanculo miſit obiurgatorias et mordaces: quarum ſeriem nec ſcrutari licuit, nec ſi licuiſſet, proferri decebat in publicum.* Prudenter ſane; cum de Diis ac Principibus non omnia vulganda eſſe, bona ve-

e) *Lib.* xv. 9.

f) *Lib.* xx. 8.

Digitized by Google

tuſtas crediderit: quo pudore ſaepe contineri ſe dicit *Herodotus*, ne res myſticas altique ſilentii, narratione profanet. Sed quod in tam varia Hiſtoria difficillimum eſt, quodque pauci tenuerunt, ſibi conſtans eſt *Ammianus*, nec ſummum medio, medicum nec discrepat imo. Eſt quidem multus in *Iuliani* Imper. rebus. Fatetur enim libro XVI. ſe *inſtrumenta omnia mediocris ingenii in his monſtrandis commoturum:* ſed et libro XV. de illo ſcripturus, ab hac praefatione non abstinet: *Maius opus moveo, maiorque rerum mihi naſcitur ordo.* Falſos etiam de eo rumores coarguit, et ab improbo magicarum artium ac divinandi ſtudio, quod ei tamen proceres noſtrae religionis tribuunt, ipſum defendit. At neque propterea libertatis et ingenuitatis obliviſcitur: quin immo candido et aperto pectore pluribus locis timiditatem, ostentationem, levitatem, vanitatem, diſſimulationem, acerbitatem, temeritatem, malignitatem reliquaque vitia, quorum caput erat *Apoſtaſia* et Chriſtianorum odium, inſectatur, atque, ut eius verbo utar, *vellit.* Quamvis igitur de Iuliano ſcripſerit initio libri XVI. *Quidquid de eo narrabitur quod non falſitas arguta concinnat, ſed fides integra rerum abſolvit, documentis evidentibus fulta, ad laudativam paene materiam pertinebit:* tamen non ignorabat, quid quantumque discreparet ab *encomio hiſtoria:* quae δὶς διὰ πασῶν inter ſe differre Lucianus ait: ſed hoc voluit, omnes vitae *Iuliani* partes, et tamquam actus *paene eſſe laudabiles.* Munit enim ſe ſtudioſe particula minuente, ne in encomium tantum (quod, niſi veritate cogente, Hiſtoriae non eſt admiſcendum) labi videretur. Idque cum toto Opere appareret; tum maxime ex ea, quam pro Iuliano non ſolum, ſed etiam pro defuncto quolibet Principe inſtituit, virtutum ac vitiorum anacephalaeoſi: in qua ea breviter aliquando perſtringit, quae in rerum

geſtarum narratione tamquam minutiora omiſerat. Diſſimilis ſane *Zoſimo* illi maledicentiſſimo Scriptori et nigerrimo, cuius amarulentiam, et latratus in pios Principes, *Conſtantinum*, et *Theodoſium*, ut Chriſtianaé et purioris ſectae patronos, nemo umquam iure excuſaverit.

Inter paucos igitur lectione iugi dignus eſt *Marcellinus*, quia (ut ab eius perſona ad res deſcriptas transeam) temporum illorum, quibus res Chriſtiana invaleſcebat, inſignemque Reip. mutationem adferebat, cognitionem nobiliſſimam et digniſſimam repraeſentat. Certe in plerisque Hiſtoriae illius partibus inſignem licet Dei providentiam admirari, qui poſt laxatas ſceleratis habenas, poſt effrenem honeſta omnia pervertendi licentiam, tandem de iis debitas exigit poenas. Sic *Paulus* ille, ab complicandorum negotiorum induſtria Catena dictus, tartareus delator; ſic *Maximinus* utriusque Praefecturae obtentu in omni malignitatis et crudelitatis genere volutatus, et turbo feralis nuncupatus; ſic *Doryphorianus*, *Palladius*, *Remigius*, aliique ſcelerum inventores, ac miniſtri adminiſtrique, ubi aliquamdiu impune in libero malitiae campo exſultarunt, ac bonorum capitibus et exiſtimationibus illuſerunt: tandem ſupervenit pede poena claudo, quae dignum cruciariis exitum rependit, tanto ſeveriorem, quanto lentiorem. Suppeditabit argumenta non pauca viro pio *Ammianus*, quibus Eccleſiaſtica tempora conſtituat, maximeque Sedis Apoſtolicae auctoritatem ex eo adfirmet, quod *Conſtantius* Imperator, poſt damnatum et ſede Epiſcopali deiectum *Athanaſium*, cui tamquam Arianis addictior ſemper fuit infeſtus: curavit omnibus modis ac minis *Liberium* Romanum tunc Pontificem damnationi eius, et Arianae ſententiae ſubſcribere. Nam ut Marcellinus ait lib. xv. 7. *Auctoritate, qua potiores aeternae urbis Epiſcopi,*

Digitized by Google

firmari deſiderio nitebatur ardenti: quod an a *Liberio* impetrarit Conſtantius, videbimus in Scholiis. Et quidem *Iuliani* praeclarae dotes proponuntur, bonis etiam Principibus aemulandae, quas utinam apoſtaſiae deteſtando ſcelere non maculaſſet! quod ideo in eo magis mirum, quia *vinum* (inquit divinus Sapiens) *et mulieres faciunt apoſtatare homines a Deo;* ſed tamen hic et caſtus, et ſobrius in aliud vitium incurrit, *mali corvi* ſcilicet *malum ovum:* nam ab *Euſebio Nicomedienſi*, Ariano improbo, et eximio diſſimulatore fuerat olim inſtitutus. Hoc igitur crimen horrendum, toto conatu vitandum et fugiendum Principibus: ſobrietas, caſtitas, recti et aequi ſtudium, provinciarum amor et caritas, belli pacisque ſtudia, quaeque alia in vita eius laudabilia fuerunt, imitanda et ſequenda ſunt. Quis enim regno aptus et imperio, non malit *Iuliano*, quam *Valentiniano* ſaltem in eo ſimilis eſſe, quod ille g) *agnoſcens levitatem commotioris ingenii ſui, Praefectis proximisque permittebat, ut fidenter impetus ſuos aliorſus tendentes, ad quae decebat monitu opportuno frenarent; monſtrabatque ſubinde ſe dolere delictis, et gaudere correctione.* At vero longe aliter *Valentinianus*, cuius occaſione ſic noſter: h) *Haec et ſimilia licenter ideo altiore faſtu quidam Principes agunt, quod amicis emendandi ſecus cogitata vel geſta copiam negant; inimicos loqui terrent amplitudine poteſtatis.* Quin etiam pure lectis Ammiani libris, diſcent Principes ac Reges, legem maieſtatis acerbius iuſto exercitam, tributis ac veſtigalibus provincias plus aequo gravatas, multas invexiſſe Reip. calamitates: eſſeque inter graviſſima ſaeculi opprobria petitionum licentiam, et flagitatorum rapacitatem, quorum avidas fauces nemo umquam Principum, quantumvis in

g) *Lib.* XXII. 10.

h) *Lib.* XXVII. 7.

Digitized by Google

largiendo facilis, expleverit. Legent non ſemel Principum illorum laudes, qui in Magiſtratuum ac Iudicum Miniſtrorumque delectu, non per immodicos ſaltus, non ſtudio et affectu ſingulari, ſed ſolius Reip. cauſſa, callide ac prudenter promovendorum, expenſis meritis et laboribus verſati ſunt. Inde enim quies Reipublicae certiſſima, et felicitas ſubditorum ſumma defluit. Utinamque vox illa Iuliani ad milites regentium aures hodie perſonaret! [1]) *Id ſub reverenda concilii veſtri facie ſtatuo, ut neque civilis quisquam iudex, nec militiae rector, alio quodam praeter merita ſuffragante, ad potiorem veniat gradum: non ſine detrimento pudoris eo, qui pro quolibet petere tentaverit, disceſſuro.* Hac enim cautione inſuper habita, quantis Respubl. damnis et cladibus exinde laboret, probabit Lectori ſuo Ammianus. Hinc transfugia, disceſſiones, provinciarum vexationes, urbium direptiones, nobilium everſiones proceſſerunt: hinc veri iuris germanaeque aequitatis contemptus, omniumque ordinum confuſio: quae mala omnia iudicum avidae manus, Palatinorum, Rationaliumque foedae rapacitates, et delatorum auſa feralia pepererunt. Nam, ut in plenum et ſemel dicam, nihil aliud recinit *Marcellini* Hiſtoria, quam Reipubl. caſum, et proſtratum eius ſtatum, non tam Principibus ipſis, nimium rerum ſaepe ignaris, quam miniſtris, proximis, Conſiliariis, Ducibus aut ambitioſis, aut ignavis, aut rapacibus eſſe adſcribendum: qui fere omnes morbi, et ſaeculi illius vitia, ad extremum caſum Remp. Rom. ſunt comitata. Nam aliquantis poſt Marcellinum annis *Salvianus Gallus* de vero iudicio et providentia Dei lib. II. easdem paene corruptelae cauſas agnoſcit: *Quid eſt* (inquit) *aliud dignitas omnium ſublimium, quam proſcriptio civitatum? nulla ſiquidem eſt maior pauperculorum*

i) *Lib.* XX. 5.

depopulatio, quam poteſtas. Rurſus libro v. ex illa colluvione *Bagaudarum* factiones ortas eſſe, his praedicat verbis: *De Bagaudis nunc mihi ſermo eſt, qui per malos iudices et cruentos ſpoliati, afflicti, necati, poſtquam ius Romanae libertatis amiſerant, etiam honorem Romani nominis perdiderunt. Et imputatur his infelicitas ſua; imputamus his nomen calamitatis ſuae; imputamus nomen, quod ipſi fecimus. Vocamus rebelles, vocamus perditos, quos eſſe compulimus criminoſos. Quibus enim aliis rebus Bagaudae facti ſunt, niſi iniquitatibus noſtris, niſi improbitatibus iudicum, niſi eorum proſcriptionibus et rapinis, qui exactionis publicae nomen in quaeſtus proprii emolumenta verterunt, et indictiones tributarias praedas ſuas fecerunt?* Bagaudae vel Bacaudae factio primum Ruſticorum fuit, orta ſub *Diocletiano*, et a *Maximiano* compreſſa: ſed non ita ſublata, quin cauſa motus durante, factio ad *Salviani* tempora perdurarit. Is pius Scriptor in eodem libro et aliis, Gallorum et Afrorum disceſſionis ac defectionis ad *Gothos* et *Vandalos* cauſas easdem conſignat, quas *Marcellinus* noſter tribuit *Silvani*, *Antonini*, *Firmi*, aliorumque transfugiis, defectionibus, imperiique uſurpationibus: ad quae mala ipſi ex ſola deſperatione legitimi iuris obtinendi, et quia nullum in clementia Principis haberent perfugium, compulſi adactique ſunt. Has igitur corruptelae cauſas quaecumque Resp. nutriet aut ſuſtinere cogetur, vicinam illorum temporum calamitatem, et caſum exſpectet. Non deeſſet oratio, ſi utilitates omnes Ammianeae Hiſtoriae vellem comprehendere, quae corrumpendae et conſervandae Reip. cauſas, imperiique moderate exercendi regulas continet infinitas: ſed eas malo ex eius lectione cognoſci. Nam quod haec clariſſimam facem praeferat Hiſtoriae Iuris Civilis, et Conſtitutionum Imperialium volu-

mina quae reſtant, valde illuſtret, nemo iure dubitaverit. Sane in *Ammiano* memoria conſervata eſt multorum, moresque ac dignitates indicatae, ad quos Conſtitutiones et Reſcripta data ſunt: cuius ope vitioſae inſcriptiones et ſubſcriptiones, quae toties occurrunt in Codice, perſanare non eſt difficile. Qui vero Iurisprudentiae iam in ſenium tunc vergentis faciem rugoſam videre volet, is ſumpto in manus *Ammiano* conſequetur optime. Alius autem apud eum deprehendet, quibus *Francorum*, *Burgundionum*, *Saxonum*, *Scotorum*, aliorumque populorum origines nondum ſatis compertas declaret: quam viam perſequi noſtri non eſt inſtituti. Haec, ut Lectoris novelli guſtum excitarem, eumque leviter inſtruerem, dicta ſunto. Prorogabo enim ampliorem huius Hiſtoriae collationem in tempus ſuum: ſi hoc unum repraeſentavero, nobis bona fide dolendum eſſe, *Iulianum Imperat.* acerrimum Fidei noſtrae hoſtem, non ſine cauſa iactitaſſe libro XXII. *Nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum.* Nam et eamdem paene reprehenſionem a D. Gregorio Nazianzeno in Apologetico ſuſtinuerunt tum Chriſtiani. Quid? non idem in nos iaci merito poteſt? utinamque nihil acerbius. Sed haec alias: pergam nunc ad cetera.

Genus ſcribendi ſequitur pro conditione temporum laetum ac floridum. Nihil enim ad *Livii* aut *Taciti* venuſtatem, magnificentiam, nitorem *Ammianus:* eoque ab illorum lectione digreſſus, difficiles aditus apud hunc inveniet: quo tamen facilius utuntur, qui in lectione Codicis Theodoſ. et Auctorum eiusdem ſaeculi ſunt exercitati. Nam temporis illius eloquentiam probe refert; ut vere conſtitui poſſit, *σύνεσιν πολιτικὴν* ei ineſſe, deeſſe vero quamſaepe *δύναμιν ἑρμηνευτικήν*. Tam frequenter enim coacte et anxie incedit, ut ſi indicio ſuo non

ſe prodidiſſet *Graecum*, et *militem:* facile tamen quivis iudicaret, Latinae locutionis facultatem non eſſe ei nativam, aut forenſem eloquentiam minime fuiſſe ſectatum: adeo hyperbatis, ſynchefibus, et aliis fluidae orationis naevis abundat. Sed militaris viri ſenſus quamvis incompti, tamen validi ſunt. Verba quidem fere Latina eſſe non negabit, qui linguam Latinam exiget non ad praeſentes anguſtias, ſed ad ubertatem veterem, et ad praeclara antiquorum monumenta, quibus caremus, quaeque ille viderat, ac ſtudioſe lectitaverat. Graeca pura vix interiicit niſi coactus, et cum admonitione ac praefatione. Helleniſmi ſaepius occurrunt ex temporis illius licentia. Compoſitio alias eſt conveniens Hiſtoriae, quae (inquit *Fabius*) currere debet ac ferri: alias autem in ſalebras, et aſperum ac perplexum ſermonem revolvitur, ac male ita componit, ut niſi vitium ſit in Scriptura, iure dicatur feciſſe ambiguum, quantum in ipſo fuit. Incidit etiam in illius exempli vitium, quod a Fabio profertur lib. VIII. cap. 2. cum quis dicit, *viſum a ſe librum hominem ſcribentem.* (haec eſt enim collocatio verborum Fabii.) Nam etiamſi librum ab homine ſcribi pateat; male tamen compoſuerat, inquit ille. Huic autem adfinia eſſe in *Marcellino* exempla, *Scholia noſtra* probabunt. Id et ex antedictis cauſis, et maxime propter ſegetem errorum ac mendarum, quae in eius Hiſtoria paſſim occurrunt, contingere ſolet. Verba enim inverſa, et traiecta, interruptae ſententiae, et confuſae narrationes inveniuntur ſaepiſſime, et Lectorem avertunt. Quae non tam Auctoris, quam temporis, ac deſcribentium vitia ſunt. Ea nos maxima ex parte aut ſanavimus, aut indicavimus.

Sunt qui *Marcellinum* exiſtiment, unum ex omnibus rerum Scriptoribus *Tacitum* ſibi ad intuendum et imitandum propoſuiſſe. Ego quod exem-

Digitized by Google

plar ſcribendae Hiſtoriae ſibi deſignaverit, neſcio; hoc tantum ſcio, nec verborum *Cornelii* dignitatem, nec ſententiarum lumina, nec iudicium in rerum delectu, nec ordinem narrandi, nec divinam brevitatem fuiſſe conſecutum: haec enim inimitabilia eſſe iudico. In eo tantum utrique conveniunt, quod res civiles, domeſticas, cognitiones celebres, ac pericula ſingulorum diligenter ac cum fide narrent. Cum utrumque igitur Scriptorem ſatis curioſe triverim, numquam tamen ſtudium eximium *Marcellini* in *Tacito* evolutando potui obſervare. Eſſe autem *Ammianum Tacito* uberiorem, (quod vir doctus ſcripſit) non ſtatim crediderim. Sic enim ſtatuo. Si ad Annalium libros comparationem revocemus, laxior et diffuſior *Tacito Ammianus* apparebit: quia nec ei neceſſitati ſe devinxit, ſed liberius ac ſolutius fertur. Sin vero Hiſtorias Hiſtoriis conferamus, tanto artior erit *Marcellinus Tacito*, quanto hic paucorum menſium res geſtas pluribus libris; ille annorum aliquot uno ſingulari complectitur. In univerſum inter *Tacitum* et *Ammianum*, ut cetera omittam, tantum intereſt, quantum inter *Atticos* et *Aſianos Rhetores*. Adeo noſter illo eſt tumidior ac inflatior, et cui multa detrahas: cum illi ut nihil addi, ſic nec ſine periculo deduci poſſit. Eſt enim aliqua ex parte *Marcellinus* reprehenſionibus illis obnoxius, dum *Conſtantii* Urbis ingreſſum ac pompam, ſigna militaria ſeu *dracones* deſcribit [k]): quibus ſui temporis Hiſtoricum notat *Lucianus*. Denique non dubitaverim ſuperſtui vitio in eo *Marcellinum* arguere, quod cum populi Rom. vitia, et curam nimiam ſpadonum caſtigans, de Semiramide ſobrie dixiſſet: [l]) *Quae teneros mares caſtravit omnium prima, velut vim iniectans naturae;* intulit tamen: *Quae inter ipſa*

k) *Lib.* XVI.

l) *Lib.* XIV.

Digitized by Google

oriundi crepundia per primigenios ſeminis fontes, tacita quodammodo lege vias propagandae poſteritatis oſtendit. Nam quorſum erat his opus? quae proculdubio melius reticuiſſet Auctor, et verborum inanium turbam repreſſiſſet. At vero lib. XXXII. in deploranda *Thraciarum* vaſtatione illa Fortunae adlocutio, quam pro ingenuo, paullo ante divite et libero inſtituit, qui belluae ritu trahebatur a Gothis; nonne tota ſupervacanea eſt, et luxuriantis ingenii argumentum? Nam de *ingenuis* ac *nobilibus* tractis, paullo ante ſatis dixerat: nec poteſt Lector ſuſpicari calamitatem eius *ingenui* [m]) eximiam, cuius nomen, et generis, ac domus vocabula reticet. Magis ergo poëtam, et declamatorem levem, quam Hiſtoricum tunc agere videtur. In eiusmodi cum Fortuna expoſtulationibus, et in illo tropi genere nimium ſibi placet *Marcellinus:* id enim uſurpaſſe eum in iis quos terimus libris obſervavi; alibi certe tolerabilius, illo loco ſatis importune. Hoc uno atque altero argumento ſufficiat oſtendiſſe, Graecam vanitatem etiam in noſtro *Ammiano* aliquando elucere. Quae loca Hiſtoriae conditori, cui inter ceteros ingenii libertas, et ſtili indulgentia denegata eſt, notanda, non imitanda exiſtimo; cum praeſertim bonis aliis multis leve hoc damnum in hoc Scriptore penſetur.

Rara eſt autem apud veteres Ammiani mentio, quia ſtatim poſt *Theodoſium* lapſa fuit Rom. Imperii maieſtas, et maluerunt poſteri redivivam eius memoriam excitantes, epitomarum ac defloratorum collectores ſectari, quam vivae Hiſtoriae conditores. Eoque *Paulus Diaconus*, cum ſupplementum *Eutropii* ex illo Scriptorum grege confeciſſet, *Ammianum* non attigit. Reperi tamen unum ſingulare *Marcellini* teſtimonium ex libro XIV. apud Priſcianum in libro X. cuius *in Scholiis* memini. At vero

m) *Ingenuum* heic pro quibuslibet ingenuis dixit Ammianus.

Iulius Solinus Grammaticus (nam ſic a Priſciano in VI. libro appellatur) miſcellam ſuam Hiſtoriam etiam ex hoc noſtro Auctore confecit: a quo ſumpſit quae de rebus Aegyptiis, de oſtiis Danubii, de margaritis commemorat variis capitibus. Et quamquam locos integros invertat, ac aemuletur potius, quam exſcribat: ſaepe tamen elucent propria *Ammiani* verba. Nam Solinum *Marcellino* iuniorem, licet reclamantibus aliis, qui meliora tempora ei adſignant, firmare auſim; cum ob eam cauſam, tum quod Collectaneum illud, ſive res, ſive ordinem reſpicias, nihil dignum temporibus illis quibus Solinus vixiſſe putatur, contineat; a quo meo iudicio *Marcellinus* nihil ſumere potuit, cum graviores Auctores ſequatur, non defloratores huiusmodi. Sed et in fine codicis perantiqui invenitur deſcriptus *Theodoſii* invictiſſimi Principis temporibus: quae inſcriptio primum licet integrior cum libro publicata, ſic deinde in alios translata, ſaltem indicium praebet, quando liber fuerit editus.

Quatuor omnino ſunt (in plures enim non incurri) Ammiani Marcellini Editiones, quarum ſingulae dote propria non carent. Prima eſt *Mariangeli Accurſii* viri doctiſſimi, eoque maxime nomine de litteris optime meriti: qui quos habuit debiles ac fractos Marcellini libros, bona fide publicavit. Succeſſit fauſta felixque *Frobeniana* Editio, codicis Hirſfeldenſis beneficio, ſtudio *Sigismundi Gelenii* viri doctiſſimi, quatuor his libris auctior, XXVII. XXVIII. XXIX. et XXX. ac lacunarum multarum exſiccatione politior; in ſumma locis non paucis caſtigatior, melioris codicis ope. Quam aemulatus *Robertus Stephanus*, oculus alter typographiae, verſura facta libri quem credidit XXXI. a *Mariangeli* Editione, characterum elegantiam et voluminis facilitatem adiecit. Hos ſequutus *Sebaſt. Gryphius*, ſpectatiſſimus etiam bonorum librorum Editione,

melioris codicis ope multa ſanavit, fracta reſtituit, clauſulas integras, unde nemo ſuſpicaretur deerrantes reduxit, et trigeſimi libri finem primus invulgavit: ut ex omnibus *Marcellini* Editionibus (ſi operarum quaedam errata, et aliquot vitia male diſſimulata, quamvis ab aliis detecta et inſinuata, excipias) illa ceteris omnibus hodie uberior ſit, et diligentiae maioris. Unde tamen acceſſionem pararit, diligenti aliarum collatori non erit obſcurum. In his tribus poſterioribus iam in acta ſancitis exemplaribus, deſidero maxime curam et diligentiam veſtigia veteris ſcripturae, quantumvis perverſae, bona fide referendi: quod egregie *Mariangelus* in libri ſui Editione praeſtiterat. Hoc enim ſtudium occaſionem praebet poſteris coniectandi ſaepe veriora, quam quae receperint Editionum procuratores. Quo etiam genere laudandi *Beatus Rhenanus*, *P. Victorius*, aliique non pauci, qui et coniecturis ſagaciſſimis Auctores repararunt, et enixa ſua diligentia etiam ipſos ſcripturae apices, naevos, lituras, maculas repraeſentarunt: ut poſt tantorum virorum manus, veteres ſchedas taedioſe revolvere non ſit neceſſe; ſed ex illorum fide et cura cuique liceat metere fructum curationis, Auctori ipſi gratiſſimum. Itaque polliceri auſim, quod ſi mihi antiquum exemplar, quantumvis ab aliis tritum, oblatum fuiſſet, aut ſtudio et precibus conſequi illud potuiſſem, pleraque in hoc Scriptore ab aliis inobſervata deprehendiſſem: non quod fideliores aliis oculos habeam, ſed quia *in quo prato* (inquit Seneca) *nonniſi lacertam alter invenit, poteſt alter leporem capere.* Porro *Mariangeli*, *Stephani*, et *Gryphii* Editiones unus error habet, quod librum Ammiani trigeſimum primum eſſe profiteantur, qui eſt trigeſimus ſecundus: idque ſic colligent mecum Lectores candidi. Nam cum ultra librum illum verbum Hiſtoriae ſuae non addiderit Ammianus,

Digitized by Google

quam veluti ſigno impreſſo verbis apertiſſimis clauſit: neceſſe eſt ſtatuamus, quae ſe in praecedentibus profeſſus eſt poſtea ſcripturum, in ſequentibus comprehendiſſe; niſi memoria defectum *Marcellinum* quis audeat adfirmare: quod a me non fiet. Itaque cum libro XXVIII. reiecerit in ſubſequentes libros *Maximini* illius feralis Praefecti Praetorio, et aliorum damnationem, quae in exſtantibus non apparet, cum XXXI. deperiiſſe manifeſtum eſt. Sic enim Marcellinus ea de re: *Namque (ut poſtea tempeſtive dicetur) et idem Maximinus, ſub Gratiano intoleranter ſe efferens, damnatorio iugulatus eſt ferro, etc.* Cum igitur *Gratiani* res mortuo *Valentiniano* lib. XXXI. deſcriberet, illam *Maximini* et aliorum mortem, ac alias plerasque res Occidentis in eum coniecerat. Nam mortuo *Valentiniano*, et translatis rebus, multa eveniſſe credendum eſt in Palatio, in Urbe, in Galliis, quae non omiſiſſet Marcellinus, diligentiſſimus in his expediendis et condendis. Praeterea Orientis res, et quae circa *Valentis* palatium evenerunt fratre vel vivo adhuc, vel mortuo, ſilentio male involviſſet, ſi nimio feſtinandi ſtudio motum Gothicum morti *Valentiniani* ſtatim copulaſſet: cum praeſertim *Theodori* quaeſtio in ea aula duraret adhuc, pluresque ea de cauſa caederentur; ac inter ceteros *Theodoſius* Comes illuſtris, futuri poſtea Principis pater, cuius nobilem mortem iuſſu *Valentis* n) apud Carthaginem acceleratam, ſine piaculo tacere non potuit Auctor. De ea Oroſius aliique, ſed maxime Paulus Aquilegienſis his verbis: *Occidebantur itaque Theodori, Theoduli, Theodoti, et quicumque has literas* ΘΕΟΔ *in capite nominis ſui habuiſſet; inter quos etiam Theodoſius vir fortis, et ex Hiſpania provincia genus ducens, pater Theodoſii qui poſt Imperio praefuit,*

n) *Gratiani* potius. Nam Valenti Carthago non parebat. Valeſ.

fuit, occiſus eſt, etc. Reputet interim Lector inter *Valentiniani* et *Valentis* exitus tres annos interceſſiſſe: quo tempore in variis orbis partibus multa contigerunt, praeter Gothicum motum, et *Argentuarienſem Gratiani victoriam*, *Ammiano* contra morem indicta incelebrataque. Ipſum ſane primum libri ultimi caput et initium iungi trigeſimi fini non poteſt, nam ſic incipit: *Interea Fortunae volucris rota, adverſa proſperis ſemper alternans, Bellonam Furiis in ſocietatem adſcitis armabat.* Ecquae enim proſpera intelligit? non ut puto *Valentiniani* mortem, quae potius inter adverſa deputari debuit, quia motibus Barbarorum cauſam dare potuit. Magis veriſimile eſt in deperditi libri extremo retuliſſe Ammianum, quod Reip. laetum et proſperum eſſet. Id vero quid fuerit, et Occidentis, an Orientis rebus adſcribendum, quia divinare non poſſum, in medio relinquo. Illarum igitur quatuor Editionum collatione (nam antiquiſſimae aut primae numquam fui particeps) inſtructi, ac verborum et rerum penſitatione non incurioſa, Auctorum denique variorum lectione adiuncta, quintam hanc recenſui et confeci; dedique operam ne vitioſior eſſet aliis progenies. Ad *quingentos* ſane, et quod excurrit, *locos*, eam repurgare ſtudui, confuſos alios diſtinxi, luxatos reduxi, obſcuros illuſtravi, mancos indicavi; nec omnium tamen *in Scholiis* meminiſſe potui. Lectio ipſa, dummodo ingenua, deprehendet novae curae ſolatia, et commodius quam antea nobilis haec volvetur ac tractabitur Hiſtoria. Utinamque hac Editione provocati boni et eruditi viri, *Marcellini* libros amiſſos, quos habent *ex Reginaldi Poli Cardinalis ampliſſimi Bibliotheca*, (ut fama tenus accepi) aliquando edant, et ſigilla ingrata reſignent. Nunc ad *Cornel. Tacitum*, quem iamdiu a nobis locis innumerabilibus emendatum, et commentariis auctum

Digitized by Google

ſtudioſe premimus, maiore conatu et paratu invulgandum deſcendo, idque breviſſime, niſi qua ſors propoſitum interpellarit, adcurabo; in eamque rem ſubſeciva noſtra ſtudia dedico.

STATUS REIP. ROM.

SUB

CONSTANTINO M. ET EIUS FILIIS.

Duo ſunt praeter iam tradita, quae ad Ammiani lectionem praeparant, et ad eius Hiſtoriam facilius adſequendam deducunt; Reip. ſcilicet forma ob oculos poſita, quae tunc fuit, ac praecedentis hiſtoriae nexus, ſive narrationis eius coniunctio, quam intercepit vetuſtas, et in qua deſinebant Ammiani libri priores. In Reipubl. conſtitutione ad *Conſtantini* tempora praecipue reſpiciendum eſt; qui faciem eius invertit, novosque Magiſtratus ſuppreſſis aliis adiecit, et novas dignitates primus adinvenit. Oneravit enim Remp. inutili officiorum ac dignitatum turba. Nos vero ſtrictim ac ſummatim (quod ſatis ſit Auctori noſtro) omnia perſequemur; quia amplior huius rei digerendae et explicandae ratio alium locum et aliud tempus poſtulat. *Conſtantinus Magnus* Byzantio ampliato, et in ſui nominis urbem verſo, (cauſam Zoſimus fere ſolus exponit lib. II.) alteram Imperii ſedem aemulam Romae conſtituit, ut quemadmodum Roma Occidentis, ſic Conſtantinopolis Orientis Imperii locus eſſet. Primus enim antehac unum et ſingulare, Romanum Imperium diſcidit, ornamentis eius eo-

dem pro parte translatis. Haec nova rerum facies et diviſio traxit aliam in Rempubl. commutationem, et totam magiſtratuum, ac veteris adminiſtrationis ſive civilis ſive bellicae rationem pervertit. Nam duplex quodammodo Imperii caput duplices etiam magiſtratus exigebat; quos ille ſemel ab inſtitutis veterum devius, ad ſuum arbitrium et pro captu temporum informavit; provincias aliter deſcripſit; diſciplinam militarem longe ſecus conſtituit. Fatendum tamen eſt, multa eum recte in civilibus emendaſſe, ac bono conſilio ex horrida antiquitate pleraque mutaſſe: denique Iurisprudentiam clariorem ſimplicioremque reddidiſſe. Nam quod praeter ceteros Chriſtianae rei contulerit, quantumque pomoerium eius auxerit, et quo ſtudio naſcentes errores ſuffocare curaverit, monumenta Eccleſiaſtica loquuntur. Sed non perſequar, in quas laudes aut reprehenſiones inciderit: ſignabo tantum quid animadverterim poſt eius tempora, in illa bicipiti Republica circa poteſtates obſervatum.

Ex Ammiano, Zoſimo, libris Legum, et aliis Auctoribus deprehendo, ita per haec tempora poteſtates in utroque Imperio tributas, ut aliae civiles eſſent et ordinariae; aliae militares; aliae palatinae; aliae municipales. Civiles et ordinarii magiſtratus, ſive Iudices, erant Praefectus Praetorio, Praefectus Urbi, tam Romae, quam Conſtantinopoli, (hic enim circa Conſtantini tempora primus inſtitutus eſt, ut Caſſiodorus in Chronico ait) eorumque Vicarii. His adde alios Romae magiſtratus. Erant etiam ordinarii, Comes Orientis, ceterique provinciarum rectores, ſive Conſulares, ſive Correctores eſſent. Comitis Orientis (inquit Zoſimus lib. v.) ea poteſtas eſt, ut qui eam gerit, omnibus provincias Orientis adminiſtrantibus praeſit, et quaecumque non aguntur ut par eſt, emendet. At Praefectus Praetorio, ait idem lib. II. magiſtratus

poſt Imperatorem ſecundus exiſtimabatur. Conſtantinus Magnus eum magiſtratum, cum antea duo eſſent, in quatuor imperia discerpſit, ut unus eſſet Praefectus Praetorio Orientis, alter Illyrici, tertius Italiae, quartus Galliarum. Quam vero late ſingulorum iurisdictiones patuerint, idem Zoſimus et alii tradunt: ex quibus unus ſemper in comitatu Auguſti aut Caeſaris videtur fuiſſe, pro ratione loci in quo Princeps verſabatur. Idque ex Ammiano non uno loco deprehendi. Sane et ex eodem Auctore conſtat, duas huius distributionis Praefecturas Praetorianas uni aliquando commiſſas. Nam lib. XXVI. Mamertinus dicitur initio Imperii Valentiniani rexiſſe poteſtate Praefecti Italiam et Illyricum. Horum omnium ordinariorum miniſtri et officiales Apparitores dicuntur paſſim, qui et Scholam et Principem habent, quem Apparitionis Principem appellatum hic legimus.

Militarium magiſtratuum, qui et Caſtrenſes appellantur Ammiano, alii peditum, alii equitum Magiſtri dicebantur; uterque Magiſter armorum ab Ammiano ſaepe nuncupatur. In Codice utroque etiam militum Magiſtri appellantur. Hi portionem poteſtatis veterum Praefectorum Praetorio habebant, nempe diſciplinae militaris cuſtodiam, et ius gladii in milites, quos etiam ordinabant, ut Zoſimus ait. Equitum Magiſter dicitur a Marcellino lib. XXVIII. equitum copias tueri: idem ergo de Magiſtro peditum dici poterit. His autem exercitus potiſſimum committebantur; hi magnarum et arduarum expeditionum duces deligebantur: cuius rei exempla in hac Hiſtoria ſunt non pauca. Habebant et hi Apparitores, ut civilis Magiſtratus, quorum in Iure non obſcura mentio: habebant et Protectores aliquando, ut poſtea dicemus. Militum porro alii in exercitu erant; alii in limitibus et praeſidiis excubabant; alii in comitatu Auguſti,

Digitized by Google

aut Caeſaris verſabantur. Ex his alii Protectores Domeſtici, et corporis principalis cuſtodes erant, unde nomen Protectorum ſortiti ſunt, ait Imp. L. 9. C. Th. de Domeſtic. et Protect. Alii legiones Comitatenſes conſtituebant. Hi numeros; illi Scholam habebant, ac perinde Comitem, Tribunum ac Primicerium ſive Primum. Nam ut Primicerius diſtinguitur a Tribuno lib. XVIII. huius Hiſtoriae, ubi hic fit ex illo: ſic a Tribuno Domeſticorum ſeparatur Comes lib. XX. Ex Tribuno enim fiebat Comes: ut Bonifatius ille, ſcriptis Divi Auguſtini notiſſimus, cum antea Tribunus fuiſſet, poſtea Comitivam Domeſticorum aſſumpſit poteſtatem, ut idem ait Epiſt. LXX. et magnis legionibus imperitavit. Et horum quidem Protectorum pars equites, pars pedites fuerunt: ut in Vita Ammiani adnotavi, in cuius Hiſtoria Domeſtici non alii ſunt, quam Protectores Domeſtici. Erant enim et alii Protectores; non tamen Domeſtici, quia domum Principalem non ſectabantur, ſed bellicis expeditionibus inhaerebant: qui paribus privilegiis ac Domeſtici donantur ab Imperatoribus L. IX. C. Theod. de Dom. Protect. Credo enim ex illis ſumptos fuiſſe, ſic ut miſſi in longinquas expeditiones, Domeſtici eſſe deſinerent, Protectores non item. Talis fuit Ammianus, cum Urſicinum in Oriente et in Gallis comitaretur: tales alii, qui Ducibus aliis adſcripti erant. Sic enim et Antoninus quidam dicitur Protector Meſopotamiae Ducis lib. XVIII. Hi ergo Protectores abſolute dicuntur; illi nunc Domeſtici tantum, nunc Domeſtici Protectores, nunc Domeſtici Praeſentales L. VI. C. de Advoc. diverſ. iud. appellantur. Eoque fit, ut ſaepe in Iure ſeparentur et diſtinguantur toto Tit. C. de Dom. et Prot. L. XXXIX. C. Th. de Decur. Iuſtin. Edicto VIII. etc.

Sequuntur Palatinae dignitates, in quarum numerum refert Ammianus Magiſtrum Officiorum, et Comitem Sacrarum Largitionum: quibus addendi Quaeſtor, Comes rei Privatae, ſive patrimonii Principis, Comes Sacri Palatii, Comes Conſiſtorii, Praepoſitus Cubiculi, quos omnes Palatinorum appellatione comprehendit Marcellinus lib. XXII. At vero lib. XIV. omnes omnino intelligit ea nuncupatione, qui in Palatio verſabantur extra milites. Ambroſius Epiſt. XXXIII. Apparitores, aliosque dignitatum Palatinarum miniſtros ea appellatione comprehendit. *Palatina* (inquit) *omnia officia, hoc eſt Memoriales, Agentes in rebus, Apparitores diverſorum Comitum, temperare a proceſſu iubentur.* Magiſter Officiorum, cui omnes Palatii ordines ſuberant, et ſub eius erant diſpoſitione, ut Zoſimus in multis locis ait, habuit nihilominus et Scholam propriam, in qua qui militabant, Agentes in rebus dicuntur paſſim: quorum alii Comites, id eſt Scholae Praefecti; alii Principes, id eſt primi inter Agentes, L. 1. C. de offic. Mag. Offic. numquam, quod ſciam, Primicerii. Erant et alii inter eos gradus, de quibus non eſt nunc dicendi locus. Quamquam autem ipſe Magiſter Officiorum, quinimmo Comes Sacrarum Largitionum inter Agentes numerentur in 1. C. Conſtitut. idemque de Comite rei Privatae cenſendum ſit; tamen officium, ſive miniſtri Magiſteriae poteſtatis dignitas hanc ſibi ſingularem appellationem vindicat. Ambroſ. 11. Offic. c. XXIX. *Legebatur reſcripti forma; directio Magiſtri Officiorum ſtatuta; Agens in rebus imminebat.* Quaeſtor, qui Conſtantinianus etiam Magiſtratus fuit, preces et ſanctiones condebat, et ut ait Zoſimus libro V. dictabat quae Principi viderentur. Hic non habuit Scholam, ſed ſumpſit Adiutores de ſcriniis: ut vir ſtudiorum gloria nobiliſſimus Iacobus Cuiacius I. C. praeceptor et amicus

noſter, docuit in libros poſteriores Codicis. Comitibus Sacrarum Largitionum, ac rei Privatae qui imminent, et in eorum Scholis militant, Palatini ſpeciali vocabulo dicuntur, generis appellatione ſpeciei aptata: ut praeter Titulum proprium in Cod. utroque, probat Imperatoris Conſtitutio, L. *Nullum.* C. de offic. rect. provinc. in qua legendum *imminere*, non *minuere:* ut quidam male ſuſpicantur. Nihil enim eſt aliud imminere, quam Apparitoris officio fungi: quo alludens Horatius ait: *Iam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna:* quaſi quae Apparitoris vice tunc fungeretur. Ex Palatinis, qui Comiti Largitionum apparebant, *Largitionales;* qui vero Comiti rei Privatae, *Privatiani* in Conſtitutionibus appellantur. Ammianus illos ſemel *Apparitores* appellavit: meminit etiam frequenter *Rationalium*, qui in ſingulis erant provinciis, et ſuberant *Comiti rei Privatae* L. III. C. de bon. vacan. Itaque a Rationali ad Comitem rei Privatae appellari ſolet, L. XXVI. C. Theod. de appellat. Occurrit frequens Notariorum mentio apud Ammianum, quorum erat honoratiſſima militia, et privilegiis non parvis decorata: qui notis acta Conſiſtoriana excipiebant, et eiusmodi cognitionibus intererant. Nam lib. XIV. in cognitione narranda ſubdit: *Aſſiſtebant hinc inde Notarii, quid quaeſitum eſſet, quidve reſponſum, curſim ad Caeſarem perferentes.* Et lib. XXII. de Pentadio Notario: *Cui id obiectum eſt, quod a Conſtantio miſſus, notis excepit, quae propinquante pernicie ſuper multis interrogatus reſponderat Gallus.* Eo fit, ut Exceptores dicantur, cum in Iure, tum apud alios Auctores. Hi erant ſub dispoſitione Magiſtri Officiorum, argumento inſcriptionis L. II. C. lib. XII. de Primicerio, et Secundar. et Notar. quorum Schola Tribunum et Primicerium habuit. Tribuni ſunt, qui a Marcellino noſtro, a D. Ambroſio,

Digitized by Google

et aliis dicuntur Tribuni et Notarii, quasi diceres Notariorum Tribuni: qua ratione Comes et Magister accipiendus pro eo, qui inter Comites Magister est, argumento inscriptionis L. IV. C. de Offic. Praefect. Praetor. Orient. Primicerius Notariorum, cuius forma est apud Cassiodorum, dicitur primus Notariorum in hac Historia. Erant praeter hos et alii dignitatum tituli primum a Constantino inventi, quo inter plures honores partiretur, ut Eusebius Caesarienſis initio lib. IV. de vita eius scriptum reliquit. Quomodo enim Iulius Caesar post civiles victorias Civitatem, et Curiam Rom. pluribus victoriae participibus communicavit, et honores eos vulgavit: sic etiam Constantinus, post Maxentium et Licinium devictos, praemia victoriae haec dignitatum commenta fecit. Harum aliae vacantes et honorariae erant, aliae in actu positae. Tunc igitur primum ista honorum vocabula invecta sunt, Comitis et Comitivae, Magistri et Magisterii, Patriciatus et Patriciorum, Nobilissimatus et Nobilissimorum; nomina quidem ante nota, sed eo sensu inaudita. Comites enim nihil aliud sunt, quam Praefecti, sive Praepositi: plusque est Magistrum esse, quam Comitem. Ammianus lib. XXVI. de Equitio: *Nondum Magister, sed Comes.* et paullo post: *Eodem Equitio aucto Magisterii dignitate.* Omnis igitur Magister erat Comes; non contra. Itaque legimus, ut dixi, has appellationes, Comes et Magister, id est, inter Comites Magister. Comitum porro non unum genus est: nam gradibus distinguebantur, sic ut alii primi, alii secundi, tertiique ordinis essent, quorum aperte in Constitutionibus mentio. De Patriciatus honore ita Zosimus lib. II. *Eum honoris titulum Constantinus excogitaverat, lataque lege sanxerat, ut qui eum consecuti essent, supra ipsos Praefectos Praetorii sessitarent.* Meminerunt et alii non pauci. Nobilissimatus

dignitas videtur propria peculiarisque fuisse iis tantum, qui agnatione aut propinquitate Imperatorem ipsum contingebant: quod antiqui nummi, in quibus dignitatis huius clara expressio, ipseque Zosimus eodem volumine probant.

Municipalium porro dignitatum et ordinum haec distinctio videtur illis temporibus obtinuisse, ut alii Curiales, alii Sacerdotales, alii Principales, alii Defensores essent. Curiales etiam Decuriones appellantur, qui manifeste a Primoribus et Defensoribus separantur, L. III. Cod. Theod. de Pagan. ac in varia munia dividuntur, quae gradatim subibant. Invenio enim ex his quosdam vel Praepositos horreorum fuisse, vel Praepositos pacis, aut Susceptores diversarum specierum, L. XXXXIX. Cod. Theod. de Decur. sive Exactor. annonarum, L. un. C. de Magist. Munic. denique aliis muneribus, quorum obscura sunt nomina, praefectos. Ex his cum quidam essent inferiores, quidam maiores, ordine decursis inferioribus, fiebant vel Sacerdotales, vel Principales, L. VI. C. Theod. de Decur. Hinc toties videmus Decuriones, et Principales separari, L. V. L. XXXIX. Cod. Theod. de Decur. Principales etiam appellantur Primarii in iisdem Constitutionibus. Et eos esse puto, quos reverendi ordinis Duces Ammianus nuncupat lib. XIV. Ex his erant, qui Patronorum dignitatem adipiscerentur, L. LXI. C. Theod. de Decur. Interque Principales crediderim fuisse, quos Aediles nominabant, cum videam coniungi Sacerdotalibus in libro XXVIII. his verbis: *Occisis Decurionibus multis, inter quos Rusticianus Sacerdotalis, et Nicasius enitebat Aedilis.* Aediles enim in municipiis dici iam notum est. Hi ergo non unius loci, sed omnium municipiorum et Civitatum principalem gradum sustinebant. Nam in quibusdam municipiis tantum Aediles fuisse, quod eruditi contendunt, firmare non ausim. Ae-

diles dicebantur, quod aedificiorum publicorum et privatarum aedium curam haberent, ut Sacerdotales, qui ſacrorum. De Aedilibus Curialibus intelligenda L. II. C. Si ſervus, aut libert. ad Decur. aſpir. lib. X. Puto etiam Duumviros, ſive Magiſtratus inter Principales numeratos fuiſſe, quia in decurſu munerum patriae vetat Imperator a Duumviratu, vel Sacerdotio incipere, L. LXXVII. C. Theod. de Decur. Hi a numero ſic dicuntur, Iudicesque ſunt, et Decurionum ex ordine ſumebantur, L. III. C. Quando provoc. Defenſores autem, Syndici ac velut publici delatores erant, quia comperta referunt: quemadmodum Duumviri relata iudicant, aut plectunt, L. XII. C. Theod. de pag. ſacrif. et templ. Illi tamen etiam de quibusdam iudicabant, L. I. C. de Defenſ. Quemadmodum et Duumviri Syndicorum munera ſubibant. Itaque et negotium procuratoribus iniungunt, puta tutoribus, procuratoribus, curatoribus, L. V. Si quid. ff. Quod vi, aut clam. Unde vero ſumerentur Defenſores, et quae eſſet officii eorum ac iurisdictionis forma, Iure Civili manifeſtatur, d. Tit. C. de Defenſ. civit. Novell. XV. Haec breviter de poteſtatibus Ammianeorum temporum a nobis dicta ſunto: ex quibus Reip. illius forma colligi, aut ſaltem adumbrari poterit. Nam totam cuiusque dignitatis rationem perſequi, noſtri non eſt inſtituti: quod ex Notitia Romani Imperii, quamvis Theodoſiana tempora magis reſpiciat, itemque ex ſexto et ſeptimo libro Variarum Caſſiodori, et Cod. I. et XII. Iuſtiniani, aliisque Auctoribus repetendum cenſeo. Nam praeparare, non explere Lectorem, nobis initio conſtitutum fuit.

Digitized by Google

FR. LINDENBROGI I. C.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

HISTORIARUM *cognitio, cum per ſe res delectabilis ſit: tum vero cuicumque in celebritate et luce publica verſanti maxime utilis neceſſariaque. Sed ne caeco quodam iudicio atque profani vulgi errore decepti, falſa pro veris amplectamur, et inſuper habitis melioribus in deterioribus occupemur, delectu maxime opus eſſe nemo ſanus negabit: eosque Scriptores praeferendos, qui non tam oratione vinnula ac venuſtula aures legentis oblectent, ceterum a rebus ſteriles ſint atque inanes, quam qui ſapientiae praeceptis rerumque graviſſimarum exemplis informare animum poſſint.*

Eo in numero iure meritoque collocandum cenſeo Ammianum Marcellinum, Auctorem ſerium et ingenii elegantis: quem non magis in manibus hominum verſari miror, immo indignor. Cuius ſi integra hiſtoria exſtaret, quam a Nervae principatu ad Valentiniani et Valentis Impp. obitum perduxit, eſſet profecto qui aliorum iacturam aequiore animo ferremus. De rebus ſane maiorum noſtrorum a Taciti aevo natum Scriptorem habemus neminem, qui memoriae aut plura, aut exactiora tradiderit. Quippe non audita narrat, ſed viſa; nec ab aliis ſaltem acta; ſed quibus ipſemet ſaepe interfuit, laborum particeps periculorumque: qui et ſtipendia adverſus Germanos meruit, et pleras-

Digitized by Google

que Germaniarum partes luſtravit: quo nomine ut Germanus merito illum amo. Praeter omnifarium doctrinarum genus quo deliciatur, ſententiis creber eſt et aptus; conſiliorum diligens obſervator: nec publica tantum et cuivis in oculos incurrentia, ſed arcana quoque et quae intra aulam, ut dicitur, notat, iudicio minime vanus. Niſi quod in multiplicibus illis regionum deſcriptionibus, rerumque naturalium disquiſitionibus paene intempeſtivis in leges hiſtoricas nonnihil videtur peccare: quorum alterum philoſophi proprium; alterum periegetici eſt, et orbis ſitum narrantis.

De ſtilo eius, quem neſcio qui ſcholaſtici vituperant, ſic ſentio. Durus ille quidem et aſper, ſi cum Auguſti aevo conferatur: at vero ornatus et ſuas habens veneres, ſi poſteriora tempora et ſaeculum Auctoris, originemque eius et ſectam ſpectes. Qui cum Graecus natione eſſet, et caſtra ſequeretur, caſtrenſi, immo aulica quoque dictione uſus eſt. Nam et ipſi Imperatores, et qui in Comitatu eorum elegantiores videri volebant, ita tum loquebantur. Tamen ut in ſenticeto roſae nonnumquam et lilia ſuccreſcunt; ita in eius ſtili aſpritie velut floſculi quidam elegantiarum urbanarum apparent, qui cum Livianis de iure Latinitatis oppido certare poſſint: unde neque Priſcianus Grammaticus veritus eſt auctoritate eius uti. Itaque ſi minus interdum placet et obſcurus eſſe videtur: obſcuritates non adſignemus culpae ſcribentis, ſed inſcitiae non aſſequentis, ut apud A. Gellium Sex. Caecilius inquit. Robur addunt inſcitiae corruptelae, quibus adeo turpiter interpolatus hactenus fuit, ut ipſius ſeſe, ſi poſtliminio mortis in vitam animaretur, credo ſaepiſſime non intelligeret. Idcirco inpenſe operam dedi, uti quae mendoſa ſunt, quantum eius fieri potuit, tollerem, obſcura illuſtrarem.

Et mendorum quidem foediſſimorum naevos innumeros demſi, ope membranarum adiutus, quarum fragmenta vetuſta penes me haud ita olim in Galliis fuere. Quibus acceſſit codex Florentinus, qui in Bibliotheca S. Marci adſervatur: non ille quidem valde vetuſtus; ex vetuſto tamen, eoque haud malo ut apparet exemplari deſcriptus. Illum calente tum ſidere caeleſtis Leonis, ut aeſtus ardorem miti ſeceſſu vitarem, totum in Marciana aede accurate contuli: ſine quo ſi fuiſſet, manum numquam operi admovere ausus eſſem. Atque etiamnunc aliquammulta vitia haerent, quae altius radices egiſſe videntur, quam ut facile exſtirpari poſſint.

In Obſervationibus id potiſſimum adniſus ſum, non ut ſingularem emendationum rationem per minutias redderem: longum id fuiſſet, et cui bono? ſed quae haud ita facile ab omnibus intelligi poſſe putabam, vel ab aliis Hiſtoricis lucem deſiderabant, ea ut explicarem: breviter omnia et veluti per indicem tantum ostendens, quid cuique inſervire maxime poſſit. Quod ſi commode ſub manus ceſſit, ſat eſt: certe haec operae impenſae ſumma eſt. Feliciter.

C. G. HEYNII

PROLUSIO

CENSURAM ET INGENIUM HISTORIARUM AMMIANI MARCELLINI CONTINENS.

(Ad indicenda facra anniverfaria inaugurationis Georgiae Aug. Kal. Sept. 1802.)

Ammianus Marcellinus, fi non arte, fide tamen et auctoritate graviffimus fcriptor eorum temporum, quae cognitu utiliffima videri poffunt fcire cupientibus, quae, poft facra chriftiana ab ipfis principibus publice fuscepta, rerum mutatio, et melioris doctrinae vis ad hominum vitam, mores et imperii adminiftrationem fuerit. Quis enim non expectet, in vita cum privata tum publica, poft abolitas fuperftitiones et receptas doctrinas, ad vitam fancte pieque agendam rerum fummam revocantes, et magnam et in melius mutationem effe factam? Enimvero hiftoriarum monimentis ingenuo ftudio excuffis mala et vitia priftina malis et vitiis novis aucta non meliorem, fed deteriorem vitae publicae privataeque conditionem intuliffe, ipfis rerum eventis docti non fine dolore et indignatione difcimus. Iniquum tamen effet, omnia ea ad novas re-

Digitized by Google

ligiones earumque miniſtros referre, qui a praeceptis ſaluberrimis mortalium ſtudia ad doctrinarum ſpinas ac ſentes opinionumque ludibria avocare malebant; dominationis enim male conſtitutae erant mala, principum ignaviae et imperitiae, faſtusque peſſimo exemplo ex oriente illati, eunuchis et ſpadonibus in aulas receptis, aſſentatorum artibus principem tanquam reti circumdatum undique urgentibus, et ab omnium bonorum et prudentum virorum alloquio prohibentibus; munerum civilium et militarium partibus male confuſis, ex aulicorum iudicio et optione, prout avaritia et dominandi cupiditas ſuadebat, mandatis, et ex eorum voluntate adminiſtratis. Inter haec omni luxus et libidinis genere ab aulicis et potentibus in vulgus manante, ſenſus et mores hominum ad bona, vera et recta ſtudia occalluerant; ingeniis partim ad levia et frivola abiectis, partim per calamitates publicas efferatis, et ad liberalium litterarum ſtudia obtuſis. Ita evenit, ut ii quoque, qui diviniore ingenio et generoſiore indole inſtructi bonis litteris operam dediſſent, ex ſaeculi faecibus multa contraherent, quibus ingenia alioqui praeclara foedarentur; nihil enim eſt, quod difficilius animis evellitur, quam errores ex puerili inſtitutione et publico communique ſaeculi exemplo ſuscepti; alioqui enim, res niſi ipſa probaret, quomodo putabimus fieri potuiſſe, ut ii quoque, qui optimis litteris imbuti erant, auguriis, ominibus portentisque fidem haberent, aut magicarum artium efficaciam aliquam eſſe ſibi perſuaderent? Huic pernicioſae perſuaſioni, tantum abeſt ut funditus tollendae profuerit, ut potius ei firmandae et per ratiuncularum commenta fundandae inſervierit philoſophia ſubtilior et ſanc ior Chriſtianorum doctrina.

Utinam ſervati eſſent integri *Ammiani Marcellini* libri XXXI. rerum geſtarum inde a principatu

Nervae [a]) usque ad exceſſum Valentis, per decurſum annorum 282. ab A. C. 96. usque ad a. 378. Quae eorum reſtat pars a libro XIV. ad extr. XXXI. complectitur Conſtantii acta inde ab anno imperii XVII. Galli, Iuliani, Ioviani, Valentiniani, Valentis; qui ſunt anni fere XXV. ab A. C. 353. ad a. 378. qua Valens Gothos bello adortus in fuga periit; unde apparet, fortuna aliqua propitia partem operis potiorem eſſe ſervatam; nam in libris XIII. prioribus, qui interiere, non niſi ſtrictim expoſitae eſſe potuere res ſuperiorum temporum ex aliorum memoratione; in iis autem, quae ſervata ſunt, hiſtorici Ammianus vere et proprie nomen ac perſonam ſustinet partesque explet, narratis iis, quae ipſe vidit aut ab iis, qui interfuerant, comperit. Militavit [b]) in cohorte Urſicini, Magiſtri militum, ſummi eorum temporum viri, cum eodem ad opprimendum Silvanum in Gallias profectus (Lib. XV. 5.) et in Meſopotamiam adverſus Perſas (Lib. XVIII. 6.) mox Iuliani quoque in Perſas expeditioni interfuit. (Lib. XXIV. pr.) Ad acta publica provocat libro XVI. extr. Narrat autem eo cum candore, ut facile agnoſcas virum probum et prudentem, rerum uſu verſatum nec literarum expertem [c]); nec narrat niſi

a) Quid eum adduxerit, ut ab hoc tempore initium ſcribendi duceret, non conſtat; poteſt videri Suetonii vitas continuare voluiſſe: cuius tamen in his, quae ſuperſunt, nulla fit memoratio, ut nec Taciti; neque ullum aut lecti aut imitatione expreſſi veſtigium occurrit; memorat Salluſtium; Ciceronem et Maronem laudat ſaepius.

b) Eum inter Protectores domeſticos adſcriptum fuiſſe aiunt. De his ac reliquis, quae de Ammiani vita disputantur, vide in Chiſletii libello de vita Ammiani Marcellini.

c) Memoratu digna ſunt, quae ipſe de ſe profeſſus eſt in fine Libri XXXI. qui et operis finis eſt: *Haec ut miles quondam et Graecus, a principatu Caeſaris Nervae exorſus, ad usque Valentis interitum pro virium explicavi menſura; opus, veritatem profeſſum, nunquam, ut arbitror, ſciens ſilentio tauſus corrumpere vel mendacio. Scribant reliqua potiores, aetate doctrinaque florentes; quos id, ſi libuerit, aggreſſuros,*

niſi ea, quorum notitiam iuſtam habuerat, non autem omnia eorum temporum acta; ut, ſi vere rem aeſtimare velis, in multis commentarios potius quam hiſtoriam ſcripſiſſe dicendus ſit; ita de ſe nonnulla interponit, inprimis in rebus Perſicis, et Amida oppugnata et capta, quae in magno hiſtoriae corpore locum vix haberent. Si quid eſt, quod magnopere deſiderandum eſſe putamus, eſt, quod non meliore ſaeculo vixit et ſcripſit Ammianus, quo liberalior inſtitutio, exemplorum, quae ſequeretur, prudentior dilectus, oratio purior et ſtili maior ſimplicitas, cum dignitatis hiſtoriae ſubtiliore iudicio ſuppetebat. At iſta aetate bona latinitas a nativa ſimplicitate et elegantia deſciverat in orationem turgidam et faſtu inflatam, mixta poeticorum troporum audacia, lyricaque inſolentia cum pedeſtri ſermone; nec rerum narrandarum ſeverius iudicium et dilectus ſuppetebat, aut in iis, quae vulgaris ſuperſtitio iactabat, ſubtilior indagatio. Bonorum ſcriptorum exemplo paſſim digreſſionibus utitur, ſed ambitioſe quaeſitis, partim alienis, ex interpretatione eorum, quae in naturae eventis inſolitis occurrunt, parum opportune, plerumque infeliciter, arceſſitis. Sanum tamen iudicium et felix ingenii ſagacitas, quoties nec docta rerum ſcientia deſtituitur, nec falſa ſaeculi perſuaſione corrumpitur. Itaque in rerum geſtarum conſiliis, modis, cauſſis nec acumen nec prudentiam deſideres; in moribus (nos characteres appellamus) deſignandis eximius paſſim artifex; ut Conſtantii (Lib. xxi. 16.) Iuliani; (xxii. 14. et xxv. 4.) nonnulla interdum urbane et ſalſe perſtringens; ut Conſtantium *imperatoriae auctoritatis cothurnum ubique cuſtodientem*, et oris maieſtatem ſtatu corporis immobili affectantem; cum itaque ille curru Romam inveheretur —

ros, procudere linguas ad matores moneo ſtilos. Scilicet elegantiam et dignitatem orationis quaerebant tum in ſtili tumore. Iam ſenem ſe haec ſcripſiſſe aperte declarat, et docet idem memoratio ſeriorum eventuum paſſim iniecta. Intra Iuliani Imp. res et tempora continere ſe ab initio voluiſſe ſignificat Libro xxvi. pr. ne notiora apponeret; partim quoque ne periculoſum eſſet vera ſcribere, partim, ſi propoſitum teneret et potiora tantum apponeret, ne videretur multa praeteriiſſe.

talem se tamque immobilem, qualis in provinciis suis visebatur, ostendens; nam et corpus humile curvabat, portas ingrediens celsas, et velut collo munito rectam aciem luminum tendens, nec dextra vultum nec laeva flectebat, tanquam figmentum hominis; non, cum rota concuteret, nutans, nec spuens, aut os aut nasum tergens vel fricans, nianumque agitans visus est nunquam (Lib. XVI. 10.) aut ut magistrum armorum Lupicinum exhibet, *supercilia erigentem ut cornua, et de tragico, quod aiunt, cothurno strepentem* (Lib. XX. 1.) cui similes homines videre meminimus. Nec illepidum est, quod de Constantio dicit: *doctrinarum diligens affectator: sed cum a rhetorica per ingenium deflexeretur obtusum, ad versificandum transgressus, nihil operae pretium fecit;* cuius dicti transferendi opportunitas haud infrequens se etiamnum offert. Dignus omnino scriptor, cui meliore apparatu instructa recensio dudum obtigisset; sed obstitit superiorum aetatum studium ex critica magis et verbis gloriam quaerens, quam ex rebus illustrandis; etsi operam luculentam in hoc scriptore iam positam esse haud abnuerim. Multa illo habet non aliunde nota, alia praeclara et cognitu utilia, aut cum aliis utiliter comparanda, inprimis, quae ad aetatum dominationis luxu corruptarum morem et usum cognoscendum sunt opportuna. Ea, quae ad historiam temporum spectant, exposuere cum alii enarratores historiarum, tum Tillemont, Lebeau et Gibbon, cuius narratio gravitatis, qua celebratur, multum ex Ammiano mutuata est, minus conspicua in sequentibus. Alia ad Codicem Theodosianum sunt illustrata a doctis commentatoribus. Nos pro consilii nostri ratione enotabimus pauca, quae temporum hominumque ingenia et mores declarare possint; adiiciemus alia, quae singulari aliqua de caussa notabilia esse visa sunt.

Omnino si quis corruptelas omnis generis, quae aulas et palatia potentum obsident, cognoscere volucrit, si artes adulantium, tortuosos in gratiam principis irre-

pentium meatus et cuniculos, imminentium in mutua exitia aulicorum ſtudia, blanditiarum tetra commenta, quibus princeps a palatina cohorte circumveniri ſolet, ſi quis, adſpectu vani faſtus, tetrarum curarum, et anxietatis invidentium metuentiumque, contemtum et miſerationem cum indignatione animo vult concipere ex cogitatione infinitarum calamitatum, quae ex his paucorum pravis ſtudiis in omnem publicam rem promanant, ita ut tributis et vectigalibus exhauſta regna et provinciae opibus virisque ſpoliatae in ſolitudines vertantur: ſi quis, inquam, haec voluerit tanquam in tabula propoſita cognoſcere, is adeat Ammiani libros, quibus Conſtantii principis res expoſitae ſunt. Nutu ſuo omnem ſe terrarum orbem quaſſare putans, ſerviliter obnoxius erat aſſentatorum voluntatibus; in ſummo rerum faſtigio conſtitutus muliebri tamen vanitate leviſſimis decoribus ſuperbiens, plaudentium, immodicarum quamvis, laudum avidiſſimus, alienarum muliebriter impatiens, in [d]) ſuſpiciones et formidines miſere pronus; ita maliguis ſuſurris patulas aures praebens, bonis obſtruebat viris, quos a principis occurſu arcere, alienatam ab iis mentem odio et ira inflammare, offenſas ementiri, inter aulicorum artes habetur. Ita quoque Iulianum Caeſarem in ſuſpiciones et periculum vitae adduxerant, ut ſaluti ſuae conſulere ſe aliter non poſſe videret, quam ut periculo ipſe obviam iret, et ex confeſſo ſe inimicum monſtraret. Hisce obtrectationibus criminantium et accuſationibus cupide admiſſis, tandem ad incredibilem ſaevitiam prolapſus, delatorum malitiae et aviditati optimi cuiusque ſalutem vitamque praedae paratae loco, in quam involarent, permiſit. In Galli Caeſaris palatio, ſtimulante uxore, ad muliebres ſimultates et odia proclivi, aulicorum artes occultius graſſabantur, clandeſtinos rumores deferendo, comminiſcendo falſa aut in deterius verſa et interpretata, etiam ea, quae clam

d) Lib. XIX. 12. *ut erat anguſti pectori, obſurdeſcens in aliis — in hoc titulo* (rerum genere) *ima, quod aiunt, auricula mollior, et ſuſpicax et minutus, acri ſelle concaluit.*

in penetrali ſecreto a patre familias uxori in aures eſſent ſuſurrata. At Valentiniani Auguſti animus veneficiorum et artium magicarum terroribus percuſſus ad aliud ſuſpicionum genus converſus per delatorum fraudes ſuppliciis tormentorumque cruciatibus ſaeviebat promiſcue. In Conſtantii palatio ſpadonum et eunuchorum magna erat potentia: quibus ſemel in aulam inductis, quicquid rectum iuſtumque habetur, excluſum expulſumque eſſe, recte dixeris; cum muliebri enim impotentia dominandi cupiditas et avaritia horum hominum animis inſidebat; iidem inter miniſteria vitae ſecretioris per arcanos ſuſurros principis auribus nutrimenta omnis ſuſpicionis inſtillare poterant. Plura horum hominum, et in his Euſebii, cubiculo praepoſiti, ſcelera commemorat, et in hoc portentorum genus invehitur Ammianus multis locis (ut XIV, 11. XVIII. 5.) unde prodigii inſtar viſus erat honeſta ſequens Eutherius cubiculi praepoſitus (de quo multis agit XVI. 7.) et monſtri inſtar apparuit ipſe Iulianus, qui, ſi qua alia re, falſu principali e palatio eiecto, magna illa in ſe hominum odia concitavit: turbam enim inutilem in miniſterio imperatoris repererat incredibilem adito imperio, coquos quidem, memorante Libanio, mille, totidem tonſores, pincernas autem plures, miniſtrorum omnis generis examina, quae Ammianus (XXII. 4.) *vitiorum omnium ſeminarium* appellat; *paſti enim ex his quidam*, Chriſtiani ſcilicet, quos Libanius diſertius declarat, *templorum ſpoliis, et lucra ex omni odorantes occaſione, ab egeſtate infima ad ſaltum ſublati divitiarum ingentium, nec largiendi, nec rapiendi, nec abſumendi tenuere aliquem modum, aliena invadere ſemper adſueti: unde fluxioris vitae initia pullularunt, et periuria, et nullus exiſtimationis reſpectus* etc. Celebratum eſt, quod de Iuliano narratur; *evenerat iisdem diebus, ut ad demendum imperatoris capillum tonſor veniri praeceptus, introiret quidam ambitioſe veſtitus. Quo viſo Iulianus obſtupuit; ego, inquit, non rationalem* (procuratorem

credere licet, etsi varia huius nominis fuere ministeria) — *interrogatus tamen ille, quid haberet ex arte compendii,* stipendium memorat longe lautissimum. *Unde motus, omnes huiusmodi cum coquis,* similibusque aliis — *data, quo velint, eundi potestate proiecit.*

Alia res, quae Ammiani lectione attentiore animum insigniore modo advertit, est mira superstitionum vis ad mentes humanas, pro cuiusvis saeculi indole ad certa genera procliviores. Etsi enim veriore christianae luce doctrinae omnes tum Imperii Romani terras collustrante, occaecati tamen hominum animi praedictionum, ominum, prodigiorum, magicarum artium ludibriis non minus tenebantur, quam antea patriis religionibus antiquae persuasionis auctoritate has superstitiones firmantibus; quid? quod ipsa philosophia, vano superstitionum principio, quod omnino inficiandum erat, imprudenter admisso, tantum rationes et causas commentitias circumspiciebat, quibus doctrinae vanitas stabiliretur. Adeoque ii, qui in ceteris omnibus inter se acerrimis dissidiis odiisque distinebantur, pagani, Christiani et philosophi, in una eaque vanissima re inter se conspirabant, ut prodigiis et miraculis fidem haberent. Cuius erroris memorabile exemplum una cum Iuliano Imp. noster est Ammianus: iste quidem philosophiae fanaticae a Maximo propinatis poculis inebriatus, hic autem, ipsius principis anilem superstitionem ridens, non tamen dubitat vulgatam famam de rerum futurarum praedictionibus et per omina ac prodigia significationibus gravissimarum rerum narrationi ubique inserere. Nisi experientia doceret, vix fidem inveniret haec in eiusdem hominis animo iudiciorum discordia in rerum paritate. In consiliorum eventorumque caussis et rationibus acute videns, quidque per intercedentes causas varietur, bene intelligens, ab inutili tamen praedictione eventa repetit, haud dubie pleraque ex evento ipso aut ficta aut in memoriam revocata; etsi probabile sit, a superstitiosis hominibus in ipso re-

Digitized by Google

rum aditu minima quaeque notata esse, quae aut bonum aut malum successum significare vulgo crederentur, ex iisque post eventum ea, quae ipsi evento respondèrent, iactata esse. Nihil saltem est, in utramque fortunam vel paullulum membrabile, cuius non omen aliquod antegressum etsi levissimum memoretur. In eadem superstitione mirationem facit hoc, quod etiam illi, qui, ante rerum incepta, auspicia captabant, siniſtris tamen haud deterriti coepta peragebant, aut iterum alia aliaque captabant, donec incideret aliquid, quod pro omine exoptato haberi posset. Verum in toto hoc genere nihil est, quod cum ratione ulla idonea factum esse dici possit, multo minus in ipsa ominum interpretatione. Quis a viro prudente exspectet adscripta Lib. XIX. 12. extr. *tunc apud Daphnen — visu relatuque horrendum natum est monstrum, infans ore gemino, cum dentibus binis et barba, quatuorque oculis et brevissimis duabus auriculis; qui partus ita distortus praemonebat, rempublicam in statum verti deformem. Nascuntur huiusmodi saepe portenta, indicantia rerum variarum eventus: quae, quoniam non expiantur, ut apud veteres, publice inaudita praetereunt et incognita.* Philosophia hoc ipso in perniciem hominum vertebat, quod vanarum superstitionum firmamenta nova ex suarum opinionum commentis suppeditabat. Videre refert subtiles et argutas ratiunculas, quibus evincere se credit Ammianus (Lib. XXI. princ.) sapienti viro contingere utique posse arcanam futura praenoscendi artem; quod si semel admiseris, nihil est in hoc genere, quod refellas. Eodem modo numinum religiones antiquas tuebantur philosophi, et miris argutiis veteres mythos interpretabantur: cuius studii quoque vestigia aliquot in Ammiano occurrunt, ut de Adrastea Dea (Lib. XIV. 11.) de Genio, unicuique nascenti assignato (XXI. 14.) et *Mercurium*, ait, *mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem, theologicae prodidere doctrinae* (Lib. XVI. 5.).

Curioſe quaeſitum eſt, uti de aliis, ita quoque de Ammiano, fueritne profeſſione Chriſtianus nec ne. Eſt tamen obvia res in lectione ſcriptorum iſtius temporis, e prudentioribus plerosque nec patrias religiones abieciſſe nec novas damnaſſe, ſed in his quidem pro ſuorum ingeniorum facultate probanda probaſſe. Ita Ammianus, ut Iuliani ſuperſtitiones, ex philoſophia temporum et obtrectandi cupiditate ſusceptas, improbat (XXII. 12. et XXV. 4.) et, Georgium Alexandrinum antiſtitem Chriſtianum, *profeſſionis ſuae oblitum, quae nihil niſi iuſtum ſuadet et lene, ad delatorum auſa feralia deſciviſſe* (XXII. 11.). Idem Conſtantium ait *Chriſtianam religionem abſolutam* (planam, diſerte enuntiatam) *et ſimplicem anili ſuperſtitione confudiſſe, in qua ſcrutanda perplexius, quam componenda gravius, excitavit diſcidia plurima; quae, progreſſu fuſius, aluit concertatione verborum: ut catervis antiſtitum, iumentis publicis ultro citroque discurrentibus per ſynodos, quas appellant, dum ritum omnem ad ſuum trahere conantur arbitrium, rei vehicularis ſuccideret nervos;* (XXI. extr.) recte hactenus ad mores animi et conſilia factaque et vitam referens meliorem doctrinam, modo non ipſe aliis ſuperſtitionibus ſuccubuiſſet.

Supereſt nunc, ut enotemus nonnulla memorabilia, in ſcriptore a paucis lecto tanquam latentia; et in his quidem primo ea, quae per *digreſſiones* ſunt inſerta; quas Ammianum nonnunquam intempeſtive affectaſſe iam ſupra monitum eſt. Sunt eae ſane diverſi generis, aliae enim terrarum populorumque deſcriptiones continent; quas inter geographicas et hiſtoricas exercitationes referre poſſis; aliae ad phyſicas, cum rerum naturas et cauſſas exponit, in his quidem ſcientiae ſubtilitate parum plerumque inſtructus. Ex hoc genere, ut ab his ordiamur, ſunt loca ſequentia: Lib. XVII. 7. ubi Nicomediae clades narrata eſt, de motibus terrae eorumque cauſſis; — Lib. XIX. 4. de lue in Amida obſeſſa orta et de peſtilentiae cauſſis; — Lib. XX. 5. de

defectu ſolis diuturniore in orientalibus plagis a. 360. omninoque de defectuum ſolis cauſſis. — De arcu caeleſti XX. 11. — de cometis XXV. 10. — de palmarum maritandarum arte XXIV. 3. — Cereviſiae genus, *Sabaiae* nomine in Illyrico habitum XXVI. 8. *Eſt autem ſabaia ex hordeo vel frumento in liquorem converſis paupertinus in Illyrico potus* — de anno Romano XXVI. 2. — Utiliora ſunt prioris generis disputata, in quibus ſunt loca: Lib. XIV. 4. de Saracenorum moribus (h. e. Arabum nomadum: cf. XXII. 15.) — Lib. XV. 9. ſ. Galliae tractus et ſitus ex Timagenis fide, rhetoris et hiſtorici aetatis Auguſteae — Lib. XVII. 12. de Sarmatarum moribus, ſimillima iis, quae de nonnullis Aſiae noſtra aetate narrantur, et hoc quoque, quod de Scythis et Sarmatis Strabo memorat VII. p. 480. equis eos uti caſtratis. — Lib. XXXI. 2. de Hunnis et Alanis, nota inter hiſtoricos loca. — Lib. XXII. 8. de ſitu Pontici ſinus, h. e. Ponti Euxini inde ab Hellesponto periplus. — Lib. XXVII. 4. regionum Thraciae recenſus. — Lib. XXII. 14. 15. de Aegypto et Nilo, belluisque et ceteris animantibus, ubi ſignificat, ſe res Aegyptiacas iam ante in rebus Hadriani expoſuiſſe. Quibus addit quaedam de Aegyptiorum ingeniis Lib. XXII. 6. et c. 16. extr. Tum Lib. XXIII. 6. de regno Perſarum, multis inſertis, quae audita acceperat. Utinam in ipſa Iuliani expeditione geographicas rationes ſubtilius exegiſſet! Antiquitatis militaris curioſis accepta eſſe poteſt XXIII. 4. expoſitio machinarum obſidionalium, balliſtae, ſcorpionis, helepolis, malleolorum. Luculentiſſima ſunt loca de Romanorum vita et moribus XIV. 6. et XXVIII. 4. in hoc quidem Senatorum primum, tum plebis: in iſto luxus omnino divitum, in cuius apparatu multa occurrunt notabilia. Ita in carrucis altioribus et ambitioſo veſtium cultu ſummum decus ab iis poſitum videmus, *lacernis pluribus, tenuiſſimo filo textis*, corpori circumdatis, animalium figuras intextas exhibentibus, (*varietate licio-rum effigiatae in ſpecies animalium multiformes*). Po-

Digitized by Google

tentium patrocinia et ſtudia praeripiunt, qui curruum et equorum agitationes, aut artem teſſerariam profitentur, aut ſecretiores artes ſe noſſe fingunt: *homines autem eruditos et ſobrios, ut infauſtos et inutiles vitant.* Ita corruptelarum ſimilitudinem videas per omnium temporum hiſtorias, virtutum perraro. Adde Lib. xxx. 4. de cauſſidicorum pravis artibus; etſi deſultorie narrata. Inter alia locus de iis eſt: *e quibus ita rudes ſunt nonnulli, ut nunquam codices ſe habuiſſe meminerint; et, ſi in circulo doctorum auctoris veteris inciderit nomen, piſcis aut edulii peregrinum eſſe vocabulum arbitrantur.*

Subiiciemus his pauca memorabilia e diverſis locis notata: Antiochiam *lucernis per vias diſpoſitis* noctu lucentibus inſtructam legimus Lib. xiv. 1. *in urbe, ubi pernoctantium luminum claritudo dierum ſolet imitari fulgorem.* — Ad *commerciorum ex India* pauciſſimas notitias accedit locus xiv. 3. *Batne, municipium in Anthemuſia* (Meſopotamiae) *conditum Macedonum manu priſcorum, ab Euphrate flumine brevi ſpatio disparatur*, (disiungitur) *refertum mercatoribus opulentis; ubi annua ſollennitate prope Septembris initium menſis, ad nundinas magna promiſcuae fortunae convenit multitudo ad commercanda, quae Indi mittunt et Seres, aliaque plurima vehi terra marique conſueta.* Sunt haec Palmyrae calamitate ſeriora. — De *obeliſco Conſtantii cura Romam advecto*, et in Circo Maximo poſito xvii. 4. memorare, tanquam de re nota, nihil attinet. — Ex libro xxi. extr. patet, *Conſtantium triumphales arcus ex clade provinciarum ſumtibus magnis erexiſſe in Galliis et Pannoniis, titulis geſtorum affixis.* — Lib. xvi. 10. in ingreſſu Conſtantii in urbem memorantur aedificia et ornamenta publica, quae tum adhuc ſuperfuiſſe ex his conſtat. — Memorabile eſt, quod xv. 8. de more militari narratur: cum Iulianum Caeſarem a Conſtantio dictum audiſſent, *milites omnes horrendo fragore ſcuta genibus illidentes: quod eſt proſperitatis*

(assensus) *indicium plenum: nam contra, cum hastis clipei feriuntur, irae documentum est et doloris; immane, quo quantoque gaudio, praeter paucos, Augusti probavere iudicium:* videmus diversitatem pulsorum clipeorum parum notam. — Novum exemplum arcani nuntii missi, membranae scriptae notarum figuris, in vaginae internis absconditae XVIII. 6. — In motu terrae per Bithyniam, quo eversa est Nicomedia, notabilis erat ingens fragor ventorum et procellarum incumbentium, cf. XXVI. extr. cum alias aëre sine motu librato metus anxietatem iniiciat. — Ad naturas animantium spectant haec XVIII. 3. linquentes orientem anseres ob calorem, *plagamque petentes occiduam, cum montem penetrare coeperint Taurum aquilis abundantem, timentes fortissimas volucres rostra lapillis occludunt, ne eis eliciat vel necessitas extrema clamorem; iisdemque collibus agiliore volatu transcursis proiiciunt calculos, atque ita securius agunt,* et Lib. XVIII. 7. de leonibus Mesopotamiae excaecari solitis, cum culices palpebris insidentes amolituri oculos unguibus effodiunt. — Ad ea, quae de craniorum diversa duritie inter Persas et Aegyptios in Herodoto III. 12. legimus, addi possunt sequentia ex Libro XIX. 9. extr. pugna facta cum Persis numerus utrinque caesorum paullo post ita initus est, *quod* Romanorum *cadavera mox fatiscunt et defluunt, adeo ut nullius mortui facies post quatriduum agnoscatur; interfectorum vero Persarum inarescunt in modum stipitum corpora, ut nec liquentibus membris, nec sanie perfusa madescant, quod vita parcior facit, et, ubi nascuntur, exustae caloribus terrae.* Verum revocandus est calamus currens de similibus enotandis, ne videamur *pro sportula coenam rectam praebuisse.* P. P. in Georgia Augusta pridie Kal. Septembres cIↃIↃcccII.

Digitized by Google

COMMENTARIUS
IN
AMMIANUM MARCELLINUM.

LIB. XIV. C. I.

1. *Poſt emenſos inſuperabilis expeditionis eventus*] Intelligit bellum, quod cum Magnentio, vario Marte in partibus Galliae geſtum fuit. Etenim *ingentis Romani Imperii vires ea dimicatione conſumtae ſunt, ad quaelibet externa idoneae.* Eutrop. lib. x. c. 12. Qui tandem diverſis praeliis victus, καὶ πανταχόθεν ἀποροῦμενος θάνατον ἐθελούσιον σωτηρίας αἰσχρᾶς ἔμπροσθεν ἐποιήσατο. Zoſim. lib. II. 53. Socrat. Hiſtor. Eccleſ. lib. I. cap. XXXVII. Sozom. lib. IV. cap. VI. Nicephor. Calliſt. lib. IX. cap. XXXIII. Qua victoria pop. Rom. laetus publice honorem Conſtantio habitum ivit; uti id in partem indicat haec Inſcriptio vetus: RESTITUTORI URBIS ROMAE ATQUE ORBIS ET EXSTINCTORI PESTIFERAE TYRANNIDIS D. N. FL. IUL. CONSTANTIO VICTORI AC TRIUMPATORI SEMPER AUGUSTO NERATIUS CEREALIS V. C. PRAEFECTUS URBI VICE SACRA IUDICANS D. N. M. QUE EIUS. LINDENBROGIUS. Ultimum, quo debellatus Magnentius eſt, praelium conſertum eſt A. C. 353. ad montem Seleucum, Galliae Narbonenſis (Departement de l'Ain) urbem, cuius urbis nuper rudera, inter quae egregia optimeque conſervata muſivi operis lithoſtrota, detecta ſunt. v. Leipz. gel. Anz. 1804. Intellig. n. 41. S. 654. W.

Per ſtationes hibernas] Ita Mſ. ut et lib. 16. *Milite diſperſo per ſtationes hibernas.* LINDENBROGIUS. Nam praelium ad montem Seleucum commiſſum erat die 10. Auguſti. W.

rebus communibus] i. e. rei publicae. τῷ κοινῷ. Sic XXVI, 6. 3. ad *communia* regenda evectus Iovianus. W.

Caeſaris Galli, qui ex ſqualore nimio miſeriarum] Notat hic Zoſimus vafritiem Conſtantii Imp. qui Gallum ſpecie quidem Perſis reſiſtendi, reapſe autem, ut eo facilius eum e medio tolleret, in participatum Imperii vocavit. Idem de Iuliano Amm. lib. XVI. 11. 13. *Rumore tenus ubique iactabatur, quod Iulianus non levatuxus incommoda Galliarum electus eſt, ſed ut poſſit per bella deleri ſaeviſſima.* Eunapius Sard. in Maximo: (p. 94. Commelin.) πεμφθεὶς δὲ Καῖσαρ (Iulianus) ἐπὶ Γαλατίας, οὐχ ἵνα βασιλεύῃ τῶν ἐκείνῃ μόνον, ἀλλ' ἵνα ἐν τῇ βασιλείᾳ διαφθαρῇ. Sozomen. lib. 5. cap. 2. *Zonar. tom. 3. pag. 18. Καίσαρα δὲ τοῦτον ἀναγορεύσας ὁ αὐτοκράτωρ Κωνστάντιος, εἰς Γαλλίας ἐξέπεμψε μετ' ὀλίγων πάνυ στρατιωτῶν, ὡς ὑπόνοιαν ἐντεῦθεν ἐγγίνεσθαι, ὅτι οὐ κοινωνὸν τῆς

ἀρχῆς τὸν Ἰουλιανὸν ὁ Κωνστάντιος εἵλετο, ἀλλ' εἰς ἐπιβουλῆς αὐτῷ πρόφασιν τὸ σχῆμα περιέβαλε τὸ τοῦ Καίσαρος, ἵν' ὑπὸ τῶν πολεμίων διαφθαρῇ, μὴ ἔχων δύναμιν πρὸς τὸν κατ' ἐκείνων πόλεμον ἀξιόχρεων. *Conſtantius Imper. eum (Iulianum) iam Caeſarem, cum paucis omnino militibus in Gallias ablegavit: ut inde ſuſpicio naſceretur, Iulianum non delectum eſſe Imperii collegam, ſed ad diſſimulandas inſidias habitu Caeſareo ornatum eſſe, ut paribus tanto bello copiis non inſtructus, ab hoſtibus caederetur.* Sic Nero Rubellium Plautum in Aſiam ſpecie tutioris iuventae: Othonem in Luſitaniam per ſpeciem honoris ſepoſuit: et Galba Virginium ab exercitibus Germaniae ſecum abduxit. Vid. Tacit.* Sic Rufinus Galli Caeſaris avunculus ad ſedandos ob annonae caritatem tumultuantes milites miſſus fuit, ut hoc inſidiarum genere periret. Amm. lib. XIV. 10. 5. Et Urſicinus contra Silvanum mittebatur, ut ita interimeretur, ne ſupereſſet ſcrupulus impendio formidandus. Ammian. lib. XV. 5. 19. Sane non raro ludunt hunc luſum viri magni, ut exemplis aliis antiquis et novis doceri poſſet, niſi periculoſum. Vide Gruteri Diſcurſ. Polit. lib. 2. pag. 124. etc. LINDENBR. Reineſio notante pro *nimio* (ſqualore) Accurſius habet *imo*, Boxhornius *infimo;* Cod. Vatic. ex *immo.* Squalor autem de eo intelligendus, quod, exſtincta Conſtantiniana omni familia, ſolus cum fratre Iuliano ſervatus, illiberaliter tamen habitus, et ab omni hominum conſortio excluſus, cum ſolis magiſtris delituerat in fundo Macelli, in Cappadocia ſito. v. XV. 2. 7. W.

aetatis adultae] Annos fere 26. natus ad dignitatem Caeſaris, et Orientis imperium provectus, undetricelimo vitae anno occiſus. v. infra c. 11. §. 27. W.

Principale culmen] Sic *principalis cognitio*, apud Tryphoninum l. fin. ff. ubi pup. educ. *Principalis auctoritas*, Papinian. l. 50. ff. de heredib. *Principalia arma*, Vell. Paterc. lib. 2. LINDENBR.

Gentilitate Conſtantini nominis] Legendum *Conſtantii nominis.* Aurel. Vict. c. 42. *Magnentius fratri Decentio Gallias: Conſtantius Gallo, cuius nomen ſuo mutaverat, Orientem Caeſaribus commiſerant.* Cedren. p. 246. Κωνστάντιος τὸν ἀνεψιὸν Γάλλον Καίσαρα ἀναγορεύσας, καὶ Κωνστάντιον μετονομάσας, ἐν τῇ ἀνατολῇ ἀπέστειλεν. Socrat. Hiſtor. Eccleſ. lib. 1. cap. 27. *Gentilitate* autem dixit, ut inf. c. 9. §. 4. *Epigonius et Euſebius ob nominum gentilitatem oppreſſi.* Lib. XXV. 5. 6. *Gentilitate prope perciti nominis.* Cicero in Topicis 29. 6. *Gentiles ſunt qui inter ſe eodem nomine ſunt.* IDEM.

Gentilitateque etiamtum Conſtantini nominis efferebatur in faſtus.] Legendum puto *Conſtantii nominis,* aut potius *Conſtantiani nominis.* Gallus enim Caeſar dictus eſt *Conſtantius Gallus,* quum a Conſtantio Aug. Caeſar factus eſt: ita ut non ſolum propinquitate Conſtantii Aug. et dignitate Caeſaris, ſed etiam matrimonio ſororis Imperatoris, ac eiusdem appellatione, ſive *Conſtantii* nomine gloriaretur ac tumeret. A Conſtantio autem non fit *Conſtantinus,* ſed *Conſtantianus.* VALESIUS. Conſtantius erat, qui et affinitate et cognatione Gallo erat iunctus. Itaque Conſtantiniano nomini per Conſtantium et Conſtantinam iunctiſſimus. Quod ideo monendum, ne viri doctiſſimi, qui mutant hic aliquid, audiantur. Ideo enim Conſtantinianum, non Conſtantianum nomen poſuit ſolertiſſimus auctor, ut utrumque ſimul complecteretur. Accedit liber ſcriptus, cuius varias olim Ioanni Opſopoeo

ſtudioſiſſime enotatas poſſidemus. CASP. BARTHIUS lib. XLV. adverſar. c. 11. Ita vero eſt: non tam enim propinquitate Conſtantii elatus fuit, quam quod ad magnum illum Conſtantinum, patruum, genus referre poſſet. Hoc Ammianum voluiſſe, *τὸ etiam tum* iubet ſuſpicari. v. etiam Tillemont Hiſt. des Empereurs edit. Brux. 1709. T. IV. P 2. p. 1108. W.

2. *Cuius acerbitati uxor grave acceſſerat incentivum.*] Idem de hac foemina ſcribit Zonaras his verbis, quae prope putes ex Marcellini hiſtoria translata. *τὰ δὲ τῆς ἑῴας ἐταράττετο μοίρας, ὁ Γάλλος γὰρ τῷ εὐτυχήματι ἐπαρθεὶς ἐπεὶ ἐν Ἀντιοχείᾳ ἐγένετο, βαρὺς τοῖς ὑπ' αὐτὸν προσεφέρετο, κακουμένοις πολυειδῶς πρὸς αὐτοῦ, ἔχοντος καὶ τὴν ἀμόζυγαν πρὸς τοῦτο αὐτὸν ἐρεθίζουσαν.* Id eſt: *At Orientis partes erant afflictae. Quippe Gallus rebus ſecundis elatus, cum Antiochiam veniſſet, in ſubditos ſaevire coepit, eosque multifariam divexare: quam ad rem coniux etiam ei ſtimulos admovebat.* VALES. *Incentivum* de perſonis et alibi. XXII, 11. 5. XXVI, 6. 7. W.

Hannibaliano Regi] Regem vocat Amm. quem alii *Nobiliſſimum*. Ad quam dignitatem qui promoti, participes quodammodo Imperii erant, et iam Caeſarianae maieſtatis velut deſignati heredes. Itaque purpurea quoque veſte, quae ſolum Principem decet, utebantur. Zoſim. lib. II. c. 39. *συνῆρχον αὐτοῖς* (puta Conſtantino, Conſtanti, atque Conſtantio) *τρόπον τινὰ Δαλμάτιος Καῖσαρ ὑπὸ Κωνσταντίνου κατασταθείς, ἔτι δὲ καὶ Κωνστάντιός ἀδελφὸς ὢν αὐτοῦ καὶ Ἀναβαλλιανὸς ἐσθῆτι χρώμενοι κοκκοβαφεῖ καὶ περιχρύσῳ, τῆς τοῦ λεγομένου Νωβελισσίμου παρ' αὐτοῦ Κωνσταντίνου τυχόντες ἀξίας αἰδοῖ τῆς συγγενείας.* Conſentanea his Photius C P. in Bibliotheca ſua ex Olympiodoro ſcribit: *Οὐαλεντιανὸς, ὃς ζῶντος μὲν Ὀνωρίου Νωβελίσσιμος γίνεται.* Et pag. 114. (edit. Aug. Vindel. 1601.) *Ἐπιλαμβάνει αὐτὴ* (Placidia) *μὲν τὸ τῆς Αὐγουστης, ὁ δὲ Οὐαλεντινιανὸς τὸ τοῦ Νωβελισσίμου ἀξίωμα.* * Marcellinus Comes Indictione v. Mavortio ſolo Coſ. anno Regiae urbis conditae CXCVII. *Iuſtinus Imp. Iulianum ex ſorore ſua nepotem, iamdudum a ſe Nobiliſſimum deſignatum, regni quoque ſui ſucceſſorem creavit.* Nobiliſſimi hi aequiparari poſſunt iis, quos Galli vocant *Princes du Sang.* * Apud Scaevolam l. 3. ff. de natal. reſtit. *Sanctiſſimus et Nobiliſſimus Imperator* vocatur M. Antoninus: l. 11. C. de Transactionib. *Impp. Valerianus, Gallienus, A. A. et Valerianus Nobilis Caeſar:* l. 4. C. de privileg. eor. *Honorio N. B. P. et Evodio Coſs.* Inſcriptio vetus in Britann. OB HONOREM PHILIPPI IMPERATORIS NOBILISS. SEMPER AUGUSTI ET PHILIPPI CAESARIS NOBILISSIMI. Quo titulo etiam gaudebant Principum filiae et ſorores, l. fin. C. Theod. de luſtr. conl. *Si ad domum Dominae ac venerabilis Auguſtae Pulcheriae germanae noſtrae, ſeu Nobiliſſimarum ſororum pietatis noſtrae pertineat.* Et in alia Inſcriptione: IULIAE NOBILISS. PUELLAE FILIAE GALLIENI AUG. LINDENBR.

HannibalIiano Regi] (cf. Gibbon 4, 178. ff.) Regis vocabulum non hic nudam Nobiliſſimi dignitatem ſignificat, ut putavit Lindenbrogius. Hannibalianus enim revera Rex Ponti, Cappadociae et Armeniae minoris a Conſtantino eſt creatus, indutusque chlamyde coccinea, Caeſaream Cappadociae miſſus eſt Iulio Conſtantio et Rufio Albino Coſſ. ut Auctor Chronici Alexandrini memorat. *Κωνσταντίου καὶ Ἀλβίνου. καὶ Ἀνιβάλιον ῥῆγα προχειρισάμενος ἐνέδυσε κοκκηρὰν χλαμύδα, καὶ κατὰ Καισάρειαν τῆς*

Καππαδοκίας ἀπέστειλε. Idem refertur in Excerptis Mſſ. de Geſtis Conſtantini, infra ad calcem §. 35. quorum exemplar mihi communicavit Iacobus Sirmundus, vir de ſanctioribus iuxta et humanioribus literis optime meritus. *Dalmatium filium fratris ſui Dalmatii Caeſarem fecit: eius fratrem Annibalianum, data et Conſtantiana filia ſua, Regem Regum et Pontîcarum gentium conſtituit.* In Victoris autem Epitome 61. ſic habetur: *Delmatius Thraciam Macedoniamque, et Achaiam habebat: Anniballianus Delmatii Caeſaris conſanguineus Armeniam nationesque circumſocias.* Accedunt et nummi veteres, in quibus Hanniballianus Rex nuncupatur, quorum unum penes ſe habet vir Cl. doctiſſimusque Iohannes Triſtanus Sanctamantius: alterum nobis oſtendit R. P. Iacobus Sirmundus, in quo ſculptum erat: FL. HANNIBALLIANO REGI. VALES.

Fratris filio] Fuit Hannibalianus filius Dalmatii, qui frater erat Conſtantini Magni: quod, praeter Excerpta illa de Geſtis Conſtantini quae proxime adduxi, docet Auſonius de Profeſſoribus Burdigalenſ. Carmine 18. de Exſuperio, 17, 8. edit. Floridi:

Narbo inde recepit.
Illic Dalmatio genitos, fatalia Regum
Nomina, tum pueros, grandi mercede docendi,
Formaſti Rhetor metam prope puberis aevi:
Caeſareum qui mox indepti nomen, honorem
Praeſidis, Hiſpanumque tibi tribuere tribunal.

Fl. Iulium Dalmatium Nob. Caeſarem, et Fl. Hannibalianum Regem intelligit, qui erant Dalmatii Cenſoris filii. Sic enim Auctor Chronici Alexandrini: καὶ Δαλμάτιον τὸν υἱὸν ἀδελφοῦ αὐτοῦ Δαλματίου τοῦ Κένσωρος Καίσαρα ἀνηγόρευσε. Id eſt: *Dalmatium, fratris ſui Dalmatii Cenſoris filium, Caeſarem creavit.* Athanaſius quoque in Apologia ad Conſtantium Aug. pagina 782. Dalmatium hunc Cenſorem vocat his verbis: γράφει δὲ Κωνσταντῖνος εἰς Ἀντιόχειαν Δαλματίῳ τῷ Κήνσωρι ἀκοῦσαι περὶ τῆς τοῦ φόνου δίκης. ὁ τοίνυν Κήνσωρ ἐπιστέλλει μοι παρασκευάσασθαι πρὸς ἀπολογίαν. Quae Athanaſii verba Socrates lib. 2. Hiſt. Eccl. et Theophanes de Dalmatio Caeſare perperam accepit. Nam Dalmatius tum quidem temporis nondum Caeſaris dignitatem acceperat. Quae enim eo loci ab Athanaſio referuntur de iudicio caedis et calumnis Euſebianorum, geſta ſunt, antequam Synodus haberetur in urbe Tyro. Ea autem Synodus habita eſt conſulatu Conſtantii et Albini: ſub cuius anni exitum Dalmatius a patruo Caeſar eſt declaratus. Quare quae ibi ab Athanaſio memorantur, de Dalmatio Caeſare nullatenus intelligi poſſunt. Ceterum et illud notandum eſt, Dalmatium eum, qui cum Zenophilo Conſul fuit, non eſſe hunc Cenſorem, ſed eius filium, qui tertio poſt anno Caeſar eſt factus: ut didici ex Itinerario Burdigalenſi, in quo ita ſcriptum eſt. *Item ambulavimus Dalmatio ſ. Dalmatii et Zenofilo Coſſ. 3. Kal. Iunias a Calcedonia.* Idque plane confirmat Chronicum Alexand. ἦν δὲ Δαλμάτιος ὁ υἱὸς Δαλματίου τοῦ ἀδελφοῦ Κωνσταντίνου στρατηγὸς Ῥωμαίων καὶ ὕπατος πρὸ τοῦ αὐτὸν ἀναγορευθῆναι Καίσαρα. IDEM.

Conſtantinus iunxerat pater.] Operae pretium facturus mihi videor, ſi ad illuſtrationem non huius modo loci, ſed et aliorum omnium, qui paſſim in his hiſtoriis occurrent, totam ſeriem generis Conſtantini ob oculos propoſuero. Igitur Conſtantius Chlorus Helenam primum coniugem aut pro coniuge habuit, ex qua

Conſtantinum Magnum ſuſtulit. Hac deinde repudiata cum Caeſar eſſet adſcitus, Flaviam Maximianam Theodoram duxit, Maximiani Herculii privignam; ex qua ſex liberos ſuscepit, ut teſtatur Eutropius lib. 9. 22. Conſtantinum ſcilicet, Dalmatium, (quem Hanniballianum Zonaras aliique appellant) et Iulium Conſtantium: filias Anaſtaſiam, Flaviam Valeriam Conſtantiam, et Eutropiam. Dalmatio Cenſori Dalmatius et Hanniballianus, ut dixi, filii fuere. Iulius Conſtantius ex Galla uxore Gallum Caeſarem; ex Baſilina, quam poſtea duxit, Iulianum Auguſtum genuit. De Conſtantino, quem primo loco poſui, ſecutus auctoritatem Zonarae, nihil ab auctoribus traditum comperi. Eum tamen eſſe puto, qui cum Maximo Conſul fuit. Iam ex filiabus Conſtantia quidem nupſit Licinio, ex quo Licinius Caeſar natus eſt: Anaſtaſiam Baſſianus Caeſar uxorem eſt ſortitus, ut docent Excerpta illa de geſtis Conſtantini. Eutropiae maritus ignoratur, ſed filius proditur Nepotianus, qui Romae imperium arripuit. Conſtantinus autem Magnus prius Minervinam concubinam habuit, ex qua natus eſt Criſpus. Deinde Fl. Maximianam Fauſtam duxit, Maximiani Herculii filiam: ex qua Conſtantinum, Conſtantiumque et Conſtantem filius ſuſtulit; filias Conſtantinam et Helenam. Quarum Conſtantina quidem primum Hannibalhano Regi, poſtea Gallo Caeſari nuptui data eſt (v. infra XXI, 1. 5. cf. Tzſchucke ad Eutrop. X, 9. W.); Helena vero Iuliano. Conſtantinus primo quidem uxorem a patre Conſtantino ſibi deſponſam duxit, ut ait Euſebius lib. 4. de vita Conſtantini. Poſtea iam Auguſtus virginem ex Hiſpania nobiliſſimam ſibi miſſa legatione deſpondit, ut eſt in Monodia, quam de eius interitu ſcripſit Auctor incertus. Conſtanti deſponſa erat Olympias Ablabii filia. At Conſtantius primum Conſtantii patrui filiam, Galli ſororem, a Conſtantino patre ſibi traditam duxit uxorem; deinde Euſebiam; ac poſtremo Fauſtinam, ex qua Conſtantia poſtuma nata eſt, quae poſtea Gratiano nupſit. VALES.

Megaera quaedam mortalis] Latin. Pacat. in Panegyr. Theodoſii c. 35: *Belli civilis Megaera.* IDEM.

nihil mitius] Exquiſitius hoc viſum Ammiano, pro ſimpliciori *non minus*, quod placuit Boxhornio. W.

Rumigerulos] Gloſſ. *Rumigerulus*, ῥυλλητής. * Ivo Carnot. Ep. 87. *Monachos rumigerulos, de loco ad locum discurſantes.* Ioh. Sarisber. Epiſt. 167. *Non facile rumigerulo credidi:* et alibi apud eumdem in Epiſtolis. Adam. Brem. c. 155. *Acceſſerunt cotidie alii Gnathones, parasiti, ſomniatores, et rumigeruli.* * LINDENBR. homines otioſi, famigeratores, ſubroſtrani, rumorum aucupes. XV, 3. 3. W.

Sibi diſcentes.] Ita quidem Valeſiana male, atque ex Lindenbrogiana (ſed haec habet *dicentes*. W.) reſtitui, quod verum erat. Non enim tam ex aliis diſcebant, quam fingebant ipſi, ac Caeſari dicebant tum, quae ipſis erant placentia. GRONOV. Gronovio accedit Erneſti in Gloſſario, et contextum hanc interpretationem requirere opinatur, cui veritas conciliari ſic poſſit, ut dicatur Ammianus *diſcere*, ut Graeci μανθάνειν, pro *docere* poſuiſſe. Vix equidem credo, mihique plana omnia videntur, ſi verba *ſibi placentia diſcentes* non ad rumigerulos, ſed Gallum et Conſtantinam referas. W.

Artium neſandarum] Vid. Tit. Cod. de mal. et mathem. GRONOV.

Digitized by Google

Calumnias insontibus adfingebant.] Malim *adfigebant*, ut habent codices Regius, * Tolosanus, Vaticanus,* ac Florentinus, quibus subscribunt Editio Romana et Augustana. Sic enim locutos esse animadverti Arnobium lib. 6. Hieronymum in Ep. ad Praesidium, Facundum lib. 1. et Boëthium lib. 1. de Consolatione, et Hegesippum saepissime. Vulgata tamen lectio auctoritate non caret. Nam et apud Propertium legitur 1, 12.

Quid mihi desidiae non cessas fingere crimen?

et in Arnobii libro 1. *Summo servientibus regi crimen impietatis affingit.* VALES. Non secus ac censores, a quibus etiam *notas alicui adfigi* vel *adfictas esse* dixit Macrobius lib. VII. Saturn. cap. 2. ORON. *Adfingebant* recte monente Erneslio in Gloss. friget post *insontes* et *calumnias.* W.

3. *Potentia*] Possis etiam legere *impotentia*, ut prima syllaba praecedente *iam* absorpta sit. W.

Clematii cuiusdam Alexandrini.] De cuius caede loquitur Libanius in Epistola 315. ad Chromatium his verbis: Ἐγὼ δέ σε ἐξ ἐκείνων καὶ φιλῶ καὶ θαυμάζω τῶν χρόνων, ἐν οἷς ἀπὸ τῆς παρ' ὑμῖν ἀρχῆς ἦκων Κλημάτιος ἐκεῖνος, ὃς ἐπὶ δικαίῳ βίῳ τελευτὴν οὐ δικαίαν ἐδέξατο, πολλὰ μὲν τὴν Παλαιστίνην ἐπῄνει, etc. Id est: *Ego vero te iam inde ab eo tempore et amo et suspicio, quum Clematius (is qui post vitam iustissime actam iniusta morte periit) administrata provincia vestra huc veniens, ipsam quidem Palaestinam multum praedicabat.* Ex quibus verbis appareret, hunc Clematium Consularem fuisse Palaestinae: quod etiam clarius affirmat idem Libanius in Epist. ad Clematium, qua ei Rhetorium quemdam commendat. VALES.

Cuius socrus cum commisceri sibi generum.] Huius loci emendatio codici Regio debetur, in quo ita plane exaratus est, ut edidimus. Primus autem hunc locum corruperat Petrus Castellus auctor Editionis Bononiensis, cuius audaciam et imperitiam in Proloquio ad lectorem satis notavimus. Certe in Editione Romana scriptum erat, *non impetraret*, perinde ut in Regio codice; ut iam de hac emendatione dubitari non debeat. Tantum mallem sic legi: *cum misceri sibi generum, flagrans eius amore, non impetraret.* Nec dubito quin ita scripserit Marcellinus. Ceterum de hoc socrus amore in Clematium videtur aliquid elici posse ex Epistola 315. Libanii ad Clematium: in cuius fine haec leguntur. ἡ πενθερὰ δέ σοι τίμιος ὥσπερ ἡ μήτηρ ἔστω. Φρένες τε γὰρ ἐγαθαὶ, καί σε παῖδα μᾶλλον ἢ κηδεστὴν ἡγεῖται. καὶ χωρὶς τῶν ἄλλων τῆς ὁδοῦ τὸ μῆκος, ἣν ἔπεισιν, ἄξιον σπέσθηναι. καὶ τὸ μέγιστον ἄνδρα γὰρ αὐτῆς δεόμενον, καὶ οἶκον ἀφεῖσα, σοὶ τὴν θυγατέρα ἄγουσα ἔρχεται, τερπομένη τε οἷς ἐπαινῇ, καὶ τὸ τοιαῦτα ἀκούειν τοῦ πολλὰ κεκτῆσθαι πρότερον ποιουμένη. Id est: *Socrum vero non secus ac matrem observa. Nam et prudentia valet, et te non tam generum quam filium suum ducit. Atque, ut caetera omittam, ipsa itineris, quod suscepit, longinquitas reverentiam meretur. Et quod praecipuum est, viro, qui ipsius opera indiget, et lare suo relictis, filiam suam ad te ducens profectscitur, et delectatur laudibus tuis, easque multis divitiis anteponit.* IDEM.

Palatii pseudothyrum] Utitur hac voce auctor Comoediae, cui Querolus nomen: *Eamus ad pseudothyrum quam bene nosti.* ARB. *Quid si illic clausum est?* * Sulpicius Severus Dial. XVI. Vide locum. Cicero Verrin. 2. 20. *Per pseudothyron revertan-*

Digitized by Google

*tur.** Oroſius lib. 7. cap. 6. de Claudio Imp. *Per pſeudothyrum in palatium refugiens.* Id Sueton. dixit eamdem hiſtoriam narrans, cap. 18. lib. 5. *Poſtico evadere in palatium.* Tacit. III. Annal. *Per averſam palatii portam:* ut et Livius lib. x. *Nocte per averſam portam ſilentio exceſſerunt.* Galli dicunt, *une fauſſe porte.* LINDENBR.

Honoratum tum Comitem Orientis.] Paullo ante fuerat Conſularis Syriae, teſte Libanio in Epiſt. 240. ad Honoratum, qua Olympium Antiochenum, Senatorem novae Romae ei commendat. Ὀλύμπιος οὗτος, ὃν δὶς εὖ πεποίηκας. δὶς γὰρ ἡμῶν ἦρξας. Id eſt: *Olympius hic, de quo bis bene meritus es. bis enim nobis praefuiſti.* Et in Epiſt. 376. ad eumdem Honoratum γενομένης γὰρ σοὶ μὲν τῆς ἐνταῦθα ἀρχῆς, τῆς μείζονος λέγω. Comitivam Orientis intelligit, quam ἀρχὴν μείζονα vocare ſolet. Idem poſtea Praefectus Praetorio Galliarum, ac deinde Praefectus urbi Conſtantinop. primus fuit Euſebio et Hypatio Coſſ. ut ſcribit Hieronymus in Chronico, et Idatius in Faſtis. Praefecturam quidem Galliarum etiam Libanius commemorat in Epiſt. 376. Γαλατῶν ἀρχὴ τῶν ἑσπερίων καὶ Κυρίνου κλῆσις εἰς κοινωνίαν πόνων. De Praefectura autem urbana idem Libanius loquitur in Epiſt. 240. πολλὰ τῇ πόλει νῦν ἐπὶ τὸ βέλτιον μετέστη. τί δὲ οὐκ ἔμελλε σοῦ γε ἐφεστηκότος; σχῆμα ἀρχῆς, οἰκοδομημάτων κάλλη, etc. VALES.

Comitem Orientis.] Comes Orientis erat vir Spectabilis, ſub cuius diſpoſitione erant Orientis provinciae, quas Marcellinus noſter infra in hoc libro, et Notitia Imperii recenſent: eaque civilis, non militaris dignitas fuit. Eius officium ſic deſcribit Zoſimus in lib. v. c. 2. ὁ δὲ Κύμητα τῆς ἑῴας πεποίηκεν. αὕτη δὲ ἡ ἀρχὴ βούλεται τὸν προβεβλημένον αὐτῆς, ἐφεστᾶναι πᾶσι τοῖς τὰς τῆς ἑῴας ἐπαρχίας ἰθύνουσι, καὶ ἐπὶ τοῖς οὐ κατὰ τὸ δέον πραττομένοις εὐθύνειν. Id eſt: *Hic vero eum Comitem Orientis fecit. qua dignitate qui praeditus eſt, is omnibus qui Orientis provincias adminiſtrant, praeeſſe debet, et ſi quid ab illis ſecius geſtum eſt, inquirere.* Ex quibus apparet, cur μείζονα ἀρχὴν eam dignitatem Libanius vocaverit in loco quem proxime laudavi: et in Oratione de vita ſua, (T. I. p. 129. Reisk.) cum dicit: Φιλάγριος δὲ ἀνὴρ ἐνδοξότατος τὸν μείζω θρόνον ἦκων, etc. Scholia in Novellam 17. Iuliani Anteceſſoris ad illa verba: *Velut Comes Orientis ſedet in Antiochena, et habet ſub ſe multas provincias.* Ceterum cum haec civilis, ut dixi, poteſtas fuerit, miror S. Ambroſium in Epiſt. 29. ad Theodoſium haec dixiſſe: *Relatum eſt a Comite Orientis militarium partium, incenſam eſſe Synagogam.* Sed hunc nodum ſolvent peritiores. IDEM.

Formula miſſa letali.] Formula proprie eſt norma, quam Magiſtratus iudici praeſcribit. Sic apud Ambroſium in Epiſt. 24. *Duobus arbitris Sacerdotibus, te qui formam prior dediſti, me qui ſententiam promſi.* Et in Epiſt. 64. *Ergo iudicandi accepiſti formulam. Quales illi, qui volunt praeſcribere Sacerdotibus, quid ſequi debeamus? Libravimus itaque te a cognitionis graviſſimae neceſſitate, ne neceſſe habeas formulam mandatam exſequi.* Hinc etiam interdum pro ſententia ſumitur, ut apud eumdem Ambroſium in epiſt. 20. *Ex te forma iudicii in te procedit.* et apud Facundum Hermian in lib. 2. cap. 3. *Ab illorum enim damnatione procedere debet forma iudicii, a quorum errore proceſſit forma peccati.* Valerius quoque Maximus in lib. 8.

cap. 2. *formulam* pro ſententia uſurpat. In Suidae Lexico legitur Φορμαρία παρὰ Ῥωμαίοις ἀπόφασις θανάτου. IDEM.

contactus] Poëtis magis, quam hiſtoricis ſollemne. v. Burmann ad Propert. p. 5. eſt et infra XXIX, 2. 3. *contacti* delicto. — *idem Clematius.* uncinis includere debebam, eſt enim Gloſſema. W.

4. *Tamquam licentia crudelitati indulta.*] Locus hic unicus eſt, quem huius auctoris ab antiquis laudari memini. Adducit autem illum Priſcian. Gramm lib. IX. p. 870. Putſch. hisce verbis: *Indulſi, indulſum vel indultum. Unde Marcellinus rerum geſtarum* XIV. *Tamquam licentia crudelitati indulta.* Cui conſimilis alius locus inf. c. 6. *Indulta licentia vitiis.* lib. XXVII. 9. *Tamquam peccatis indulta licentia.* LINDENBR.

nullo ſibi relicto] ut nihil ſibi relinqueretur. Sic nullo impetrato XVII, 5. 15. nullo tentato XXVIII, 6. 6 W.

5. *Nec vox accuſatoris ulla, licet ſubditicii, in his malorum quaerebatur acervis*] Vulg. *licet ſubditi*, male. Ipſe Ammian. infra c. 9. §. 1. it. c. 6. §. 15: *Cum accuſatores quaeſitoresque ſubditicios ſibi conſociatos ex iisdem foveis cerneret emergentes.* LINDENBR. Wakefield Silva Crit. P. V. p. 104. malit acerBis; haud inſcite, nihil tamen mutandum, quum et acervos curarum XXVI, 2. 8. et aerumnarum XXVIII, 1. 24. — *impleri*, effici. Sic ſaepe Noſter. XVIII, 2. 3. XXVI, 1. 7. XXVIII, 1. 19. cet. W.

6. *Super his*] ἐπὶ τούτοις, praeterea. — *vilitate ipſa parum cavendi*, quos, quod ex infima plebe eſſent, nemo ſuſpectos haberet. — *latera*, regiones urbis infra c. 6. 16. W.

Excogitatum eſt ſuper his, ut homines quidam ignoti.] Id ipſum de Tarquinio Superbo narrant Hiſtoriae. Dionyſ. Halicarn. lib. IV. c. 43. ἦσαν δ' αὐτῷ (Tarquinio) πολλαχῇ διεσπαρμένοι κατόπται τινὲς, καὶ διερευνηταὶ τῶν λεγομένων τε καὶ πραττομένων, λεληθότες τοὺς πολλούς. οἳ συγκαθιέντες εἰς ὁμιλίαν τοῖς πέλας, καὶ ἔστιν ὅτε κατὰ τοῦ τυράννου λέγοντες αὐτοὶ πεῖραν τῆς ἑκάστου γνώμης ἐλάμβανον, ἔπειτα οὓς ἤσθοντο τοῖς καθεστηκόσι πράγμασιν ἀχθομένους, κατεμήνυον πρὸς τὸν τύραννον. αἱ δὲ τιμωρίαι κατὰ τῶν ἐλεγχθέντων ἐγίνοντο πικραὶ καὶ ἀπαραίτητοι. Similia fere de Tiberio ſcribit Xiphilin. pag. 233. De Alexandro Severo Lampridius c. 23. *De omnibus hominibus per fideles ſuos ſemper quaeſivit, et per eos, quos nemo noſſet hoc agere.* Sic Hadrianus per frumentarios ſermones ſecretos expiſcabatur. LINDENBR.

Peragranter] Sic inf. lib. 28, 1, 14. *Transeunter.* * Caſſiodor. de divin. lect. c. 28. p. 244. b. Auguſt. de Civit. lib. 15. c. 23. *Quaeſtionem transeunter commemoratam.** IDEM.

7. *In penetrali ſecreto*] Gloſſar. vet. *Penetrale ſecretum, ſecretarium*, ἀπόῤῥητον. IDEM.

Nullo citerioris vitae miniſtro.] Vita citerior Ammiano alias eſt *ante acta.* XVI, 10. 11. XXVIII, 4. 2. quod tamen huic loco non convenit. Citerior hic eſt propior, interior, uti XXV, 4. 3. qui locus noſtro plane eſt παράλληλος. cf. et XXVII, 10. 4. et XVIII, 4. 4. miniſteria *ſecretioris* vitae. W.

Amphiarao] Oiclei filius Amphiaraus, rudis et idiota initio, καὶ οὐ μάντις! qui cum apud Phliaſios obdormiviſſet, repente vates prodiit. Pauſan in Corinth. c. 13. Ὄπισθεν τῆς ἀγορᾶς ἐστὶν οἶκος ὀνομαζόμενος ὑπὸ Φλιασίων μαντικός. ἐς τοῦτον

Ἀμφιάρεως ἐλθών, καὶ τὴν νύκτα ἐγκαταχοιμηθεὶς, μαντεύεσθαι τότε πρῶτον, οἱ Φλιάσιοί φασιν, ἤρξατο. Templum et ara illius apud Oropios fuit. Pauſan. in Attic. c. 34. Vide Theodoret. de Oraculis, Serm. x. LINDENBR.

Marcio] Livius lib. xxv. 12. Plin. lib. vii. cap. xxxiii. Arnob. adverſ. Gentes lib. 1. Symmach. lib. iv. Epiſt. xxxiv. * Macrob. Saturn. 1. c. 17.* Iſidor. Hiſpal. Etymol. lib. vii. IDEM. V. et Ciceronem de Divin. 1, 40. 50. W.

Etiam parietes arcanorum ſoli conſcii timebantur.] Eamdem atrocitatem temporum ſimili figura deſcripſit Tacitus in libro 4. Annalium c. 69. *Non alias magis anxia et pavens civitas egere: adverſum proximos congreſſus, colloquia, notae ignotaeque aures vitari: etiam muta atque inanima, tectum et parietes circumſpectabantur.* Eadem quoque figura, licet in re longe dispari, utitur Euripides in Hippolyto coronato. Loquitur enim de mulieribus quae fidem tori prodiderunt. v. 415—418.

Αἳ πῶς ποτ', ὦ δέσποινα ποντία Κύπρι,
Βλέπουσιν εἰς πρόσωπα τῶν ξυνευνετῶν,
Οὔτε σκότον φρίσσουσι τὸν ξυνεργάτην,
Τέρεμνά τ' οἴκων, μή ποτε φθογγὴν ἀφῇ;
Quae quo modo, o Regina ponto proſata
Venus, virorum adſpicere vultum ſuſtinent,
Nec extimeſcunt conſciam noctem ſtupri,
Nec ipſa domuum tecta, ne rem detegant?

Nec diſſimile eſt illud Ciceronis in lib. 2. Ep. xx. ad Atticum. *Iam enim charta ipſa ne nos prodat pertimeſco.* VALES.

Parietes arcanorum ſoli conſcii] Cicero pro Cluent. c. 6. *Parietes nuptiarum teſtes.* LINDENBR.

8. *Erga*] Melius abeſſet, ſed et aliis locis a conſueto vocis uſu recedit Ammianus. v. c. xvi, 10. 17. xxi, 16. 1. W.

Quae abrupte mariti fortunas trud.] Hanc lectionem, quae verillima eſt, e veſtigiis Mſ. cod. eruimus: ante corrupte admodum legebatur: *Abrupta e mariti fortuna ſtridebat.* Sic alibi auctor noſter loquitur, lib. xv. c. 2. *Damnabantur abrupte.* *Lib. 20. et lib. 28. C. Theod. de petit. vel ultro dat. *Lucrum abruptum.* L. 1. §. 4. ff. Quar. rer. actio non detur: **Periculum abruptum.* Aurel. Vict. in Alexand. *Romanum ſtatum quaſi abrupto praecipitavere.* LINDENBR.

Lenitate feminea ad veritatis humanitatisque viam] Ut Livia Auguſti coniux fecit, de qua Dio Caſſ. lib. lv. et Plotina Traiani apud Sext. Aur. Victor. IDEM.

Maximini truculenti illius Imp. coniugem.] Eius praeſtantiſſimae feminae hodie nomen latet. Nam quod Ioach. Camerarius in Notis ad Nicephori Patriarchae Chronologiam ſcribit, Maximini coniugem fuiſſe Calpurniam lectiſſimam feminam; fraudi fuit viro erudito locus Pollionis in libro de 30. Tyrannis: ubi de Tito id intelligendum eſt, non de Maximino. Quod ſi coniecturam eorum qui veteres nummos tractarunt, ſequi placet, Paullina erit uxor Maximini, quam is mortuam conſecravit. In nummis enim legitur DIVA PAULLINA. VALES. V. Vaillant in numismat. Imperatorum praeſtantioribus T. II. p. 307. ſ. cf. Spanhem. de Uſu et Praeſt. Numism. T. II. p. 300. W.

9. *Gallienus*] V. Trebell. Pollio in Gallieno c. 3. Script. Hiſt. Aug. T. II. p. 252. ed. Hack. Praeeuntes vero in eo habuerat

Digitized by Google

Caligulam, Neronem, Heliogabalum. Tillemont. T. III. P. 3. p. 932. W.

Vesperi per tabernas palabatur.] Paul. Diacon. Hist. Long. lib. VI. c. XXXV. de Ariperto: *Hic in diebus quibus regnum tenuit, noctu egrediens, et hac illacque pergens, quid de eo a singulis civitatibus diceretur per semet ipsum explorabat: ac diligenter qualem iustitiam singuli iudices populo suo facerent, investigabat.* Recentius huius rei exemplum habemus in Friderico Seniore Imp. LINDENBR.

impendio] Pro impense, valde, rarius alii, Plautus, Terentius, et ipse Cicero ad Attic. X, 4. ad fastidium usque usurpat Noster. W.

In urbe ubi pernoctantium luminum splendor dierum] Idem de hac urbe testatur quoque Libanius in fine Antiochici. (T. I. p. 363. Reisk.) καὶ τὴν ἡλίου λαμπάδα λαμπτῆρες ἕτεροι διαδέχονται τὴν Αἰγυπτίων λυχνοκαΐαν παριόντες. Sic enim legendum est, non περιόντες, ut vulgata habet Editio. Id est: *Solis porro facem aliae faces excipiunt, quae illam Aegyptiorum in Minervae Saiticae festo lucernarum accensionem longe superant.* Addit ibidem Libanius, tota nocte operari solitos in tabernis opifices, cum interim saltantium et canentium vocibus compita personarent; macellum ipsum aeque ac interdiu pateret, in eoque omnis generis edulia essent proposita. Idem in Oratione adversus Tisameuum ait, miseros opifices a Curatoribus regionum cogi solitos, ut ea lumina accenderent, oleumque lucernis infunderent. Erant autem haec lumina inter ornamenta civitatum, ut idem Libanius scribit in Orat. gratulatoria ad Ellebichum. (T. II. p. 3. Reisk.) ἐλθόντες ἐπὶ τὸ πλησιάζον βαλανεῖον, κάλωας, ὧν ἐξήρτηντο τὰ τὸ φῶς ἐν νυκτὶ παρέχοντα, μαχαίραις ἀπέκοπτον, δεικνύντες ὅτι δεῖ τὸν ἐν τῇ πόλει κόσμον ταῖς αὐτῶν βουλήσεσιν ὑποχωρεῖν. Id est: *Cum veniissent ad vicinum balneum, funes, quibus appensae sunt lucernae quae noctu lucere solent, gladiis praeciderunt, ut ostenderent ornamentum civitatis suo furori cedere debere.* Hinc est, quod Basilius Magnus in Epist. 379. ad Martinianum, qua calamitates patriae suae deplorat, hoc inter caetera recenset: γυμνάσια δὲ κεκλεισμένα καὶ νύκτες ἀλαμπεῖς. Et Procopius in Anecdotis (p. 142. Eichel.) Iustinianum accusat, qui omnes civitatum reditus sustulerit: quo factum est, ut nec lumina in publico singulae haberent, nec solatium ullum ac delenimentum incolis reliquum esset: οὔτε λύχνα ταῖς πόλεσιν ἐν δημοσίῳ ἑκάστῃ, οὔτε τις ἦν ἄλλη παραψυχὴ τοῖς ταύτας οἰκοῦσι. Itaque in publico luctu ac maerore haec lumina vel penitus, vel magna ex parte removebantur. Sic Libanius in Orat. ad Antiochenses de Imperatoris ira, (T. I. p. 500. Reisk.) suadet civibus, ut has lucernas tantisper seponant, aut rariores accendant. τὸ πολὺ καὶ μάταιον τοῦτο φῶς καὶ τρυφὴν ἄχρηστον βαλανείων δεικνύον, τὸ πρὸ τῶν βασιλείων κρεμάμενον εἰς πολλοστὸν τοῦ νῦν ὄντος καταστήσωμεν. De his luminibus loquitur B. Hieronymus initio Dialogi adversus Luciferianos: *Dum audientiam et circulum lumina iam in plateis accensa solverent, et inconditam disputationem nox interrumperet; consputa paene invicem facie recesserunt.* VALES.

Pernoctantium luminum claritudo] D. Hieronym. Epist. XIV. *Dum audientiam et circulum lumina iam in plateis accensa solverent, et inconditam disputationem nox interrumperet.* Sumtus in haec luminaria de publico praestiti, l. 19. C. de

oper. pub.* Mos bono publico introductus, et nunc in multis recte conſtitutis Rebuspublicis frequens. LINDENBR. Plura vide apud *Beemannum Geſchichte der Erfindungen* B. 1. S. 62. ff. it. B. 2. S. 520. contra quem tamen disputat *Aug. Ern. Zinſerling* in *Zeitung für die elegante Welt* 1807. n. 11. et 12. qui loca *omnia* quae huc adferri ſolent, non de perpetua urbium colluſtratione, ſed de lucernis in ſollemnitatibus publicis (Illuminationen) intelligenda putat. Neſcio, an recte. W.

10. *Thalaſſius vero ea tempeſtate Praefectus Praetorio Praeſens.*] Haec vera diſtinctio eſt, ut inf. lib. 23. *Praefectus Salluſtius Praeſens.* *Concil. Conſtantinop. Act. 5. p. 724. 725. τῷ πανευφήμῳ μαγίστρῳ τῶν θείων ὀφφικίων καὶ τοῖς ἀνδρειοτάτοις στρατηγοῖς τοῦ θείου πραιέντου ἑκατέρων δυνάμεων. *Illuſtriſſimo Magiſtro ſacror. officiorum, ac ſtrenuiſſimis Magiſtris militum ſacrae praeſentiae utriusque exercitus.** Dignitas Praeſentis ἐνοπλος fuit. Theophylact. Simocat. lib. 1. τὴν τοῦ πρεσεντίου τὴν παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένην ἐνοπλον ἡγεμονίας τιμήν. Lamprid. in Alex. Severo c. 32: *Si unquam alicui Praeſentium ſucceſſorem dedit, ſemper illud addidit: Gratias tibi agit Resp.* *Iordanes de regnor. ſucceſſione in fine: *Artabanes evocatus, Magiſtri militum Praeſentis accepit dignitatem.** Viri illuſtris Magiſtri militum Praeſentalis, et magiſteriae in Praeſenti poteſtatis, mentio in Notitia Imperii. LINDENBR.

Thalaſſius vero Praefectus Praetorio.] In Codice Regio, et in Editione Romana atque Auguſtana Thalaſſus legitur: ſed paullo poſt in iisdem libris Thalaſſius ſcribitur. Hic antea Comes fuerat, teſte Athanaſio in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, et a Conſtantio ad Conſtantem fratrem miſſus erat Poetobionem, ut ait idem Athanaſius in Apologia ad Conſtantium initio: καὶ ὅτε οἱ περὶ Θάλασσον ἦλθον ἐπὶ τὴν Ποιτοβίωνα. De eiusdem apud Conſtantium auctoritate et gratia Zoſimus ſcribit lib. 2. c. 48. in praelii Murſenſis deſcriptione: μόνοι Λατῖνος καὶ Θάλασσος τὰ πρῶτα παρὰ βασιλεῖ φέροντες. Idem Synodo Sirmienſi et disputationi Baſilii cum Photino interfuit una cum Datiano et Cereale et Tauro, ut teſtatur Epiphanius in haereſi 71. Quo maxime argumento refellitur opinio Illuſtr. Card. Baronii, qui illam Synodum anno Domini 357. celebratam eſſe contendit: cum Thalaſſius qui iuſſu Conſtantii ei Synodo interfuit, mortuus ſit anno 353. teſte Marcellino noſtro. (infra c. 7.) VALES.

Praefectus Praetorio Praeſens.] Lindenbrogius hoc loco Praeſentis dignitatem intelligit, quae tamen in Praefectis quidem Praetorio nulla fuit. Fuit quidem inter Magiſtros militum unus, qui Praeſens dictus eſt ſeu Praeſentalis, propterea quod in procinctu ſeu comitatu Principis ageret, et Praeſentalibus numeris praeeſſet, ut docet Notitia Imperii Romani. Iordanes de ſucceſſione regnorum in Iuſtino: (p. 62. edit. Lindenbr.) *Vitalianum ad ſe evocatum Magiſtrum militum Praeſentem, et Conſulem ordinarium fecit.* In Scholiis Iuliani Anteceſſoris Magiſter militum Praeſentum dicitur, et apud Evagrium lib. 4. cap. 2. [*Theodoricus Valamer Magiſter Praeſentis militiae factus eſſe* dicitur in Marcellini Comitis Chronico: et in eius Appendice, *Artabanes evocatus Praeſentale accepit magiſterium.* Apud Malchum quoque legimus, τὸν Θευδέριχον καθίστασθαι στρατηγὸν δύο στρατηγῶν τῶν ἀμφὶ βασιλέα, αἵπερ εἰσὶ μέγισται.] Et ſic intelligendus eſt locus Theophylacti Simocati in lib. 1. de Comentiolo, qui a

Mauricio Magiſter militum Praeſentalis eſt conſtitutus. *στρατηγὸς ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος αὖθις χειροτονηθεὶς ἀποστέλλεται, τήν τε τοῦ πρεσεντίου τὴν παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένην, ἔνοπλον ἡγεμονίας τιμὴν ἀποφέρεται.* Praeſens enim, cum dignitatis nomen ſignificat, de Magiſtro militum intelligitur qui in praeſenti erat, cum alii per Thracias, alii in Oriente conſtituti eſſent armorum Magiſtri. At cum de Praefecto Praetorio aliisque Magiſtratibus dicitur, nihil addit dignitati. IDEM.

Celſae poteſtates] Inf. cap. 10. *Circumdatus poteſtatum coetu celſarum.* Lib. XVI. cap. 12. *Celſarum poteſtatum aſſenſus.* Ita *ſublimes poteſtates*, l. 2. C. de his quae ex pub. *Illuſtres poteſtates*, l. 2. C. de execut. et exact. *Saeculi poteſtates*, Hieron. ad Nepotian. LINDENBR.

Eum ad rabiem potius evibrabat.] Sic ex Regio codice et Editione Auguſtana hunc locum et emendavi, et interpunxi: *quibus ſubſcribunt mſſ. codices Vaticanus et Toloſanus.* VALES. Cf. Gellius Noct. Att. I, 11. W.

ſuppoſita] obvia quaeque. Forſan et h. l. Ammianus ſcripſerat *appoſita*, quod eſt XIV, 2. 9. XVII, 7. 2. XX, 3. 5. cet. W.

CAPVT II.

1. *Iſauri, quibus uſitatum eſt.*] Iſaurorum latronum meminit l. *Provinciarum.* C. de feriis. Gloſſ. Nomic. Ἴσαυροι οἱ ἅρπαγες, οἱ Φονεῖς, καὶ οἱ χοσιάριοι. ἴσ. κουρσάριοι. Vid. Strab. lib. XII. (p. 568. Almelov.) LINDENBR. Καλοῦσι δὲ αὐτοὺς οἱ μὲν Πισίδας, οἱ δὲ Σολύμους, ἄλλοι δὲ Κίλικας ὀρείους. Zoſimus IV, 20. et ibi Ritter p. 587. Natio rapinis terra marique infamis, quae cum a Servilio Iſaurico Pompeioque M. ad montes ſuos repreſſa eſſet, labente tamen ſenſim imperio Romano vires ita receperat, ut Ammiani aetate non ex agris tantum praedas agerent, ſed urbes adeo adoriri auderent. v. *Mannert Geogr. d. Griechen u. Römer* Th. VI. Heft 2. S. 182. ff. W.

Iconium Piſidiae oppidum.] Antea Lycaoniae fuerat, teſte Strabone et Plinio ac Ptolemaeo: ſic dictum ab imagine Meduſae, quam ibi ſuspendit in columna Perſeus, ut ait Euſtathius in Dionyſium. τῶν Λυκαόνων ἐστὶ καὶ τὸ Εἰκόνιον τῇ εἰκόνι τῆς Γοργόνος παρονομαζόμενον, ἣν αὐτόθι ἀναστηλῶσαι λέγεται Περσεύς. Sed Stephanus aliam eius nominis affert originem. Poſtea rurſus Lycaoniae metropolis facta. Baſilius Ep. 8. et 397. Baſilius Seleucenſis in lib. 1. de Vita Theclae, loquens de Iconio: Πόλις δὲ αὕτη Λυκαονίας, τῆς μὲν ἑῴας οὐ πολὺ ἀπέχουσα, τῇ δὲ Ἀσιανῶν μᾶλλόν τι προσεγγίζουσα, καὶ τῆς Πισιδῶν καὶ Φρυγῶν χώρας ἐν προοιμίῳ κειμένη. VALES.

In amphitheatrali ſpectaculo feris.] Moris huius origo apud Tertull. de ſpectac. cap. XII. exempla vero apud Hiſtoricos paſſim. Eutrop. lib. X. c. 3. de Conſtantio: *In Galliis et militum et provincialium ingenti iam favore regnabat, caeſis Francis atque Alemannis, captisque eorum Regibus, quos etiam beſtiis, cum magnificum ſpectaculum muneris paraſſet, obiecit.* Eleazarus apud Egeſipp. lib. 5. in illa ad Iudaeos Oratione, qua in proprias neceſſitudines ac viſcera ſaeviendi auctor illis eſt, ne per

ludibrium pompae reſerventur ſpectaculo, dum mala captivitatis recenſet, inter alia ſic ait: *Subeundi quoque morſus ferarum ad victorum ſpectaculum, quod diverſis iam celebratur arenis urbium, vel exemplo nobis debet eſſe pudendum, vel viſu miſerabile, ut reſervemur aut beſtiis, aut fratribus praeliaturi.* Cum ergo tale Romanor. inſtitutum, non video cur praeter morem Ammianus Iſauros feris obiectos dicat. LINDENBR.

Feris obiecti ſunt praeter morem.] Certum eſt moris olim fuiſſe, ut hoſtes Populi Rom. bello capti feris obiicerentur: idque praeter Hegeſippi locum a Lindenbrogio hic laudatum, docet Seneca in Epiſt. 70. *Nuper in ludo beſtiariorum unus e Germanis, etc.* Unde et Conſtantinus Aſcaricum Regaiſumque Francorum Reges captos in acie, beſtiis obieciſſe dicitur ab Eutropio in Breviario 10. 3. et ab Eumenio in Panegyrico c. 10. Sed et latrones, quales erant Iſauri verius quam iuſti hoſtes, feris in amphitheatro obiiciebantur, teſte Athenaeo lib. 3. Cur ergo id factum eſſe praeter morem ait Marcellinus? an quia Iſauri non ſolebant beſtiis obiici, ſed potius ad gladium damnari? quod quidem etiam hoſtium fuiſſe ſupplicium docet Florus lib. 3. cap. 12. Dio Cocceianus in Fragmentis, quae nuper vulgavimus, pag. 674. Vopiſcus in Probo, c. 19. et Symmachus lib. 2. Ep. 46. Certe Cilices finitimi Iſauris, laniſtae miniſtrabant, ut teſtis eſt Iuvenalis IV, 121.

pugnas Cilicis laudabat et ictus.

An potius praeter morem fieri dixit, quod fieret malo et improbato more? Eſt enim prorſus inhumanum ſaeviſſimis cruciatibus illudere, et quaſi inſultare hoſtibus in acie captis. An denique Iſauri iſti quos beſtiis obiectos prodit Marcellinus, non in praelio capti fuerant, ſed pacis tempore? Poteſt etiam ſubaudiri *ἀπὸ κοινοῦ*, *ut iactitabant.* Sic lib. 28. 6. 4. de Auſturianis: *Huius necem ulciſci, ut propinqui damnatique iniuſte cauſantes, ferarum ſimiles exſiliere.* VALES. Ego quidem de Iſauris intellexerim, qui iniuriam ſibi fieri immeritis ſcilicet et innoxiis (praeter ius fasque, vel, ut Erneſtio placet, peſſimo more, immani) *iactitabant*, clamitabant, fremebant. W.

2. *Ut etiam ferae fame monitae.*] In Editione Rom. et Aug. adeoque in codice Regio deeſt vox *ferae.* Unde adducor, ut credam legendum eſſe: *ut etiam beſtiae fame monitae.* Sic enim legitur apud Tullium in Cluentiana c. 25. *Iam hoc non ignoratis, iudices, ut etiam beſtiae fame domitae ad eum locum, ubi paſtae aliquando ſint, revertantur.* VALES.

adpeterent noctes] inſtarent, adpropinquarent. Nec aliter Livius VIII, 38. W.

Ancoralia.] Funes ſunt quibus ancora religatur. Graeci *ἐπήγνια* dicunt et *πρυμνήσια*. Latinam vocem uſurpat Livius lib. 22. 19. et 37. 30. Plinius lib. 16. 8. Apuleius lib. XI. Metam. p. 379. ed. Floridi ſtroppos ancorales dicit: *Navis abſoluta ſtroppis ancoralibus, peculiari ſerenoque flatu pelago redderetur.* Sic enim malo, quam ſtrophiis, ut vulgo legitur. VALES. Malim ego de ſtationibus navium (Ankerplätze) intelligere, quod *repentes — quadrupedus gradus, ſuſpenſique paſſus* ſuadent. W.

Merces avertebant.] Plaut. Trinum. *Praedam avertere.* Livius lib. 37. *Ingentem praedam intra paucos dies avertebant.* LINDENBR.

3. *Pilatorum caesorumque funeribus*] Ita edidi ex auctoritate Scriptorum codicum, quibus Editio quoque Romana et Augustana subscribit (et Boxhorn. v. Gronov. Praef. p. xxxii.) (Sic Marcellinus in lib. ultimo c. 5. loquitur de Hunnis: *Nec castra inimica pilantes.* et rursus c. 2. *Pilando villas et incendendo.* Eamque vocem ab antiquis usitatam fuisse testis est Festus in v. *Pilare:* quae et in idiomate nostro adhuc manet, *Piller.* VALES.

Scirohis praerupta letalia.] Pomp. Mela lib. II. c. III. *Scironia saxa saevo quondam Scironis hospitio etiamnunc infamia.* Stat. Papin. Thebaid. lib. I. v. 333. *Infames Scirone petras.* Fabularem historiam explicant Hygin. fabul. XXXVIII. Lactant. in Stat. LINDENBR. Plutarch. Thes. c. 10. Ovid. Metam. VII, 444. Scironides petrae. W.

controversa] e regione posita. Debebat esse utique contrAversa, etiam ubi de disceptationibus litibusque adhibetur. Sed lectio est constans pluribus locis, XXVII, 8. 6. XXII, 8. 2. XXII, 15. 7. (excepto XVIII, 9. 2. ubi contrAversa). cf. Salmasium ad Solin. c. 27. et 32. Vossium de L. L. 4, 4. W.

4. *Advecticium nihil.*] Inf. cap. 8. §. 8. *advecticiis adfluere copiis.* In Mf. tamen *adventicium* legitur. Sic lib. XV. 11, 4. *adventiciis effeminati deliciis.* Et mox, *merces adventiciae.* Sic *species adventiciae*, l. unic. C. Theodos. De foccar. per port. Rom. LINDENBR.

Densis intersaepientes itinera praetenturis.] Corruptissimus est locus, ut vulgo legitur: *Densis inter obsidentium itinera praetent.* Tendere, praetendere, praetenturae, tensurae, vocabula sunt castrensia. Glossar. vet. *Praetentura*, προβολή, ἐπιτείχισμα. Προβολή, *obiectus, obtentus.* Valer. Max. lib. 2. cap. 8. *Neve quis intra castra tenderet, neve locum extra assignatum vallo aut fossa cingeret.* Egesipp. lib. 5. cap. 20. *Castellum in quo praetendebant.* Eod. lib. c. 24. *Subtraxerunt sese insidiis latrocinantium, et custodiis praetendentium.* Ita enim ex Mf. cod. hic locus restituendus est. Hyginus Gromaticus in lib. de castrametatione, (v. ibi Schelium p. 30. 31. et Intt. ad Frontin. p. 187. ed. Oudend. W.) quem nondum typis publicatum Mf. habeo: *Exploratores in striga cohortis primae praetendunt.* Inde ergo *praetenturae* et *tensurae*, quarum in eodem lib. mentio frequens. Ipse Ammian. lib. 25. 4. 11. *Praetenturae stationesque agrariae totis rationibus ordinatae.* Lib. 31. 8. 5. *Praetenturas stationesque disponebat agrarias.* IDEM.

5. *Globis confertos.*] Vel *confertos:* ut Curtius Ruf. lib. III. 11. 4. *Conferti et quasi cohaerentes tela vibrare.* Ammian. lib. 16. cap. 12. *In laevo cornu locavere confertum.* Lib. 19. cap. 6. *Conferti valido cursu.* Vid. lib. XXIV. cap. 1. et 7. *confertius resistentes*, et XXVII, 1. IDEM.

8. *Cum se impares nostris fore congressione stataria.*] Lib. XX. 8. 1. *Legionesque augens iuventutis validae supplementis, quarum stativae pugnae per Orientales saepius emicuere procinctus.* Graecis σταδιαία μάχη. Pollux. ut in Antholog. lib. I.

Ἔγνως ἐν σταδίῃσιν ὅσον σθένος Ἐκτορός ἐστι.

Zosimus lib. IV. c. 20. de Hunnis: μάχην μὲν στατίαν οὔτε δυνάμενοι τὸ παράπαν, οὔτε εἰδότες ἐπαγαγεῖν. Stataria ergo pugna est, cum pede collato vir virum legit, nec quisquam loco recedit: uti eam optime describit Plautus in Amphitr. Act. I. Sc. I.

Digitized by Google

— — — fugam in se tamen nemo convortitur,
Nec recedit loco, quin statim rem gerat.
Animam amittunt prius, quam loco demigrent:
Quisque uti steterat iacet, obtinetque ordinem.

Ita gradariae pugnae mentio apud Diomed. lib. 3. cap. 2. *Iambicum gressum prisci Apuli Daunium a duce suo Daunio prodiderunt, quod is, cum primus adversus acrem Diomedis pugnam bellum asperum iniisset, gradali pugna duos dimicare instituit, ut collato pede assequente paulatim dextero, distentoque et progrediente laevo, et brevi successu et longo distentu gradus simul et visus firmaretur.* Aliarum pugnarum appellationes, velut Planariarum, Concursatoriarum, Expeditionalium, apud hunc nostrum Ammian. in facili erit observare. IDEM.

Congressione stataria.] Conflictus planarios alibi vocat Marcellinus. 19, 5. 2. Graeci σταδίαν μάχην dicunt, ut saepe Zosimus, et Strabo in lib. x. Sed frequentius Graeci τὴν συστάδην καὶ ἐκ χειρὸς μάχην dicere solent. Eodem sensu statarius miles dicitur a Tito Livio in lib. 9. c. 19. ubi militem Romanum cum Macedonico comparat: *Statarius uterque miles, ordines servans.* Et lib. 22. 18. *Hostem gravem armis statariumque pugnae genere facile elusit.* VALES. Cf. pugna concursatoria XVI, 9. 1. XXXI, 16. 5. W.

9. *Supercilia fluvii.*] Infr. c. 8. *supercilia Nili. supercilia fluminis Rheni.* 16, 12. 10. *Supercilia Rheni.* Lib. 17. c. 9. *Superciliis imposita fluminis Mosae.* Graeci ὀφρὺν τοῦ ποταμοῦ dicunt. Polyb. lib. 2. (c. 33. cf. Ind. Schweighaeus.) παρ' αὐτὴν τὴν ὀφρὺν τοῦ ποταμοῦ ποιησάμενος τὴν ἔκταξιν. LINDENBR.

Melanis] quem fluvium magnum et navigabilem Strabo etiam Pamphyliae adsignat, quamquam antiquioribus temporibus Ciliciae fines constituisse traditur a Plinio Hist. Nat. V, 27. *Mannert Klein-Asien* T. II. p. 87. et 121. W.

10. *Magnitudine anguisti gurgitis et profundi.*] Eodem modo infr. lib. 24. 2. *Anguista fluminis interluvies et praealta transiri vado non potuit.* LINDENBR.

Piscatorios quaerunt lenunculos.] Non. Marcell. *Lenunculus, navigium piscatorium.* Gloss. *Lenunculus*, πίτυλος, σκαφίδιον. *Vid. Gellium lib. x. c. 25. Tacit. Annal. 14. 5. *Occursu lembunculorum Lucrinum in lacum vectam.* Dubio procul legend. *Lenunculorum.* Caesar de bello Civili lib. 3. cap. 43. *Pauci lenunculi ad officium imperiumque conveniebant.** Sallust. (Hist. 2. ap. Nonium in *lenunculus*) *Primo indicit forte super noctem in lenunculo piscantis.* Amm. lib. XVI. c. 10. *Lenunculo se commisisse piscantis:* quod idem narrens Sueton. lib. 1. c. 58. dixit: *Parvulum navigium obvoluto capite conscendisse.* Florus 4, 2. *Speculatorium navigium.* Ab hisce lenunculis corpus lenunculariorum, ad similitudinem navicularioruin, aliorumque corporum. Inscript. vet. Romae: PATRONO CORPORIS LENUNCULARIORUM AUXILIARIORUM OSTIENSIUM. Et in tabula marmorea: ORDO CORPORATORUM LENUNCULARIOR. TABULARIORUM AUXILIARES OSTIENSES. IDEM.

Temere contextis ratibus.] Ut * Auson. Perioch. v. Odyss. *Contextu ratis temere properatae navigationem solus aggreditur.** Sallust. *Castella et oppida temere munita.* Apul. *Domus temere contecta. Temere* est σχεδίως: unde navigia ipsa, de quibus hic agitur, *schediae* vocantur. Festus Pomp. lib. XVII. Ulpian. l. 1. §. 6. ff. de exercit. action. Suid. σχεδία, ἡ ἐκ τῶν παρατυ-

χόντων, ἡ εἰκαίως πεποιημένη ναῦς. Hesych. et Theophylact. Simocat. lib. VIII. τὰς λεγομένας σχεδίας συρράψαντες, ὁμοζυμαδὸν τὸν ποταμὸν διενήξαντο. IDEM.

Legiones quae hiemabant tunc apud Siden, iisdem.] Antea legebatur, *apud Sideniſtem.* Sed cum in Mſ. Florentino ac Regio *Sidenisdem* exſtare vidiſſem, non dubitavi, quin duae voces male in unam coaluiſſent ex pravo uſu ſcribendi veterum illorum, qui nobis codices ſuis manibus ſcriptos reliquerunt. Ii enim nullas inter ſingula vocabula diſtinctiones adhibebant: unde multi errores propagati ſunt, cum in aliis auctoribus multis, tum etiam in Marcellino quem prae manibus habemus. Ita igitur nullo negotio hunc locum diſtinxi: *Legiones quae hiemabant tunc apud Siden, iisdem impetu occurrere veloci.* Eſt autem Side urbs Pamphyliae notiſſima, quam quidem Pamphyliam tum petebant Iſauri, ut Marcellinus ſupra retulit: Cumaeorum colonia teſte Strabone: de qua Avienus in deſcriptione orbis loquitur his verſibus: v. 1013—16.

Pamphyliae in fines. hoc idem Cragus habetur
Nomine ſub gentis: prope celſam ſurgit in arcem
Priſca Side. ſomes calidis adoletur in aris
Saepe Dioneae Veneri.

Quamquam Dionyſius ὁ περιηγητὴς, quem Avienus interpretatur, Aſpendum dicit, non Siden. VALES.

11. *Tentatis ad diſcrimen ultimum artibus multum.*] Legendum eſſe arbitror, *artibus multis*, rectius. VALESIUS. Immo Ammiani ſtilus tuetur vulgatam, ut cap. 1. §. 9. *Et haec quidem medullitus multum gementibus agebantur*, ut in Mſ. illic legi teſtatus fuit Lindenbrogius: et praetulerim vulgato *multis*, quod ſumpſerunt, qui τῷ *gementibus* per apoſiopeſin addere nequibant τὸ Antiochenſibus, vel illis, de quibus ante narravit. GRONOV.

Oppidum Laranda.] Strabo in lib. 12. p. 391. Caſaub. τὰ Λάρανδα urbem Iſauriae facit; Ptolemaeus et Stephanus Lycaoniae. VALES. Hod. Larenda. W.

12. *equeſtrium cohortium*] Cohortes alias peditum, uti turmae equitum ſunt. Sed hoc militiae genus demum ſub Imperatoribus inſtitutum peditibus equitibusque commixtis conſtabat. Ern. in Gloſſar. Haud raro occurrunt in Inſcriptionibus, vocanturque etiam equitatae. v. omnino Scheelium ad Hyginum p. 86. W.

Relictum in ſedibus.] Saepiſſime haec vox apud Ammian. Veget. et eius ſaeculi Scriptores. Inſ. lib. 17. 8. *Militares numeri deſtinatas remearunt ſedes.* * cap. 8. *Frumentum in ſedibus conſumendum.* * Lib. 20. c. 4. *Redite nunc ad ſedes. Sedes* autem ſive *ſedeta* ſunt loca, in quibus milites citra expeditionum neceſſitatem commorantur. Unde in l. fin. C. Quib. non obſt. lōng. temp. et Inſtitutor. Iuſtinian. lib. 2. Tit. de milit. teſtam. illa verba, *citra expeditionum neceſſitatem, in aliis locis, vel ſuis aedibus degunt*, corrupte hactenus ſic legi certum eſt. Reſtituenda autem hoc modo, *in aliis locis, vel ſuis ſedibus:* quod Theophili confirmatur auctoritate, lic vertentis, ἐν τοῖς λεγομένοις αὐτοῖς σεδίτοις: ut etiam l. 18. C. de Epiſc. audient. *In ſuis ſedetis ſive ſtationibus.* In Gloſſario nomico *ſedeta* interpretantur προσέδραι. Et in aliis Gloſſ. σεδίτοις, καθέδραις, προαυτείοις. LIND.

13. *Paleas*] Sine nota dimiſerunt interpretes, nec apud Cellarium Anvilliumve inveni. Hunc locum ex Actis S. Barnabae (in

(in Actis Sanctor. Iunio T. II. p. 432.) tribuit Iſauriae Weſſeling ad Itineraria p. 709. rectius tamen ſcribi exiſtimat *Palaeas*. Non tam urbs fuiſſe videtur quam caſtellum: Ammianus enim nonnifi *locum*, paullo poſt *munimentum* vocat in *acclivitate* poſitum. W.

Militibus omne latus Iſauriae defendentibus.] Pollio in triginta Tyrannis c. 26: *Denique poſt Trebellianum*, ait, *pro barbaris habentur: et cum in medio Romani nominis ſolo regio eorum ſit, novo genere cuſtodiarum quaſi limes includitur, locis defenſa, non hominibus, etc.* VALES.

Triduum et trinoctium.] Similiter Feſt. Avien. in Deſcript. orae maritumae: *Curſus carinae biduo et binoctio eſt.* Tacit. Annal. 3. c. 71. *Dum ne plus quam binoctium abeſſet.* LIND.

14. *Comes tuebatur Caſtricius, tresque legiones.*] Comes militaris per Iſauriam memoratur in Notitia Imperii Romani, ſub cuius diſpoſitione erat legio 2. et legio 3 Iſaurica. (Occurrit et infra XIX, 13. W.) Ex quo apparet primam legionem Iſauricam poſt obitum Conſtantii alio abductam fuiſſe. VALES.

15. *teſſera ſollemni*] expeditionali XXIII, 2. 2. W.

Calycadni fluminis ponte.] Seleucia enim caput Iſauriae ſupra Calycadnum amnem poſita eſt, teſte Strabone ac Plinio: quem Calydnum alii etiam dixere, ut ſcribit *Baſilius Seleucenus in lib. 1. de Thecla* et Stephanus in ὑρία. ἔστιν ὑρία καὶ ἡ κατὰ Ἰσαυρίαν σελεύκεια: ἡ παραῤῥεῖ ὁ Καλυκάδνος, ὃν Καλυδνόν τινες καλοῦσι. Sic legendus eſt hic locus Stephani ex Euſtathio in lib. 3. Iliados. Seleucia enim prius dicebatur Hyria, et Olmia, poſtea a Seleuco Nicatore condita, et a mari remota, nomen conditoris accepit, ut tradit idem Stephanus in v. σελεύκεια Fuit autem primo quidem Ciliciae Trachiae civitas, unde et Tracheotis cognominata teſte Plinio, Strabone, ac Stephano. VALES. Weſſeling ad Itineraria p. 700. Etiamnum Seleucie dicta. Maunert Klein-Aſien II, 78. W.

17. *bene pertinax*] τὸ *bene* ſic adiectivis iunctum valet ad augendum, uti Francogallorum *bien* v. Salmaſ. ad Solinum p. 36. W.

Haſtisque feriens ſcuta, qui habitus iram pugnantium concitat.] Mos militaris, diverſo geſtu vel ſtrepitu diverſas quoque animorum affectiones notans. Inf. lib. 15. 8. 15. *Militares omnes horrendo fragore ſcuta genibus illidentes, quod eſt proſperitatis indicium plenum: nam contra cum haſtis clypei feriuntur, irae documentum eſt et doloris.* Lib. 16. 12. 13. *Ardoremque pugnandi haſtis illidendo ſcuta monſtrantes.* Lib. 21. 5. 9. *Unanimanti conſenſu voces horrendas inmani ſcutorum fragore miſcebat.* Eodem lib. 13. *Haſtasque vibrantes irati, poſt multa quae benevole reſponderant, petebant ſe duci protinus in rebellem.* Lib. 23. *Sublatis altius ſcutis nihil periculoſum fore vel arduum clamitabat.* Curt. lib. x. *Nulli placebat oratio: itaque ſuo more haſtis ſcuta quatientes, obſtrepere perſeverabant.* Et poſt alia: *Sequitur phalanx haſtis clypeos quatiens, expletura ſe ſanguine illorum, qui affectaverant nihil ad ipſos pertinens regnum.* Vide Livium lib. XXXVIII. c. 17. Caeſar. de bello Gall. lib. VII. Tacit. Hiſtor. lib. v. et in lib. de morib. Germ. *Polybius lib. XV. 12. Οἱ ῥωμαῖοι κατὰ τὰ πάτρια συναλαλάξαντες, καὶ συμφοφήσαντες τοῖς ξίφεσι τοὺς θυρεοὺς, προσέβαλον τοῖς ὑπεναντίοις. *Romani more patrio clamorem tollentes, et gladiis*

Digitized by Google

ſcuta quatiendo perſtrepentes, irruunt in adverſos. Idem XI, 30. *Sono armorum tripudiisque (ita illis Germanis mos) approbata ſunt dicta.*" LINDENBR. Cf. Salmaſ. ad Scriptt. H. A. T. II. p. 600. W.

In ſolido] i. e. in tuto. cf. XVII, 5. 11. W.

18. *Hac icti perſuaſione.*] Sic habet Editio Romana, quam ceterae deinceps ſecutae ſunt. ſed in MSS. Florentino, "Toloſano ac Vaticano" legitur, *hac uti:* ex quo conieceram legendum eſſe, *hac utili perſuaſione:* "ut in codice Toloſano adſcriptum poſtea reperi. In margine tamen emendatur alia manu *utique.*" ſed magis placet lectio quam in codice Regio poſtea reperi, *hac ita,* niſi malis *itaque.* VALESIUS. Vera eſt Scriptorum Codicum lectio *hac uti perſuaſione,* qua imitatur Ammianus Tacitum ſuum, apud quem 6. ann 30. *Firmarent velut foedus.* 15. 69. *Occupare velut arcem.* Et ſaepius. GRONOV.

Propugnaculis inſiſtebant et pinnis.] Inf. lib. XVI. 4. 2. *Inter propugnacula viſebatur et pinnas.* Propugnacula ſunt προμαχῶνες, pinnae ἐπάλξεις. Syneſ. Conſtit. 11. μέχρι πότε παρ' ἐπάλξιν στήσομαι; μέχρι πότε τηρήσω τὸ μεταπύργιον; LINDENBR.

Seſe propripuiſſet interius.] Antea legebatur *ulterius* ex coniectura P. Caſtelli, qui, cum in Editione Romana haberetur, *propripuiſſet.... terius,* ita excudit, ut dixi: quod tamen ferri omnino non poteſt. Emendationem vero noſtram confirmat ſimilis locus in lib. XX. 6. 4. *Telorumque genere omni ad interiora ferocius ſe proripientes arcebant.* VALES. Recte vir doctiſſimus. Sic apud Livium Valerius *toto corpore interior periculo vulneris factus* inſinuaſſe inter corpus armaque Galli dicitur VII. 10. Etiam naves *interiores ictibus tormentorum* XXIV. 34. Sed dubito, primo an lacuna in MSS. etiam ſit, aeque ac in editione Romana exhibetur; deinde utrum ex comparatione alterius loci, an ex contemplatione ſcripturae veteris ſuppleri debeat. Nam certe quum praecedens verbum deſinat in *et,* quam facile per eas literas intercidere potuerunt *ci,* ut ſcripſiſſe videatur auctor *proripuiſſet citerius,* quum et cap. 1. dixerit *nullo citeriore eis vitae miniſtro praeſente.* GRONOV. At vero eandem vocem alibi eademque ſignificatione adhibuit Ammianus, ut 23. 6. §. 50. *interius pergenti.* Vid. quem Erneſtius in Gloſſar. laudat Salmaſ. ad Scrr. Hiſt. Aug. Tom. II. p. 181. W.

20. *Comes Orientis Nebridius.*] Is Honorato ſucceſſerat, ut docet Epiſtola Libanii 390. ad Mantitheum. Idem poſtea Quaeſtor Palatii Iuliano Caeſari datus eſt a Conſtantio, tandemque Praefectus conſtitutus Praetorii, cum ſacramentum Iuliano praeſtare adverſus Conſtantium recuſaſſet, privatus in Tuſciam, quod ei natale ſolum erat, recellit, ut eſt in lib. XX. 9. "Exſtat Epiſtola Libanii ad hunc Nebridium 202. libri IV. in qua Comitivam Orientis, et Praefecturam Praetorii Galliarum eum geſſiſſe ſignificat his verbis. Ἀρχὴ γὰρ ἡ μεγάλη μέν σοι παρ' ἡμῖν, ἡ μεγίστη δὲ ἐπὶ τῆς ἑσπέρας." VALES.

Comes Orientis] Magiſtratus erat non militaris, ſed civilis, v. Valeſ. ſupra ad c. 1. quod patet etiam ex hoc loco: militares enim copias contraxit, quoniam Magiſter equitum longius diſtinebatur. W.

CAPVT III.

1. *Mente quadam verſatili.*] *ſc. verſabili:* ut inf. *verſabilis motus, verſabilis Princeps, verſabiles Sarmatae, etc.* LINDENBR.

2. *Praeteturis et ſtationibus ſervabantur agrariis.*] Praeturae ſunt praeſidia militum, quae pro caſtris ſecuritatis cauſa collocantur: ſunt enim dictae a praetendendo, id eſt, ante tendendo, tamquam quaedam caſtra antetendentia, ut recte explicat Turnebus lib. 2. Adv. cap. 7. Sic praetendere ſumitur ab Auctore Panegyrici, qui dictus eſt Conſtantino Aug. c. 21. *Iam obliti deliciarum circi Maximi, et Pompeiani theatri, et nobilium lavacrorum, Rheno Danubioque praetendunt.* Claudianus quoque de bello Gothico, 416.

Venit et extremis legio praetenta Britannis.

Hanc vocem videtur mihi Zoſimus exprimere voluiſſe, cum ſcribit in lib. 4. c. 10. τὸ μὲν στρατόπεδον τῇ ἔχθῃ τοῦ ἵστρου συμπαρτείνας. Sed unus hac voce mirum in modum delectatus eſt Ambroſius. Nam praeter illos locos quos laudavit Turnebus, utitur etiam in Epiſt. 16. *Poſtremo quaſi bonum bellatorem ſumere arma Dei ac praetendere ſemper non ſolum adverſus carnem,* etc. Et in Epiſt. 26. ad Gratianum Auguſtum: *Nocte ac die in tuis caſtris cura et ſenſu locatus, orationum excubias praetendebam.* Item in Ep. 27. ad Valentinianum Iuniorem: *Dum tu militem Rom. occupas, dum is adverſum ſe utrimque praetendit in medio Rom. Imperii ſinu, Iuthungi populabantur Raetias.* Denique in Ep. 82. *Stat autem ſpeculator providus, pervigil cuſtos qui praetendit in caſtris.* Et in libris de Excidio Hieroſol. qui Hegeſippo tribuuntur, cum ſint Ambroſii. Veteres Latini *praeſidere* dicebant, ut apud T. Livium crebro occurrit, et *praeſidia,* quas poſtea *praeturas* ſequior aetas appellavit. Sic enim ſcribit Varro in lib. 1. de lingua Lat. *Praeſidium eſt dictum, quia extra caſtra praeſidebant in loco aliquo, quo tutior regio eſſet.* Non omiſerim, praeturam olim proprie dictum eſſe locum in caſtris ad vallum, ubi cohortes primae, et Exploratores, et Claſſici cum Auxiliariis equitibus praetendebant, teſte Hygino. VALES.

Stationibus ſervabatur agrariis.] Inf. lib. 16. 11. *Stationes praetendit agrarias.* Liber de reb. bell. cap. de limit. munit. *Munitione poſſeſſorum diſtributa ſollicitudo ſine publico ſumtu conſtituat, vigiliis in his et agrariis exercendis.* Veget. lib. 1. c. 3. *Si longior expeditio emergit, in agrariis plurimum detinendi ſunt, proculque habendi a civitatis illecebris.* LINDENBR.

Stationibus agrariis.] Stationes agrariae ſunt praeſidia militum, quae in caſtellis, aut aggeribus publicis explorandi gratia conſtituuntur. Moris enim fuit Romanis, cum hoſtis non procul abeſſet, ex omni exercitu certos milites deligere, quos in caſtellis tumultuariis, aut aggeribus publicis collocabant, partim ut commeatuum ſubvectioni ſecuritas praeſtaretur, partim ne inopinato hoſtium incurſu turbaretur exercitus: idque etiam pacis tempore obſervabatur circa limitem, unde hoſtium excurſus timebantur. Has Vegetius lib. 3. cap. 8. et Auctor vetus poſt Notitiam Imperii editus, ſimpliciter *agrarias* appellant. Sic autem dictas exiſtimo, ad differentiam caſtrenſium, quae fiunt in caſtris, de quibus loquitur Tacitus in lib. 1. Annalium c. 25. *Portas ſtationi-*

bus firmant. * et Lipsius in libri v. de militia Rom. capite VIII.* Ceterum agrarias a praetenturis parum differre existimo, nisi quod praetenturae fere de peditibus tantum dicuntur. Itaque Marcellinus supra de Isauris, quos pedites fuisse constat, scribit variis eis interfaepsisse itinera praetenturis. Post etiam id discrimen fuisse, ut praetenturae quidem sub dio, agrariae vero etiam in oppidis et castellis muro cinctis agerentur: quod et Vegetius docet in loco citato. VALES.

Stationibus agrariis] Reinesius mavult *aggerariis*. Parum eas differre a praetenturis praeter Valesium existimat Gesnerus h. v. Forsan tamen ita possint discerni, ut praetenturis aliquid munimenti additum fuerit (Verhau), stationes vero nonnisi militum numeris constiterint (Vorposten). W.

Osdroenae subsederat extimas partes.] Ita hunc locum corrigendum putavi, qui antea turpissimo mendo laborabat: legebatur enim *aestimans partes*. Meam coniecturam viri Cl. et doctissimi Ant. Loisselli auctoritas mihi postea confirmavit, qui ad oram codicis sui ita emendaverat: an coniectura, an ex fide Valentini codicis quem contulerat, incertum est. Est autem *subsidere* quod Graeci ὑφεδρεύειν dicunt, cum manus militum post virgulta, aut maceriam, aut collem insidias struens occultatur: unde et subsessae dicuntur a Vegetio. VALES. Ad exemplar Hamburgense ab Lindenbrogio sic adscriptum vidi. Loisel. *subsederat extimas partes.* ut p. 27. *extimarum* pro *extremarum.* Sic enim MSS. lic p. 55. *ab insulis extimis.* p. 102. *gentium extimarum.* p. 386. *extima parte,* et alibi. ORONOV.

Osdroena] Mesopotamiae pars ab Arabum quodam vicino rege Osdroe occupata, ab Imperatoribus, Traiano, Dio Cass. XL. 19. Severo et Caracalla Romanorum imperio subiecta, Dio Cass. LXXV, 1. LXXVII, 12. Post Constantinum videtur a Mesopotamia divulsa. Wesseling. ad Itineraria p. 713. W.

Cuncta vastarat.] Sic restitui ex codice Regio et Editione Romana, cum antea legeretur *vastaret.* Valet autem *vastarat* idem quod *vastasset:* eaque locutio Graecanica est, et familiaris Marcellino, non infrequens tamen apud alios quoque Latinos Auctores. Sic enim Ambrosius in Sermone 87. *Si enim tardius hoc fecisset, interveniente sterilitate civitas sine habitatore remansserat.* VALES.

3. *Batne municipium.*] In Editione Augustana legitur πληθυντικῶς Batnae: et ita fere id oppidum efferri solet cum ab aliis Auctoribus, tum ab ipso Marcellino. Sed tamen nihil hoc loco mutandum esse existimavi, cum scirem apud Procopium lib. 2. Persicorum hoc idem oppidum βάτνην vocari: quod quidem oppidum Procopius ibidem exiguum esse dicit, et ab Osdroenae metropoli Edessa abesse diei itinere. VALES.

Batne] Locus de ea Ammiani classicus. *Septembris*, quo mense mercatorum commeatus ex India redibant. Heyne in Prolus. p. CXXXVIII quae Ammianus narrat, seriora Palmyrae calamitate esse notat. Vide omnino *Huet* Hist. du Commerce et de la Navigation des anciens. p. 320. *Wesseling* l. l. p. 190. f. *Mannert Persien* B. 5. Heft 2. S. 274. W.

In Anthemusia.] Anthemusiam Strabo lib. 16. p. 748. Almel. τόπον τῆς Μεσοποταμίας appellat. Plinius oppidum Mesopota-

miae facit, cui ſubſcribit Iſidorus Characenus, qui et χάραν σίδου dici ab incolis ſcribit. Tacitus lib. 6. c. 41. Anthemuſiada urbem nominat, quam et a Macedonibus poſitam eſſe teſtatur. Proinde nomen ei inditum videtur ab Anthemunte urbe Macedoniae. Ptolemaeus tamen cum Strabone conſentit, et Anthemuſiam ait eſſe regionem Meſopotamiae, qua contingit Armeniam. Falluntur itaque Eutropius ac Rufus Feſtus, qui Anthemuſiam opimam Perſidis regionem vocant, quaſi eadem ſit Perſis ac Meſopotamia. VALES. Cf. Interpretes ad Eutrop. VIII, 3. p. 543. Tzſchuck. W.

Aboraeque amnis.] Hunc per Anthemuſiam fluere atque in Euphratem egeri Strabo ac Iſidorus Characenus auctores ſunt. Sed Iſidorus ἀβούραν nominat. Straboni XVI. p. 747. eſt ἀβόρρας. Zoſimus in lib. 3. c. 13. ἀβώραν appellat. In Procopii exemplaribus modo ἀβόρρας, modo ἀβώρας ſcribitur. Ptolemaeo eſt χαβώρας, quem e Maſio ac Singara montibus fluere teſtatur. Poſtremo Theophylactus Simocatus lib. 3. cap. x. ἀββορᾶν ποταμὸν vocat: *Geographus Nubienſis exemplo Ptolemaei cum adſpiratione *Alchabur*, ut et ſacra Scriptura *Chobar*, Ezech. I, 1. Aelianus in lib. 12. de Animalibus capite 30. βούρρας. VALES.

CAPVT IV.

1. *Saraceni nec amici nobis umquam, nec hoſtes optandi.*] Qui tamen foederis vinculo in Romanam poſtea convenere ſocietatem. Novell. XXXI. Imp. Theodoſ. LINDENBR.

Saraceni nec amici nobis umquam, nec hoſtes optandi.] Perfidiam genti inſitam tangit his verbis. de qua etiam Menander Protector pag. 125. paria ſentit, cum ait: ὅταν δὲ λέγω Σαρακηνοὺς, ἀναλογίζεσθε τὸ ἀλλόκοτον καὶ παλίμβολον τοῦ ἔθνους. et ſupra de iisdem, πλεονεκτικώτατον γὰρ τὸ φῦλον. *cui adde Theophylactum Simocatum in fine lib. III.* Huiusmodi autem hominum neque amicitia, neque odium optandum eſt, quippe qui et amicitiae ſpecie plus noceant, et graſſandi occaſionem nanciſcantur, et in bello infeſtiſſimi hoſtes ſint. Accedit, quod amicitia Saracenorum oneri ac damno cedebat Romanis, qui grave ſtipendium quotannis eis donabant, ut docet Marcellinus lib. XXV. 6. VALES.

Saraceni] Sunt Arabes Nomades, Scenitae, uti ipſe Ammianus XXII, 15. 2. XXIII, 6. 13. dicit. cf. tamen Salmaſ. ad Solinum 344. Alii, Aſſanitae, occurrunt XXIV. 2. 4. Quos ſi Ammianus vocat *nec amicos unquam nec hoſtes optandos*, eadem iisdem verbis laus etiamnunc in proverbio eſt. vid. *Volney Reiſen* II. 305. Amici nihil magnopere iuvabant, annua iplis ſtipendia erant ſolvenda, munera praeterea, ſi quam operam praeſtitiſſent inſignem, danda, XXIV, 1. 10. diſciplinam omnem militarem averſantes; hoſtes autem rapinis omnia caedibusque foedabant. Ammianum laudat *Mannert* Th. VI. S. 297. Plura dabunt Volneius, Brucius, et, quem primo loco nominare debebam, Niebuhrius. W.

Milvorum rapacium ſimiles.] Huius loci emendatio codici Regio debetur: antea enim excuſum erat, *rapaci vitae ſimiles*.

Digitized by Google

inepte, ut apparet. Paulo poſt legendum videtur, *aut niſi impetraverint, non immorantur.* VALES.

2. *In actibus Principis Marci.*] At Scriptorum, qui res Marci nobis reliquerunt, nemo Saracenorum aut Arabum meminit. Quo magis deſiderare mihi ſubit libros illos Hiſtoriarum Marcellini, qui antiquitatis incuria perierunt. Illos enim quanta diligentia contexuerit, teſtes eſſe poſſunt ii qui ſuperſunt etiamnum. Ceterum quod commercium, aut quando habuerit cum Saracenis Marcus, coniicere difficile eſt. Videtur tamen id ei contigiſſe, cum occiſo Caſio Syriam et Aegyptum perluſtraret. Tum enim, ut ait Capitolinus, multa egit cum Regibus, et pacem confirmavit, ſibi occurrentibus cunctis Regibus et Legatis Perlarum: inter quos etiam Phylarchos Saracenorum fuiſſe credibile eſt. IDEM.

3. *Has gentes quarum exordiens initium ab Aſſyriis.*] Arabiae gentes omnes Saracenorum vocabulo complecti videtur Marcellinus, Arabia enim usque ad Babyloniam quam hic Aſſyriam vocat pertingit, teſte Strabone ac Ptolemaeo: habetque ab occaſu Aegyptum. et Nili cataractas. Proprie tamen Saraceni ſunt Arabes Scenitae, ſeu Nomades: atque initio quidem portio exigua Arabiae Felicis Saraceni dicebantur, ut teſtis eſt Plinius lib. 6. et Ptolemaeus: poſtea vero in maximam potentiam aucti, omnibus Scenitis Arabibus nomen ſuum dedere, perinde ut Lazi Colchicae. Nihilo tamen minus praeter commune vocabulum Saracenorum, ſingulae gentes propriam appellationem quoque retinebant. Alii enim Maaddeni dicebantur, alii Aſſanitae, alii Anthropophagi, alii aliter, ut Nonnoſus in Legatione, Procopius in Perſicis, et Marcellinus noſter affirmant. Ex quibus alii Perſas, alii Romanos colebant. Menander Protector p. 124. τὰ γὰρ σαρακηνικὰ φῦλα, μυρία δὴ ταῦτα, καὶ τὸ πλεῖστον αὐτῶν ἐρημονόμοι εἰσὶ καὶ ἀδέσποτοι. καὶ μὴν οὔν τῶν ῥωμαίων ἐστὶν ἃ καὶ τῆς περσῶν ὑπήκοα πολιτείας. IDEM.

Ad Nili cataractas et confinia Blemmyarum.] Blemmyes enim ad Nili cataractas ſedes habebant, Nubis proximi, ut praeter ceteros teſtatur Dionyſius Characenus de ſitu Orbis his verſibus, v. 220.

Τῶν πάρος αἰθαλέων Βλεμύων ἀνέχουσι κολῶναι,
Ἔνθεν πιοτάτοιο κατέρχεται ὕδατα Νείλου.

Ad quem locum recte Euſtathius annotat κολώνας eſſe Nili cataractas ſeu catadupos. Idem confirmat Procopius lib. 1. Perſic. ubi et limitem Romanum ea parte Nubis ac Blemyis confinem fuiſſe prodit. Claudianus de Nilo v. 18. 19.

populisque ſalus ſitientibus errat
Per Meroem, Blemyasque foros, atramque Syenem.

Blemyas autem dictos eſſe a Blemye quodam, Deriadis Indorum Regis Legato, fabulantur poëtae, qui victus a Baccho in eam partem Libyae ſe contulit, ut ex Dionyſio in Baſſaricis ſcribit Stephanus. Nonnus lib. 17. in fine:

Καὶ Βλέμυς ὠκὺς ἵκανεν ἐς ἑπταπόρου στόμα Νείλου,
Ἑσσόμενος σκηπτοῦχος ὁμόχρονος [*lege* ὁμόχροος] Αἰθιοπήων.
Καί μιν ἀειθερέος Μερόης ὑπεδέξατο πυθμὴν
Τψιγόνοις Βλεμύεσσι παρώνυμον ἡγεμονῆα.

Ex quo patet ſcribendum eſſe Blemyas cum unico m, Strabo tamen, ac Ptolemaeus, et Heliodorus, et Ammiani noſtri exempla-

Digitized by Google

ria *Blemmyas* tuentur. *Sic etiam Ammonius Monachus in libro de caede SS. Patrum in monte Sina et in Raithu, ubi illos modo Mauros, modo *Blemmyas* vocat.* VALES.

Seminudi, coloratis ſagulis pube tenus amicti.] Hunc habitum fuiſſe Saracenorum teſtis eſt Hieronymus de vita Malchi: *Et ecce ſubito equorum camelorumque ſeſſores Iſmaelitae irruunt, crinitis vittatisque capitibus, pallia et latas caligas trahentes.* Strabo autem in commune de Arabibus dicit, eos nudos et ſubligaculo cinctos, ac ſandaliis calciatos inceſſiſſe: ἀχίτωνες δ' ἐν περιζώμασι καὶ βλαυτίοις προϊᾶσι. Et Euſtathius in Dionyſium refert, quosdam nomen Arabum, quod geminata canina littera ſcribebant, inde deduxiſſe ἀπὸ τοῦ μὴ φάπτειν τὰ ἱμάτια, ἀλλὰ περιτυλίσσεσθαι τὰ ὑφάσματα: quod tunicas et pallia non conſuerent, ſed texta corpori circumiicerent. IDEM.

4. *Poſt ſtatum diem, ſi id elegerit, diceſſura*] ut ne diculam quidem ultra pactum tempus in familia maneret mariti. W.

Alibi mulier nubat, in loco pariat alio.] Ita de Hunnis lib. XXXI. 2. 10. *Nullus apud eos interrogatus reſpondere unde oritur poteſt, alibi conceptus, natusque procul, et longius educatus.* LINDENBR.

6. *plerosque nos vidimus — uſum vini penitus ignorantes.*] Apte confert *Weſſeling* in Obſervatt. p. 140. locum Spartiani in Peſcennio c. 7. ubi Peſcennius Niger falſe militibus, qui in proelio cum Saracenis victi diceſſerant, cum importunius vinum expoſtularent, *erubescite*, inquit, *illi, qui vos vincunt, aquam bibunt.* Nec temere idem vir olim doctiſſimus colligit, inde factum, ut Mohamedes ipſe Arabs ſectatoribus vini uſu interdixerit. W.

CAPVT V.

1. *Die* VI. *Idus Octob. qui imperii eius annum* XXX. *terminabat.*] Anno Chriſti 324. Criſpo 3. et Conſtantino 3. Coſſ. Caeſar a patre creatus fuerat Conſtantius VI. Idus Novembres, ut ſcribit Idatius in Faſtis, et Auctor Chronici Alexandrini: a quo anno ad Conſulatum Conſtantii Auguſti 6. et Conſtantii Caeſaris 2. anni ſunt viginti novem ſolidi. Itaque memoria lapſus videtur hic Marcellinus, qui pro nono ac viceſimo triceſimum poſuit. Ac vereor ne et VI. Idus Octob. pro Novemb. poſuerit. Certe Idatius et Chronicum Alex. VI. Idus Novemb. Caeſaris dignitatem delatam eſſe Conſtantio narrant. (cf. Tillemont T. IV. P. 1. p. 602. ſſ. W.) Ceterum hos ludos theatrales ac circenſes tanto apparatu editos, ad tricennalia referendos eſſe non dubito, quae hoc anno exhibuit Conſtantinus ineunte anno imperii triceſimo. Quod fortaſſe erroris anſam praebuit Marcellino. VALES. Sic utraque editio, et tamen voluit *Conſtantius*, certe debuit. GRON.

inſolentiae pondera gravius librans, et paullo poſt: *exſulari moerore multavit*, ſimplicius efferre poterat: inſolentior in dies eſſe coepit, et in exſilium egit. Sed in talibus ſibi placet Ammianus. W.

2. *Utque aegrum corpus quaſſari etiam levibus ſolet.*] Eadem ſimilitudine utitur Seneca in libro 1. de Ira ſub finem: *Ut exulcerata et aegra corpora ad ictus leviſſimos gemunt; ita muliebre maxime et puerile vitium eſt iracundia.* VALES.

animus anguſtus et tener] (parvus anguſtusque animus XVIII, 6. 7. anguſtum minutumque pectus XIX, 12. 5.) qui altius ſeſe erigere non poteſt demiſſus, timidus eſt. *tener*, ima auricula mollior XIX, 12. 7. quem locum omnino conferas velim. W.

3. *Si quis enim Militarium vel Honoratorum.*] Militares ſunt viri militari dignitate praediti, ut Tribuni, Duces, Comites rei militaris, et Magiſtri militum. Ita Ammianus Marcellinus cum alibi, tum in libro 21. (16. 1. cui loco addi iubet Tacitum Hiſt. 1, 77. Daviſ. ad Cicer. Tuſc. 1, 35. W.) de Conſtantio: *Numquam erigens cornua militarium. nec ſub eo Dux quisquam cum Clariſſimatu provectus eſt: nec occurrebat Magiſtro equitum provinciae rector.* Honorati vero ſunt qui civiles dignitates geſſere vel in urbe vel in provinciis. Sic in lege 8. de privilegiis eorum qui in ſacro Palatio militant, Codice Theod. *Qui vel poſt adminiſtratam provinciam Honorati auctoritate fulcitur:* et lege 1. 2. et 3. ne quid publicae laetitiae nuntii. Marcellinus quoque noſter in lib. 29. 1. *Abundeque Honoratum. Aſiam quippe rexerat pro Praefectis.* Porro ut in antiquis Inſcriptionibus ſaepiſſime Honorati et Decuriones coniunctim occurrunt, ita et Libanius in Orat. ad Theodoſium de ſeditione, (T. 1. p. 637. Reisk τοὺς ἐν ἀρχαῖς γεγενημένους, id eſt Honoratos, et τοὺς πολιτευομένους, id eſt Decuriones coniungit. Et rurſus in Oratione in laudem Ellebichi, (T. II. p. 11. Reisk. εἰσεκαλεῖτο μὲν οὗπερ ὁ δικαστὴς κατήγετο, τῶν τε ἀρξάντων οὐκ ὀλίγοι καὶ τῆς βουλῆς ὁπόσον οὐκ ἐπιφεύγει. id eſt: In Praetorium Iudicis, Honorati et Decuriones qui nondum fugerant, vocabantur. Et in Epiſtola 187. ad Modeſtum Praefectum Praetorio: ἡ βουλὴ μὲν ὑπηρετεῖ σιγῇ· τῶν δ' ἐν ἀρχαῖς γεγενημένων οἱ μὲν ταὐτὸν ἐκείνοις ποιοῦσιν, εἰσὶ δὲ οἷς δοκεῖ τὸ πρᾶγμα δεινὸν, οἷς ἀξία μέν ἐστι, δύναμις δὲ οὐκ ἔστι. *Theodoritus lib. IV. capite XVII. τῶν ἐν τέλει καὶ ἀξιώμασι.* Poſtremo Gregorius Nazianzenus in Orat. 1. quae στηλιτευτικὸς inſcribitur, utrosque iungit: ὅσοι τε τὰ πολιτικὰ διώκουν καὶ ὅσοι τῶν ἐπ' ἀξίας, *et in Oratione XX. pag. 337. ὅσοι τῶν ἐπ' ἀξίαις.* Sunt igitur Honorati, οἱ ἐν ἀρχαῖς γεγενημένοι, οἱ ἄρξαντες, οἱ ἐπ' ἀξίας; ſeu οἱ ἀπὸ τῶν ἀρχῶν, ut loquitur Libanius in Oratione in Lucianum initio. Dicebantur etiam ἀξιωματικοὶ, ut videre eſt in Gloſſario Meurſii. *Ita Gregorius Nazianzenus in Epiſtola 22. ad Caeſarienſes, τοῖς ἐκ τοῦ ἀξιωματικοῦ καὶ βουλευτικοῦ τάγματος: et in Epiſtola 49.* Hi autem multis et magnis privilegiis fruebantur. Nam et iudicibus occurrere eosque ſalutare, eorumque ſecretaria ingredi, et cum iis reſidere poterant, ut docet lex 1. Codice Theod. de officio Iudicum Civilium, et lex 5. et 7. de proximis, et Comitibus diſpoſitionum: quae quidem plebeiis hominibus non licebant. Unde Severus, cum eum plebeius quidam municeps Leptitanus tum legatum Procoſ. praecedentibus faſcibus eſſet amplexus, fuſtibus hominem caedi iuſſit ſub hoc elogio: Legatum Procoſ. homo plebeius temere amplecti noli: ut refert Spartianus c. 2. Plebeio quidem opponitur Honoratus, ut apud Ambroſium in Ep. 82. *Quanto magis in Eccleſia, ubi et dives et pauper, et ſervus et liber,*

Digitized by Google

et Honoratus et plebeius, omnes in Chriſto unum ſumus. In Notis Valerii Probi plebs urb. et hon. v. explicatur, *et honoribus uſi.* *Vetus inſcriptio. DIVISIT. OB. DEDICATIONEM. BIGAE. DECURION. SINGUL. X. V. COLLEGIS. OMNIBUS. VII. PLEBEI. ET. HONORE. USIS. XIII.* Ceterum etſi proprie Honorati dicantur ii qui civiles dignitates geſſere: tamen non negaverim etiam ſumi poſſe de iis qui militari dignitate perfuncti ſunt: quod evincit vel unus Marcellini locus ex lib. 21. 6. 2. *Inter alios honore conſpicuos adoraturi Imperatorem peregre venientem ordinantur etiam ex Tribunis inſignibus.* VALES.

Quod nominatus eſſet, aut delatus, aut poſtulatus.] Nominatum dicit eum, qui rumore tenus inſimulatus eſt, ut paullo ante dixerat: delatum vero, qui aut ad Iudicem, aut ad Imperatorem alicuius indicio denuntiatus eſt. At poſtulatus is dicitur, qui legibus inter reos eſt receptus, ſubſcribente adverſario. Poſtulationem ſequebatur interrogatio, in qua accuſator reum interrogabat coram Praetore hoc modo: *Aio te Siculos ſpoliaſſe.* Quod ſi reus tacebat, lis ei aeſtimabatur ut victo. Sin negabat, petebatur a magiſtratu dies inquirendorum eius criminum, et inſtituebatur accuſatio, ut ait Aſconius in 4. Verrinam: quod *inquiſitionem poſtulare* dicit Plinius in lib. 5. Epiſt. 20. ad Urſum. Interrogatio igitur in criminalibus cauſis plane reſpondebat litis conteſtationi in civilibus. IDEM.

inſulari ſolitudine damnabatur] in inſulam deſertam deportatus, *Gyari clauſus ſcopulis, parvaeque Seriphi,* Iuvenal. x, 170. cf. ad XXVIII, 1. 23. W.

4. *Accedebant enim eius aſperitati.*] (Pro *enim* mavult *etiam* Vonkius in Lect. latinis p. 38. W.) Hunc locum foede conſpurcaverat Petrus Caſtellus. Ac neſcio utrum magis mirari debeam, an hominis illius impudentiam, qui tam ſecure ac confidenter lectoribus auſus ſit illudere, an potius patientiam doctorum virorum, qui Marcellini hiſtorias poſtea edidere. Editio Romana hunc locum ſic exhibet: *Aceidebant enim eius aſperitate ubi imminuente ..... amplitudo imperii dicebatur, et iracundiae ſuſpicionum quantitati.* Neque aliter MſS. Florentinus et Regius *ac Tolaſanus*: niſi quod in Regio et *Toloſ. ac Vatic.* legitur *imminutae.* Ex quo proclive erat veram lectionem elicere: quam confirmat alter locus plane geminus ex libro 21. 16. ſub finem: *Addebatur miſerorum aerumnis qui rei maieſtatis imminutae vel laeſae deferebantur, acerbitas eius et iracundae ſuſpiciones.* VALES.

imminuta amplitudo imperii] maieſtas. cf. XXI, 16. 9. pulſata maieſtas imperii XIV, 7. 7. XIX, 12. 17. — *iracundae ſuſpicionum quantitati,* nimis quaeſite pro multis ex animi vehementia ortis ſuſpicionibus. — *principis perditur vita.* malim cum Valeſio *proditur — revocari,* denuo in iudicium vocari, in cauſam denuo inquiri, poenam remitti, vel mitigari. Locus ſimillimus eſt XXX, 8. 3. ubi *eriperet morte ſubſcriptionis elogio leni.* W.

A Principis ſalute velut filo pendere ſtatum orbis terrarum.] Prudenter hoc quidem et laudandum. Ut enim inquit Egeſipp. lib. 5. cap. 30. *in milite unius ſors eſt, in Imperatore univerſorum periculum.* Unde in acclamationibus ſollemnis haec vox eſt: SALVA ROMA, QUIA SALVUS IMPERATOR. Lamprid. in Alex. Sever. c. 57. L. 2. C. Theod. de veteranis, quae eſt l. 1. lib.

XII. Tit. XLVII. C. Iuſtin. *Cum introiſſet principia, et ſalutatus eſſet a Praefectis et Tribunis, et viris eminentiſſimis, adclamatum eſt: Auguſte Conſtantine, Dii te nobis ſervent, veſtra ſalus, noſtra ſalus, vere dicimus, iurati dicimus.* Phaedrus lib. v. fab. 7, 27.

Laetare incolumis Roma, ſalvo Principe.

Locutus autem Ammian. ad imitationem Val. Max. lib. VI. cap. IV. §. 1. *Cum admodum tenui filo ſuſpenſa Reip. ſalus ex ſociorum fide penderet.* LINDENBR.

Si Principis perditur vita.] Mallem *proditur.* Idem error inſederat quemdam locum in fine lib. 25. *Niſibi perdita:* ubi Regius codex habet *prodita.* VALES.

5. *Oblato de more elogio.*] Elogia damnatorum interdum offerebantur Principibus, puta ſi Iudici ſententiae pro criminis merito ferendae ius non eſſet, leg. 6. D. de interdictis: aut ſi forte damnatus nomen Principis appellaſſet: aut ſi a Iudicibus Conſiſtorianis cauſa eſſet cognita Principe abſente ac iudicata. Fere tamen antequam ſententiam ferrent, Principem conſulebant, ut patet ex lib. 29. 1. in cauſa Theodori, et ex libro X. Epiſt. Symmachi. Eſt autem elogium proprie quidem brevis adnotatio criminis, ſeu titulus criminis, ut dicitur in lege 3. D. Stellionatus: Graece ἔλεγχος καὶ ἀναγραφή, ut eſt in veteribus Gloſſis. Sic elogium ſumitur apud Suetonium in Caligula, c. 24 et 27. et lege ult. Codice Th. de naviculariis. Interdum tamen pro ſententia et condemnatione ſumitur quae cauſſam criminis habet adiunctam. Ita Marcellinus tum hic, tum infra in hoc libro 7. 2. *Multos ſub uno elogio iuſſit occidi.* quod in libro 29. 1. 38. dicit: *Cunctos ſub uno proloquio iubet occidi.* Et rurſus in libro 19. 12. 9. *Perque Principis elogium torqueri praeceptus.* Hieronymus quoque in Epiſtola ad Paulum Concordienſem ita uſurpat, cum dicit: *Maledicti hominis diſtulerat elogium.* Gloſſae, elogium, διάταγμα. Rufinus in tractatu 1. de Fide, quem ex Graeco Gregorii in Latinum vertit: *Ab his* (inquit) *qui nunc elogio Arianae labis addicti ſunt.* Et Zeno Veronenſis in ſermone de Martyrio Iſaïae Prophetae: *Iſaïas cum Chriſtum praedicaret, vel cum futurae damnationis elogium Iſraëlitico populo nuntiaret.* Et in ſermone de Pſalmo centeſimo ait: *Gradatim et pro meritis, quaſi cum quibusdam elogiis, pauciſſimis verbis totius humani generis iudicium deſignavit.* Denique Petrus Chryſologus in ſermone 121. *Sed requiramus, fratres, quae divitis culpa, quod crimen, quod ſcelus reum ſupplicils addixit inferni, et ante iudicium, damnationis eius elogium tot ſaeculis fecit ipſo iudice referente cantari.* IDEM. Cf. Perizonius ad Aeliani V. H. XIV, 43. W.

Propoſitum accendente adulatorum cohorte.] Notat hoc vitium in Conſtantio Iulianus in Epiſt. et Ammian. lib. 18. LINDENBR.

6. *ortus in Hiſpania*] Sed, notante etiam Reineſio, XV, 3. 4. Dacia eidem patria tribuitur, vide ibi Valeſium. W.

Glabro quidam ſub vultu latens.] In Regio ac Florentino codice legitur *glaber quidam;* neque aliter Editio Romana et Auguſtana. Eſt autem Graeciſmus, Marcellino noſtro utpote homini Graeco familiaris, ψιλός τις. VALES. Sic et XXVI, 5. 7.

Digitized by Google

iracundo *quodam* et ſaevo. Sed τὸ *quidam* nimis remotum a nomine Pauli, ideoque malim *quidem*, quod et habet Lindenbrogiana. W.

Auſos conſpiraſſe Magnentio, cum reniti non poſſent.] Arguit his verbis atrocitatem Conſtantii, qui ſine ullo discrimine cunctos qui Magnentium erant ſecuti, damnavit: neque ullum discrimen habuit eorum, qui ſuopte motu, et eorum, qui coacti id feciſſent. Etenim in bellis civilibus praeſidia militum arci impoſita, praeoccupata itinera, aliaeque eiusmodi neceſſitates invitos plerumque ad partes trahunt. Eorum hominum fortuna magis eſt miſeratione quam ſupplicio digna: ut de Athenienſibus qui a Sulla oppugnabantur, Velleius ſcribit II, 23. *Oppreſſi Mithridatis armis, homines miſerrimae conditionis, cum ab inimicis tenerentur, oppugnabantur ab amicis: et animos extra moenia; corpora neceſſitati ſervientes intra muros habebant.* Itaque Severi inhumanitas omnibus ſaeculis deteſtanda habebitur: qui, *cum quidam hoſtium, quem tamen, ut bellis civilibus ſolet, conditio loci ad Albinum detulerat, cauſa expoſita noviſſime concluſiſſet: Quid, quaeſo, faceres ſi tu eſſes? Reſpondit: Ea perferrem, quae tu,* ut ſcribit Aur. Victor c. 20. Quanto clementius Aurelianus, Princeps alioquin aſperioris ingenii? Is enim Antiochenſes, qui a partibus Zenobiae ſteterant, eaque capta ſe ad barbaros receperant, propoſitis edictis promiſſa impunitate revocavit, τῷ ἀκουσίῳ καὶ ἀναγκαστῷ πλέον ἢ προαιρέσει τὰ συμβάντα ἀνατιθεὶς, ut ait Zoſimus Lib. I, 51. Praeclare etiam Iulianus Auguſtus, qui capta Aquileia ipſos quidem tumultus auctores extremo ſupplicio affecit: reſiduis autem omnibus pepercit, quos in certaminum rabiem neceſſitas egerat, non voluntas, ſicut loquitur Marcellinus lib. 21. c. 12. Denique Themiſtius in Orat. 9. Valentem laudat, qui prudenter ſcelus ab errore et calamitate diſtinxerit: οὐ γὰρ τῆς ἴσης τιμωρίας ἀξίους ᾠήθης τούς τε ἐξαρχῆς βουλεύσαντας τὴν ἐπανάστασιν, καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν ὅπλων παρασυρέντας, καὶ τοὺς ἤδη τῷ δοκοῦντι κρατεῖν ὑποκύψαντας· ἀλλὰ τῶν μὲν κατέγνως, τοὺς δὲ ἐμέμψω· τοῖς δὲ συνήλγησας. VALES. *Inuſſerat.* Erneſt. in Gloſſ. conferri iubet Drakenborch. ad Livii IX. 3, 13. W.

7. *Martinus agens illas provincias pro Praefectis.*] Antea legebatur, *regens illas provincias pro Praefecto.* Sed lectionem quam vulgavimus, tuentur codex Regius et Florentinus cum Editione Rom. et Auguſtana. Et ita loqui ſolet Marcellinus: ut in lib. 21, 8. 1. de Gumoario: *Quem, cum Scutarios ageret, latenter prodidiſſe Vetranionem ſuum principem audiebat.* Et in lib. 26, 1. 5. *Agens ſcholam Scutariorum ſecundam.* Neque aliter Capitolinus in geſtis Albini c. 6.: *Egit Tribunus equites Dalmatas, egit et legionem Primanorum.* Et Aurelius Victor in Diocletiano c. 39. de Iuliano quodam: *Cum Venetos Correctura ageret.* Denique Anaſtaſius Aug. in Epiſtola ad Hormisdam Papam: *Theopompum virum inluſtrem, agentem ſacri noſtri Palatii ſcholam.* VALES.

Pro Praefectis.] Id eſt, Vicarius Britanniarum: unde Marcellinus paullo poſt eumdem Martinum Vicarium vocat. Sic lib. 23. 1. 2. de Alypio Antiochenſi: *Qui olim Britannias ouraverat pro Praefectis.* Hanc poteſtatem deſcribit etiam Rutilius, libro 1. Itinerarii his verſibus, 499.

Conſcius Oceanus virtutum, conſcia Thule,
Et quaecumque ferox arva Britannus arat:
Qua Praefectorum vicibus fraenata poteſtas
Perpetuum magni fenus amoris habet.

Aliud eſt agere pro Praefecto, aliud agere pro Praefectis. Agere enim pro Praefecto dicitur is, cui Praefectus Urbi ſeu Praefectus Praetorio in ſpeciali negotio vices ſuas mandavit. At vero pro Praefectis agere dicitur, qui ordine codicillorum Vicariam poteſtatem exercet. Conſtantinus in Epiſt. ad Macarium: Δρακιλλιανῷ τῷ διέποντι τῶν λαμπροτάτων ἐπάρχων μέρη, apud Euſebium et Theodoritum, * id eſt, *Dracilliano agenti vices Praefectorum Praetorio*, ut legitur in lege 1. Codicis Theodoſiani de uſuris.* Sic apud Marcellinum tum in locis ſupra citatis, tum in lib. 29. 1. *Aſiam quippe rexerat pro Praefectis.* et in lege 4. Codice Th. de Proximis et Comitib. *Proximos ita Vicariorum honore cumulamus, ut inter eos habeantur, qui pro Praefectis dioeceſes ſibi creditas temperarunt.* Eleganter Cledonius Senator Romanus: *Saepe quaeſitum eſt*, inquit, *utrum Vicarius dici debeat etiam is cui magnificentiſſimi Praefecti vices ſuas in ſpeciali cauſa mandaverunt. Nequaquam. Nam Vicarius dicitur is, qui ordine codicillorum vices agit ampliſſimae Praefecturae. Ille vero cui vices mandantur propter abſentiam Praefectorum, non Vicarius, ſed vices agens; nec Praefecturae, ſed Praefectorum dicitur tantum.* Ita Caſſiodorus Praef. Praet. Ambroſium, cui vices ſuas delegarat, *agentem vices* vocat, non vicarium in lib. xi. Neque tamen negaverim Vicarium dici poſſe pro Praefecto agere. Sane Aurelius Victor in Diocletiano ita dicit: *Ea tempeſtate apud Poenos Alexander pro Praefecto gerens.* quod Zoſimus in lib. 2. c. 12. ſic expreſſit: Ἀλέξανδρος τόπον ἐπέχειν τοῦ ὑπάρχου τῆς αὐλῆς ἐν Λιβύῃ καθεσταμένος. * De his Vicariis Praefectorum intelligendus eſt locus Ambroſii, ſeu potius Hilarii in Commentariis Epiſtolae ad Coloſſenſes: *Numquid aliquis vicem domini agens, ipſo praeſente, dominatur? Si Perfectorum Vicarii, praeſentibus eis, privati ſunt; quanto magis ſervi, praeſente domino, etiam ipſi in obſequio debent videri?** VALES.

8. *Ad Comitatum Imperatoris.*] Id Galli dicunt, *à la Cour de l'Empereur.* Conſtantius Imp. in reſcripto ad Taurum l. 7. C. de malef. et mathem. *Qui in Comitatu noſtro ſunt, ipſam pulſant propemodum maieſtatem.* L. 6. 7. C. Theod. de leg. et decret. legat. *Perducere ad Comitatum.* Plura de hac locutione iam notata ad Symmach. LINDENB.

Exitio urgente abrupto.] Antea legebatur: *exitio urgente: abrepto ferro eumdem adoritur Paulum.* Sed cum in Mſ. Florentino et Editione Romana legeretur *abrupto*, locum ſic interpungendum eſſe exiſtimavi. Codex Regius ſcriptum habet *rupto.* In eodem codice et in Editione Rom. legitur, *quae percitus ille:* et ad oram codicis Regii emendatum eſt ex coniectura *quare.* Ceterum abruptum exitium, et periculum, et diſcrimen, voces ſunt Marcellino noſtro familiares, adeo ut exempla afferre ſupervacuum ſit. Sic etiam loquuntur Imperatores in lege 28. Cod. Th. de petitionibus. VALES. Cf. infra xvi, 8. abruptum neceſſitatis. xxxi, 1. abruptum diſcrimen. Ruhnken. ad Vellei. p. 79. W.

Digitized by Google

Remora auſus miſ. caſus levare multorum.] Editio Romana, quae prima recens tum inventa arte typographica prodiit, hoc loco habet, *remota:* neque aliter codex Regius, ad cuius interiorem marginem ex coniectura emendatum eſt, *revera:* quod quidem mihi quoque in mentem venerat, antequam eum codicem nactus eſſem. Sed minime ſatisfacit. Poſſit etiam legi, ac melius fortaſſe, *remoto*, ſupple Paulo. VALESIUS. Henr. Ernſtius lib. 5. Obſer. 5. cogitabat *iuſtiſſimus rector*, *auſus*. GRONOV. Reineſius *temere*. Ego vero nil mutandum cenſeo. Remora, Plauto uſurpata, eſt *mora;* eo igitur, quod moram iniiceret cruenti Pauli conſiliis, quamdiu poſſet, ei ſeſe opponeret. W.

9. *eculei.*] De his vide Valeſium ad XXVI. 10. effigiem apud Magium de tintinnabulis et equuleo. Amſt. 1664. 12. W.

Proſcripti ſunt plures, actique in exſilium alii.] Proſcripti ſunt, quorum bona publicata ſunt, ſeu deportati, ut in Codice, toto titulo de bonis proſcriptorum: acti autem in exſilium, ſunt relegati. Ita Marcellinus noſter haec diſtinguere ſolet. Ut, exempli gratia, in lib. 26. ſub finem: *Exin cum ſuperata luctibus ferocia deflagraſſet, proſcriptiones et exſilia quae leviora videntur, quamquam ſint aſpera, viri pertulere ſummates.* et Proſper in Chronico haec perinde diſtinxit, cum ait Aëtio et Sigisvulto Coſſ. *Primum proſcripti, deinde in exſilium acti, tum atrociſſimis ſuppliciis excruciati.* Gloſſae veteres: δημεύω proſcribo; δήμευσις proſcriptio. Capitolinus in Antonino Pio c. 7. *Publicatio*, inquit, *bonorum rarior quam umquam fuit, ita ut unus tantum proſcriberetur.* VALES.

CAPUT VI.

1. *Orſitus Praefecti poteſtate.*] Memmius Vitraſius Orſitus V. Cl. Praefecturam Urbanam iniit 6. Idus Decembris, Conſtantio Aug. 6. et Conſtantio Gallo 2. Coſſ. ut eſt in libro Faſtorum urbis Romae, quem primus edidit Cuſpinianus. VALES.

Orſitus] Praefectus Urbi A. C. 354. cuius in honorem Inſcriptiones leguntur apud Gruterum et Muratorium. cf. etiam Prosopographiam Codicis Theodoſ. et *Corſinum* de Praeff. Urbis. Pis. 1766. 4. p. 213. et 220. W.

Urbem aeternam.] Sic locis infinitis appellatur, non ſolum ab Amm. ſed ab ipſis etiam Impp. ut ex illorum Conſtitutionibus notum. In nummis quoque antiquis, inſidens ſcuto Roma, victoriam dextra, ſcipionem ſiniſtra gerens, cum hac inſcriptione videtur: ROMAE AETERNAE. Alia ambitioſae huius urbis elogia alibi congeſſimus. Lubet nunc tantum pauca ex aliis Auctoribus collecta huc apponere. Et quidem Romae urbis laudes elegantiſſimis verſibus canit Lesbia Erinna apud Stobaeum cap. XLVIII. de Fortitudine, p. 166. et Ariſtid. Orat. de ea integra. * Claudian. lib. 3. de laud. Stilicon. * Marcian. Heracleota, pag. 10. ἄστρον τι κοινὸν τῆς ὅλης οἰκουμένης. Polemon: ἐπιτομὴ τῆς ὅλης οἰκουμένης. Eunapius Sardian. in Proaeref. βασιλεύουσα ῥώμη. Rutil. Numat. lib. 1. 47.

— — Regina tui pulcherrima mundi,
Inter ſidereos Roma recepta polos.

Aeth. Coſmog. *Domina tōtius mundi Roma.* Solin. *Caput orbis.* Iul. Frontin. *Regina et Domina orbis.* * Marinus in vita Procli, *βασιλὶς πόλις*, p. 165.* Marti. *terrarum Dea, cui par eſt nihil, et nihil ſecundum.* * Cicero Catilin. IV, c. 6. eam vocat lucem orbis terrarum, atque arcem omnium gentium.* LINDENBR.

Seditiones ob inopiam vini.] Praefectus Urbi annonam populi Rom. curabat, non tantum ut panes civiles ſingulis civibus gratis erogarentur ex more: ſed etiam ut frumentum vaenale in foro ad populi uſus abunde ſuppeteret. Neque enim panis gradilis ad integram familiam paſcendam ſufficere poterat. Oleum praeterea ac porcinam carnem idem curabat et vinum. Unde in Notitia Imperii ſub eius adminiſtratione Praefectus annonae, et Tribunus fori Suarii, et Rationalis vinorum fiſcalium recenſetur. Vinum igitur, perinde atque oleum ac porcina, gratuito erogabatur populo Rom. ex inſtituto Conſtantini Magni, teſte Suida in v. *παλατῖνοι*, et Codino in libro de Originibus Conſtantinop. Manſitque ea ſollemnis erogatio vini diu poſt Conſtantinum: ut docet lex 3. Codicis Th. tributa in ipſis ſpeciebus inferri, et lex 4. de piſtoribus. Porro annonam iam inde ab Auguſti temporibus populus Rom. gratuitam accipiebat: ſed initio quidem menſtruam tantum et in frumento, ut teſtis eſt Dionyſius Halic. lib. 4. (c. 24. p. 698. Reisk. *οἱ δὲ ἵνα τὸν δημοσίως διδόμενον σῖτον λαμβάνοντες κατὰ μῆνα*: et Suetonius in Auguſto c. 40. Hinc teſſerae frumentariae dicuntur in lege 52. D. de iudiciis. Poſtea vero panes quotidie distribui coepere, ut docet Vopiſcus in Aureliano, Themiſtius in Orat. 4. et lex 4. Cod. Th. de annonis civicis et pane gradili. Codinus *ἄρτους ἡμερησίους* appellat. Porcinam autem primus gratuitam populo Rom. praeberi conſtituit Aurelianus, teſte Vopiſco c 4. Oleum vero gratuitum praebuit Severus, ut auctor eſt Spartianus 18. At vinum primus, ut dixi, Conſtantinus gratis erogari ſtatuit, cum id Aurelianus tantum cogitaviſſet. VALES.

2. *Lecturos, forſitan ſi contigerit.*] Ferri poteſt, mallem tamen *contigerint*. — *vilitates* minutias, res leviores. — *ſponte propria* XVII, 2. 3. XXVIII, 4. 16. XXXI, 12. 15. W.

3. *Virtus convenit atque Fortuna.*] Mutuatus eſt haec, ut et alia quae ſequuntur, a Luc. Floro Prooem. *Tot laboribus periculisque iactatus* (pop. Rom.) *ut ad conſtituendum eius Imperium contendiſſe* VIRTUS *et* FORTUNA *videantur.* * Imitatus eſt Arnulfus Lexoviens. Epiſc. pag. 44. b. *Ut ad conſtitutionem Eccleſiae illius contendere Virtus et Fortuna viderentur.** Ita de Alex. Mag. Curtius lib. X, 5. *Fatendum eſt, cum plurimum Virtuti debuerit, plus debuiſſe Fortunae, quam ſolus omnium mortalium in poteſtate habuit.* LINDENBR.

4. *Ab incunabulis primis.*] Flor. Prooem. *Si quis pop. Rom. quaſi hominem conſideret, totamque eius aetatem percenſeat, ut coeperit, utque adoleverit, ut quaſi ad quemdam iuventae florem pervenerit, ut poſtea velut conſenuerit, quatuor gradus proceſſusque eius inveniet.* * Videndus omnino Lactantius de divino praemio c. 15. p. 420.* IDEM.

Ab incunabulis primis adusque pueritiae tempus.] Praeter locum Flori, quem hic attulit Lindenbrogius, alter est Senecae apud Lactantium in lib. 7. c. 15. quem ob elegantiam integrum adscribam. *Non inscite Seneca Romanae urbis tempora divisit per aetates. Primam enim dicit infantiam sub Rege Romulo fuisse, a quo et genita et quasi educata sit Roma. Deinde pueritiam sub ceteris Regibus, a quibus et aucta sit, et disciplinis pluribus institutisque formata. At vero Tarquinio regnante cum iam quasi adulta esse coepisset, servitium non tulisse, et relecto superbae dominationis iugo, maluisse legibus obtemperare quam Regibus. Cumque esset adolescentia eius fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus coepisse iuvenescere. Sublata igitur Carthagine, quae diu aemula Imperii Rom. fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit, donec Regibus cunctis et nationibus subiugatis, cum iam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur, quibus se ipsa confecit. Haec fuit prima eius senectus, cum bellis lacerata civilibus, atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta. Amissa enim libertate, quam Bruto duce et auctore defenderat, ita consenuit, tamquam se ipsa sustentare non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur.* VALES.

Circummurana] Vix alibi invenias. Semel tamen adhuc infra occurrit XXI, 13. 2. W.

Nomine solo aliquoties vincens.] Fama et nominis auctoritas, maximum in bello pondus. Iustin. lib. 42. *Plus Caesar magnitudine nominis sui fecit, quam armis alius Imp. facere potuisset.* Livius lib. 27. c. 45. *famam*, inquit, *conficere bella.* Curt. lib. 3. 8. *fama bella constare.* * Lib. 4. 4. *Famam quoque, qua plura quam armis everterat, ratus leviorem fore, si Tyrum, quasi testem se posse vinci, reliquisset.* Lib. 5. 13. *Sed nomen Alexandri et fama maximum in bello utique momentum.* Vid. Plin. lib. 4. Epist. 11. LINDENBR.

5. *Leges fundamenta libertatis.*] Respexit ad Ciceronis locum in Or. pro A. Cluentio (c. 53.) *Tu mihi concedas necesse est, multo esse indignius in ea civitate, quae legibus teneatur, discedi a legibus. Hoc enim vinculum est huius dignitatis, qua fruimur in rep. hoc fundamentum libertatis. — Legum denique idcirco omnes servi sumus, ut liberi esse possimus.* Plane ut versus antiquus in lib. Epigram. pag. 23. *Iuri servitium defer, sic liber haberis.* Leges enim timere, maxima est securitas. Synes. Epist. 2. Ἀφοβία μεγίστη, τὸ φοβεῖσθαι τοὺς νόμους. IDEM.

Caesaribus tamquam liberis suis regenda.] Puta cum populus in eos omne imperium suum potestatemque contulit, l. 1. ff. de Constit. Imp. Instit. de iur. natur. gent. Idque ex lege Regia, lata olim de potestate Romuli, et relata de Imperio Octavii: ut ex Dione constat lib. LIII. Cuius quidem legis mentio iterum l. 1. ff. de mort. infer. l. 1. §. 2. de vet. iur. enucl. l. 3. C. de testam. IDEM.

6. *Olim licet otiosae sint tribus pacataeque centuriae.*] Quia scilicet nullae tum erant tribus, nullae centuriae. Neque enim ex eo quod otiosae tribus pacatasque centurias iamdudum fuisse

ait Marcellinus, tunc tribus ac claſſes fuiſſe putandum eſt. Nam centuriae quidem diu ante Marcellini aetatem eſſe deſierant, ut teſtis eſt Arnobius in lib. 2. *Qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transiſtis. Numquid enim quinque in claſſes habetis populum distributum, veſtri olim ut habuere maiores?* Tribus quoque paullatim ſub imperio Caeſarum collapſae, tandem penitus deſierunt paullo poſt tempora Antonini Caracallae, ut opinor, cum is omnibus in orbe Rom. degentibus civitatem dediſſet. Sane poſt ea quae dixi tempora, rara ac prope nulla tribuum mentio fit in vetuſtis inſcriptionibus, cum antea paſſim cognomen tribuum adſcribi videamus. Nec me movet, quod Iulianus Aug. in Oratione 3. ad Euſebiam Auguſtam (p. 129. Spanh.) τῶν Φυλῶν ἐπιστάτας Romae commemorat. Non enim tribuum Praefectos, ſed Curatores regionum intelligit, ut et Libanium loqui ſaepiſſime deprehendi. VALES.

Pompiliani ſecuritas temporis.] Numae Pompilii. Claudian. IV. Conſulatu Honor. v. 491.

— — *notis regimur fruimurque quietis*
Militiaeque bonis, ceu bellatore Quirino,
Ceu placido moderante Numa. LINDENBR.

Ut domina ſuſpicitur et Regina.] Non is ſum, qui vulgatas Editiones temere damnem. Sed tamen conſenſus librorum admonet me, ut ſcriptam lectionem non diſſimulem. Codex certe Florentinus ac Regius cum Editione Rom. et Auguſtana ſcriptum exhibent: *ut domina ſuscipitur*, quae fortaſſe verior lectio eſt. Sic in lib. 15. 8. *Caeſarem admiratione digna ſuscipiebant.* Sane apud Graecos ἀποδέχεσθαι, quod proprie ſignificat ſuscipere, fere de venerantibus dicitur. ut apud Polybium in lib. 5. c. 12. τὸν δὲ Φίλιππον ἀποδέχεσθαι καὶ θαυμάζειν. et apud Diodorum Siculum lib. 16. c. 90. de Timoleonte Corinthio: οἱ δὲ Συρακούσιοι μεγάλως ἀποδεδεγμένοι τὸν ἄνδρα διά τε τὴν ἀρετὴν καὶ τὸ μέγεθος τῶν εὐεργεσιῶν. Sic etiam apud Artemidorum in lib. 3. p. 188. Rigalt. et apud Iulianum in Miſopogone, (p. 344. Spanh.) VALES.

Populique Romani nomen circumſpectum et verecundum.] Hic aperte graeciſſat Marcellinus. Eſt enim Graece τὸ περίβλεπτον ὄνομα καὶ αἰδέσιμον. Circumſpectum quidem eo ſenſu uſurpat etiam in lib. 27. 3. 14. *procedantque vehiculis inſidentes, circumſpecte veſtiti:* et in lib. 28. 4. 12. *parietes lapidum circumſpectis coloribus nitidos.* Verecundum vero occurrit quoque eodem quo hic ſenſu in lib. 21. 16. 11. *Marci illius diſſimilis Principis verecundi:* et in lib. 30. 8. 4. de Artaxerxe: *quae temperantia morum ita tolerabilem eum fecit et verecundum.* *Sed et Zeno Veronenſis perinde loquitur in ſermone 2. de Abraham: *Sarrae uterum filius aperit primo vocabulo, cui iam aviae reverentiam ſenectus verecunda detulerat.* Et paullo poſt: *Ad huius ergo perſonam, Chriſti refertur verecunda nativitas:* id eſt verenda reverenda.* Ita Heſiodus Reges αἰδοίους appellat, et Homerus αἰδοίους vocat τοὺς ἱκέτας ſupplices: quod idem valet atque αἰδεσίμους, id eſt, venerabiles. VALES. Cf. Gronov. Praef. p. XXII. W.

7. *indulta licentia*] v. ſupra c. 1. 4. W.

Ut

Ut Simonides Lyricus dicit.] Eamdem ſententiam Euripidi tribuit Plutarchus in vita Demoſthenis initio: ὁ μὲν γράψας τὸ ἐπὶ τῇ νίκῃ εἰς Ἀλκιβιάδην ἐγκώμιον, εἴτ' Εὐριπίδης, ὡς ὁ πολὺς λόγος, εἰθ' ἕτερός τις ἦν, φησὶ χρῆναι τῷ εὐδαίμονι πρῶτον ὑπάρχειν τὴν πόλιν εὐδόκιμον. Id eſt: *Is qui Epinicium in Alcibiadem ſcripſit, ſive Euripides, ut vulgo exiſtimant, ſive quis alius fuit, viro ait felici patriam primum illuſtrem eſſe oportere.* Eo reſpexit etiam Themiſtius in Orat. 19. ἀνδρὶ μὲν γὰρ οἶμαι πολιτικῷ δεῖν γενέσθαι πρῶτον κατὰ τὸν ποιητὴν τὴν πόλιν εὐδόκιμον. Ceterum ex eo quod Plutarchus ſcribit, de eius carminis auctore inter veteres fuiſſe dubitatum, non ſine ratione fortaſſe quis coniiciat, Marcellinum noſtrum eos ſequi maluiſſe, qui Simonidi tribuerent. Sed aetas Simonidis id videtur refellere. Vixit enim longe ante Alcibiadem. VALES. In paucis, quae ſuperſunt, Simonidis fragmentis haec ſententia non legitur. cf. Spanhem. ad Iulian. p. 29. W.

Patriam eſſe convenit glorioſam.] Magna laus, patria laude digna: unde quorum vitas extollere volumus, eorum patriam et originem praedicare quoque ſolemus. Hilar. in vita Honorati. Inde Libanius Sophiſta cum Philippum Regem vituperare vellet, patriam quoque eius deprellit, p. 105. τί γὰρ ἄν τις εἴποι περὶ αὐτοῦ καλόν; τὴν πατρίδα; βάρβαρος ἦν. τὸ τῆς πόλεως μέγεθος; καὶ τί φαυλότερον τῆς πόλεως; *Ecquisnam aliquid praeclari de illo dicat? patriamne laudabit? atqui barbarus fuit. Urbis magnitudinem? at quid illa vilius fuit?* LINDENBR.

8. *Aeternitati commendari per ſtatuas.*] Ob merita vitae imagines, ſtatuae et tituli rependuntur, inquit Tertull. de anim. cap. XXXIII. Qui ſane honor ut non vulgaris eſt, ita ambitioſe nimis eum multi affectabant: adeo ut legibus cavere neceſſum fuerit, ne inconſulto Principe, vel ſacra vice iudicante, alicui concederetur, l. 1. et ult. C. de ſtat. et imag. Itaque cum Berenice Chriſto ſalvatori ſtatuam ponere vellet, ab Herode veniam prius impetravit, ut id ſcriptum reliquit Iohannes Antiochenus, ex cuius Chronographia haec verba adducit Io. Damaſcenus Or. 3. pro imaginib. Βουλομένη (Berenice) ὡς ἰασθεῖσα ὑπὸ τοῦ Ἰησοῦ στήλην αὐτῷ ἀναστῆσαι, καὶ μὴ τολμῶσα δίχα βασιλικῆς κελεύσεως τοῦτο ποιῆσαι, δέησιν δέδωκε τῷ βασιλεῖ Ἡρῴδῃ αἰτοῦσα στήλην χρυσῆν τῷ σωτῆρι Χριστῷ ἐν τῇ αὐτῆς πόλει στῆσαι. Sic Titinnius Capito ab Imp. Traiano impetraverat, ut ſibi liceret ſtatuam L. Syllani in foro ponere, Plin. l. 1. Ep. 17. Et Aemilius Strabo V. C. cum L. Apuleio ſtatuam de ſuo (nec enim ex deſcriptione publica id fieri leges ſinebant, l. fin. C. de ſtat.) ponere vellet, ad principes Africae viros libello miſſo locum eidem poſtulabat. De ſtatuis alia multa Plinius lib. XXXIV. IDEM.

Ex conſcientia honeſte recteque factorum.] * Cic. in Somn. Scip. *Sapientibus conſcientia ipſa factorum egregiorum ampliſſimum virtutis eſt praemium.* Cicero Philipp. 5. 13. *Neque enim ullam mercedem tanta virtus praeter hanc laudis gloriaeque deſiderat: qua etiamſi careat, tamen ſit ſe ipſa contenta, etc.* Somm. Scip. 2. c. 10. Macrob. Seneca de Clement. lib. 1. cap. 1. *Recte factorum verus fructus ſit feciſſe, nec ullum virtutum pretium dignum illis extra ipſas.* * Symmach lib. IX. Epiſt. CV. *In ſola conſcientia eſt fructus et ratio virtutis: nihil moror ſtatuas et publica falſa titulorum.* Plin. lib. 1. Ep. 8. *Memi-*

nimus, quanto maiore animo honestatis fructus in conscientia, quam in fama reponatur. * Nec male Arnulfus Lexoviens. Episcopus p. 100. *Quod si aliena bene merentibus gratia non respondet, merces tamen sua virtuti non deerit, quae potius interioris fructus lucra considerans, satis habet simpliciter apud se de bono felicis conscientiae testimonio gloriari.* * LINDENBR.

Auro curant imbracteari.] Inf. lib. 17. c. 4. §. 15. *auro imbracteatum. Bractea* est πέταλον. Plin. lib. XXXIII. cap. III. *Bracteatores*, πεταλοποιοί. Iul. Firm. Astron. lib. VIII. *Aurificem faciet, bracteatorem, vel certe marmorarium. Bractearii*, id est πεταλουργοὶ, l. 1. C. de excus. artif. IDEM.

Acilio Glabrioni delatum est primo.] Livius lib. XL. 34. *Aedem* (Pietatis) *dedicavit M. Acilius Glabrio Duumvir, statuamque auratam, quae prima omnium in Italia statuta auro fuit, patri Glabrioni posuit.* Val. Max. lib. 2. cap. 5. IDEM.

exigua et minima] Sic ipse Cicero aliquoties. v. Davis. ad Academ. p. 248. (*Rath*) ubi et alia eiusmodi afferuntur, v. c. *malus et pessimus.* W.

Ut memorat vates Ascraeus.] Nobilem illum Hesiodi locum indicat ἐν ἔργοις α. 289.

Τῆς δ' ἀρετῆς ἱδρῶτα θεοὶ προπάροιθεν ἔθηκαν, etc.

LINDENBR.

Censorius Cato.] * Plutarch. in Apophthegmatib. * et in Catone c. 19.: πρὸς τοὺς θαυμάζοντας, ὅτι πολλῶν ἀδόξων ἀνδριάντας ἐχόντων, ἐκεῖνος οὐκ ἔχει, μᾶλλον, ἔφη, βούλομαι ζητεῖσθαι, διὰ τί μου ἀνδριὰς οὐ κεῖται, ἢ διὰ τί κεῖται. Talis fere mens Stiliconi, de quo lectissimis verlibus Claudian. lib. 11. de laudib. Stilicon. 178. ff.

— — *quis devius esset*
Angulus aut regio, quae non pro numine vultus
Dilectos coleret, talem ni semper honorem
Respueres? decus hoc rapiat, quem falsa timentum
Munera decipiunt, qui se diffidit amari:
Hic solus sprevisse potest, qui iure meretur. IDEM.

9. *In carrucis solito altioribus.*] Editio Romana habet *carruchis:* quam scripturam tuetur Hesychius et vetus Glossarium. In Pandectis Florentinis carrucha semper scribitur, quomodo etiam in hoc loco codicem suum habuisse, testis est Lindenbrogius. Est autem carrucha, τετράκυκλον ὄχημα, seu reda. Hesychius: ῥηδίων, καρούχων. Glossae Graecolatinae: καρούχιον: reda. Galli aliquantum corrupto vocabulo carrocas vocamus: in quibus eamdem ambitionem hominum nostrorum hodie cernimus, quam apud Romanos sui saeculi fuisse testatur Marcellinus. VALESIUS. Haec examinat Io. Schefferus de re vehicularia lib. 11. cap. 27. ORONOV.

Carrucae solito altiores.] Magnus in carrucis luxus Romanorum, quas et auratas et argenteas habuisse Martial. indicat lib. 3. Epig. 63. Lamprid. in Alex. Sever. c. 43. Iulianus Novel. XVII. Pont. Paulin. Episcop. Nolan. Epist. x. ad Sever. - - *viliore asellis burico sedentem tota huius saeculi pompa, qua honorati et opulenti poterant circumstui Senatores, prosequebatur carrucis nitentibus, phaleratis equis, auratis pilentis, et carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente.* Hunc fastum frugaliores Principes uti reprimerent, Imperiali edicto solis Honoratis intra

urbem carrucarum uſum conceſſerunt, l. unic. C. Theod. et Iuſtinian. de honorat. vehiculis. LINDENBR.

carrucis altioribus] quam altitudinem ad ſedilia magis, quam rotas referendam eſſe recte credit *Beckmann Geſch. der Erfindd.* B. 1. S. 391. W..

Quae ſequuntur de veſtibus, quanquam ita comparata ſunt, ut, fatente Gronovio, totus locus depoſitus ſit, et ne ab Apolline quidem ſanandus; ego et ipſe quidem nonniſi codicum ope ſanitatem loco reddi poſſe exiſtimo plenam, idem tamen conſtitutum a Valeſio contextum tueri tentabo. Omnino res veterum veſtiaria, etſi ſatis multos de ea et libros habemus et libellos, nondum ita expedita eſt, ut accuratam de ſingulis animo informare notionem poſſimus. Etenim, quod noſtra aetate ſit cummaxime, ut ſingulis mentibus belluli noſtri bellulaeque novas ornatuum comminiſcantur formulas, id et Romae factum hiſtoriae teſtantur. Materiam variarunt et formam veſtium, nova nomina paullulum mutatis impoſuerunt, excogitarunt novas. *Lacernae* igitur, de quibus hic ſermo eſt, quae olim veſtes craſſiores pinguioresque, tunicisque ſuperinductae ad frigus pluviamque defendendam fuiſſent, eae ſub Imperatoribus in locum togarum ceſſere: (cf. Ruperti ad Iuvenal. 1, 95.) easdem vero ſerioris aetatis luxuries e tenuiori materia et ad ornatum confecit, iisque aeſtate etiam uſa eſt. Vide Intt. ad Iuvenalis Sat. 1, 27. *Criſpinus Tyrias humero revocante lacernas.* cf. eundem Sat. VI, 259. *hae ſunt, quae tenui ſudant in cyclade*, et Claudianum in Eutrop. II, 337. *onerique vel ipſa ſerica:* idemque fere dicit Ammianus ipſe XXVIII, 4. 18. ubi ſolis ita impatientes Romanos pingit ſuos, ut querantur, *quod non ſint apud Cimmerios nati.* — *quas collis, inſertas*, caput enim ſolum eminebat; quod uti commune erat lacernis priſcis et recentioribus, in eo tamen discrepaſſe videntur, ut, cum illae rotundae fuerint et undique clauſae, humerosque et pectus ventriculumque texerint ad genua fere protenſae, hae contra apertae paterent et explicari poſſent. — *cingulis ipſis adnectunt nimia ſubteminum tenuitate perflabiles*, quia ob texturae ſubtilitatem perflabiles ſunt, ideo cingulis adeo firmant atque adſtringunt, ne ventis ludibrio ſint. — *exſpectantes*, tempus obſervantes (melius tamen, quod Valeſius ſuadet, *expandentes*) *crebris agitationibus*, geſticulationibus, *maximeque ſiniſtra, ut longiores fimbriae perſpicue lucerent.* Fimbrias intellexerim vel de limbis, clavisve, vel de duabus longioribus laciniis, in acutum, ut muliercularum noſtrarum collaria, deſinentibus, quales in Iconismo Mercurii apud Ferrarium de re veſtiar. P. 2. p. 79. conſpiciuntur. — *tunicaeque varietate licciorum effigiatae in ſpecies animalium multiformes.* Licia ſunt fila, quibus in telis textrices implicant tramas ſtaminis, quorum ope diſtrahi eae poſſint, et ſubtemen radio immitti. Graece πολύμιτα. v. Schneider in Ind. ſcriptorum rei ruſt. v. Tela p. 371. Tunicis iſtis igitur areolae rotundae vel quadratae erant intextae, in quibus variae animalium figurae, uti in Babylonicis acu pictis veſtibus conſpiciebantur. Cf. et Salmaſius ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 296. et 300. et Alb. Ruben. in Sylloge epiſtolar. claror. viror. a Burmanno edita T. II. p. 753. W.

Sudant ſub ponderibus lacernarum.] Ironice id dictum accipio in homines delicatos, quibus oneri erant lacernae ſericae. Simili ſenſu Claudianus lib. 2. in Eutropium v. 337.: *onerique*

vel ipsa serica. * Ita Plinius in lib. 9. capite 23. Iuvenalis sat. VI. v. 259. et Hieronymus in consolatione ad Pammachium de obitu Paulinae: *Quibus serica vestis oneri erat, et Solis calor incendium; nunc sordidatae et lugubres, et sui comparatione sorticulae pavimenta verrunt.* * VALES.

Quas in colli exerta.] Locus foede corruptus, cui neque a Mſ. medela: proponam tamen ut ibi legitur: — *quas in collis inserta singulis ipsis adnectant, ne una subtegminum tenuitate perpiavilis expectantes . . . . crebris a cogitationibus maximeque.* Viderint alii, an quid inde expiscari pollint. LINDENBR.

Quas collis insertas cingulis ipsis adnectunt.] Editio Romana, cui adstipulantur scripti omnes codices, scriptum habebat: *quas in collis inserta.* Ex quo Petrus Castellus excogitavit eam lectionem quam ceteri Editores secuti sunt. Sed non dubito, quin Marcellinus ita scripserit uti edendum curavi. Sic enim in lib. 31. c. 2. de Hunnis: *Sed semel obsoleti coloris tunica collo inserta, non ante deponitur quam in pannos diffluxerit defrustata.* Quod vero attinet ad alteram emendationem, qua *cingulis* restituimus pro *singulis*, de eius veritate non dubitabit, qui meminerit in omnibus fere omnium Auctorum scriptis exemplaribus singula pro cingulis perperam scribi. Vulgata certe lectio nullum habet sensum. Itaque P. Faber in lib. 1. Semestrium emendaverat *fibulis ipsis adnectunt.* In codice autem Regio ex conjectura exscriptoris emendatum est, *insertas iugulis ipsis adn.* * atque ita in codice Tolosano scriptum etiam inveni.* VALESIUS. Oct. Ferrarius, quum libro 1. partis 11. de re vestiaria voces has citasset ita, *quas in colli exserta singulis ipsis adnectant*, pronuntiat: sed locus ille, licet Cl. Valesius medicinam facere conetur, depositus est, et ne ab Apolline quidem sanandus. Et certe facilius quam oportebat, doctissimus Valesius se addicit simili loquutioni auctoris, ut quoniam alibi dicitur *tunica collo inserta*, idcirco nunc contemnat voculam *in* vel tres lineas concordi veterum librorum fide servatas; quod etiam alibi facit in imminuta vel laesa maiestate. Interim et ante hos Io. Meursius lib. III. Animadv. Miscell. cap. 27. tentaverat *iugulis spissis.* Crediderim iugulas fuisse aliquid in vestitu huc pertinens, atque adeo proxime ad priscam scripturam legendum, *quas cucullis, insertas iugulis ipsis, adnectunt.* Iam enim et Martialis (quem vide XIV. 129 et 132.) tempore cum lacernis incipiebant sumere cucullos, quod propediem magis invaluit, quum deliciis fracti Iovem solemque nudo capite excipere degeneres Urbis incolae non tolerarent. ONONOV.

Nimia subteminum tenuitate perflabiles.] Ita hunc locum emendavi ex vestigiis veterum exemplarium, in quibus legitur, *tenuitate perpiavilis.* Corruptioni ansam dederat literarum affinitas. Sic supra, ubi legitur *per flexuosas*, scripti codices habent *per plexuosas.* VALES.

Filis exstantes crebris a locis omnibus.] Multum sibi indulsit hoc in loco P. Castellus. In Editione enim Romana, quam corrigere erat aggressus, sic legebatur: *Perpianilis expectantes crebris cogitationibus.* Et ita fere reliqui codices scripti, nisi quod post τὸ *expectantes* lacullam exhibent, quae in Regio exemplari denotari videtur uno puncto. Etsi autem in tam corrupto loco difficile est veram emendationem assequi, videtur ta-

men legi commode posse: *Expandentes eas crebris agitationibus.* Quod sequentibus verbis confirmatur. sequitur enim: *Ut longiores fimbriae tunicaeque perspicua luceant varietate licio-rum.* Homines enim delicati cum lacernas e serico haberent perlucidas, eas insuper crebris motibus agitabant, ut tunicae eorum opere plumario textae ab omnibus conspicerentur. VALES.

Ut longioris fimbriae tunicae.] In editione Romana erat: *Ut longiores fimbriae tunicaeque.* Quod cur Petro Castello placuerit corrigere, non video. Editioni certe Romanae subscribunt codex Regius, * Tolosanus * et Florentinus cum editione Frobeniana. Fimbriae igitur ad lacernas referendae sunt, quas fimbriatas fuisse, docet vetus interpres Persii, et ex illo Isidorus in Originum libris. Possunt etiam de tunicis intelligi, et sic erit figura quam Graeci ἓν διὰ δυοῖν vocant, non infrequens Marcellino nostro, ut cum ait infra in hoc libro: *Cum glorioso Marte Mediam urgeret et Parthos.* et clarius in lib. 16. *Ingenti praelio superatus a Romanis et Pompeio Rex praedictus.* denique in fine lib. 23. *Post Lydiam victam et Croesum.* * Sane tunicas Romanorum veterum fimbriatas fuisse, docet Suetonius in Iulio Caesare c. 45., quum dicit: *Lato clavo usus est, ad manus fimbriato.* Et priscis quidem Romanis manuleatas ac talares tunicas gestare, probro erat. Verum processu temporis eiusmodi tunicae invaluere: quod testatur Augustinus in lib. 3. de doctrina Christiana capite 12. *Sicut enim talares et manicatas tunicas habere, apud Romanos veteres flagitium erat: nunc autem honesto loco natis, cum tunicati sunt, non eas habere flagitium est.* * IDEM.

Effigiatae in species animalium multiformes.] Asterius Amasiae Episcopus in Homilia de Divite et Lazaro ait, novam quamdam texendi rationem sua aetate inventam fuisse, qua in connexione staminis cum subtemine picturae virtus exprimeretur, omnisque generis animalium formae vestibus intexerentur: addit etiam a pueris mirantibus digito monstrari solitas huiusmodi animantium figuras, leonum puta, pardorum, ursorum; silvas quoque, et canes, et rupes, et venatores tunicis et palliis intextos: qui autem religiosi prae ceteris videri vellent, historias ex Evangelio sumtas simili arte vestibus inlusisse. Idem scribit Prudentius in Hamartigenia his versibus, 288.

Vellere non ovium, sed Eoo ex orbe petitis
Ramorum spoliis fluitantes sumere amictus
Gaudent, et durum scutulis perfundere corpus.
Additur ars, ut fila herbis saturata recoctis
Illudant varias distincto stamine formas.

* Exstat etiam hac de re Theodoriti locus insignis in sermone IV. de Providentia p. 361. Ex quibus intelligendus est Chrysostomus in Homilia 50. in Matthaeum, ubi adversus supersluas artes pictorum et plumariorum invehitur. τὸ δὲ ζῴδια γίνεσθαι ἢ ἐν τοίχοις, ἢ ἐν ἱματίοις, ποῦ χρήσιμον; * IDEM.

10. *Alii nullo quaerente patrimonia sua in imm. extollunt,* etc.] Cur dixit *nullo quaerente?* Neque enim temere et sine caussa id adiectum est. Nimirum perstringit Marcellinus his verbis importunam vanitatem quorundam Nobilium sive Senatorum, qui possessiones suas per universum orbem diffusas, nullis ipsos interrogantibus, assidue praedicabant, earumque immensos reditus non sine mendacio interdum referebant. Sic quippe interpre-

Digitized by Google

tor proxime ſequentia verba haec: *Cultorum, ut putant, feracium multiplicantes annuos fructus.* ubi ſcribendum exiſtimo, *ut puta feracium*, vel *utpote*. *Multiplicantes* igitur idem valet, atque augentes et amplificantes mendacibus verbis. Neque enim de uſuris hunc locum placet intelligi: praeſertim cum Senatoribus eo tempore non licuerit fenus exercere. Certe Chryſoſtomus legibus Romanis interdictam eſſe uſuram Senatoribus adhuc ſua aetate prodit in Homilia LVII. in Matthaeum: *τοὺς γοῦν ἐν ἀξιώμασιν ὄντας, καὶ εἰς τὴν μεγάλην τελοῦντας Βουλὴν ἣν σύγκλητον καλοῦσιν, οὐ θέμις τοιούτοις κέρδεσι καταισχύνεσθαι· ἀλλὰ νόμος ἐστὶ παρ' αὐτοῖς ὁ τὰ τοιαῦτα ἀπαγορεύων κέρδη.* Id et diſerte confirmat lex tertia et quarta in Codice Theodoſ. de uſuris. Idem docet Auguſtinus, ſeu quis alius, in quaeſtionibus ex utroque Teſtamento miſtis capite CII. *Dignitatis enim homini negotiari deforme eſt: Senatoribus quoque fenus diffamia eſt.* Olim quidem poſſidendi modus praefinitus erat Senatoribus Rom. cautumque erat ne extra Italiam poſſiderent, neve navem haberent niſi ad fructus ex agris deportandos; ut docent Cicero in libro V. in Verrem, et Livius in fine libri XXI. Quas leges prae vetuſtate neglectas ac mortuas, ſicuti loquitur Cicero, retulit poſtea Caeſar Dictator, teſte Tacito in lib. VI. Hiſt. Ea lege modus credendi poſſidendique intra Italiam praeſcriptus eſt Patribus, vetitumque ne Senatores pro arbitrio fenus exercerent. * VALES.

Cultorum ut putant feracium.] Sic *pinguia culta*. Feſt. Avien. in Deſcript. orb. terrae, 1022:

Tunc Piſida ferox exercet pinguia culta.

* Caſſiod. lib. 4. Var. 36. *Iſtorum culta vaſtavit.* Lib. 12. Variar. 5. *Exercitus Lucaniae Brutiorumque dicitur culta vaſtaſſe.* Paulinus in natali Felicis II. *Quique colunt rigui felicia culta Galeſi.* Claud. de bello Gild. n. 103. *Sufficerent Etruſca mihi, Campanaque culta.* * LINDENBR.

11. *Ex collaticia ſtipe Valerius.*] Quae hic ſtrictim tanguntur, ea uberius narrant T. Livius lib. 2. Plutarch. in vita Valerii, Dionyſ. Halicarn. lib. 5. et 6. * Seneca ad Helviam matrem lib. de conſolat. * cap. XII. Salvian. Maſſ. de provid. lib. 1. IDEM.

Subſidiis amicorum mariti.] Valerius Max. in lib. 4. cap. 4. non ſubſidiis amicorum Reguli, ſed decreto Senatus alimenta coniugi eius ac liberis praebita eſſe ſcribit. Cui ſubſcribit Dio in Fragmentis 44, quae nuper vulgavimus. *ὁ γὰρ ῥηγοῦλος ἐν τοσαύτῃ πενίᾳ ἦν, ὥστε μήτε τὴν ἀρχὴν ῥᾳδίως ἐθελῆσαι δι' αὐτὴν ὑποστῆναι, καὶ τῇ γυναικὶ ταῖς τε παισὶν αὐτοῦ τὴν τροφὴν ἐκ τοῦ δημοσίου δίδοσθαι ψηφισθῆναι.* Id eſt ad verbum: *Regulus enim tanta premebatur inopia, ut eius cauſa Magiſtratum ſuffragiis populi ſibi delatum ſuſcipere vix ſuſtinuerit: usque coniugi eius ac liberis alimenta ex aerario decreta ſint.* VALES. Cf. Perizon. Animadv. hiſt. p. 29. W.

Cum nobilitas florem adultae virginis, diuturnam abſentiam.] In codice Regio et Editione Romana reperi, *diuturnum*: unde quis coniicere poſſit legendum eſſe: *Cum nobilitas florem adultae virginis diuturnum abſentia pauperis erubeſceret patris.* Et ita diuturnus flos erit, quem alii obſoleſcentem dicerent. Nolim tamen quidquam temere mutari, praeſertim cum diuturna

Digitized by Google

abſentia Cn. Scipionis iure dicatur, qui octo annis Proconſul bellum in Hiſpania geſſit, teſte Livio in lib. 25. Ceterum de hac liberalitate Senatus eleganter Valerius Max. lib. 4. cap. 4. et Zonaras ex Dione: mirumque eſt, id a Tito Livio praetermiſſum fuiſſe. VALES. Cf. Perizonii Animadv. hiſt. p. 83. Harles. et Gronov. Praef. p. XXXI. ubi contra Pricaeum disputat. W.

12. *interrogatus multa, et coactus mentiri,*] tot obtuſus interrogantiunculis, ut, cum non habeas, quod ſtatim reſpondeas, ut tamen reſpondeas, fingere plura cogaris. W.

Ut poeniteat ob haec bona.] Hic locus ex Mſſ. codicum auctoritate ſic a nobis eſt reſtitutus: tantum emendavimus, *ob haec bona*, cum in Mſſ. et in Editione Romana legeretur, *ut haec bona*. VALESIUS. Ex quo quis non videt audacius certe *ob* fieri ex *ut*, quum propinquius ſit ac proclivius *in haec bona*? GRONOV.

13. *Ut incognitus haerebis.*] Sic habet Editio Auguſtana a Mariangelo Accurſio viro doctiſſimo emendata. In Editione Romana *haeredis* legebatur; unde Petrus Caſtellus emendaverat *haeres*. Nos lectionem Auguſtanae Editionis ſequi maluimus, quippe quae et ad ſcriptum codicem propius accederet, et cum antecedenti oratione melius conveniret. * Neque aliter in codice Toloſ. ſcriptum inveni. * In Regio exemplari tria haec vocabula omiſſa erant. Ceterum quod incognitum et repentinum iungit hic Marcellinus, videtur ſumtum ex Cicerone in Bruto, c. 69. qui ſic dicit: *Ignoti homines et repentini, Quaeſtoras celeriter facti ſunt.* VALES.

Hortatore illo heſterno . . . numerando.] Ita primus hunc locum edidit Sig. Gelenius, vir exacti iudicii, cui uni plurimum debet noſter Marcellinus. Neque aliter habuit Editio Romana, quae omnes lacunas ſcripti exemplaris fideliter exhibuerat. Sed Petrus Caſtellus ſine ullo codice ſcripto, ſola fretus non dicam coniectura, ſed audacia, omnes lacunas explevit. Atque hunc quidem locum ſic ſuppleverat: *Illo heſterno dies numerando.* IDEM. Exemplari Lindebrogiano adſcriptum vidi [MS. *die numerando.* leg. *demirando.* Loiſel.] GRON. Lacunulam fortaſſe expleveris, ſi legas *varia enumerando*; quod ſi mecum feceris, et verba recte ordinaveris, ſenſum habebis hunc: Qui heri, ut crebro reviſeres, hortatus erat, dum varia enumerat, varias tricas nectit, affertque ſuſpiciones, diutius hodie, qui ſis, vel unde venias, ambigit. Alia tamen poſtea temporis medela aptior viſa eſt, ſi ſcribas: *foenora numerando*, quod bene convenit *homini bene nummato* (de hoc enim ſermo eſt. §. 12.) qui, cum totus occupatus ſit in computandis ſortibus atque uſuris, quid praeterea agat, vel dicat, neſcit ipſe. W.

Per totidem defueris tempus.] Non dubitavi hanc ſcripturam hic reſtituere, quam praeter Florentinum codicem Regius quoque ſervavit. Exiſtimo tamen quiddam adhuc deeſſe, *dierum* puta, aut *menſium*. Arguit enim ſuperbiam et iniquitatem illorum Nobilium, quos cum aſſiduo officio per triennium coluerit, ſi forte triduo, aut trimeſtri ſpatio abſis, prioris obſequii tui oblivio ſubit. Et ſic tollitur barbarismus, qui vulgatam lectionem inquinat. VALES. An *tot dierum defueris tempus?* GRON.

Aetatem omnem fruſtra in ſtipite conteres ſubmittendo.] *Alludit Marcellinus, ut opinor, ad haec Senecae in libro de brevitate vitae capite XIV. *Nemo horum annos tuos conteret.** Stipitem autem vocat hominem ſtupidum, et in quo nullus reſidet ſenſus non magis, quam in ſtipite. Sic Terentius in Heautontimor. Actu 5. Sc. 1. v. 4.

— — *in me quidvis harum rerum convenit,*
Quae ſunt dictae in ſtultum: caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.

Et Cicero de Haruſpicum reſponſis, Aelium quemdam Ligurem vocat ſtipitem. Claudianus quoque in Eutropium lib. 1. 126.

Et nihil exhauſto caperent in ſtipite lucri. VALES.

Stipitem Valeſius et cum eo Erneſti exponunt ſtupidum. Ammianus autem cum paullo ante Romanum illum *tumentem* nominaverit, equidem locum ita intellexerim: tempus operamque perdes, ſi rigidam prae faſtu cervicem flectere et mollire coneris. W.

14. *Cum autem intervallata temporibus.*] Hoc loco MSS. codices omnes, et Editio Romana atque Auguſtana vocem interſerunt hoc modo: *Cum autem commotus intervallata temporibus.* Unde non abſurde quispiam legendum eſſe coniecerit: *Cum autem commodis intervallata temporibus.* VALES.

Diſtributio ſollemnium ſportularum] Exempla huius rei apud Symmach. LINDENBR. Cf. Plin. Epp. X, 117. W.

Exceptis iis quibus viciſſitudo debetur.] Id eſt, praeter eos quibus vicem reddere oportet, cum ab iis aut convivio exceptus prior, aut ſportula honoratus ſis. Sic Marcellinus in lib. 16. c. 12. *Armatorumque millia triginta et quinque partim mercede, partim pacto viciſſitudinis reddendae quaeſita.* *Ambroſius, ſeu quis alius Auctor in caput XIII. Epiſtolae ad Romanos: *Comeſſationes* (inquit *ſunt luxurioſa convivia, quae aut collatione omnium celebrantur, aut vicibus ſolent a contubernalibus exhiberi.** VALES.

digeſto pleno conſilio] Cf. XXVIII, 4. 17. ubi de eadem re ſermo eſt, aliquoties libratis ſententiis. W.

Pro domibus excubat aurigarum] Claud. lib. 2. de laud. Stilic. 114.

— — *veſtibulis foribusque potentum excubat.* LINDENBR.

Qui pro domibus excubat aurigarum.] Viles de plebe homines intelligit, qui totos dies in Circo perſtabant, de equis circenſibus, et de agitatoribus ſatagentes, ut ſcribit Marcellinus infra, ubi de plebis Romanae ſtudiis agit. Quinetiam pro domibus aurigarum factionis eius quam fovebant, excubare erant ſoliti. Quod quidem in plebeiis hominibus mirum videri non debet, cum Caius Caligula praſinae factioni ita deditus fuiſſe dicatur a Suetonio, ut cenaret aſſidue in ſtabulo, et maneret. Marcellinus in lib. 28. 4. de iisdem: *Eisque templum, et habitaculum, et concio, et cubitorium, et ſpes omnis Circus eſt Maximus.* VALES.

qui pro domibus excubat aurigarum] Ex quo ſub Imperatorum poteſtate coepit eſſe populus Romanus, rerum omnium ſecurus nihil ſibi deeſſe putavit, ſi panem haberet et Circenſes. In his aurigandi inprimis ſtudium ad inſaniam usque proceſſerat, et

in quatuor coloribus distinctas factiones abierant aurigae, quarum unaquaèque suos habuit sautores. W.

artem tesserariam profitentur.] Cf. et hic XXVIII, 4. 21. W.

secretiora quaedam] artes magicas. XXVI. 3. 3. secretiora legibus interdicta. W.

15. *inutiles*] „i. e. perniciosos, ἀλυσιτελεῖς. cf. Livius 6, 40. Nisi forte vocabulum ἀχρήσιμος expressum est. Vid. Salmas. ad Scrr. Hist. Aug. Tom. 1. p. 416." Sic *Ernest.* in Glossario. Hemsterhusius ad Luciani Timonem T. 1. p. 344. Bipont. malit *mutilos*, eorum enim, qui non integri corporis erant, ut ait Seneca, malum omen faciebat occursus. Non magis mihi tamen, fateor, persuasit, quam Abreschio ad Thucydidem p. 199. nec ipse multum tribuit huic emendationi vir olim egregius. W.

Eo quoque accedente, quod et nomenclatores.] In hoc loco emendando quid et quantum licentiae mihi sumserim, nolo dissimulare. Cum igitur in Regio codice et in Editione Romana scriptum esse vidissem: *Vitant e quoque accedente, quod et nomenculatores, etc.* unius literae adiectione locum sic sanavi. Ceterum id nomenclatorum officium fuisse docet Seneca in Epist. 19. *Habebis convivas, quos ex turba salutantium nomenclator digesserit.* Athenaeus lib. 2. p. 47. E. μετὰ ταῦτα κατεκλίθημεν ὡς ἤθελεν ἕκαστος, οὐ περιμείναντες ὀνομακλήτορα τὸν τῶν δείπνων ταξίαρχον. Neque vero solum digerebant eos, qui venturi essent ad cenam, sed etiam eos, qui sportulam accepturi essent; ut testatur Marcellinus verbis quae proxime sequuntur: *Mercede accepta lucris quosdam, et prandiis inserunt subditicios ignobiles et obscuros.* Lucra enim sunt sportulae quae in auro, aut argento dabantur. De hac autem nomenclatorum avaritia, qui infimis hominibus operam suam venditabant, loquitur Lucianus in dialogo περὶ τῶν ἐπὶ μισθῷ συνόντων, (T. III. Bipont. p. 530.) his verbis: περιμένειν ὠθούμενον καὶ ἀποκλειόμενον· καὶ ἀναίσχυντον ἐνίοτε καὶ ὀχληρὸν δοκοῦντα ὑπὸ θύρωρῷ κακῶς συρίζοντι, ἢ ὀνομακλήτορι λιβυκῷ ταττόμενον, καὶ μισθὸν τελοῦντα τῆς μνήμης τοῦ ὀνόματος. [Hosce nomenclatores Suetonius in C. Caes. Caligula capite XXXIX. vocatores appellat, ut et Plinius in lib. XXXV. cap. X.] VALES.

16. *Subversasque silices sine periculi metu properanter.*] Vias Urbis intelligit quae silice stratae erant. Sic Iuvenalis in Satyra 6. 350.

Nec melior, pedibus silicem quae conterit atram.

Et Prudentius in lib. 1. contra Symmachum v. 583.

Quique terit silicem variis discursibus atram.

*Porro scribendum heic videtur, *properantes.** IDEM. Cf. XXVI, 3. §. 5. Liv. XLI, 27. XXIX, 37. W.

Equos velut publicos signatis, quod dicitur, calceis agitant.] Equos publicos vocat animalia cursus publici. Quia vero sine diplomatis cursum publicum usurpare non licebat, teste Capitolino in Pertinace, c. 1. et l. 2. de curiosis, et l. 3. Cod. de cursu publico; idcirco signati calcei dicebantur eorum, qui eiusmodi diplomata seu evectiones habebant, aut tractorias, aut angariales: tot enim nominibus dicuntur. Graeci συνθήματα appellant. Vetus Glossarium, *Evectio* σύνθημα. Item σύνθεμα *sigillum, evectio.* Iulianus Augustus in Epistola nondum edita ad Libanium Quaesto-

rem: Ὡς ὤνησέ γε τὸ σύνθημα ἡμῖν μελλήσαν. ἀντὶ γὰρ τοῦ τρέμειν καὶ δεδιέναι φερόμενον ἐπὶ δημοσίας ἀπήνης, etc. Hieronymus quoque in Ep. ad Iulianum: *Iam dimisso ſynthemate equus publicus ſternebatur.* VALES.

equos publicos vocant, qui per ſtationes erant diſpoſiti, vel ſinguli, vel plures curribus iungendi, ut in promtu eſſent, ſi quando ex aulis principum mandata erant in provincias perferenda, vel ex his ad Imperatores nuntianda. Saepius huius curſus publici meminit Ammianus, cuius loca congeſta vide in Ind. II. v. Curſus clabularis. W.

Familiarum agmina.] Contra hanc ambitionem graviter invehitur Chryſoſtomus in Homilia 40. in Epiſtolam priorem ad Corinthios: ubi divites illos qui ſervorum greges ubique circumducebant cum in foro tum in balneis, eleganter comparat venaliciariis et ovium venditoribus: lictores quoque eos habuiſſe ſcribit, qui ſcilicet turbam ſubmoverent, et ſervorum aciem inſtruerent. Τί δὲ καὶ παῖδας ῥαβδούχους ἔχεις, ὡς δούλοις κεχρημένος τοῖς ἐλευθέροις. Hi ſunt, quos *praepoſitos urbanae familiae* Marcellinus noſter infra appellat, et virgas manibus geſtaſſe, ſicuti Chryſoſtomus dicit.* VALES.

Ne Sannione quidem, ut ait Comicus] Terent. in Eunucho Act. IV. Scen. VII. v. 10. LINDENBR.

Quos imitatae matronae complures.] Huius loci emendatio codici Regio debetur, in quo prius quidem ſcriptum erat, *quos emitate*, prout Editio quoque Romana exhibet: ſed eadem manu ita emendatum eſt, ut edidimus. Obſervavi autem in manuſcriptis exemplaribus fere ſcribi *emitari* pro *imitari*. *In Mſ. Toloſano plane ſcriptum eſt, *quos imitatae.** VALES. Sic iam divinavit Salmaſ. ad Scrr. H. A. T. I. p. 846. W.

Opertis capitibus et baſternis.] Baſternae enim matronales erant opertae, planeque ſimiles earum quas hodie lecticas vocamus, ut docet vetus Epigramma:

Aurea matronas claudit baſterna pudicas,
Quae radians patulum geſtat utrimque latus.

*Auratas fuiſſe eiusmodi baſternas teſtatur etiam Ioh. Chryſoſtomus in Homilia 11. in Epiſtolam Pauli ad Romanos. αἱ δὲ ὄψεις τῶν ἡμιόνων, τῶν τὴν γυναῖκα φερουσῶν τὴν σὴν, πολλῷ καταλάμπονται χρυσίῳ, καὶ τὰ δέρματα, καὶ τὰ ξύλα τὰ τὴν στέγην ἐκείνην ὑφαίνοντα. Et Paulinus de matrónis Rom. loquens, quae obviam Melaniae proceſſerant, in Epiſtola X. *Auratis pilentis et carpentis pluribus gemente Appia atque fulgente.** VALES.

Baſternis] Gloſſar. Nomicum: Λεκτίκιον, βάστεγνα, κράβατον. Martyrolog. Graecum de D. Eugenia: ἦν ἀναγινώσκουσα ἔνδον τοῦ βαστεγνίου. Et: προσέταξε στῆναι τὸ βαστέγνιον. Hieronym. ad Euſtoch. Aldhelm. de Virginit. LINDENBR. Baſternae erant genus lecticae, ita tamen differunt, ut lecticae portarentur ab hominibus, baſternae autem a iumentis, mannis, burdonibus, mulis, quorum unus antecedebat, alter ſequebatur. Porro lecticae erant vel clauſae, vel opertae, baſternae ſemper clauſae; illis et viri et feminae utebantur, his feminae ſolae. v. *Salmaſ.* ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 845. *Scheffer* de re vehiculari Lib. II. c. 6. p. 115. ſſ. *Alstorph* de lectis et lecticis p. 310. W.

17. *Praepoſitis urbanae familiae ſuſpenſae digerentibus.*] Senſus eſt, ſervos praepoſitos urbanae familiae, quae tunc ſuſpenſa eſt, et otioſa ab omni opere vacat, ordines curare. VALES. Urbana familia, oppoſita ruſticanae, conſtabat ſervis artis cuiusdam honeſtioris peritis, vel literatis, quos *ſuſpenſos*, conſuetis quotidianis laboribus abiectis ad deducendum dominum dominamve evocatos *praepoſiti*, liberti plerumque, tanquam deſignatores ordinant et ſuum cuique locum in pompa adſignant. W.

Digerentibus ſollicite.] Sumtum videtur ex Senecae libro de Conſtantia c. 15. *Turbam venali faſtidio digerentibus.* VALES.

Quos inſignes faciunt virgae dextris aptatae] Alterius Epiſcopus Amaſeae in Homil. de oeconomo iniquitatis pag. 20. Τί δὲ τῆς τῶν ὑπαρχόντων ἀξίας ἡ σκηνή; τὸ ἀργύρεον ὄχημα, καὶ καλαμὶς ἡ χρυσῆ. *Quid autem et quanti tota illa quam Praefides obtinent ſcena; argenteum vehiculum, et virga aurea?* Seneca de Tranquil. initio: *Placet honos faſcesque, non purpura aut aureis virgis adductus* (ita lego: vulgo *adductum* male) *capeſſere, ſed ut amicis propinquisque et omnibus civibus, omnibus deinde mortalibus paratior utiliorque ſim.* Eaeque virgae in nummis antiquis in manibus magiſtratus apparent. *In virga poteſtatem intelligi convenit, inſigne enim poteſtatis eſt*, inquit Hilarius Epiſc. Pict. in Pſal. 2. et 124. Unde Curopalates aurea virga decoratus ante pedes regios primus incedebat. Caſſiodor. lib. 7. Var. 5. Vid. Petr. Fabri V. C. Agoniſticon lib. 1. cap. 22. LINDENBR.

Multitudo ſpadonum coloris obluridi] Hunc ſequioris ſexus faſtum multis reprehendit D. Chryſoſtom. cuius Homil. xx. in Paul. ad Epheſ. v. haec verba ſunt: ἡ γυνὴ χρυσοφορεῖ, καὶ ἐπὶ ζεύγους λευκῶν πρόεισι, περιφέρεται πανταχοῦ, οἰκετῶν ἀγέλας ἔχει, καὶ εὐνούχων ὄχλον. Hieron. ad Euſtoch. *Praecedit caveas baſternarum ordo ſemivirorum, et rubentibus buccis cutis farta diſtenditur.* IDEM. Hoc hominum genus, in (quod et alibi invehitur Ammianus, v. Ind. v. Eunuchus, ad lecticam dominae incedit *a ſenibus in pueros deſinens*, ut ſeniores praecedant, iuniores ſequantur. *obluridi*, quibus, ut vetulae ap. Horatium Epod. xvii, 22. *pelle lurida amicta oſſa.* qui et alio *rugoſorum* elogio eosdem ornat. Epod. v, 9. 13. — *agmina.* Libanius oratione parentali in Iulianum T. 1. Reisk. p. 565. numerum Eunuchorum maiorem fuiſſe ait, quam muſcarum verno tempore greges circumvolantium. Plura de his hominibus, ut alios taceam, vide apud Gibbonum T. iv. p. 255. ſſ. et T. v. p. 284. ſſ. W.

Obluridi, diſt. lin. compage deformes.] Sic habent codex Regius ac Florentinus, et Editio Romana. Sed Petrus Caſtellus, cum eam locutionem contra leges Grammaticae peccare exiſtimaret, correxit: *oblurida, diſtortaque lin. compage deformis.* Exſtitit poſtea Sigismundus Gelenius, qui Frobenianam curavit Editionem. Is audacter ſatis vocem addidit hoc modo: *coloris obluridi, diſtortaque lin. compage deformis.* Quod equidem inſtitutum probare non poſſum, cum ea vox abſit tum a codice Regio, tum ab Editione Romana. Quinetiam in Romana Editione legitur, *a ſenibus in pueros deſinetis.* Unde ſuſpicari quis poſſit legendum eſſe *deſinentes.* Cuiusmodi locutio Marcellino eſt familiaris. VALES.

Mutilorum hominum agmina.] De hac matronarum ambitione loquitur Hieronymus in Epiſtola ad Furiam: *Noli in publicum ſubinde procedere, et ſpadonum exercitu praeeunte, viduarum circumferri libertate.* VALES.

Deteſtetur memoriam Semiramidis.] Incertum, Semiramis-ne prima evirari mares iuſſerit, an vero Perſarum id iam olim inſtitutum ſit. Claudian. lib. 1. in Eutrop. v. 339.

— — — *Seu prima Semiramis aſtu*
Aſſyrtis mentita virum, ne vocis acutae
Mollities, levesque genae ſe prodere poſſent,
Hos ſibi coniunxit ſimiles: ſeu Perſica ferro
Luxuries vetuit naſci lanuginis umbram.

Certe de Semiramide nil tale Diodorus Sicul. vel Trogus, ſed tantum veſtitu eam ſexum mentitam aſſerunt: στολὴν ἐπραγματεύσατο, δι' ἣν οὐκ ἦν διαγνῶναι τὸν περιβεβλημένον, πότερον ἀνήρ ἐστιν ἢ γυνή. Perſis vero id numero multi ſunt qui adtribuunt. Petron. Donat. Stephan. Cuius deteſtandi facinoris invectivam vide apud Suid. ex Cyrillo in voce σπαδόνες. LINDENBR.

Semiramidis Reginae, quae ten. mares caſtravit omnium prima.] Conſentit quidem Claudianus in Eutropium, ut iampridem notavit Delrio. Sed Clearchus Solenſis Ariſtotelis diſcipulus in lib. 4. de moribus gentium, praclarum hoc inventum Medis tribuit, teſte Athenaeo in lib. 12. p. 514. D. Κλέαρχος δὲ ὁ Σολεὺς ἐν τετάρτῳ βίων προειπὼν περὶ τῆς Μήδων τρυφῆς, καὶ ὅτι διὰ ταύτης πολλοὺς εὐνουχίσαιεν τῶν περικτιόνων. Mulieres vero caſtrare primi coeperunt Lydi, ut docet idem Athenaeus in libro cit. et Conſtantinus Manaſſes. Gyges enim Lydorum Rex primus puellas caſtraſſe dicitur, ut iis adoleſcentibus diutius uteretur, quemadmodum ſcribit Xanthus Lydus in 2. rerum Lydicarum apud Suidam in Ξανθός. At Graeci hanc foedam inhumanitatem ſemper deteſtati ſunt. Argumento ſit Periander Corinthius, qui cum Corcyrenſibus infenſus eſſet, Principum liberos ad Regem Lydorum Alyattem caſtrandos miſit Sardes, ut narrat Herodotus lib. 3. c. 49. et Diogenes Laërtius l. 7. 2: quippe cum nullus eſſet in tota Graecia, nedum Corinthi Medicus, qui id facinus ſuscipere auderet. VALES. *Semiramidis.* Cui tamen fortaſſe fit iniuria. *Gesnerus* certe ad locum Claudiani a Lindenbrogio et Valeſio excitatum, praeter Claudianum et Ammianum ſe non reperiſſe ait, qui hanc Semiramidi notam inureret. Nuper *Heerenius* in *Bibl. d. alten Literatur u. Kunſt.* B. VI. inter inedita p. 18. aliquot paginarum ſcriptiunculam protulit e bibliotheca Elcorialenſi, ſchedisque Holſtenii, ubi et haec evirationis inventio, et alia Semiramidi vulgo adſcripta reginae cuidam *Lyttuſae* tribuuntur. Auctor iſtius fragmenti ex Hellanico ſua deſumſit. Ceterum ipſo Moſe antiquiorem fuiſſe morem iſtum patet ex Deuteron. XXIII, 1. v. *Goguet Origine des Loix etc.* T. 1. L. 1. c. 3. verſionis Hamberger. p. 365. et Beckmann Geſch. d. Erfindd. B. 5. St. 4. S. 472 et 476. W.

velut vim iniectans naturae — vias propagandae poſteritatis oſtendit.] Exquiſitioribus verbis ornare ſibi viſus eſt Ammianus ſententiam, quam brevius et ſimplicius ita poterat efferre: Vim inferens naturae, quae puerulis adeo ſemen ad propagandam aliquando ſubolem indidit. De voc. *crepundia* Erneſtius conferri

Digitized by Google

iubet Clav. Ciceron. in h. v. it. Salmaſ. ad Scrr. Hiſt. Aug. Tom. II. p. 421. W.

18. *Vocali ſono, perflabili tinnitu fidium.*] Sic reſtitui ex fide codicum ſcriptorum, Regii et Florentini: quibus Editio Rom. et Auguſtana adſtipulantur. Sed nondum mihi perſanatus locus videtur. Ac niſi me coniectura fallit, ſic ſcripſerat Marcellinus: *Vocali ſono ac perflabili, tinnituque fidium reſultantes.* Eodem enim modo loquitur initio libri 30 (c. 1. §. 20.) *Et aedes pulſu nervorum, et articulato flatilique ſonitu reſultarent.* Quibus verbis duas Muſicae ſpecies complectitur, organicam et vocalem. Sed organica duplex eſt: quarum altera in percuſſione conſiſtit, altera in flatu. Organorum quippe alia ſunt ἔντατα καὶ καθαπτά, alia, ἐμπνευστά, quibus etiam hydraulica continentur, ut ait Athenaeus L. IV. p. 174. B—E. Omnia haec complexus eſt Cicero in Orat. pro Sexto Roſcio Amerino c. 46. his verbis: *Ut quotidiano cantu vocum, et nervorum, et tibiarum tota vicinia perſonaret.* Nec ſecus Marcellinus noſter in locis quos adduximus. Sed et Calliodorus in libro de Muſica: *Symphonia,* inquit, *eſt temperamentum ſonitus gravis ad acutum, et acuti ad gravem, modulamen efficiens ſive in voce, ſive in percuſſione, ſive in flatu.* Graeci perinde ὀργανικὴν καὶ ᾠδικὴν μοῦσαν diſtinguunt, ut videre eſt apud Dionyſium Halic. in libro de compoſitione vocabulorum, (T. V. p. 57. Reiske) et nominatim apud Auctores, qui de Muſica ſcripſerunt Graece, Gaudentium, Ariſtidem, et ceteros: apud quos nihil frequentius occurrit quam haec λέξεως καὶ κρούσεως diſtinctio, id eſt vocalis et organicae Muſicae: ac ſeorſum utrique proprias notas adſignant, quarum ſuperiores quidem vocalem, inferiores organicam metiebantur: in uſum, ut equidem iudico, auloedorum, citharoedorum, eorumque qui ad lyram canebant. VALES.

organa hydraulica.] Haec iam ante Neronem in uſu fuiſſe diſcimus ex Suetonio c. 41. qui eiusmodi novi generis inſtrumenta monſtraſſe Romae Imperatorem narrat. cf *Spanhem.* ad Iulian. p. 118. inprimis vero *Wernsdorf* ad poëtas minores T. II. p. 400, ſſ. W.

19. *Cum peregrini ob formidatam haud ita dudum alim. inopiam.*] Sic Octavianus Auguſtus magna quondam ſterilitate ac difficili remedio omnes peregrinos, exceptis medicis et praeceptoribus, Urbe expulit; ut ait Suetonius c. 42. Cuius exemplum ſecuti deinceps Romani, crebro id uſurpaverunt, adeo ut urbs aeterna hanc ob cauſam male audiret. Teſtantur id Symmachus in lib. II. Epiſt. VIII. et Ambroſius in lib. III. de Officiis, cap. VII. ubi in eam Romanorum conſuetudinem graviter invehitur. Libanius in Antiochico (T. I. p. 329. Reiske) de fecunditate agri Antiocheni loquens ſic ait: οὕτω τῇ τε γῇ πρέπων ὄχλος ὁ παρ' ἡμῖν, τῷ τε ὄχλῳ τῆς γῆς ἡ Φύσις. οἱ ἦν οὐδεπώποτε τὸν ξένιον ἠναγκάσθημεν ἀδικῆσαι Δία διὰ τῆς περὶ τοὺς ξένους ὠμότητος· καίτοι παράδειγμα τῆς Ῥώμης ἔχοντες, ἢ τὴν τῶν ἀναγκαίων σπάνιν, ἡνίκα ἂν τοῦτο συμπέσῃ, τῇ τῶν ξένων ἐλάσει πρὸς ἀφθονίαν μεθίστησι. Id eſt: *Ita et agro conveniens incolarum multitudo apud nos eſt, et multitudini incolarum bonitas agri reſpondet: cuius ope numquam coacti ſumus ſaevitia in peregrinos Iovem hoſpitalem offendere: tametſi nobis exemplum ſuppeteret urbis Romae, quae quoties inopia premitur annonae, peregrinorum expulſione huic malo mederi ſolet.* Themiſtius quoque in Orat. 6.

ubi Theodosium Imperatorem Orientis ab annonae sollicitudine commendat, οὐκοῦν, inquit, δεῖ ἡμῖν ξενηλασίας συνεχοῦς καθάπερ τῇ μητροπόλει, φαρμάκου τῆς ἐνδείας χαλεπωτέρου. Id est: *Quare nihil nobis continua ac prope assidua peregrinorum expulsione opus est perinde ac Origini nostrae: quod quidem omni penuria atrocius remedium est.* Quibus verbis Romam innuit, quam μητρόπολιν quoque appellat in Orat. 4. *Eumdem Romanorum morem perstringit Libanius in lib. IV. Epistola 268. ad Rufinum Comitem Orientis, qui ob annonae penuriam decreverat, ut peregrini Antiochia pellerentur. τὰ δ' αὖ περὶ τὸν σῖτον· σοῦ μὲν καὶ ταῦτα ἄξια τῆς ῥώμης τετόλμηκας.* Ceterum peregrinos aliter sumit Marcellinus, quam in dicto loco Suetonius. Apud Suetonium enim, et illius aevi Scriptores, peregrini opponuntur civibus Romanis. Post legem autem illam Caracallae, qua omnibus in orbe Rom. agentibus civitas data est, peregrini Romae dicti sunt, qui non essent oriundi ex urbe Roma. VALES.

Peregrini ob formidatam haud ita dudum alimentorum inopiam pellerentur ab urbe.] Non novum id Romae, et quod Augustum etiam fecisse, cum gravior Urbem annona flagellaret, scribit Sueton. Octav. 42. Orosius lib. 7. cap. 3. C. Papius quoque Tribunus pl. lege lata peregrinos urbe expulerat, sed alia de causa: ἐπειδὴ ἐπεπόλαζον, καὶ οὐκ ἐδόκουν ἐπιτήδειοι σφίσιν εἶναι συνοικεῖν. Dio Cass. lib. XXXVII. 9. LINDENBR.

sine ulla respiratione] uti erant, ita ut sarcinulas vix possent colligere. W.

Tria millia saltatricum ne interpellata quidem.] Quae scilicet veterum fabularum exitus in scenis saltantes imitarentur, ut loquitur Iul. Firmic. lib. 6. Quippe sat non fuit corruptis severioribus P. R. moribus inter privatos parietes hanc artem continuasse: sed eo quoque luxuriarum ventum, ut parum putarent commode mimum egisse, ni saltationum etiam obscenis gestibus oculi inquinarentur. Cuius moris praecipui auctores tempore Augusti fuere Pylades et Bathyllus. Zosim. lib. 1. c. 6. ἡ γὰρ παντόμιμος ὄρχησις ἐν ἐκείνοις εἰσήχθη τοῖς χρόνοις, οὔπω πρότερον οὖσα, Πυλάδου καὶ Βαθύλλου πρῶτον αὐτὴν μετελθόντων. Quos mox secuti Mnester, Paris, Phabaton, Caramallus, multos invenere discipulos. Seneca Natural. Quaestion. lib. VII, 32. 1. *Stat per successores Pyladis et Bathylli domus. Harum artium multi sunt discipuli, multique doctores, privatim urbe tota sonat pulpitum.* Et quidem quanto quisque formosior, tanto pensiore cura huic studio incumbebat, qui magis saltando placeret. Inscriptio vetus in Transilvania: DIS MANIBUS. MEMORIAE C. REGULI MORIBUS DECORE NATALIBUS D. D. HYACINTHO VEL NARCISSO COMPARANDI. QUI VIXIT AN. XII. M. III. TER IN PUBLICO. SPECTANT. S. P. Q. TRAIANEN. QUATER IN CURIA SPECTANTE IMP. M. ANTONINI PROCOS. SALTAVIT. CANTAVIT. IOCIS OMNES OBLECTAVIT. CUNCTIS PLACUIT. FELIX REGULUS PATER INFELIX ANIMAE INNOCENTISSIMAE. L. H. L. D. Cui consentiunt alia monumenta Neapoli, Romae, Antipoli reperta. Denique in tantum excreverat numerus saltatorum, ut remedium malo quaerentes viri sanctiores infamiae metu impetum eius frangere conati sint, l. 24. ff. ad L. Iul. de adult. Sed verum hic quod P. Syrus ait: *Aegre reprehendas, quod sinis consuescere:* eoque ventum, ut remanerent saltatores, exsularent philosophi. LINDENBR.

Digitized by Google

Cum choris totidemque remanerent magiſtris.] Choros intelligo, qui ſaltatricibus, ſeu pantomimis praecinebant, de quibus praeter Hieronymum in Chronico loquitur et Libanius in Orat. adverſus Tiſamenum initio (T. II. p. 240. Reiske): ἀποκλίνας δὲ ταχέως εἰς ὀρχηστὰς, καὶ μαχαίσας αὐτούς τε καὶ ὅσοι περὶ αὐτοὺς, ἥδιστα μὲν ἂν ἡγεμὼν ἐγένετο τοῦ χοροῦ· τούτου δὲ πολλοῖς εἰργόμενος αἰτιάμασι, δι' ἁμάτων, ἃ ποιῶν παρεῖχεν αὐτοῖς, ἦν ἐπὶ τῆς σκηνῆς. Quibus in verbis ἡγεμὼν τοῦ χοροῦ is eſt, qui Magiſter chori dicitur in hoc Marcellini noſtro loco, et a Philargyro in Eclogam 6. Virgilii. Apud Philonem de vita contemplativa ἡγεμὼν καὶ ἔξαρχος vocatur. Hi Magiſtri in medio chori ſtantes compoſitione pedum ac ſtrepitu cymbalorum, aut manus percuſſione modos dabant: unde et Meſochori ſunt dicti. Philo in lib. de mercede meretricis, ὧν ἐν μέσῳ καθάπερ ἡγεμὼν χοροστατοῦσα. De cymbalorum ſtrepitu locus eſt elegans apud Arrianum in Indicis (c. 49. p. 79. Schmieder.) εἶδον δὲ ἔγωγε καὶ κυμβαλίζοντα ἤδη ἐλέφαντα, καὶ ἄλλους ὀρχεομένους· κυμβάλοιν τῷ κυμβαλίζοντι πρὸς τοῖν σκελοῖν τοῖσιν ἔμπροσθεν προσηρτημένοιν, καὶ πρὸς τῇ προβοσκίδι ἄλλο κύμβαλον. ὁ δὲ ἐν μέρει τῇ προβοσκίδι ἔκρουε τὸ κύμβαλον ἐν ῥυθμῷ πρὸς ἑκατέροιν τοῖν σκελοῖν. οἱ δὲ ὀρχεόμενοι ἐν κύκλῳ τε ἐχόρευον ἐν ῥυθμῷ, καθότι ὁ κυμβαλίζων σφίσιν ὑφηγέετο. Id eſt: *Vidi ego aliquando elephantum cymbalum pulſantem aliis ſaltantibus, duobus cymbalis ad anteriora crura, alio ad proboſcidem appenſo. Ipſe alternatim proboſcide cymbalum in numerum ad utrumque crus pulſabat: reliqui circumſtantes choreas ducebant, ac procedebant in numerum, prout illo cymbalo praeibat.* Ut plurimum tamen ferream regulam habebant Meſochori ex crepidis prominentem, qua et chori cantum, et Pantomimi ipſius geſtum ac ſaltationem regebant, quemadmodum docet Libanius in Orat. pro ſaltatoribus adverſus Ariſtidem (T. III. p. 385. Reiske), ubi inter cetera ſic ait: κτύπου δεῖ τοῖς ὀρχησταῖς, ὦ δαιμόνιε, μείζονος, ὃς τά τε τοῦ χοροῦ διοικήσεται πρὸς τὴν χρείαν, καὶ τοῖς ὀρχησταῖς συμβαλεῖ πρὸς εὐρυθμίαν· οὗτος δὲ ἀπὸ ψιλοῦ τοῦ ποδὸς οὐκ ἂν ἀποχρῶν εἴη. δεῖ δή τινα κανόνα σιδηροῦν ἀπὸ τῆς βλαύτης ὀρμώμενον ἀρχοῦσαν ἠχὴν ἐργάσασθαι. Ceterum ſaltante Pantomimo pauci chori canticis attendebant, nec niſi paſtores, nautae, eiusque farinae homines: unius Pantomimi ſchemata ac geſtus conſpiciebantur: quem quidem ita moderari geſtum oportebat, ut ſimul cum chori cantico procederet, ſimul inciperet, ſimulque deſineret: quod συγκαταλῦσαι τῷ ᾄσματι dicit Libanius in Orat. citata. VALES.

20. *Et licet feminas multas ſpectare cirratas, quibus, ſi nupſiſſent, per aetatem ter iam nixus poterat ſuppetere liberorum.*] Ridiculum eſt dicere, plurimas tum Romae fuiſſe ſaltatrices, virgines grandes ad tria millia, quae ſi nupſiſſent, per aetatem iam trinos liberos ſingulae domi habere potuiſſent: quaſi eiusdem omnes aetatis, parium omnes eſſent in concipiendo, et in perferendo enitendoque partu virium: aut quaſi etiam aetate ac viribus pares, etiam eodem (ſi placet) nuptas tempore, eumdem quoque ſingulas ac univerſas numerum liberorum, nec plus aut minus trinis neceſſario parere, aut apud ſe habere oporteret. Praeterea *nixum liberorum* pro liberis quis umquam dixit? *Nixus* eſt conatus et labor parturientis. Et poſt partum quidem conatus ille, vel labor aut nixus conquieſcit evaneſcitque, nec de eo quidquam ſupereſt: ſupereſt autem aut *ſuppetit* tantum infans,

quem mulier enixa eſt. Si igitur emendandum Ammianum exiſtimo: *Quibus, ſi nupſiſſent, per aetatem iam nidus poterat ſuppetere liberorum:* ſublato *ter*, quod ex ultima ſyllaba praecedentis vocabuli *aetatem* inepta repetitione ortum eſt, et nomine *nixus* in *nidus* unius litterae mutatione converſo. Senſus eſt, hasce ſaltatrices viragines, ſi mature nupſiſſent, per aetatem domi iam habituras fuiſſe multitudinem parvulorum liberorum, quam, metaphora ducta ab avibus, *nidum liberorum* Ammianus vocat. Sic Plinius in capite III. libri XXXV. quam *liberorum turbam* dixit, mox *nidum ſoboliſ* appellat his verbis: *Quorum vero clypeos in ſacro, vel publico privatim dicare primus inſtituit Appius Claudius. Decora res, utique ſi liberorum turbam parvulis imaginibus ceu nidum aliquem ſoboliſ pariter oſtendant: quales clypeos nemo non gaudens favensque adſpicit.* Iuvenalis in Sat. v. v. 150. imitatus Virgilium, qui garrulas aviculas in nido cubantes, *nidos loquaces* dixerat, tres infantes *nidum loquacem* nuncupat.

Sed tua nunc Mycale pariat licet, et pueros tres
In gremium patris fundat ſimul: ipſe loquaci
Gaudebit nido. VALES. Non tamen nec in his locis, nec in aliis, quae collegit Nic. Heinſius ad Claudiani praefationem de III Conſulatu Honorii, nidus notat multitudinem, nec notare poteſt, ut cuilibet facile patet. Neque declamatio, quae ab viro doctiſſimo adverſus vulgatam lectionem inſtituitur, iuſta eſt. Dicit vero Ammianus *nixus liberorum* pro puerperiis legitimis, eoque determinare videtur in numero ternario, reſpiciens ad ius trium liberorum, de quo multi multa, et praecipue nummus Aelii Ceſaris et Antonini Pii apud Angelomum. GRON. Ter potuerat eſſe puerpera. Contra Valeſium, qui *nixus* mutare voluerat in *nidos*, recte disputat Gronovius, in eo tamen nimis doctus, quod ad ius trium liberorum reſpici putat, de quo Ammianus h. l. non cogitavit. W.

Feminas ſpectare cirratas.] *Cirri* ſunt cincinni et crines oblongiores, proprii puerorum et virginum. Gloſſ. Μαλλὸς παιδίου καὶ ἀθλητοῦ, *Cirrus.* Veget. de mulomed. 51. de articulis: *Reſecandi ſunt cirri.* 94. Tertull. de virgin. velând. cap. 10. *Cirros Germanorum.* In lib. Notar. *Cirrus, Cirritus, Cirritudo.* Iuvenal. XIII, 165. — *madido torquentem cornua cirro.* Aldhelm. de Virginit. *Formoſam vultus venuſtatem non ſtibio confectam, vel calamiſtro cirris criſpantibus adeptam, ſed ingenitam.* Inde cirratae puellae, et pueri cirrati apud Perſium et D. Ambroſ. LINDENBROG.

21. *Homerici lotophagi.*] Homer. Iliad. x. Odyſſ. IX, 94.

— — ὅστις λωτοῖο φάγοι μελιηδέα καρπὸν,
Οὐκ ἔτ' ἀπαγγεῖλαι πάλιν ἤθελεν, οὐδὲ νέεσθαι,
Ἀλλ' αὐτοῦ βούλοντο μετ' ἀνδράσι λωτοφάγοισι
Λωτὸν ἐρεπτόμενοι μενέμεν, νόστου τε λαθέσθαι. LINDENBR.

Lotus arbor (non confundenda illa cum Loto, planta Aegyptiaca) eſt *Rhamnus Lotus* Linnaei. Etiamnum baccis eius in regionibus illis pro cibis utuntur, vinumque inde vel mulſum conficiunt, quod tamen nonniſi aliquot dierum eſt. Lotophagi ſedem habuerunt ad mediam Tripoleos oram. v. *Heeren Ideen über die Politik, den Verkehr u. den Handel der vornehmſten Völker d. alten Welt.* Th. I. S. 64. W.

Pedibus

Pedibus pavimenta tergentes.] Reſtitui ſcripturam veterum librorum, quam Editio quoque Romana ac Frobeniana confirmant. Primus Mariangelus Accurſius *terentes* ediderat vitioſe: tergere enim pavimentum ſaltantes proprie dicuntur, quod prae nimia corporis agilitate vix tangunt, nedum terunt. Pavimentum autem Scenae hic intelligi clarum eſt, quae teſſellato opere ſternebatur. * Gloſſae veteres, *πούλπιτον*, pulpitum, pavimentum.* VALES.

Iactari volubilibus gyris.] In codice Regio reperi *volvetur cyris;* neque ſecus in Editione Rom. niſi quod *tyris* in ea legitur. Vulgata lectio eſt ex emendatione P. Caſtelli quam equidem non damno. Malim tamen legere: *Iactari volucribus gyris.* IDEM. Gronov. in Praef. p. XXV. mavult *velocriter.* W.

22. * *Vile eſſe quidquid extra Urbis pomoerium naſcitur, aeſtimant.*] Idem dicit Themiſtius pag. 129 * VALES.

Praeter orbos et caelibes: neque credi poteſt.] Petron. Arbit. p. 151. ed. Frf. 1621. 8. *In hac urbe nemo liberos tollit. Quia quisquis ſuos habet heredes, nec ad cenas, nec ad ſpectacula admittitur, ſed omnibus prohibetur commodis, inter ignominioſos latitat. Qui vero nec uxores umquam duxerunt, nec proximas neceſſitudines habent, ad ſummos honores perveniunt.* De orbis exſtat locus apud Tacit. in Dialogo de orat. c. 6. * Tertull. de Patient. cap. ult. *Aucupandis orbitatibus omnem coacti obſequii laborem mentitis adfectionibus tolerat.* Horat. in Satyr. II, 5. ubi Ulyſſ. et Tireſias colloquuntur. Seneca de Conſolat. ad Marciam cap. 19. * LINDENBR.

23. *adminiculum ſoſpitale*] remedium adverſus morbos. Sic ſoſpitales aquae XVIII, 9. 2. ſoſpitalis temperies coeli XXIII, 6. 46. W.

24. *Ubi aurum dextris manibus cavatis offertur.*] Sportulam nuptialem intelligit. Plin. libr. X. Epiſtol. CXVII. *Qui virilem togam ſumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt magiſtratum, vel opus publicum dedicant, ſolent totam bulen, atque etiam e plebe non exiguum numerum vocare, binosque denarios vel ſingulos dare.* Vide Apul. Apolog. Symmach. lib. 3. Epiſt. 24. lib. 4. Epiſt. 55. LINDENBR.

25. *Velabris umbraculorum theatralium.*] Apud Valerium Maximum II, 4. 6., ex quo haec deſumta ſunt, legitur *velorum umbraculis.* magis Latine. Ceterum de his theatralibus velis loquitur Propertius lib. 4. Elegia 1.

Nec ſinuoſa cavo pendebant vela theatro,
Pulpita ſollemnes non oluere crocos.

Quod diſtichon imitatus videtur Ovidius in Arte amandi lib. 1.

Tum neque marmoreo pendebant vela theatro,
Nec fuerant liquido pulpita rubra croco.

Plura de his velis notavit Lipſius in lib. de Amphitheatro cap. 17. VALES. Melius inverſe Val. Max. loco a Valeſio laudato. Velabra iſta praetendebantur amphitheatris ad ictus ſolis defendendos. Carbaſis conſtitiſſe dicuntur, ad quae explicanda et revolvenda nautis utebantur. In ambitu ſuperiori amphitheatri Ti-

tiani, conſpiciuntur etiamnum foramina, ad hunc uſum ſine dubio deſtinata. W.

Catulus in aedilitate.] Valer. Maxim. lib. 2. cap. 4. *Religionem ludorum creſcentibus opibus ſecuta lautitia eſt: eius inſtinctu Q. Catulus Campanam imitatus luxuriam, primus ſpectantium conſeſſum velorum ambraculis texit.* De Campana luxuria idem Valer. lib. 9. cap. 1. LINDENBR.

Catulus in aedilitate ſua.] Valerius Maximus id a Q. Catulo in aedilitate factum eſſe non dicit. Itaque id de ſuo admenſus eſt noſter Marcellinus: in quo vereor ne eum ratio fugerit. Plinius enim lib. 19. initio Catulum ſcribit primum omnium velis texiſſe theatrum, cum Capitolium dedicaret. Dedicavit autem Capitolium Catulus Q. Metello et Q. Hortenſio Coſſ. Olympiadis 177. anno ultimo, ut ſcribit Caſſiodorus in Chronico, et Phlegon in Olympiadum fragmento apud Photium: quod confirmat Cicero in Verrem de ſignis c. 31., quam orationem habuit Pompeio et Craſſo Coſſ. ſub anni finem, cum Metellus et Hortenſius iam Conſules deſignati eſſent. *Hoc loco*, inquit, *Q. Catule, te appello: tuus eſt enim honos in illo templo, Senatus populique R. beneficio: tui nominis aeterna memoria ſimul cum templo illo conſecratur, etc.* Quibus verbis ſatis innuit Cicero nondum eo tempore quo agebat, Capitolium dedicatum fuiſſe: quod ſequentibus demum Coſſ. ut dixi, a Catulo dedicatum eſt. At eo anno Catulus et Conſularis erat, et Cenſorius, nedum Aedilis: immo et Princeps civitatis, ut ſcribit Valerius Max. lib. 6. cap. 9. Agellius lib. 2. cap. 10. hunc Catulum Curatorem Capitolii reficiundi nominat. VALES. Gellio dicitur *curator reſtituendi Capitolii.* At verbum reficere in eo uſurpat Suetonius Iulio 15. *de refectione Capitolii.* GRON.

In aedilitate.] Nempe cum Capitolium dedicaret. Plin. lib. 19. cap. 1. IDEM.

* *Pugnaciter aleis certant.*] Vide Chryſoſtomum in Homilia xv. ad populum Antiochenſem pag. 197. et in Homilia vi. in Geneſim ſub finem. * VALES.

turpi ſono fragoſis naribus introrſum reducto ſpiritu concrepantes.] Aliis verbis: auribus moleſto ſono reductum paullatim ſpiritum per nares cum impetu (fragoſam orationem leni opponit Quintilianus ix, 4.) ſtridentem, acutum emittunt. W.

* *Sole fatiſcunt vel pluviis.*] Quanto ardore ad ſpectacula populus conveniret, illud vel maxime indicio eſt, quod totos dies nudo capite in Circo vel in Theatro perſtabat, Solis aeſtum aut imbrem excipiens. Quippe haec ſpectaculorum lex erat, ut ſpectatores nudis capitibus eſſent; quemadmodum ſcribit Baſilius in Homilia vi. in Hexameron: Καὶ τοῦτο ἐκ τῶν πανηγυρικῶν θεσμῶν ἄν τις κατίδοι, οἳ τοὺς συγκαθεζομένους εἰς τὸ στάδιον γυμνῇ καθῆσθαι τῇ κεφαλῇ διαγορεύουσιν. Idem frequenter inculcat Chryſoſtomus, ut auditores ſuos ad audiendum excitet. Sic in Homilia iv. de verbis Eſaiae pag. 871. οὐχ ὁρᾷς τοὺς ἐν θεάτρῳ καθημένους, πῶς ἱδρῶσι, καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ τὴν ἀκτῖνα δέχονται, ἵνα γένωνται θανάτου αἰχμάλωτοι, ἵνα πόρνης δοῦλοι. Et in oratione iii. adverſus Iudaeos, de Olympiis quae Antiochiae celebrabantur, tomo i. p. 485. Καὶ γὰρ ἄτοπον, ἐν Ὀλυμπιακοῖς μὲν καθημένους θεάτροις ἐκ μέσων νυκτῶν εἰς μεσημβρίαν μέσην καρτερεῖν ἀναμένον-

τας ἰδεῖν, εἰς τίνα ὁ στέφανος περιστήσεται, καὶ γυμνῇ τῇ κεφαλῇ θερμὴν δέχεσθαι τὴν ἀκτῖνα Et hoc quidem in gymnicis dumtaxat et ſacris certaminibus ſtatutum ac uſitatum fuiſſe, indicare videntur ipſi ambo Baſilius et Chryſoſtomus. Sed tamen idem de Circenſibus ac de ceteris theatralibus ſcribit Chryſoſtomus in Homilia VI. in Geneſim, et in Homilia IV. de Anna, non procul ab initio. *

[Sed quomodo plebs Romana in ſpectaculis *ſole fatiſcere vel pluviis* potuit, ſi (ut docet ibidem ipſemet Ammianus) etiamtum vela Romae in uſu erant, quibus adductis ſolis ardor refringebatur, ne apertis capitibus ſpectatorum noceret? An ſoli Senatores, ſoli optimates et divites Romae ſub velis et in umbra ſpectabant, plebe excluſa, et radiis ſolis ac imbribus expoſita? Caeſareae quidem Cappadociae, et Antiochiae, atque etiam Conſtantinopoli vela theatralia uſui fuiſſe non puto: ita ut Baſilius et Chryſoſtomus iure ſcribere potuerint, his in urbibus ſpectatores ſedentes usque ad meridiem nudis capitibus radios ſolis excipere conſueviſſe.] VALES. *Sole fatiſcunt vel pluvia*, ad laſſitudinem usque perdurantes ſub dio, ſoli et pluviis expoſiti, cum nudis capitibus ſpectaculis intereſſe ex lege theatrali deberent. Vitio verterat Valeſius Ammiano, quod velabrorum paullo ante memoratorum immemor fuiſſet, quem tamen Erneſti in Gloſſ. v. Fatiſcere ita defendit, ut non de ipſis ludis circenſibus dicat locum explicandum eſſe, ſed tantum de praeparationibus et exercitationibus in curuli certamine, quae ante ſollemnes concertationes ſusceptae ſint, ita ut fere idem h. l. dicere voluerit Ammianus, quod ſupra in hoc capite per vocem *excubare* extulerat. W.

per minutias] ad minutias usque. W.

Equorumque praecipua vel delicta ſcrutantes.] Sic inf. lib. 30. 7. *Intra probra medium et praecipua.* Lib. 21. 16. *Praecipua prima conveniet expediri.* Multo autem aliter in retro Editionibus, ut in Collectaneis variar. lectionum notatum. LINDENBR.

26: * *Et eſt admodum mirum, videre plebem.*] Quae hoc loco graviter ab Ammiano de inſano Circenſium ludorum populi ſtudio narrantur, cum iis graphice conveniunt, quae Tertull. eandem in rem narrat, de Spectaculis cap. 16. *Aſpice populum ad id ſpectaculum cum furore venientem.* IDEM.

cum dimicationum curulium eventu pendentem.] Mire dictum pro ſuſpenſum et anxie exſpectantem, quem curule quodque certamen eventum habiturum ſit. W.

CAPVT VII.

1. *Latius iam diſſimulata licentia.*] Facilius ſenſum intelligas quam verba. Immo verba ſenſum plane ſubvertunt: quid enim ſibi volunt haec? *diſſimulata licentia.* Omnino *diſſeminata* voluit dicere. VALES. Sic repoſui, ſuadentibus Valeſio, Grutero et Boxhornio, nec invito Gronovio, quem vide in Praef. p. XXII. W.

Digitized by Google

2. *Antiochenſis ordinis vertices.*] Ut Romae et Conſtantinopoli erat album Senatorium, in quo Senatorum omnium erant nomina perſcripta, ita et in civitatibus reliquis erat album Decurionum, cuius mentio fit apud Iulianum in Miſopogone et in Iure crebrerime. Qui Primores erant in hoc albo, ii *ordinis vertices* dicuntur hoc loco. Procopius in Anecdotis ſub finem: Ἀνατόλιός τις ἦν ἐν Ἀσκαλωνιτῶν λευκώματι τὰ πρωτεῖα ἔχων. Id eſt: *Anatolius erat quidam inter Primores curiae Aſcalonitarum.* Hos *primarios curiarum* vocat lex 39. Cod. Theod. de Decurionibus, his verbis: *Tam primarios curiarum, quam hos qui Magiſtratus gerunt atque geſſerunt, ſinceritas tua incitare debebit.* Vide titulum in Pandectis de albo ſcribendo. * Chryſoſtomus in Homilia XXXVIII. in Epiſtolam priorem ad Corinthios, τοὺς τὰ πρῶτα πολιτευομένους appellat. * VALES. Vid. Miſc. Obſſ. Bat. T. 9. p. 301. 307. W.

Antiochenſis ordinis vertices.] Ita ex Mſ. vulgo, *denique Antiochiae ordinis verendi duces.* Confirmant ipſiſſima Ammiani verba noſtram emendationem. Sic enim infr. *honorum vertices* 15, 3. 3., et *principiorum vertices* 15, 5. 16. Hiſtoriam tangit Hieronym. in Chron. *Nonnulli Nobilium Antiochiae a Gallo interfecti.* LINDENBR.

ſub uno elogio] una ſententia condemnatoria, formula letali, ſupra c. 1. 3. proloquio XXIX, 1. 38. — *celebrari vilitatem intempeſtivam urgenti*, h. e. (ſi lectio tamen ſana) ut edicto pretia rerum minuerent, quod intempeſtive factum caritatem annonae augere magis, quam minuere ſolet, vel, ut ipſius Ammiani verbis utar: *vilitas nonnunquam ſecus, quam convenit, ordinata, inopiam gignere ſolet et famem* XXII, 14. 1., quem locum omnino conferas velim. v. et Caſaubonum ad Scriptt. H. A. T. 1. p. 512. et 914. Fortaſſe autem ſcripſerat Ammianus *celerari*, quod librarii alicuius ſtupor mutavit in *celebrari*, uti *celeber* rurſus pro *celeri* obtruſus eſt Ammiano XXI, 13. 6. — *gravius rationabili*, quam ipſi aequum videretur. W.

Et periſſent ad unum, etc.] De hac Galli Caeſaris crudelitate intelligendus eſt Libanius in Orat. de vita ſua, T. 1. Reisk. p. 68. cum ait: ζάλη τις κατειλήφει τὸ κοινὸν, ὀργὴ βασιλέως εἰς φόνον προελθοῦσα· καὶ οἱ μὲν ἔκειντο, τοὺς δὲ ὡς κτείνοιεν ἔδησεν, ἅπαντας ἀγαθούς. Inter quos et magiſtrum ſuum fuiſſe dicit: quem qua arte ex Galli manibus ſervaverit, ibidem docet. VALES.

3. *Vetitis certaminibus pugilum.*] Lipſius lib. 1. Saturnalium cap. 12. haec verba de gladiatoribus accepit, quorum cruenta ſpectacula lege Conſtantini Magni vetita fuerant. Equidem gladiatores πύκτας dici et πυκτεύειν libens conceſſerim, quippe cum et Artemidori locus ille quem indicat Lipſius, id probet; et alter eiusdem Auctoris in lib. 5. cap. 59. ἀπεγράψατο εἰς μονομαχίαν, καὶ πολλοῖς ἔτεσιν ἐπύκτευσεν ἀπότομον πυγμήν. et Euſebius lib. 8. Hiſt. cap. 17. et 18. Sed tamen gladiatores Latine pugiles dici, vix in animum meum inducam. Nec quidquam obſtat, quominus hic locus intelligatur de pugilibus qui caeſtibus dimicabant. Nam cruenta huiusmodi pugilum fuiſſe certamina, ſatis conſtat ex Poëtis: apud quos victus, ſemper male mulcatus et cruentus abit ex certamine. IDEM.

Vetitis certaminibus pugilum.] Non ſine ratione vetita certamina vocat τοῦ μονομάχων: quippe quae Conſtantinus Imp. ſuſtulerat. Euſeb. et Sozom. in Hiſtor. Eccleſ. L. 1. C. Theodoſ. de gladiator. quae nunc unica eſt in C. Iuſtin. eod. Tit. Cui tamen legi patientiam populus haud praebuit; tanta inſania ferebatur invicem ſe conficientes ſpectare gladiatores. Quare inſecuti Impp. Conſtantius, Iulianus, Arcad. et Honor. ut tam cruenta ſpectacula penitus abolerentur, ſub comminatione maioris poenae eadem interdicere neceſſum habuere, l. 2. 3. C. Theod. de gladiatorib. LINDENBR.

4. *Inſidias ei latenter obtendi.*] Codex Regius habet, *inſidias in eum latenter obtendi.* In Editione Rom. *ein latenter obtendi.* Ceterum hanc hiſtoriam fulius enarratam apud Zonaram unum reperi. Is in geſtis Conſtantii ſcribit, Magnentium poſt Murſenſe praelium rebus iam fere deſperatis quemdam ex familiaribus clam miſiſſe, qui Gallum Caeſarem Antiochiae interficeret: eo conſilio, ut Conſtantium variis curis diſtineret, et ad Orientis tutelam averteret. Miles igitur cui caedes Galli mandata fuerat, quo occultior eſſet, apud anum quamdam divertit iuxta fluvium Orontem. Iamque ſtructis inſidiis, ac multis militibus ad ſocietatem adiunctis, veſperi inter coenam cum quibusdam conſciis de ea re apertius loqui coepit coram hoſpita anu, quam ob ſenium facile contemnebant. Sed illa perceptis omnibus, cum hoſpitem vino gravem obdormiſſe ſenſiſſet, clam tugurio egreſſa urbem petit, remque omnem Caeſari aperit. Miſſi ilico milites Magnentianum illum corripiunt: atque ille tormentis admotis inſidias confeſſus eſt: de confeſſo et conſciis omnibus ſupplicium ſumtum. Haec Zonaras. VALES.

5. *Affore tam ſperabatur.*] Pluries hoc ſignificatu utitur Ammian. τῷ *ſperare:* *XVI, 12. XXVIII, 1. XXX, 5. cet. Vid. Tertull. p. 317. n. 11. et de Poenit. c. 12. *Idem ſibi de die ſperent.** Firmic. lib. VIII. *Imminentium culminum ſperet ruinas ac motuat.* Panegyr. Conſtantino dictus: *Quid aliud illum ſperaſſe credendum eſt, qui iam ante biduum palatio emigraverat?* Vetus Mſ. Scholiaſt. Lucan. lib. IV. *Sperare ſalutem. Proprie dixit ſperare: ſperamus enim bona. Sic ipſe alibi: - - Liceat ſperare timenti. Virgil. autem improprie dixit: Si potuit tantum ſperare dolorem.* LINDENBR. *Sperare*, uti Graecorum ἐλπίζειν, in malam aeque ac bonam ſumitur partem; ergo h. l. timebatur, uti ſaepius apud Noſtrum, et melioris notae ſcriptores. Cf. Daviſius ad Ciceronis Academ. II, 1. p. 69. Rath. W.

Localibus ſubinde medetur aerumnis.] Locales aerumnas dixit, ut Oroſius *locales miſerias*, lib. 1. cap. 2. *Tertull. Apolog. cap. 20. *Fames et lues, et locales quaeque clades, et frequentiae plerumque mortium vaſtant.* Idem ad Scapulam cap. 3. *Ira Dei localis*, cui opponitur *univerſalis et ſumma.** IDEM.

disponi] De annona praeſertim uſurpatum eſſe Ammiani aetate docet Caſaubonus ad Gordianum III. Hiſt. Aug. T. II. p. 123. et 306. W.

Conſularem Syriae Theophilum.] Tres omnino erant provinciae Syriarum aetate Marcellini, ut ipſe infra teſtatur, Phoenice, Coele, et Palaeſtina: quarum ſingulae Conſularem habuere, ut eſt in Notitia Imperii Romani. Sed Coele proprie Syria dicta eſt, teſte Ammiano Marcellino infra in hoc libro, ubi Orien-

tis provincias deſcribit, et Itinerario Burdigalenſi. Ex quo apparet, aliter apud veteres Syriam Coelen, aliter poſteriori aetate terminatam fuiſſe. Nam antiqui Syriam Coelen vocabant, proprie quidem eam, quae Libano atque Antilibano montibus concludebatur: latius vero ſumto vocabulo omnem eam regionem, quae ſupra Seleucidem in Aegyptum et Arabiam usque protenditur, ut docet Strabo lib. 16. Poſteriores vero etiam Seleucidem ipſam usque ad Commagenem Coeles Syriae nomine complexi ſunt: eiusque caput fuit Antiochia. Eunapius in vita Libanii, p. 166. Commelin. Λιβάνιον δὲ Ἀντιόχεια μὲν ἤνεγκεν ἡ τῆς κοίλης καλουμένης Συρίας πρώτη πόλεων. In Tabula Peutingerorum *Syria Colle* perperam nominatur. Sed haec, ut dixi, proprie et κατ' ἐξοχὴν Syria dicebatur: ut apud Spartianum in Hadriano c. 14: *Antiochenſes inter haec ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice ſeparare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur.* Aetate quippe Hadriani unus legatus Syriae omnibus Syriarum provinciis praeerat, isque Antiochiae ſedebat: ſed poſtea id quod Hadrianus cogitarat, impletum fuit. Syria enim a Phoenice ſeparata eſt. ſeu potius Syriaca iurisdictio a iurisdictione Phoenices disiuncta. Utraque enim proprium Conſularem habuit: ſed Conſularis Coeles Syriae proprie et ἐξόχως Conſularis Syriae dictus. Hanc Conſularis Syriae dignitatem ita deſcribit Marcellinus in lib. 23. 2. *Antiochiam egreſſurus Heliopoliten quemdam Alexandrum Syriacae iurisdictioni praefecit.* Conſulares autem hi ſenis faſcibus ornabantur, ut docet Rutilius Numatianus lib. 1. Itinerarii v. 579.

Namque pater quondam Tyrrhenis praefuit arvis,
Faſcibus et ſenis credita iura dedit.

Hinc Conſularitatis faſces in Cod. Theod. dicuntur, lege ult. ad legem Iul. de ambitu. Nec ſolum faſces, ſed et ſecures habebant, teſte Caſſiodoro lib. 6. formula 20. VALES. Reineſius ad oram adſcripſerat, hunc virum L. 8. Cod. Theod. quorum adpell. non recip. vocari *Theodorum.* W.

6. *Famis et furoris impulſu, Eubuli cuiusdam*, etc.] Ita hunc locum et emendavi et interpunxi, partim ex Mſſ. codicibus, partim ex Editione Auguſtana. Emendationem vero hanc noſtram egregie confirmat Libanius in Oratione de vita ſua, Reisk. T. 1. p. 72, ubi hanc Antiochenſis plebeculae ſeditionem ſic perſtringit: ἀναβὰς οὐμὸς ἀνεψιὸς ἀσθμαίνων τὸν μὲν ἄρχοντα ἔφη τεθνεότα ἕλκεσθαι, παιδιὰν ποιουμένων τῶν κτεινάντων τὸν νεκρόν. Εὔβουλον δὲ σὺν τῷ παιδὶ δρασμῷ τοὺς ἐκείνων ἀποφυγόντα λίθους εἰς ὀρῶν πυκνὰς κορυφὰς ἀναφυγεῖν. τοὺς δὲ ἁμαρτόντας τῶν σωμάτων, εἰς οἰκίαν τὴν ἐκείνων ἀφεῖναι τὸν θυμόν, καὶ καπνὸς οὑτοσὶ τοῦ πυρὸς ἄγγελος. Id eſt: *Cognatus meus anhelans Conſularem quidem occiſum per ſummum ludibrium ab interfectoribus trahi nuntiat. Eubulum vero una cum filio evitatis furentis populi lapidibus ad montium vertices evaſiſſe: at populum, cui corpora illorum elapſa eſſent, in aedes eorum effudiſſe iram: et hic, inquit, fumus incendii index eſt.* Iulianus quoque in Miſopogone ad calcem, eamdem tangit hiſtoriam his verbis: οὐδὲν ὑμᾶς ὑπομνήσας ὧν ἐνιαυτοῖς ἔμπροσθεν ἐννέα δίκαια δρῶντες εἰς ἀλλήλους εἰργάσασθε· φέρων μὲν ὁ δῆμος ἐπὶ τὰς οἰκίας τῶν δυνατῶν τὴν φλόγα, καὶ ἀπακτιννὺς τὸν ἄρχοντα. VALES.

Domum ambitioſam.] Ovid. Triſt. 1. Eleg. 8. *Nota quidem, ſed non ambitioſa domus.* Ammian. inf. *ambitioſum*

Digitized by Google

templum. — ambitiosus magister. — ambitiosa mensa, etc. LINDENBR.

sibi iudicio imperiali addictum,] quem ex malitioso antea memorato Caesaris responso suo permissum arbitrio autumabant. W.

Calcibus incessens et pugnis, conculcans seminecem.] Sic interpungendum esse hunc locum existimavi. Ceterum Libanius in Orat. ad Theodosium A. de seditione Antiochena ait, hunc Theophilum, optimum alioquin Rectorem, dum Circenses spectaret, a quinque aut sex fabris aerariis proturbatum atque humi afflictum fuisse: ac Constantium eo facinore graviter commotum, ilico misisse Strategium Praefectum Praet. (quem Musonianum aliter dictum fuisse, testatur Marcellinus in fine libri 15.) ut in caedis auctores animadverteret. Venit igitur Antiochiam Strategius post Thalassii Praef. obitum, antequam Domitianus successor in locum Thalassii missus fuisset. Theophilo autem Consulari Syriae successit Nicentius, ut scribit Libanius in Orat. de vita sua: quamquam ibi Νοκέντιος exaratum est: et in Ms. codice quem vidi, ἰνοκέντιος legitur. Sed Nicentium malo ex Libanii Epistolis, quas aliquando, si Deus iuverit, in lucem edemus. VALES.

7. *Serenianus ex Duce.*] Ex Duce Phoenices intellige: quod confirmant ea quae sequuntur. *Cuius ignavia populatam in Phoenice Celsen ante retulimus.* IDEM. Cf. Ind. hist. W.

In Phoenice Celsen.] Restituimus hoc loco Regii codicis * et Tolosani * scripturam, quam Editio quoque Romana agnoscit. P. Castellus *Coelen* ediderat, imperite, ut solet. Nam Coele pars est Syriae, ut et Phoenice. Celse igitur castellum fuit in Phoenice, cuius tamen nulla, quod sciam, mentio fit apud veteris. Nisi forte eadem sit Thelsea, castellum in Phoenice, cuius mentio fit in Notitia Imperii Romani, *et in Antonini seu Aethici Itinerario.* VALES. Cf. Wesseling ad Anton. Itiner. p. 196. W.

pulsatae maiestatis imperii reus.] XXI, 16. 9. sunt rei maiestatis imminutae vel laesae. Amat omnino vocem *pulsare* Ammianus. cf. Cod. Theod. l. 6. de malef. Lib. IX. tit. 16. W.

Iure postulatus ac lege.] Sic correxi ex codice Regio, *et Tolosano.* VALES.

templi fatidici mentionem factam miretur fortasse, qui oraculorum consultationem inde a Constantino M. vetitam fuisse meminerit; sed ad Theodosium usque fana eiusmodi duravisse videntur. v. van Dalen de oraculis p. 529. ubi nec Ammianus neglectus. W.

Firmum portenderetur imperium, ut cup. et cunctum.] In omnibus exemplaribus hic locus prava interpunctione corruptus erat. Primus Sigismundus Gelenius, quem Frobenianae Editioni praefuisse monuimus, emendavit: *Et iunctum duplexque iisdem, etc.* contra fidem omnium librorum, et sine ratione. Cur enim iunctum diceret Marcellinus utrumque facinus? Nos sola interpunctione commutata locum pristino nitori restituimus. *Emendationem vero nostram Codex Tolosanus nobis postea confirmavit.* VALES. *cunctum*, totum, indivisum. W.

8. *Modo non reclamante publico vigore.*] *Modo non* idem valet ac *tantumnon*, quae ὑφ' ἓν scribi ac legi debent. Ut apud Graecos μονονοὺχ, et ὀσονοὺχ apud Thucydidem. VALES.

9. *Referente Thalaſſio doctus, quem moviſſe iam compererat lege communi.*] Forte ſcripſit Ammian. *quem obiiſſe iam comp. l. c.* id eſt, quem communi lege vivendi iam defunctum eſſe intellexerat, LINDENBR.

Ne quod militare otium fere tumultuoſum.] In Editione Romana inter primam ac tertiam vocem relicta erat lacuna. Sed P. Caſtellus, cui id propoſitum erat, ut nullam in Editione ſua lacunam relinqueret, inſerto eo vocabulo, quod hactenus retinuere Editiones omnes, lacunam explevit prorſus infeliciter. Nam et dictio illa ſenſum hic nullum habet, et a ſcripta lectione nimium quantum diſcedit. In Regio enim codice *et Tolosano* legitur: *Ne vitiaet militare otium.* Neque aliter habuit codex Florentinus quo uſus eſt Lindenbrogius. Unde non abſurde quis coniiciat ita legendum eſſe: *Ne, uti eſt militare otium fere tumultuoſum, etc.* VALES.

Militare otium fere tumultuoſum.] Veget. lib. III. cap. IV. *Interdum movet tumultum ex diverſis locis collectus exercitus, et cum pugnare nolit, iraſci ſe ſimulat, cur non ducatur ad bellum: quod il praecipue faciunt, qui in ſedibus otioſe delicateque vixerunt.* LINDENBR.

Solisque Scholis tuſſit eſſe contentum Palatinis.] Scholae generaliter dicuntur aedificia, ubi convenire ſolent homines plurimi, aut ſtudendi, aut praeſtolandi, aut conferendi, aut alterius rei gratia. Sic Scholae in balneis dicebantur, ubi poſteriores occupato a prioribus labro conſiſtebant, teſte Vitruvio in lib. 5. cap. 10. Eadem ratione Schola Quaeſtorum, Schola Galli, Schola Capulatorum, Schola Caſſii, et Schola Xantha dicuntur apud Rufum et Victorem deſcriptione urbis Romae. Erant enim loca, in quae conveniebant Scribae, Praecones Quaeſtorii, aut Aedilicii, aut aliorum Magiſtratuum. Verbi gratia, Schola Quaeſtorum erant aedes in quas Scribae Librarii Quaeſtorii coibant. Plerumque autem eae Scholae a Curatoribus aut Inſtauratoribus nomen ſumebant, ut Schola Xantha dicta eſt, quam A. Fabius Xanthus Curator Scribis, Librariis, et Praeconibus Aedilium Curulium refecerat, ſignisque et marmoribus ornaverat de ſua pecunia, quemadmodum eſt in veteri Inſcriptione apud Philandrum. Hae Scholae fere porticibus adiungebantur, ut praeter Plinium lib. 36. docent Feſtus et Victor ſupra citati: ſolebantque ſtatuis et imaginibus ornari. Vetus Inſcriptio: SCHOLA. CUM. STATUIS. ET. IMAGINIBUS. ORNAMENTISQUE. Habuerunt et milites Scholas ſuas. Nam Scholae Speculatorum mentio fit in veteri Inſcriptione. SCHOLA *Speculatorum Legionum* I. *et* II. *Adiutricum P. F. refecta per eosdem, quorum nomina infra ſcripta ſunt.* Ab hac origine Scholae Palatinae dictae videntur, cohortes militum qui pro Palatio excubabant: eo quod ſcilicet Scholas ſeu aedes haberent iuxta Palatium. Quo referre ſoleo locum veteris Scriptoris apud Suidam in διέδριον. ὡς δὲ οὐκ ἴσχυον τῇ εἰσόδῳ χρήσασθαι, ἅπαντες αὐτὸν διεδρίῳ κατὰ τοὺς οἴκους τῶν λεγομένων σχολῶν εἰστεκόμιζον. Harum Scholarum meminit iterum Marcellinus infra in hoc libro, cum dicit: *Palatinarum primos Scholarum allocutus eſt mollius.* Erant autem omnes ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum, ut docet Notitia Imperii Romani, ubi ordine recenſentur. Singulae tamen Scholae Tribunos atque etiam Comites habuerunt, ut patet ex lege unica Cod. de Comitibus et Tribunis Scholarum, lege 3. Cod. de Ma-

giſtro Officiorum, lege 8. de erogatione militaris annonae. Marcellinus Comes in Chronico: *Romanus*, inquit, *Comes Domeſticorum, et Ruſticus Comes Scholariorum.* Denique Procopius in lib. 4. Gothicorum, pag. 363. de Indigiſal qui ad Iuſtinianum confugerat loquens, ſic ait: ἄρχοντά τε κατεστήσατο ἑνὸς τῶν ἐπὶ τῇ παλατίου φυλακῇ τεταγμένων λόχων, οὕσπερ σχολὰς ὀνομάζουσι. *Eum Iuſtinianus Tribunum ſeu Comitem conſtituit unius ex cohortibus, quae ad Palatii cuſtodiam deputatae ſunt, quas vulgo Scholas appellant.* Atque hae proprie Scholae et ſimpliciter dicuntur, et milites qui in iis militant, Scholares, lege 1. Cod. Th. qui a praebitione tironum, et in Codice Iuſtiniani non ſemel. Procopius in Anecdotis et Agathias in lib. ult. σχολαρίους appellant, eosque ter mille ac quingentos numero fuiſſe, et ampliora ceteris militibus accepiſſe ſtipendia teſtantur. Praeter has Scholas, variae quoque Scholae fuerunt: ſed eae nonniſi cum additamento Scholae dicebantur, ut Scholae Domeſticorum, Scholae Protectorum, Scholae Exceptorum, Singulariorum, Chartulariorum in utroque codice. Eſt et Schola Palatina in Codice Iuſtiniani lege 2. de Iudiciis: Schola ſcilicet Palatinorum, qui ſacris largitionibus miniſtrabant: de quibus infra dicturi ſumus: ſed haec Palatinorum Schola nihil ad hunc Marcellini noſtri locum. Quippe conſtat Caeſares eo tempore nec privatum aerarium, nec largitiones habuiſſe: ut docet Marcellinus lib. 22. c. 3. his verbis: *Cum enim Caeſar in partes mitteretur occiduas, nullae poteſtate militi quidquam donandi data, Urſulus datis literis ad eum qui Gallicanos tuebatur theſauros, quidquid poſceret Caeſar, iuſſerat dari.* VALES.

Scholis iuſſit eſſe contentum Palatinis.] De hiſce ſcholis quaedam notamus ad lib. XXV. LINDENBR.

Et Protectorum.] Praeter Scholares, de quibus modo dixi, erant in Palatio dignioris ordinis milites alii, qui maiora quoque ſtipendia merebant, utpote qui maiore pretio eam dignitatem aſſequerentur. Ii Domeſtici ac Protectores dicebantur, ut Procopius ſcribit in Anecdotis. Ac de Domeſticis quidem dicemus infra, c. 11. Protectores autem dicti ſunt, ex eo quod Principis latus protegerent, ut docet lex 9. Codicis Theod. de Protectoribus. In Gloſſis Graecis ὑπασπισταὶ et ὑπερασπισταὶ dicuntur. Hegeſippus lib. 1. cap. 44. *Hic erat Protector meus, cui credebam corporis ſenilis cuſtodiam:* quae converſa ſunt ex his Ioſephi: ὁ ὑπερασπιστής ὁ ἐμὸς, ὁ σωματοφύλαξ. Horum alii in comitatu manebant; alii in provincias cum Comitibus et Magiſtris militum mittebantur, ut ex variis Marcellini noſtri locis colligitur: idque diſerte teſtatur Procopius loco citato: quidam etiam ad cuſtodiam limitis ex ea Schola erant deputati. Menander Protector lib. 8. Hiſtoriae: ὁ δέ γε τῶν μεθορίων λεγόμενος προτέκτωρ, (δηλοῖ δὲ παρὰ Ῥωμαίοις τὸν ἐς τοῦτο καταλεγόμενον ἀξίας τὸν βασίλειον προσκεπαστήν) etc. Id eſt: *Protector autem limitis, (quo nomine appellant Romani eum qui Principis latus protegit) etc.* Addit Menander Protectorum limitis iam inde a priſcis temporibus id officium fuiſſe, ut tabernacula apparārent, in quibus Legati Rom. ac Perſarum congrederentur. Huiusmodi Protectorum qui limites et itinera cuſtodiebant, mentio fit lege 1. Cod. Theod. de Protectoribus, et lege 3. de litorum et itinerum cuſtodia. Horum Schola videtur fuiſſe ſub diſpoſitione Comitis Domeſticorum. Pri-

mus autem eam inſtituit Gordianus iunior, ſi Cedreno credimus. Sane ante Conſtantinum eam fuiſſe, docent Excerpta de geſtis Conſtantini, §. 1. in quibus Conſtantius eius pater, primum Protector, dein Tribunus fuiſſe dicitur: et vetus Inſcriptio ante Conſtantini tempora: FLORIO. BAUDIONI. VIRO. DUCENARIO. PROTECTORI. Spartianus in Caracalla Protectorum meminit. *Hos Protectores deſcribit Prudentius in Apotheoſi his verbis v. 495.

Armiger e cuneo puerorum flavicomantum,
Purpurei cuſtos lateris, deprenditur unus:
Nec negat: et gemino gemmata haſtilia ferro
Proiicit. VALES.

Cum Scutariis et Gentilibus.] Hi inter Palatinas Scholas fuerunt, ut conſtat ex Notitia Imperii. Eſt itaque hic figura, ἓν διὰ δυοῖν, quam Marcellino familiarem fuiſſe ſupra monuimus. Ac Scutariorum quidem duas Scholas recenſet Marcellinus. Nam lib. 26. 1. 4. meminit Equitii Scholae primae Scutariorum Tribuni: libro autem 25 10. 9. Valentinianum memorat agentem Scholam Scutariorum ſecundam. Utriusque meminit Zoſimus lib. 3. c. 29. τῶν ἀμφὶ τὸν βασιλέα δύο ταγμάτων οὓς σκουταρίους προσαγορεύουσι. Praeter has fuit etiam Schola Scutariorum clibanariorum, cuius meminit lex 9. Codicis Theod. de annona civica; et Schola Scutariorum ſagittariorum. IDEM.

Et Gentilibus.] Et hi in comitatu Principis inter Scholares militabant, ut dixi. Sic autem appellati videntur, quod ex gentilibus, ſeu barbaris conſcripti eſſent. Sane Procopius in Anecdotis ſcholares omnes fere ex barbaris, Armeniis puta et Iſauris conſcriptos fuiſſe teſtatur. Gentiles autem proprie dicuntur barbari: et ſic in Codice Theod. ſumuntur lege unica de nuptiis Gentilium, et lege 1. de terris limitaneorum, et apud Auſonium in gratiarum actione ad Gratianum, p. 526. ed. Floridi: *Voca Germanicum deditione Gentilium: Alamannicum traductione captorum.* Huius autem Scholae vetus et Conſtantino anterior appellatio eſt. Nam in Menologio Graecorum de Sergio et Bacchio legimus: ὁ μὲν Σέργιος πριμμικήριος ἦν τῆς σχολῆς τῶν γεντηλίων. IDEM.

Domitiano ex Comite Largitionum Praefecto.] Mſ. *Domitiano ex Comite Largitionum Praefecto provecto.* Quod videtur dictum ut illud lib. XXII. *Salluſtio promoto Praefecto Praetorio.* Et *provectus*, ut lib. XXII. *Magiſtro equitum per Illyricum recens provecto.* LINDENBR.

Gallum, quem crebro acceperat.] Hunc locum mendoſum eſſe arbitror. Sic autem eſſe legendum exiſtimo: *Gallum, quem crebro acciverat, ad Italiam properare blande hortaretur et verecunde.* VALES.

10. *Contempto Caeſare, quem videri decuerat.*] Videri in hoc loco idem eſt ac ſalutari. Ita etiam Marcellinus uſurpavit ſupra, c. 6. cum dixit: *Excogitatum eſt adminiculum ſoſpitale, ne quis amicum perferentem ſimilia videat.* Neque aliter ἰδεῖν ſumitur a Dione in Fragmentis quae nuper edidimus, pag. 722. de Marco: ἠσπάζετό τε τοὺς ἀξιωτάτους ἐν τῇ Τιβεριανῇ οἰκίᾳ ἐν ᾗ ᾤκει, πρὶν τὸν πατέρα ἰδεῖν. et apud Socratem lib. 6. cap. 20. Hiſt. eccl. IDEM.

Digitized by Google

Relationibus quas ſubinde dimittebat.] Sic emendavi ex Codice Regio, cui Editio Rom. et Aug. ſubſcribunt. De omnibus autem maioris momenti negotiis referre ad Principem iudices et rectores ſolebant: eaque relatio proprie dicebatur. Exempla paſſim apud Marcellinum, et Symmachum, et priorem iis Plinium lib. ult. Epiſt. et in Codice exſtant. Graecis ἀναφορὰ dicitur. Gloſſae, ὑποβολὴ ἡ ἀναφορὰ πρὸς βασιλέα ἢ ἄρχοντα, *ſuggeſtio*. Suggeſtio tamen proprie ſumta in hoc differt a relatione, quod relatio eſt actorum et geſtorum inſinuatio: ſuggeſtio autem eſt, cum Magiſtratus quilibet Principi ſalubre conſilium ſuggerit. De his relationibus Domitiani loquitur Iulianus in Epiſtola ad Athen. VALES.

11. *conſiſtorium*] θεῖον συνέδριον, conclave, ubi principes negotia publica cum amicis tractarent, legatos admitterent, cet. Primum fuiſſe Ammianum, qui hoc vocabulo uteretur, didici ex claſſica *Hauboldi* Diſſ. de Conſiſtorio principum Spec. 1. p. 6. W.

Et tuas et Palatii tui auferri iubebo prop. annonas.] Miniſtris ac Palatio Caeſaris annonae et ſalaria ab Auguſto dabantur. Ipſe etiam Caeſar non ſecus ac apparitor aliquis annonas ab Auguſto accipiebat: quod praeter hunc locum docet Marcellinus in lib. XVI, 5. 3. de Iuliano loquens adhuc Caeſare: *Cum enim legeret libellum, quem Conſtantius deſcripſerat, praelicenter disponens, quid in convivio Caeſaris impendi deberet.* Porro palatinam annonam curabat Praefectus Praetorio, ut teſtatur Caſſiodorus in formula Praefecturae Praetorianae. Inde eſt, quod Domitianus Praefectus Praet. minatur Caeſari, niſi quamprimum proficiſcatur, annonas ipſius Palatio ſe ademturum. Quod etiam refert Zonaras his verbis, quae cum Marcellino unice conſentiunt. ὁ δὲ εἰς Ἀντιόχειαν παραγεγονὼς, πάνυ ἀδεξίως τὸ πρᾶγμα μετεχειρίσατο, ἀναφανδὸν ἐπιτάξας τῷ καίσαρι πορεύεσθαι πρὸς τὸν αὐτοκράτορα, καὶ ἀπειλήσας, εἰ μὴ πείθοιτο, τὰς σιτήσεις τῶν ὑπ' αὐτὸν ἐπισχεῖν. Notetur interim inſcitum et illiberale Domitiani ingenium, planeque origini ſuae reſpondens. Fuit enim vilis operarii filius, ut Libanius docet in Orat. pro Thalaſſio nondum edita, Reiske T. II. p. 401. ὁ δὲ Δομιτιανὸς ὁ κάλοις μὲν ἀποθανὼν ἀδίκοις καὶ ἕλξεσιν· ὢν δὲ καὶ αὐ τοῦ πατρὸς ἀπὸ τῶν χειρῶν ζῶντος. VALES.

12. *Montius*] Reineſius: „eum ἀνθυπάτων κράτιστον vocat Libanius, et ei argumenta orationum Demoſthenis, uti petierat, elaboravit.“ — *vafer quidem, ſed ad lenitatem propenſior. Vafer* ex editione prima Romana et ex Codice regio reſtituit *Valeſius*, cum in vulgatis editionibus propagatum eſſet *aſper*, quod cum ſequente *lenitate* haud facile conciliari poteſt. *Iac. Gronovius* maluit *acer*, quod, quacunque ſignificatione accipias, non ſatis placet. Pro *lenitate Gibbonus* P. IV. p. 270. reponi iubet *levitate*, ſed nec hoc tibicine opus eſt. Ego vero Valeſianam lectionem recte habere exiſtimaverim, ſi ita mecum intelligas: *Vafer* dicitur Montius, quod medius eſſe inter Conſtantium Aug. et Gallum Caeſarem, neutri displicere vellet, omnino tamen ad *lenitatem* magis erat proclivis, cui igitur Galli vehementia, qua Praefectum Praetorio in cuſtodiam dari iuſſiſſet, probari non poſſet. Igitur *in commune conſulens*, ut litem componeret, utrique principi, totique adeo rei publicae damnoſam futuram, leniorem viam excogitavit atque rationem eam, ut *Palatinarum ſcho-*

larum primos arceſſeret. Hos adlocutus eſt primo *mollius*, placidisque verbis *docens, nec decere haec fieri*, quoniam Praefecti Praetorio non a Caeſaribus, ſed Auguſtis ſolis penderent, *nec prodeſſe*, nihilque profici, immo Conſtantium eo magis exaſperatum iri; deinde *obiurgatorio vocis ſono*, gravioribus verbis *addens, quod ſi ita placeret, poſt ſtatuas Conſtantii deiectas* h. e. poſt apertam rebellionem *ſuper adimenda Praefecto vita ſecurius cogitari poſſe*. W.

Aſper quidem, ſed ad lenitatem propenſior.] Si ad lenitatem propenſior fuit, qua ratione aſper dicitur? et ſi aſper fuit, quomodo idem ad lenitatem propenſior? Sunt haec plane ἀσύστατα. In Editione Romana legebatur, *Aſen quidem:* neque aliter in codice Regio prius ſcriptum fuerat. Sed emendatum eſt eadem manu, *vafer quidem:* quam emendationem longe praeferendam exiſtimavimus vulgatae lectioni, quae P. Caſtellum habet auctorem. VALES. Vafritiei tamen nihil cum lenitate, et ſemper credidi ſcripſiſſe *acer*. Id convenit Quaeſtori. GRON.

Addensque voces obiurgatorio ſono.] Coniecturae noſtrae hic aliquantum indulſimus. Edi enim curavimus, *vocis obiurgatorio ſono:* quod et longe elegantius eſt, et Marcellini ipſius auctoritate firmatur. Nam in lib. 18. ad finem ſimiliter loquitur: *Antoninus ambitioſe praegrediens agmina, ab Urſicino agnitus, et obiurgatorio ſono vocis increpitus, etc.* et in lib. 27. initio. VALES.

Poſt ſtatuas Conſtantini deiectas.] Id eſt, poſt apertam ac profeſſam rebellionem. Nam perduelles fere a deiectione ſtatuarum et imaginum Auguſti defectionem auſpicabantur. Sic apud Capitolinum in Maximino c. 23. *In oppido vicino ſtatim Maximini ſtatuae atque imagines depoſitae ſunt.* et in Gordianis c. 9. *Appellato igitur Gordiano Imp. iuvenes, qui auctores eius facinoris erant, ſtatuas Maximini deiecerunt, imagines perfregerunt, nomen publicitus eraſerunt.* Nihil frequentius occurrit apud hiſtoriarum ſcriptores, ut id exemplis firmare, pene idem ſit, quod meridie facem accendere. Ceterum ex his, quae diximus, ſatis perſpicuum fit legendum eſſe, *poſt ſtatuas Conſtantii deiectas:* quod confirmat Zonaras his verbis: Μοντίου δὲ τοῦ Κοιαίστορος αἰτιωμένου τὴν πρᾶξιν καὶ εἰς σαφῆ τυραννίδα ταύτην ἀνάγεσθαι λέγοντος, ἔτι χαλεπήνας ὁ Καῖσαρ, ἀλλὰ καὶ πρὸς τῆς γυναικὸς εἰς ὀργὴν ἐξαφθεὶς, καὶ αὐτὸν ὑπὸ δεσμοῖς ἐποιήσατο, καὶ τοῖς στρατιώταις καὶ ἄμφω παρέδωκε. Id eſt: *Cum autem Montius Quaeſtor factum reprehenderet, et in apertam tyrannidem id erumpere diceret, indignatus magis Caeſar, et ab uxore quoque incitatus, eum in vincula compegit, ac brevi ambos militibus tradidit.* IDEM.

13. *ſpes extremas*] i. e. pericula ſumma opperiens. — *diſtricta dentium acie ſtridens*, labiis diductis ſubſannans, ſtridula, acuta voce proclamavit. W.

15. *Adorti ſunt Montium primum, qui divert.*] Non Montium hunc Quaeſtorem vocat Hiſtor. Eccleſ. ſed Magnum. Epiphan. Scholaſt. lib. 5. cap. 12. *Quaeſtorem vocabulo Magnum, et Domitianum Praefectum Orientis* (Callus Caeſ.) *occidit.* Socrat. lib. 2. cap. 34. Δομετιανὸν τὸν τότε ἔπαρχον τῆς ἑῴας, καὶ Μάγνον κυαίστωρα αὐθεντήσας ἀνεῖλε. Sozom. lib. 4. cap. 7. Μά-

γνον τε τὸν κοιαίστορα καὶ τῆς ἑῴ τὸν ὕπαρχον Δομετιανὸν ἀνεῖλεν. LINDENBR.

16. *Domitianum praecipitem per ſcalas.*] Scalae ſunt gradus, quibus ad ſuperiora aedium adſcenditur: quam vocem hodie quoque vernacula Gallorum lingua retinet, *Eſcalier*. Graeci quoque a ſimilitudine κλίμακας vocant. Artemidorus lib. 4. cap. 48. τὸν δὲ ἱπποκόμον δύο κλίμακας ἀναγαγόντα τὸν ἵππον, εἰς τὸν κοιτωνίσκον εἰσαγαγεῖν. Id eſt: *Equiſonem vero duabus ſcalis perductum equum in cubiculum induxiſſe.* Sic etiam loquitur Martialis in eo verſiculo:

Et ſcalis habito tribus, ſed altis. VALES.

Reineſ. adſcripſit: i. e. κλιμακίδας, βαθμίδας, gradus chori, ſedis tribunalis Praef. Praet. Philoſtorg. 3, 28. κατασπάσαντες τοῦ θρόνου. v. ibi Gothofredum. W.

17. *Luſcus quidam Curator urbis.*] Curator eſt is, qui pecuniam Reipublicae et generaliter quidquid ad rem civitatis pertinet adminiſtrat, ut notum eſt ex Pandectis Iuris: qui Graeco vocabulo Logiſta nuncupatur, quemadmodum eſt in lege 3. Cod. de modo multandi. Gloſſae veteres de Magiſtratibus: *Curator*, φροντιστὴς καὶ λογιστής. Eorum officium λογιστεία dicitur in lege 15. D. de excuſatione tutorum. λογιστεία πόλεως οὐδὲ εἰς ἀριθμὸν μιᾶς ἐπιτροπῆς προχωρεῖ. quae minus recte interpretatus eſt doctiſſimus vir Ant. Auguſtinus: *Rationes civitatis ne pro una quidem tutela cedunt.* cum vertere debuiſſet: *Curatio civitatis ne pro una quidem tutela cedit.* Et λογιστεύειν Curatoris officio fungi dixit Philoſtratus de vitis Sophiſtarum in Nicete, et Euſebius lib. 9. cap. 2. Horum Curatorum non mediocrem fuiſſe dignitatem vel illud evincit, quod Marcus Curatores multis civitatibus e Senatu dedit, quo latius Senatorias tenderet dignitates, teſte Capitolino. Et alioquin mos fuit Curatores ab Imperatoribus dari, ut docet vetus Inſcriptio: *Curator. Reip. Bergomenſium. Datus. ab. Imp. Traiano. Curator. Reip. Comenſium. Datus. ab. Imp. Hadriano.* Certe Curator celſae Carthaginis, vir Clariſſimus dicitur in Collatione Carthaginenſi. Sic explicare ſoleo locum illum Procopii in lib. 2. Gothic. pag. 266. ἦν δέ τις Δημήτριος Κεφαλλὴν τὸ γένος· ἐπίτροπον βασιλεὺς αὐτὸν τῆς Νεαπόλεως κατεστήσατο: et in Anecdotis, pag. 55. ὁ δὲ τὴν πόλιν Δάρας ἐπιτροπεύων. Sane in lege xx. Codice Theod. de Decurionibus, Procuratores civitatum cum Curatoribus iunguntur: *Nullus Decurionum ad procurationes vel curas civitatum accedat, niſi omnibus omnino muneribus ſatisfecerit patriae, vel aetate, vel meritis.* Curatores Kalendarii Reip. cum his aut iidem fuerunt, aut ſane iis ſubditi. Eorum mentio in lege ult. D. de muneribus et honoribus. ubi Curatores Calendarii diſtinguuntur a Curatoribus, qui ad colligendos publicos civitatum reditus eligi ſolent. VALES. Cur hos eosdem fuiſſe ſuſpicari velit doctiſſimus vir, cauſas eum non habere putat Th. Reineſius epiſtol. XXII. GRON.

Eos ut eiulans baiulorum praecentor.]Princeps Editio Romana hunc locum ſic exhibet: *Eoque ut enilaus bai. praecentor.* Ex quo P. Caſtellus audacter eam lectionem exſculpſerat: *Cumque eo ut enilaus.* Secuta eſt Editio Auguſtana quae portentum nominis *Utenilaum* nobis prodidit. Sed Sigismundus Gelenius, qui id nomen merito reiiciendum cenſebat, edere maluit: *Cum-*

Digitized by Google

que eo Stenelaus. Nos in codice Regio *et Toloſano* diſerte ſcriptum reperimus: *Eosque ut eiulans baiulorum praecentor.* Quam veram eſſe ſcripturam minime dubitamus. Haec enim cuncta referuntur ad Curatorem illum urbis nomine Luſcum. (niſi tamen Luſcus ibi μονόφθαλμον ſignificat,) [aut niſi Luſius legendum eſt.] VALES.

Baiulorum praecentor.] Baiuli videntur hic eſſe νεκροφόροι, qui veſpillones dicuntur. Gloſſae veteres, *biſpillo* νεκροφόρος. Fulgentius Planciades in expoſitione ſermonum antiquorum, *Viſpillones,* inquit, *dicti ſunt baiuli.* *Sic apud Auguſtinum in Epiſtola XIX. ad Hieronymum: *Non erit pius deductor et baiulus corporis, ſed impius ſepulturae violator.** Denique Petrus Chryſologus ſermone 121. *In obſequium divitis migrat hic tota civitas, cum funus effertur: pauper vadit ſolus: pauperem duorum portat miniſtratio baiulorum.* Itaque baiulorum eiulans praecentor, erit tibicen qui viſpillonibus praecinebat. Nam funera olim efferebantur ad tibiam, ut notum eſt: unde Antigenidas celebris tibicen nihil aeque ſe laborare, et animo angi dicebat, quam quod monumentarii choraulae tibicines dicerentur, ut ait Apuleius in Florida I. quamquam Dio in Orat. 49. Reiske T. II. p. 251. id dictum Iſmeniae tribuit. ἔφη δέ τις τῶν ὀλίγῳ πρότερον φιλοσόφων τὸν Ἰσμηνίαν τοῦτο μάλιστα ἀγανακτεῖν, τὸ καλεῖσθαι αὐλητὰς τοὺς τυμβαύλας. Hanc explicationem confirmat vox *eiulans,* quae additur praecentori. Aliter quoque explicari poteſt hic locus, ut praecentores baiulorum ſint ii, qui Graece ἐργοδιῶκται dicuntur, qui baiulos ſeu ἀχθοφόρους ad opus excitant, non ſecus ac portiſculi ſeu celeuſtae remiges, qualis Merionos apud Homerum Ιλ. ψ. et hanc explicationem confirmant ea quae ſequuntur. IDEM.

eiulans baiulorum praecentor.] Reineſ. lectionem *cumque eo Sthenelaus baiulor.* probans amandat ad Meurſii Gloſſar. Graecobarbarum v. βάιουλος, ubi tamen nihil, quod ad Ammianum explicandum faciat. Ceterum duarum, quas Valeſius attulit, interpretationum poſteriorem, qua mercenarias operas ad labores exhortantem, ἐργοδιώκτην, κελευστὴν intelligendum eſſe exiſtimat, mihi prae priori placere fateor. W.

18. *Inter dilaniantium manus.*] Mſ. *dilacinantium:* ſcrib. *dilancinantium,* ut lib. XXII. *Vitalibus dilancinatis erumpit.* Seneca lib. I. Nat. Quaeſt. cap. 26. *Foeda dictu ſunt, quae portentum illud ore ſuo lancinandum dixerit feceritque.* Simili errore et hic quoque in vett. lib. *lacinandum* ſcriptum fuit. *Lancinare* eſt καταχνίζειν. Gloſſ. vet. Catullus: *Lancinata ſunt bona.* et alibi apud Salluſt. Symmach. Prudent. LINDENBR.

Nec profeſſionem, nec dignitatem oſtendens.] Montius Quaeſtor paullo antequam extremum ſpiritum redderet, Epigonium et Euſebium ſaepius nominaverat: ſed cuius profeſſionis aut dignitatis eſſent, non addiderat. Profeſſio igitur eſt conditio ſeu ars cuiusque: dignitas vero honores, et locum, et natales quoque comprehendit, ut apparet ex Geſtis purgationis Caeciliani, ubi legitur: *Zenophilus V. C. Conſularis dixit: Cuius conditionis es? Victor dixit: Profeſſor ſum litterarum Romanarum. Zenophilus V. C. dixit: Cuius dignitatis es? Victor dixit: Patre Decurione Conſtantinenſium, avo milite: in Comitatu militaverat.* VALES.

Digitized by Google

Epigonius e Lycia philoſophus.] Regii codicis auctoritatem ſecutus Epigonium ubique ſcribendum curavi, quomodo et Rom. Editio habet interdum. Fuit et quidam Epigonus philoſophus paullo poſt haec tempora, Lacedaemone oriundus, teſte Eunapio in vitis Sophiſtarum p. 209. Commelin. niſi etiam Ἐπιγόνιος ibi ſcribendum eſt. In Concilio Carthaginenſi Ἐπιγόνιος ἐπίσκοπος memoratur, qui in veteri verſione Latina fere Epigonus dicitur. VALES.

Euſebius e Myſia pietatis cognomento concit.] Ita. *Pictates cognom.* quod innuere videtur Mſ. in quo legitur *pictacas cognom.* Euſebii cuiusdam Rhetoris eloquentiſſimi meminit Eunap. in Maximo, quem tamen hunc ipſum eſſe non facile dixerim. IDEM.

Euſebius e Myſia pietatis cognomento.] Longe variant Mſſ. codices, quos et Lindenbrogius et Gruterus viderunt. In iis enim legitur: *Euſebius ad dimiſſa pictacas cognomento.* Regius codex ſemper reliquis fidelior habet: *Euſebius ad dimiſſa pithacas cognomento.* Ex quibus legendum eſſe apparet: *Euſebius ab Emiſſa Pictacas cognomento.* Quod et viro doctiſſimo in Notis ad hiſtoriam Auguſtam placuiſſe poſtea animadverti. *Pictacas* autem non dubito quin perperam ſcriptum ſit pro *Pittacas*, eodem errore quo pictacium vulgo ſcribi ſolet pro pittacio. Tractumque illud cognomentum videtur a pittaciis, quae ſecum forte Euſebius ſemper circumferebat. *In Mſ. Toloſano reperi *Pictas.** LIND.

Euſebius ab Emiſſa Pittacas cognomento.] Spanhem. ad Iulian. p. 86. Emiſam ſcribendum iubet, non Emeſam, quoniam Graeci ubique τὸ I. ſervent. Alii duo Euſebii occurrunt apud Eunapium: unus p. 85. Commelin. ex urbe Cariae, Myndo oriundus, qui et infra ep. Noſtrum XXII, 9. 4. ut Iuliani cognatus et praeceptor memoratur; alter Alexandrinus p. 161. Commelin. In cognomento Emiſeni diſſentiunt libri. Priores editiones pro *Pittacas* habent *Pietatis*, quod retineri poſſe putat *Perizonius* in Animadvv. hiſtor. p. 68. ed. Harles. non, quod is ipſum illud cognomen habuerit *Pietas*, ut C. Antonius Marci frater, ſed quod nomen ipſius Euſebii a pietate, vel pietatis Graeco vocabulo εὐσέβεια fuerit inclinatum. — *concitatus* orator. *Henr. Ernſt* Obſſ. 1, 5. mavult *vocitatus*. Nil opus: concitatus eſt vehemens. W.

Tribunos Fabricarum inſimulaſſet.] Antiochiae erant Fabricae ſcutorum et armorum, ut docet Notitia Imperii Romani, ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum. His Fabricis praeerant Tribuni: ut praeter hunc locum docet alter in libro 15. *Ad Tribunum miſerat Fabricae Cremonenſis.* Fabricae Antiochenſis mentio eſt quoque in lege 1. Codicis Theod. de Fabricenſibus, et in lege 8. de Metatis. VALES.

Promittentes armorum, ſi novae res agitari comperiſſent.] Duplici barbariſmo foedatus eſt hic locus, qui fortaſſe ſic ſupplendus eſt: *Adminicula promittentes armorum, ſi novas res agitari comperiſſent.* IDEM. Quod etſi non dicat, patet tamen vocem quam inculcat, petitam ex ſequentibus in cap. IX. *His vocabulis appellatos fabricarum culpaſſe tribunos, ut adminicula futurae molitioni pollicitos.* Verum calida exiſtimatio ſimul et ſuppletio. Nam *promittentes armorum* docta et plena loquutio eſt, ſimilis illi, qua utitur Tacitus German. cap. 15. *Mos eſt civitatibus,*

ultro ac viritim conferre principibus armentorum vel frugum, ubi, si placet, vide paterna. Nam et similiter haesitatum est. GRON.

19. *Per militares numeros.*] *Numeri* sunt cohortes, vel ut Graeci vocant σπεῖραι. Theophyl. in Acta Apost. Σπεῖρα ἐστὶν ἣν καλοῦμεν νῦν Νούμερον. Cassiodor. in Histor. Tripart. lib. I. cap. 9. *Romanorum cohortes nunc Numeri vocantur.* Acta martyrii B. Georg. Τριβοῦνος ἐπισημοτάτου νουμέρου. Novell. LXXXV. *in numeris constituti*: ἐν ἀριθμοῖς καταλεγόμενοι. *In numeris vel limitibus militare*, l. 17. C. de re militari. Inscript. vetus Romae: D. M. C. ANNIO VALENTI VET. EX NUM. FRUM. LEG. IIII. FL. HONORATI ET DECURIONES ET NUMERUS MILITUM CALIGATORUM. LINDENBR. Non cohortes tantum, sed *legiones* etiam hoc nomine appellantur Ammiano XX, I. 3. XXIII, 2. 5. Ernesti. quibus add. XXXI, 11. 2. et omnino Salmas. ad Scriptt. H. A. T. II. p. 714. W.

21. *Carnifex rapinarum sequester.*] Id est internuntius. Videtur enim Marcellinus ex Cicerone id mutuatus esse, qui in Oratione de suppliciis in Verrem sic dicit c. 6. *Quis dubitet, quin servorum animos summa formidine oppresserit, cum viderent ea facilitate Praetorem, ut ab eo servorum sceleris coniurationisque damnatorum vita, vel ipso carnifice internuntio redimeretur.* Atque ita apud Lucanum sumitur sequester in lib. X. v. 472. *Orator Regis pacisque sequester.* VALES.

Et obductio capitum.] Obductionem pro obnuptione posuit. Alludit enim ad illud antiquum: I, lictor, caput obnubito. IDEM.

Et Aegypto.] Miror certe Aegyptum inter provincias Orientis recenseri: quippe cum et ex Notitia Imperii, et ex innumeris Auctoribus constet Aegyptum ab Orientis provinciis seiunctam fuisse. *Sed mirari tandem desii, postquam didici Aegyptum et Mesopotamiam olim sub dispositione Comitis Orientis fuisse. Id me docuit vetus Inscriptio, quae sic habet: M. MARCIO MEMMIO. FURIO. BALBURIO. CAECILIANO. PLACIDO. C. V. COMITI. ORIENTIS. AEGYPTI. ET. MESOPOTAMIAE. CONSULI ORDINARIO, etc. Consul hic Placidus fuit cum Romulo, principatu Constantii Aug. anno Christi 343. hoc est eisdem temporibus, quae heic describit Marcellinus.* IDEM.

CAPVT VIII.

1. *Superatis Tauri montis verticibus.*] Conferenda cum hac Ciliciae descriptione, quae de eadem narrat Strabo lib. XIII. Pomp. Mela lib. I. cap. XII. et XIII. Iul. Solin. LINDENBR. (Xenophon Anabas. I, 2. 22. W.)

2. *Seleucia, opus Seleuci regis*] Nicatoris. Vocatur etiam *Trachea, Tracheotis*, celeberrima ob amplitudinem et pulchritudinem, quam urbium matrem appellat ipse Ammianus supra c. 2. Etiamnum *Seleukie*. Mannert VI, 2. p. 79. W.

Claudiopolis.] Huius civitatis mentio apud Constantinum Porphyrogennetum in libro I. περὶ θεμάτων cap. X. Et inter Episcopos, qui Nicaeno et Chalcedonensi Conciliis subscripsere, Etesius et Theodorus recensentur Episcopi Claudiopolis in Isauria. *Denique in Actis Martyrum Tarachi, Probi et Andronici: *Tarachus dixit: Militaris sum, Romanus: natus autem Claudiopoli civitate*

te Syriae. Scribe, *civitate Iſauriae.* Meminit eius et So-
in lib. 3. capite 21.* VALES. Diſtinguenda ab alia eius-
minis ab eodem condita in Bithynia, proprie ad Catao-
tinens, ſed poſtero tempore Iſauriae adnumerata. Hodie
Iann. VI. 2. p. 231. cf. etiam *Weſſeling.* ad Itiner. p.
aura, nunc Serki-Serail. Mann. ib. p. 189. W.

enim antehac nimium potens.] Ex provinciae nomi-
cimus. Nam cum *Iſauria* prius legeretur, reſtituimus
urbs fuit Iſauriae. Atque haec emendatio debetur
.tino, a quo non multum discrepat codex Regius.
.nim ſcriptum reperi *Iſaurenim.* Editio Romana habebat
.armin. Sed vera lectio eſt *Iſaura*, de qua haec ſcribit Ste-
phanus Byzantius: Ἴσαυρα οὐδετέρως πόλις Ἰσαυρίας· ἡ δὲ Ἰσαυ-
ρία μεταξὺ Λυκαονίας καὶ Κιλικίας πρὸς τῷ Ταύρῳ. Χάραξ δὲ
θηλυκῶς. τὸ ἐθνικὸν ἰσαυρεὺς καὶ ἴσαυρος. Sic enim eum locum
legimus. *Iſaura*, inquit, *in neutro genere urbs Iſauriae eſt.
Eſt autem Iſauria Lycaoniam inter et Ciliciam Tauro monti
acclinis. Charax tamen Iſauram in feminino dixit. Incolae
Iſaurenſes dicuntur, et Iſauri.* Sane Strabo τὰ ἴσαυρα ſemper
appellat in neutro. Ptolemaeo quoque ἴσαυρα ambigua generis
notatione dicitur. Florus Iſaurum vocat lib. 3. cap. 6. Diodorus
Siculus lib. 18. τὴν ἰσαυρέων πόλιν. Apud Plinium in lib. 5. 23.
Iſaura Ciliciae mediterranea urbs ponitur. Bis autem everſam
olim hanc urbem in hiſtoriis legimus: primum a Perdicca ſub
Alexandri Magni obitum, ut narrat Diodorus lib. 18. poſtea a Ser-
vilio Iſaurico, ut teſtatur Strabo lib. 14. et Florus, cuius haec
erant verba: *Validiſſimas urbes eorum, et diutina praeda ab-
undantes, Phaſelin, et Olympon evertit; Iſaurumque ipſam ar-
cem Ciliciae: unde conſcius ſibi magni laboris, Iſaurici cogno-
men adamavit.* Huius urbis meminit etiam Pollio in Trebellia-
no T. II. p. 324. *Palatium ſibi in arce Iſaurae conſtituit.* vulgo
legitur *Iſauriae.* VALES.

3. *Tarſus. hanc condidiſſe Perſeus memoratur.*] Idem ſcri-
bit Solinus cap. 41. et Credrenus ac Suidas in μέδουσα. Vetus
ſcholiaſtes Iuvenalis ad illum verſum Satyrae 3. 118.

— — ripa nutritus in illa,
Ad quam Gorgonei delapſa eſt pinna caballi.

ſic annotat: *Apud Tarſum civitatem Ciliciae, quam praeter-
fluit amnis Cydnus: cuius urbis conditor Perſeus, qui nomen
civitati ex facto dedit, quia ibi una ex talaribus pinnis ei ex-
cidit.* Docte quidem, nam ταρσὸς talum ſignificat Graece: ſed
praeter mentem Iuvenalis, qui de pinna Pegaſi, non Perſei loqui-
tur, ut ſatis patet. Et vero a Pegaſi pinna denominatam Tarſum
prodit Dionyſius de ſitu Orbis. Sed a talaribus Perſei ita dictam
celebrior ac teſtatior fama eſt: unde Perſea Tarſos a Lucano di-
citur in libro 3. 225. Et Nonnus in lib. 18. Dionyſiac. de Per-
ſeo Tarſi conditore canit his verſibus, 292—295.

— — ἑῦπτερος ἤλυθε Περσεὺς
Γείτονα κωρυκίοιο διαυγέα Κύδνον ἐάσσας,
Ὥι σὺ φίλος, καὶ ἔφασκεν ἐπώνυμον ὠκέϊ ταρσῷ
Ἀνδράσι πὰρ Κιλίκεσσι νεόκτιτον ἄστυ χαράξαι.

Idem in libro 41. 85. inter antiquiſſimas urbes memorat Tarſum:

Οὐ τότε Τάρσος ἔην τερψίμβροτος.

Et paullo poſt:

Τάρσος ἀειδομένη πρωτόπτολις.

Ex quibus interpretandus videtur locus Baſilii Seleuceni in libro II. de Thecla capite XIII. Μαριανός τις Ταρσῶν τῶν κατὰ Κιλικίαν ταύτην ἐπίσκοπος, πόλεως ἐπί τε κάλλει καὶ μεγέθει καὶ οἷς ἂν ἁπλῶς ἡ πόλις λαμπρὰ καὶ εὐδαίμων γνωρισθείη πᾶσιν ἐπιγαυρουμένης, καὶ τῷ πρώτην μάλιστα τῆς ἑῴας ἀνίσχειν, καὶ πρώτην πάλιν προβάλλειν τοῖς ἐξ ὁποίας οὖν γῆς ὁρμωμένοις πρὸς τὴν ἑῴαν. VALES. *Tarſus* urbs *perſpicabilis*. Vox alibi vix invenienda, cuius loco Salmaſius ad Solinum p. 568. reponi iubet *perſpicue nobilis*. De conditore *Perſeo*, vel *Sandane* fuſius egerunt Valeſius et Gronovius, quibus tamen litem haud temere movet *Weſſeling* ad Itiner. p. 710. et ad Diodor. Sic. II, 39. De Tarſo omnino vide Mann. p. 105. ſſ. W.

Ex Aethiopia profectus Sandan.] Sane Sandan nomen uſitatum fuit apud Tarſenſes. Sic enim dictus eſt pater Athenodori Tarſenſis illius philoſophi, qui Auguſti praeceptor fuit teſte Strabone in lib. 14. A Plutarcho in Poplicola Ἀθηνόδωρος ὁ σάνδων dicitur, eo more quo Apollodorus Molo, et Herodes Atticus, et Apion Pliſtonices dicti fuere. Ceterum σάνδων, an σάνδαν dixeris, parum refert. Sunt enim hae litterae apud Graecos permutabiles, ut παιὼν et παιὰν, ᾠδὸς et ᾠδὰς, ac ſimilia. Ceterum hunc Sandonem unus, quod ſciam, commemorat Baſilius Seleucenus in lib. 2. de Thecla capite 15. his verbis: καὶ γὰρ ἐκ μιᾶς πόλεως ὥρμηντο τῆς Δαμαλίδος τε καὶ Σάνδα τοῦ Ἡρακλέους τοῦ Ἀμφιτρύωνος. Quibus verbis Tarſum ſignificari aio, a Sanda Herculis filio conditam. Quod ſi Sandan Herculis filius fuit, quomodo ex *Aethiopia* profectus heic dicitur? In optimis codicibus Regio et Vaticano ſcriptum eſt *ex ÆEchio profectus*. Unde ſuſpicor legendum eſſe, *Ex Chio profectus Sandan*, etc. *Praeter hunc Sandonem fuit et quidam affinis nominis Sandocus Aſſyrius, qui in Cilicia Celenderim condidit, teſte Apollodoro in Bibliotheca. VALES. In animo habuit vir maximus *Apollonius Molo*. Quid autem putaverit Chio eſſe et Herculis poſteritati, nullus adſequor, multo minus, cur ſpreverit notabiles in MSS. literas AE, quae profecto cum reliquis videntur lectorem ducere, ut credat Ammianum, ſi quid et ipſe de Sanda Herculis filio, et Amphitryonis utique nepote atque adeo ex Graecia profecto inaudiviſſe ſupponi debet, ſcripſiſſe *ex Metachio*, vel *Metachoio*, ut proprie vocatur apud Stephanum Byzantium: Μετάχοιον Φρούριον Βοιωτίας, ubi videnda Holſteniana. GRON.

Anazarbus auctoris vocabulum referens.] Azarbas enim eius urbis conditor fuiſſe dicitur a Stephano Byzantio: Ἀνάζαρβος πόλις Κιλικίας ἀπὸ Ἀζάρβα τοῦ κτίσαντος. In Suidae Lexico Zarbas nominatur. Hanc prius Cyindam ac deinde Diocaeſaream appellatam, ait vetus Scriptor apud Suidam: eaque terrae motu ſubverſa Nervae temporibus, Anazarbum quemdam Senatorem eo miſſum a Principe, urbem inſtauraſſe, ac ſuo nomine appellaſſe. Sed haec futilia ſunt, cum ſatis conſtet Anazarbum ante Nervae tempora vocitatam fuiſſe. Nam et Dioſcorides ἀναζαρβεὺς indigitatur: et Plinius in lib. 5. 22. eius urbis meminit: *Intus*, inquit, *dicendi Anazarbeni, qui nunc Caeſarauguſtani*. Taceo quod Diocaeſaream ab Anazarbo diſtinguit Ptolemaeus in Ciliciae deſcriptione. Duas enim urbes Ciliciae ponit, διοκαισάρειαν, et

Digitized by Google

καισαρείαν τὴν πρὸς ἀναζάρβῳ. Haec urbs, poſtquam Cilicia in duas provincias diſciſſa eſt, metropolis fuit Ciliciae ſecundae, ut docet Evagrius lib. 4. et Hierocles in Itinerarii Comite: ἐπαρχία Κιλικίας δευτέρας ὑπὸ ἡγεμόνος· πόλεις θ. Ἀνάζαρβα μητρόπολις. Anazarba quoque dicitur in Suidae Lexico, et apud Zonaram in Nicephoro Phoca, ubi Ἀνάβαρζα habent vulgatae Editiones. VALES.

Mopſueſtia vatis illius domicilium Mopſi.] Steph. Μόψου ἑστία, ἀπὸ τοῦ Μόψου τοῦ μάντεως In Conſtantini lib. περὶ θεμάτων, vitioſe editum eſt: Τάρσος καὶ ἡ Μόμψου ἑστία, cum Μόψου ἑστία vera ſit lectio. Procop. περὶ κτισμάτων, lib. v. pag. 48. πόλις δέ που ἐστὶν ἐν Κίλιξιν, ἡ Μοψουεστία, τοῦ μάντεως, ὡς φασιν, ἐκείνου τοῦ παλαιοῦ ἔργον. Vid. Strab. lib. IX. Mopſi vatis meminit Cicero de Divinat. Plutarch. de defect. Oracul. Origenes contra Celſum lib. III. Tertull. de Anima cap. 46. Apul. de Deo Socrat. *Placidus Lactant. in Stat. Thebaid. 3. p. 107.* LINDENBR.

Mopſueſtia, vatis illius dom. Mopſi, quem] Hic ſine dubio fallitur Marcellinus, qui duos Mopſos inter ſe confudit: Mopſum ſcilicet Mantus et Apollinis filium, cum altero Mopſo Ampyci filio, et Chloridis Orchomeni filiae. Prior Argivus, alter Titareſius, ſeu Titaronius, fuit, qui locus eſt in Theſſalia. Et hic Argonautarum comes extitit, ut canit Apollonius Rhodius in lib. I. 65.

Ἦλυθε δ' αὖ Μόψος Τιταρήσιος, ὃν περὶ πάντων
Λητοΐδης ἐδίδαξε θεοπροπίας ἀνθρώπων.

De quo etiam Heſiodus in hoc verſu (Scuto Herc. 181.)

Μόψον τ' Ἀμπυκίδην Τιταρήσιον, ὄζον Ἄρηος.

Uterque porro vates fuit, teſte Strabone in fine libri 9. ſed Mopſueſtiam non hic Theſſalus Mopſus, verum alter ille Argivus condidit: qui poſt Troiae excidium una cum Amphilocho in Ciliciam profectus, Mallum, et alias urbes in ora Ciliciae condidit: ut ſcribit Strabo in lib. 14. p. 676. et Euphorion poëta apud ſcholiaſtem Lycophronis pag. 78. Cicero lib. I. de Divinatione c. 40. *Amphilochus*, inquit, *et Mopſus Argivorum reges fuerunt; ſed iidem augures: iique urbes in ora maritima Ciliciae Graecas condiderunt.* Unde et Mopſi oraculum in Cilicia fuiſſe dicitur a Tertulliano in lib. de Anima. VALES.

Mopſueſtia.] Μόψου ἑστία, domicilium, ſedes, refugium Mopſi, hod. *Meſſis*, pagus. *Mann. Klein-Aſien* T. II. p. 94. De conſulis, uti ab Ammiano, ita et aliis Mopſis duobus vide *Burmann* in Catal. Argonautar. — *ceſpite Punico tecti manes — medentur.* Reineſius orae adleverat: E ſepulcro patris eius Ampyci nata rhododaphne, quam quicunque guſtaſſet, pugilatus amore incendebatur. Ptolem. Heph. l. 3. καινῆς ἱστορίας. W.

Cum aureo vellere direpto redirent.] Primus Sig. Gelenius hunc locum interpolaverat. In Romana enim Editione legebatur, *direptore diem terrore abſtractum.* Quod mutare minime auſus erat P. Caſtellus. Sed Gelenius cum nullum in his verbis ſenſum eſſe cerneret, ita emendavit: *Quem a commilitio Argon. cum aureo vellere direpto reducem, et errore abſtractum, etc.* Quod equidem probare non poſſum: hi enim reduces dicuntur, qui ſalvi et incolumes in patriam reverſi ſunt. At Mopſus tempeſtate abreptus in Africam, ibi periit, ut ſubiicit noſter Marcelli-

nus. Quo modo igitur eumdem reducem appellaret? Sed omnino vera est lectio, quam ex optimo codice Regio restituimus. In eo enim legitur: *Cum aureo vellere diepto redirem, terrore abst. etc.* Unde nos nulla propemodum mutatione veram illam lectionem exsculpsimus. *Vaticanus codex plane consentit cum Regio. In Ms. autem Tolosano emendatum est: *rediret, errore abstractum, etc.* VALES.

Delatumque ad Africae litus mors rep. consumpsit.] De Mopso Lapitha Ampyci filio, Argonautarum comite, id verissimum est; non de illo Mopsuestiae conditore. Apollonius lib. 1. Argonaut. 80.

— — αἶσα γὰρ ἦεν
Αὐτὸν ὁμῶς Μόψον τε δαήμονα μαντοσυνάων
Πλαγχθέντας Λιβύης ἐνὶ πείρασι δηωθῆναι.

Et lib. 4. v. 1501. eum a serpente percussum in Africa periisse memorat, atque ibidem sepultum. Lycophron in Cassandra, in Pentapoli iuxta urbem Teuchira humatum perhibet his versibus, 877. ff.

Ἄλλους δὲ θῖνες, οἵ τε Τευχείρων πέλας
Μύρμηκες αἰάζουσιν ἐκβεβρασμένους·
Μόψον Τιταιρώνειον ἔνθα ναυάται
Θανόντα ταρχύσαντο.

Idque confirmat Clemens Alex. in lib. 1. Stromatum, cuius locum mox producemus. Quod si ita est, male hic Africae litus, et caespitem Punicum posuit Marcellinus. Sed aliorum auctoritate facile defenditur, qui in Africa Mopsum periisse prodiderunt; inter quos est Apuleius; et Tertullianus. Apollonius certe in Libya dixit itemque Seneca in Medea Actu 3. 653.

— — *Libycis arenis*
Omnibus verax, sibi falsus uni,
Concidit Mopsus. VALES.

Manes eius Heroici morborum varietati medentur.] Mopsi templum oraculo celebre fuit in Cyrenaica provincia, quod oraculum primus composuisse dicitur Battus Cyrenaeus, ut tradit Clemens Alex. in lib. 1. Strom. ubi Mopsum Argivum cum Thessalo confundit. Ait enim Mopsum et Amphilochum floruisse belli Troiani temporibus: Mopsum tamen paullo antiquiorem videri, quippe qui comes fuerit Argonautarum: additque, quod ad hunc locum facit: Φασὶ δὲ τὴν Μόψου καλουμένην μαντικὴν πρῶτον συντάξαι τὸν Κυρηναῖον Βάττον. Apuleius in libro de Deo Socratis Mopsum passim in Africa cultum perhibet: *Quippe cum eos Deos appellent, qui ex eodem numero iuste ac prudenter vitae curriculo gubernato, praenomine postea ab omnibus praediti, fanis et cerimoniis vulgo advertuntur, ut in Boeotia Amphiaraus, in Africa Mopsus.* Tertullianus denique in lib. 2. ad Nationes cap. 7. inter heroas numerat Mopsum Africanum, et Boeotum Amphiaraum. Ceterum Mopsi quoque alterius Argivi oraculum fuit in Cilicia, ut scribit Tertullianus in lib. de Anima: *Nam et oraculis hoc genus stipatus est orbis, ut Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Mallum, Mopsi in Cilicia.* Vulgo *in Sicilia* legitur mendose. IDEM. An causa est alia, cur ὁ πάνυ citet *morborum*, quam lapsus calami? GRON.

4. *A Servilio Proconsule missae sub iugum.*] Strabo lib. XII. Flor. lib. 3. cap. 5. LINDENBR.

Digitized by Google

Factae ſunt vectigales.*] Id eſt ſtipendiariae vel tributariae. Sic C. Memmius in oratione ſua apud Salluſtium in Iugurtha c. 31. *Reges et populos liberos paucis nobilibus vectigal pendere.* Idem Salluſtius in coniuratione Catilinae c. 20. *Semper illis Reges, Tetrarchae vectigales eſſe; populi, nationes ſtipendia pendere. VALES. Iuſtinus lib. 2. cap. 3. *His igitur Aſia per mille quingentos annos vectigalis fuit. Pendendi tributi finem Ninus rex Aſſyriorum impoſuit.* GRON.

Et hae regiones velut in prominenti terrarum lingua.] Lingua dicitur promuntorii genus non excelſi, ſed molliter in planum devexi, ut ait Feſtus Pompeius. Sic Pacuvius in Chryſe apud Agellium in lib. 4. cap. 17. *Id promuntorium, cuius lingua in altum proticit.* Livius lib. 37. c. 31. ubi Phocaeae ſitum deſcribit: *Inde,* inquit, *in altum lingua mille paſſuum excurrens, medium fere ſinum velut nota diſtinguit.* Et lib. 44. c. 11. de Caſſandrea: *Eminet namque in altum lingua, in qua ſita eſt.* Eodem ſenſu ſumitur apud Caeſarem B. G. 3, 17. et Lucanum in lib. 2. 613. VALES.

In prominenti terrarum lingua.] Quod hic *linguam* Ammian. vocat, id *mucronem* dixit Pomp. Mela lib. 11. cap. 1. *Paulatim ſe ipſa faſtigat, et quaſi in mucronem longa colligens latera, facie poſiti enſis arrecta eſt.* LIND.

Ab orbe Eoo.] Sic correxi, cum prius legeretur, *ab orbe eo:* quam emendationem in Loiſelli quoque codice *et in Toloſano* poſtea reperi. VALES. Itaque adſcriptum codici Lindebrogiano: [Loiſel. *orbe Eoo:* mihi perplacet.] GRON.

5. *Supercilia Nili.*] Sic Graeci ὀφρῦς de rebus adhibent prominentibus, vel limborum inſtar alias res cingentibus. v. c. de montibus Strabo XVII. p. 1172. Polybius. v. Ind. Schweighaeuſer. — Schneideri Lex. Omnino fluvios ut perſonas conſiderans antiquitas membra iis tribuit: *caput, cornua, brachia* cet. *Labrum* fluminis eſt ap. Siſennam in quarto hiſtoriar. libro ap. Nonium. W.

Nicanor Seleucus.] In Editione Hier. Frobenii legitur *Nicator,* rectius ſine dubio: ut patet ex iis quae ſequuntur. Subiicit enim Marcellinus: *Efficaciae impetrabilis Rex, ut indicat cognomentum.* Et rurſus in libro 23. 6. de Arſace Partho: *Superato Nicatore Seleuco eiusdem Alexandri ſucceſſore, cui victoriarum crebritas hoc indiderat cognomentum.* Strabo certe et Appianus in Syriacis, Stephanusque Byzantius et Eunapius νικάτορα eum appellant. In nummis quoque ΣΕΛΕΥΚΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ legitur: quamquam Goltzius in Theſauro ΝΙΚΑΝΟΡΟC poſuit, vulgi errorem ſecutus: cum conſtet Nicanorem nomen proprium eſſe ducis cuiusdam inter ſucceſſores Alexandri, non vero cognomen. VALES.

Efficaciae impetrabilis.] Impetrabiles eos vocant Latini, quos Graeci δραστηρίους, et πρακτικοὺς, ac δεινοὺς dicere ſolent. Sic apud Plautum in Mercatore Actu 3, 4. 20.

— — *pulchre os ſublevit patri,*
Impetrabilior qui vivis nullus eſt.

Et apud eumdem in Epidico Actu 3, 2. 6.

Proh Dii immortales! mihi hunc diem dediſtis luculentum,
Ut facilem atque impetrabilem.

Et impetrare in veteribus Glossis redditur ἀνύσαι, quod est persicere eoque sensu Plautus in Poenulo dixit:

Incipere multo est quam impetrare facilius.

Et in veteri Inscriptione: VETTIO. AGORIO. PRAETEXTATO. LEGATO. AMPLISSIMI. ORDINIS. ET. AD. IMPETRANDUM. REBUS. ARDUIS SEMPER. OPPOSITO. VALES. Reinesius: qui nihil adgreditur, quod virtute sua non det effectum. cf. et XV, 8. 21. XVII, 8. 3. XXXI, 11. 5. W.

6. *abusus.*] Boxhorn. *abundans.* Sed *abusus* recte habet, et in bonam partem accipienda vox est, pro *frequenter usus*, quo sensu Cicero ipse non uno loco usurpavit. Infra 24, 4. 19. *abusive* pro vehementer. W.

7. *Commagena, nunc Euphratensis.*] Eadem et Augusteuphratensis dicta, ut praeter Victoris Epitomen docet notitia Episcoporum, qui Chalcedonensi Synodo subscripserunt; quamquam ibi corruptum est id vocabulum. Nam *Augustus Euphratensis* vulgo legitur, quasi Episcopi nomen sit, cum sit provinciae, ut dixi. VALES.

Commagena, nunc Euphratensis.] Procop. Caesariens. Persicor. lib. I. τὴν πάλαι Κομμαγηνὴν, τὰ νῦν δὲ καλουμένην Εὐφρατησίαν, Idem Persicor. lib. II. et περὶ κτισμάτων lib. II. Notit. Provinciar. Orient. *Mesopotamia inter Tigrim et Euphratem, Euphratesia, Osdroëne,* Aliter paullo Aur. Victor in Vespasiano: *Commagene, quam hodie Augusteuphratensem nominamus,* quae eadem Histor. Miscel. lib. IX. LINDENBR. *Euphratensis.* Quod nomen accepit Ammiani demum aetate, ubi Syria a Constantino M. in primam et secundam divisa, Commagene, adiuncta vicina Cyrrestica, singularem provinciam nomine Euphratensis l. Euphratesiae constituere coepit. *Mannert* VI. 1. 490. W.

Hierapoli, vetere Nino.] Scribendum est absque virgula: *Hierapoli vetere Nino.* Sic in lib. 22. 8. *Constantinopolis vetus Byzantium.* et rursus in eodem libro c. 2. *Philippopolim petiit Eumolpiadem veterem.* Ceterum Hierapolim prius dictam esse Ninum, aegre mihi persuaserim. Bambyce quidem proprio nomine dicta est, et Magog a Syris; ut scribit Plinius in lib. 5, 19. Plutarchus in Antonio, et Strabo lib. 14. Ninus vero a nemine, quod sciam, appellata est. Quippe Ninus sita olim fuit in Assyria trans Euphratem, teste Strabone ac Plinio, cum Hierapolis in Commagene posita sit cis eumdem fluvium. Sed fortasse alios Auctores secutus est Marcellinus, qui Ninum cis Euphratem ponebant. Sane eam cis Euphratem ponit Philostratus lib. I. 19. de vita Apollonii: ait enim a Nino profectum cum Damide Apollonium, ad Zeugma venisse, ac traiecisse in Mesopotamiam. Igitur ex Philostrati sententia nihil obstat, quo minus Hierapolis sit eadem cum Nino. VALES. *Hierapoli, vetere Nino,* totius Euphratensis metropoli, *capacissima* dicta infra XXIII, 2. 6. templo inprimis Deae Syriae insigni. Quod paullo ante Ammianus monuerat, Seleucum Graeca urbibus nomina dedisse, id et Hierapoli accidit, quae autea Bambyce, Syris Magog dicta, *Wesseling* ad Itiner. p. 192. non autem, uti Ammianus vult, *Ninus.* v. praeter Valesium *Wesseling* ad Diod. Sic. II. 3. Omnium optime *Mannert* V, 2, p. 440-444. W.

8. *interpatet.*] Vox nec aliis sequioris aetatis scriptoribus inusitata. v. Gesner. h. v. W.

Antiochia mundo cognita civitas.] Eunap. in Liban. p. 166. Commelin. Ἀντιόχεια τῆς κοίλης καλουμένης συρίας πρώτη πόλεων, Σελεύκου τοῦ Νικάτορος ἐπικληθέντος ἔργον. Huius civitatis laudes non vulgares recitat Ioh. Chryſoſt. ἐν ἐγκωμίῳ τῆς Ἀντιοχείας. Dio Pruſ. Orat. XLVII. Eamque, ut ſuo tempore fuit, copioſe deſcribit Baldricus Dolenſium Epiſc. Hiſtor. belli ſacri lib. IV. LINDENBR.

Antiochia mundo cognita] i. e. generi humano, quae ſane nova eſt ſignificatio, et procul dubio ducta ex more loquendi Chriſtianorum, qui traxerunt eam formam e verſione bibliorum latina. Haec Ern. in Gloſſ. Antiochia hod. *Antakia.* Plura vide apud *Mannert* VI, 1. 467. ſſ. — *Laodicea* a Seleuco Nicatore condita, et in matris honorem appellata. Nunc *Latikia. Mann.* p. 450. — *Apamea.* hod. *Aphamiat.* Manu. p. 463. — *Seleucia,* ad mare, non tam ampla, quam Antiochia, firmius tamen munita. Hodie pagus *Kapſe.* Mann. p. 478. W.

Seleucia, inde a primis.] In Regio codice reperi, *Seleuciam inde, etc.* Ex quo effeci, *Seleucia iam inde, etc.* Sic enim loqui ſolet Marcellinus. VALES.

9. *Tyrus.*] Ezechieli prophetae *Zor,* hodie Sor. *Mann.* VI, 1. 360. *Sidon,* nunc *Sayda,* antiquior Tyro, quae fuit eius colonia. *Mann.* 372. — *Berytus* antiquitate non minus inſignis, ſub Auguſto Imp. Colonia Romana, nomine *Felicis Iuliae.* Plin. V. 20. Seculo tertio ibi florere coepit ſchola iuridica, de qua vide *Heineccii* hiſt. iuris Lib. I. §. 366. ſſ. Hod. *Beiruth, Baeruth.* Mann. p. 378. — *Emiſſa,* infra XXVI, 6. extr. Emeſa, hod. *Hems, Hims,* Syriae urbibus antea adnumerata, ex nova provinciarum Conſtantiniana aetate facta deſcriptione ad Phoeniciam Libaneſiam pertinuit. *Mann.* p. 457. ſſ. — Eidem Phoeniciae Libaneſiae attributa eſt *Damaſcus,* urbs antiquiſſima, ubi Diocletianus primum armorum fabricas inſtituit, etiamnum florentes. W.

10. *Imosque pedes Caſſii montis.*] Ut humano corpori ſuas partes, ſic montibus ſua velut membra ſunt, vertex, ſupercilia, latera, ſcapulae, pedes. Suid. εἰς τρία διήρηται τὸ ὄρος, εἰς ἀκρώρειαν, εἰς ὑπώρειαν, εἰς τέρμα. Καὶ ἀκρώρεια μέν ἐστιν ἡ κορυφή, ὑπώρεια δὲ τὰ πλευρὰ τοῦ ὄρους, τέρμα δὲ τὰ τελευταῖα καὶ πόδες. Euſtath. 1. Iliad. Ὀφρῦς ὄρους, διὰ τὰς τῶν ζώων ὀφρῦς, καὶ πόδες διὰ τοὺς πόδας. Idem Iliad. 2. ὄρους τὰ μὲν κατωτάτω πόδες, τὰ δὲ ἀνωτέρω, κνημοὶ ἐκ μεταφορᾶς τῆς ἐν ἡμῖν κνήμης. Gloſſar. *Vertex montis,* κεφαλὴ ὄρους, ἀκρώρεια. *Scapulae montium* apud Tertull. de Pall. cap. 2. Κάρηνα ὄρους, Homer. Iliad. 1. LINDENBR. *Caſſii montis.* Rectius Caſii. Diſtinguendus ab alio eius nominis in Aegypto. — *Parthenium mare,* al. ſinus Illiacus. v. infra XXII, 15. 2. cap. 16. 9. W.

11. *Caeſaream in honorem Octaviani aedificavit Herodes.*] Burgus enim Stratonis antea vocabatur, ἣ, κτίσαντος αὐτὴν Ἡρώδου μεγαλοπρεπῶς, καὶ λιμέσι τε καὶ ναοῖς κοσμήσαντος αὐτὴν, μετονομάσθη καισάρεια. Ioſeph. lib. XIV. cap. VIII. (Plinius V, 13. W.) Quem etiam vide ἀρχαιολ. lib. XVI. cap. IX. Egeſipp. lib. II. cap. VII. lib. III. cap. XIX. Novel. Iuſtin. Imp. CIII. LINDENBR.

Eleutheropolis, recentior, et ſeculo demum tertio a C. n. condita. Mentionem eius facit etiam Itinerar. Antonini Weſſel. p. 200. *Mann.* p. 285. W.

Aſcalonem, Gazam. et Iuliam aevo ſup.] Editio Steph. *Aſcal. Gazam, aevo ſup.* Iuliam omittens, quam neque Anton. in Itinerario ponit. A Conſtantinopoli usque Antiochiam: — *Aſcalonem, Gazam, Raphiam.* Item a Neapoli Aſcalonem: — *Aelian., Eleutheropolim, Aſcalonem.* LINDENBR.

Gazam et Iuliam.] Duas ultimas voces expunxi, quippe quae a codice Regio abeſſent. In Editione Romana legebatur: *Gazam ..... ſuperiore extructas.* Sed P. Caſtellus qui nullam lacunam pati poterat eam ſic explevit: *Gazam et Iuliam a parte ſuperiore exſtructas.* Ineptiſſime, ut ſolet. Secutus eſt Mariangelus Accurſius, qui recte quidem ex ſcripto codice emendavit, *aevo ſuperiore exſtructas*, ſed Iuliam ex fide Caſtelli, boni imprimis Auctoris, retinuit. At Gelenius eam ex Editione ſua audacter expunxit: quod et nos fecimus iure merito: cum nulla eius nominis urbs in Palaeſtina referatur. VALES.

12. *Pompeius Iudaeis domitis.*] Fl. Ioſephus Antiquit. lib. XIV. cap. VIII. LINDENBR.

In provinciae ſpeciem.] Antonio et Cicerone Coſſ. Iudaea a Pompeio capta, et in provinciae ſpeciem redacta eſt, et impoſito tributo parere Magiſtratui Rom. iuſſa: quod Ioſephus tam diſerte, ac toties inculcat, ut mirer virum doctum nuper in Variis ſuis Lectionibus id negare auſum fuiſſe. De tributo ſic Ioſephus in lib. 1. belli Iudaici: τῇ τε χώρᾳ καὶ τοῖς ἱεροσολύμοις ἐπιτάττει φόρον. Idem dicit in lib. 14. Antiquitatum, ubi haec amplius addit: τὴν τε γὰρ ἐλευθερίαν ἀπεβάλομεν καὶ ὑπήκοοι ῥωμαίων κατέστημεν: quibus verbis nihil clarius dici poteſt. Vide eundem in lib. 2. belli Iudaici cap. XVI. *Omitto Euſebium in lib. 1. Hiſt. Eccl. cap. 7.* VALES.

In provinciarum ſpeciem rectori delata iurisdictione.] Editio Rom. hunc locum ſic praeferebat: *In provincias reciem delata iurisd. etc.* Neque aliter codex Regius, et Vaticanus. Primus P. Caſtellus locum ita emendavit; cuius emendationem ceteri poſtea amplexi ſunt: neque equidem damno: quamquam mallem, *in provinciae ſpeciem.* Emendatio tamen Caſtelli confirmari poteſt altero loco, qui eſt in lib. 24. *Sic in provinciarum ſpeciem redactam videam Daciam.* Vox *rectori* abeſt quidem a codicibus ſcriptis, ſed ſine ea ſenſus vacillat. Huc autem transtuliſſe eam videtur P. Caſtellus ex ſequenti loco de Arabia: *Hanc provinciae impoſito nomine rectoreque attributo, etc.* IDEM. Sane nec hic indulgeri Caſtello debuit, ut contra arbitria vetuſtorum codicum retineretur vox *rectori.* Quid enim manifeſtius eſt, quam Ammianum loquentem ita, *in provinciae ſpeciem delata iurisdictione*, ſubintellexiſſe *his regionibus*, quae in quarto caſu praeceſſerant, hoc eſt, iuſſa in eis adminiſtrari iurisdictione, ut ſolet ab Romanis in provincia fieri. Sententia eſt utique pleniſſima; et ideo vocem ſupervacuam eiice. GRON. Hoc falſum pronuntiat Reineſ. in nota adſcripta, provocans ad Petiti Var. Lectt. Lib. 2. c. 1. Sed hic idem ille vir doctus eſt, quem Valeſius in nota refutavit. Sunt tamen, qui Reineſio accedant. v. Interpretes ad Eutropium VI, 14. p. 357. Tzſchuck. W.

Rectori delata iurisdictione. Egeſipp. lib. 1. cap. 17. *Tributum quoque victis* (Pomp.) *impoſuit, ſtatuit ducem, Iudaeae fines determinavit.* LINDENBR.

Digitized by Google

13. *per opportunos ſaltus et cautos.*] Haud inepte Reineſius ad oram exemplaris ſui coniecerat *cautEs*. Sed nihil mutandum, cautus enim Ammiano eſt et aliis locis *cui cautum eſt, tutus*. v. lineolis aliquot interiectis: murorum firmitate *cautiſſimas*. inpr. XXIV, 4. 31: ubi tamen vide Valeſium. cf. et Ern. Gloſſar. W.

Boſtra] Tunc temporis primaria urbs Arabiae — *Geraſa* et *Philadelphia*. Utraque pertinet ad ſic dictam Decapolim Palaeſtinae. v. *Mannert* VI, 178. 320. ſ. W.

Et Geraſam.] Huius urbis meminit D. Hieronymus in interpretatione locorum Hebraicorum: *Gargazi civitas trans Iordanem iuncta monti Galaad, quam tenuit tribus Manaſſae: et haec eſſe nunc dicitur Geraſa, urbs inſignis Arabiae.* Et in Catalogo Epiſcoporum qui Chalcedonenſi Synodo ſubſcripſerunt, recenſetur Flaccus Geraſorum provinciae Arabiae Epiſcopus. Stephanus in Coele Syria locat. γέρασα, inquit, πόλις τῆς κοίλης συρίας. Sed ex Ptolemaeo diſcimus duas eo nomine urbes fuiſſe: alteram in Syria Coele, cuius meminit Stephanus; alteram in Arabia Petraea. VALES.

Provinciae impoſito nomine, Rectoreque.] Dio lib. LXVIII. Eutrop. lib. VIII. LINDENBR.

Traianus] v. Dio Caſſ. LXVIII. 32. *Tillemont* T. II. P. I. p. 333. W.

14. *Cyprus*] *Fertilitate omnium rerum*, in quibus et cuprum, unde nomen habet. Inprimis vero large omnia profert, quae ad rem nauticam pertinent, uti Ammianus ipſe dicit, — ligna et carbaſa, et picem et aes, omnisque generis armamenta. W.

Aedificet onerariam nævem.] Idem legitur in Expoſitione totius mundi, quam lac. Gothofredo viro doctiſſimo debemus: *Dicitur non indigens alterius provinciae quidquam pro fabrica navium. Neceſſaria ipſa inſula habet omnia inferius declarata, ligna, aeramentum, ferrum, picem, necnon linteamen pro velaria, et funium uſu.* VALES.

15. *Avide magis hanc inſulam.*] Strabo in extremo lib. XV. Flor. lib. III. cap. IX. Sed omnium copioſiſſime Plutarch. in Catone minore c. 34. ſſ. LINDENBR. Indignitatem rei ipſe agnovit Cicero pro Sextio c. 26—29. ubi etiam de calumnia Clodii, qui, ut Catoni tam invidioſa provincia demandaretur, a Senatu impetraverat. *Ptolemaeo*, fratre regis Aegypti, Ptol. Auletae — *foederato et ſocio*, accuratius Cicero: *ſi nondum ſocius, at non hoſtis.* W.

Ptolemaeo Rege foederato nobis et ſocio.] Ita quoque eum appellant Florus in lib. 4. 2. et Rufus Feſtus in Breviario 13. Sed Cicero in Orat. pro Sextio c. 26. diſerte affirmat, nondum a Senatu ſocium appellatum fuiſſe Ptolemaeum, cum publicatus eſt. *Rex*, inquit, *et Ptolemaeus, qui ſi nondum erat ipſe a Senatu ſocius appellatus, erat tamen frater eius Regis, qui cum eſſet in eadem cauſa, iam erat a Senatu honorem eum conſecutus: erat eodem genere, iisdemque maioribus, eadem vetuſtate ſocietatis: denique erat Rex, ſi nondum ſocius, at non hoſtis, etc.* Prorſus admirabili gravitate, plena miſerationis, plena invidiae in Clodium. Porro hunc Ptolemaeum nullo iure a Romanis eſſe proſcriptum narrant Hiſtorici. Strabo in fine lib. 14. et Appianus in lib. 2. c. 23. Civilium, id per vindictam a Clodio

Digitized by Google

Trib. pl. factum esse commemorant. Captus enim a piratis Clodius Calpurnio Pisone et Acilio Glabrione Coss. anno V. 587. teste Dione lib. 35. in fine, et Cicerone de Haruspicum responsis, ad Ptolemaeum Cypri Regem miserat quosdam e suis, petens ut pecuniam ad se quamprimum mitteret, qua se a piratis liberaret. Qui cum modicam summam, ac vix duo talenta dedisset, Cilices Clodium gratis dimittere maluere Is igitur postea Tribunus pl. cum esset infensus Ptolemaeo, rogationem tulit ad populum, ut Cyprus insula cum omni pecunia regia publicaretur. Quod ubi Ptolemaeo nuntiatum est, omni pecunia in naves imposita procedere in altum statuit, ut classe perforata, et pecuniam mergeret, et ipse suo arbitrio periret. Sed homo avarissimus simul et ignavissimus, cum mergere opes suas non sustinuisset, mutato consilio in aulam reversus, hausto veneno mortem sibi conscivit, ut refert Valerius Max. lib. nono cap. 14. VALES.

CAPVT IX.

1. *A Nisibi quam tuebatur accitus Ursicinus.*] Ultimam vocem ex codice Fauchetii addidimus, quae in reliquis codicibus deerat. In Editione Romana legebatur, *a Nisibi quam tuebatur acrius:* confusis in unum duobus vocabulis, ut coniicere est. VALES.

Vrsicinus.] Ad disquirenda crudeliter ab Antiochensibus facta c. 7. *Ursicinus* magister equitum Orientis excitus, quanquam ferio recusaret, *forensibus quippe iurgiis longe discretus,* a tricis disceptationibusque civilibus abhorrens — *metu sui discriminis* a Gallo Caesare impendentis, *e cutus foveis* accusatores, iudicesque videret emergere, *occultis* literis Constantii Imp. opem imploravit, *ut tumor notissimus Caesaris exhalaret.* Sensus facilis, sed *exhalat* non satis respondet *tumori*, quem residere potius dicunt. W.

Quaesitoresque subditicios.] Inf. lib. 20. *Quaesitores dederat spectaturos, quas ob res oppidum sit excisum.* Moschopul. Κοισιτωρ, ὁ ἐπ' ἐγκλήμασι τιμωρός. Manil. — *Quaesitor scelerum veniet, vindexque reorum.* L. 2. C. Theod. de postul. *Non idem in eodem negotio quaesitor sit et defensor:* id est, iudicis et adsertoris habeat personam, ut vet. Scholiast. interpretatur. LIND.

2. *in peiores haeserat plagas*] More Graecorum, qui εἰς pro ἐν ponunt. — *ut narrabimus postea* c. 11. et XV, 2. — *medium,* nec malum omnino, nec bonum *principem.* cf. XXI, 16. 8. ubi itidem de Constantio sermo est. — *in hoc caussarum titulo,* in eiusmodi caussis. W.

Cetera medium Principem.] Infra lib. 21. *Principibus mediis comparandus.* Flav. Vopisc. in Caro c. 4. *Veniamus ad Carum medium, ut ita dixerim, virum, inter bonos magis, quam inter malos Principes collocandum.* Spartian. in Aelio Vero c. 3. *Etsi non summi, medii tamen obtinuit ducis famam.* LINDENBR.

3. *imaginarius* ad speciem *iudex,* cuius tamen nihil valeret auctoritas. — *regina exertante aurem subinde per aulaeum.* In

Digitized by Google

Consistorio nempe erant cancelli et vela expansa, post quae sedebant principes ita, ut non conspici quidem ipsi, audire tamen omnia, quae agerentur, possent. De his cancellis et aulaeo, si plura cupis, vide Casaubonum et Salmasium ad Scriptt. Hist. Aug. Carino c. 2. T. II. p. 796. ff. fusius disserentes. Eandem licentiam sibi iam olim sumserat mater Neronis, Agrippina. v. Tac. Annal. XIII, 5. W.

Adsistebant hinc inde Notarii.] Intelligo Notarios, quos alii *Exceptores* vocant, l. 19. §. 9. ff. loc. cond. Iul. Firm. Astron. lib. 3. c. 6. Horum officium cursim et per notarum signa excipere, quae utrimque secus in iudicio dicerentur; qui sane plures simul uni negotio saepe adhibiti. Ita collatio Catholicorum et Donatistarum velitata fuit, excipientibus Hilario et Praetextato Exceptoribus D. N. V. C. et Spectabilis Proconsulis: Fabio Exceptore D. N. V. C. et Spectabilis Vicarii: et Romulo V. C. legat. AK. Excipientibus quoque Ianuario et Vitale Notariis Ecclesiae Donatistarum. LIND.

Adsistebant hinc inde Notarii.] Notarios et Tribunos intelligo, qui erant in comitatu Caesaris Galli. Habebant enim Caesares Notarios aliquot, ab Augusto tamen attributos, ut docet Zosimus lib. 3. c. 4. in rebus Iuliani Caesaris, et Marcellinus in lib. 17. c. 9. *Calumniis appetitus est a Gaudentio tunc Notario, ad explorandos eius actus diu morato per Gallias.* Longe autem differunt Notarii ab Exceptoribus. Nam Notarii sunt βασιλικοὶ ὑπογραφεῖς, ut passim Zosimus appellat, qui in Consistorio acta excipiebant: et ita semper apud Marcellinum sumuntur. At vero Exceptores sunt ταχυγράφοι, qui notis scribunt acta Praesidum, ut dicitur in lege 33. D. ex quibus causis maiores. De his Eunapius in Proaeresio p. 145. Commelin. ἀξιῶ, φησὶ, δοθῆναί μοι τοὺς ταχέως γράφοντας καὶ στῆναι κατὰ τὸ μέσον, οἳ καθ' ἡμέραν μὲν τὴν τῆς Θέμιδος γλῶτταν ἀποσημαίνονται, σήμερον δὲ τοῖς ἡμετέροις ὑπηρετήσονται. Quae verba quoniam ab interprete parum intellecta sunt, hic vertere operae pretium fuerit: *Peto, inquit, ut Exceptores mihi dentur, atque in medio consistant: qui quotidie quidem Themidis oracula notis excipiunt, hodie vero nobis ministrabunt.* De iisdem loquitur Damascius in Isidori vita, quod neque interpres animadvertit. ὑπηρεσίαν ἐτέλει ἣ πρὸς τάχος ἐπετέταχτο γράφειν τὰ ὑπὸ τῶν ἀρχόντων πραττόμενα. Ceterum cur hunc Marcellini locum de Notariis et Tribunis potius quam de Exceptoribus accipi malim, duplex ratio est: prima, quod haec causa Antiochiae in Consistorio ventilata est iussu Caesaris Galli; in Consistorio autem non Exceptores, sed Tribuni et Notarii acta excipiebant, ut dicemus in libris sequentibus: deinde quod Marcellinus noster Notarii nomine semper Notarium Principis intelligit. VALES.

Cuius imperio trucis tum a stimulis Reginae.] Huius lectionis auctor est Sig. Gelenius. In Mſ. codice Regio legitur: *truces tima stimulis Reginae.* Atque ita fere in Editione Romana, nisi quod *cruces* habet. Mariangelus Accursius ediderat: *Cuius imperio, trucis cum stimulis Reginae*; in parte Editionem P. Castelli secutus. Mihi sic legendus is locus videbatur: *Cuius imperio truci, ac stimulis Reginae;* refectis aliquot vocibus, ab imprudente, ut videtur, antiquario male repetitis. IDEM.

Digitized by Google

Exertantis aurem per aulaeum.] Quae de hoc aulaeo ſive velo dici poſſunt, iam ab aliis curate notata ſunt: quo etiam haec Lucif. Calar. ad Conſtantium Imp. verba pertinent: *In tuo palatio, intra velum licet ſtans, tuliſti reſponſum a me ad conſervandam ſalutem.* LIND.

4. *Ob nominum gentilitatem,*] communionem, ſimilitudinem. W.

Futurae molitioni.] Id eſt, quod ſupra dixit, *Si novae res agitari coepiſſent:* unde in vulgatis Editionibus *ultioni* perperam legi conſtat. LIND.

5. *amictu tenus philoſophus*] qui nihil philoſophi praeter pallium haberet. — *ſuſpenſus* in equuleo *in eodem gradu conſtantiae ſtetit* non potuit cogi ad fatendum. W.

Suſpenſus in eodem gradu conſtantiae ſtetit.] Vulg. *ſuſpenſus in eodem gradu cunctatus eſt.* Germana lectio eſt, quam ex Mſ. inveſtigavimus. Sic lib. XVI. 12. *Faſtus barbaricos ridens, in eodem gradu conſtantiae ſtetit immobilis.* Et τὸ *ſuſpenſus* ad equuleum refertur, ut inf. *ſuſpenus Euſebius.* Prudentius περὶ στεφάνων in Romano Martyre v. 451. *Scindunt utrumque milites taeterrimi Mucrone hiulco penſilis latus viri.* Beda in Martyrolog. *In equuleo ſuſpenſa et exungulata.* LIND.

6. *ſollemnia,*] conſuetum, legitimum procedendi modum. *ita eviſceratus eſt, ut cruciatibus membra deeſſent,* ut ipſi tortores non haberent, ubi uncos adplicarent. *torvum renidens,* ut vultu ad ſimulatum riſum compoſito iudicibus inſultaret. Locus geminus eſt apud Tacitum Annal. IV, 60. *Tiberius torvus, aut falſum renidens vultu.* — *fundato pectore,* firmo, conſtanti. Sic XXIX, 5, 46. *fundata mente intuens torvum.* — *Zenonem Stoicum.* Poſteriorem vocem delendam eſſe putat Valeſius, cuius et Lindenbrogii notas conſulas. Simile aliquid de femina adeo philoſophante Timycha, Pythagorae ſectatrice narrat Iamblichus in vita Pythagorae p. 161. ed. Kueſteri. Ceterum Zenones, quorum octo ad minimum memorantur, etiam ab aliis confuſi. v. Perizonii Animadv. hiſt. p. 88. et Daviſ. ad Cic. Tuſcul. II. 21. W.

Nec confeſſus nec confutatus.] Id eſt, nec confeſſus nec convictus. Sic confeſſus atque convictus iungi ſolent, ut in lege 7. Codice Theod. quorum appellat. non recipiantur; et in lege 31. de Epiſcopis et Eccleſiis. Certe apud Marcellinum confutatus ſemper pro convicto ſumitur. VALES.

Zenonem illum veterem.] Memoriae lapſus eſt. Non enim cum Cyprio Rege Nicocreonte negotium habuit Zeno, ſed Anaxarchus: utriusque autem fortuna conſimilis plane. Nam εἰς ὄλμον ambo coniecti, et σιδηρεοῖς ὑπέροις tuſi, aliaque dira perpeſſi, noviſſime in os tyranni mordicus abſciſſam linguam exſpuere. Diogenes Laert. in Zenone et Anaxarcho. Theodoret. Serm. de Martyr. Ζήνων ὁ ἐλεάτης, ἀναγκαζόμενος κατειπεῖν τι τῶν ἀπορρήτων, ὠνέσχε πρὸς τὰς βασάνους, οὐδὲν ἐξομολογούμενος. ὡς δέ φησιν Ἐρατοσθένης ἐν τῷ περὶ ἀγαθῶν καὶ κακῶν, δείσας οὗτος, μὴ τῇ τῶν παθῶν ὑπερβολῇ βιασθεὶς ἐξείπῃ τι τῶν συγκειμένων, καὶ τοὺς στασιώτας μηνύσῃ, τὴν γλῶτταν τοῖς ὀδοῦσι τεμὼν, προσέπτυσε τῷ τυράννῳ, et quae ſequuntur. Vide Plutarch. περὶ ἀδολεσχ. Cic. Tuſcul. II. 22. Val. Max. lib. 3. cap. 3. Plin. lib. 7. cap. 23. lib. 8. cap. 22. Tertullian. Apolog. LIND.

Zenonem illum veterem Stoicum.] Ultima vox delenda est, aut Marcellinus memoriae vitio laboraverit necesse est, qui Zenoni Stoico tribuit, quod Eleatae Zenoni contigisse ceteri testantur: Cicero lib. 2. Tusculanarum 22. Philo in libro, quod omnis probus liber, et Diogenes Laërtii f. in Zenone Eleate IX. 5. Sed nec in eo solum labitur Marcellinus, quod Zenonem Stoicum cum Eleate confundit, verum insuper alterum errorem adiungit, cum dicit eum linguam in oculos Cyprii Regis praecisam conspuisse. Neque enim a Cyprio Rege tortus est Zeno, sed a Nearcho Myso Eleatarum tyranno, seu, ut alii dicunt, Demylo: quemadmodum tradit Clemens Alex. lib. 4. Strom. Sane Plutarchus hunc Demylum vocat in libro *περὶ στωϊκῶν ἐναντιωμάτων* et adversus Colotem Epicureum. Quare apud Diogenem, ubi legitur, *καθελεῖν δὲ θελήσας Νέαρχον τὸν τύραννον (οἱ δὲ Διομέδοντα) συνελήφθη*, rescribendum putaverim, *οἱ δὲ Δημύλον*. Sed Nearchum plures eum vocant, inter quos est Diodorus Siculus in Excerptis quae nuper publicavi, Philostratus initio lib. 7. et Valerius Maximus in lib. 3. cap. 3. qui tamen ex uno Zenone Eleate duos perperam fecit. VALES.

7. *indumentum regale*] c. 7. purpuram. *pectoralem*, pectus tantum tegentem *sine manicis* colobion. Hoc genus vestium sub Imperatoribus demum in usu esse coepit. v. *Oct. Ferrarium* de re vestiar. P. I. L. 3. p. 97. ff. Clericis tamen, inprimis episcopis non in quotidianum usum, sed in sacris publicis eiusmodi tunicas concessas fuisse, scriptores ecclesiastici docent. Talem igitur *Diaconus* quidam *Maras* Tyri texendam mandaverat; cuius literae ad *Tyrii textrini Praepositum*, nam textores ibi corpus atque sodalitatem conficiebant, quibus praeerant Procuratores Baphiorum, de quibus v. Notitiam Dignit. Imp. p. m. 121. W.

Ministris fucandae purpurae.] Corpora erant baphiorum tingendae purpurae, l. 2. C. de murileg. Et *ἐπιτρόπου τῆς κατὰ τύρου ἁλουργοῦ βαφῆς* mentio apud Eusеb. Ut et tinctorum eorumque qui magnificas vestes texunt, apud Firmic. Astron. lib. III. cap. VII. Dictum autem *fucandae purpurae*, ut in l. 1. C. quae res ven. non poss. *Fucandae vel distrahendae purpurae.* Auson. in Panegyr. — *Praetextam meam purpurae tuae luce fucatam.* LIND.

Pectoralem tuniculam sine manicis.] Hanc ad colobium referunt viri doctissimi, cuiusmodi tunica Diaconi in Ecclesia etiamnum utuntur. Ita P. Pithoeus lib. 1. Adversariorum c. 16. Laur. Pignorius in Syntagmate de servis, p. 105. ed. Amst. 674. 12. et Dionys. Petavius in Notis ad Themistium. Postea dalmaticarum usus ac nomen invaluit, ut docet Anselmus: quas a colobiis in hoc diversas fuisse volunt, quod erant manuleatae, cum in colobiis vel nullae essent manicae, vel admodum breves, citra cubitum desinentes, quales in Aegypti Monachorum colobiis fuisse, testis est Cassianus. Existimo tamen laicorum tam colobia quam dalmaticas vulgo manuleatas fuisse: idque suadere videtur Dorotheus in doctrina 1. *διὰ τί φοροῦμεν κολόβιον μὴ ἔχον χειρίδια, τῶν ἄλλων ἐχόντων πάντων χειρίδια.* Sed Monachorum et Diaconorum tam colobia quam dalmaticae absque manicis fuerunt cum clavis purpureis. VALES.

Tyrii textrini praepositum.] Iul. Firm. Astron. lib. III. *Quod si sic ♀ positum ♃ bona radiatione respexerit, Regiis tex-*

trinis faciet praepoſitos, vel praefectos. L. 14. C. de murileg. *textrinorum procuratores.* LIND.

Celerari ſpeciem.] More ſui ſaeculi vocavit *ſpeciem* τὸ ἔνδυμα. Capitolin. in Anton. Pio c. 7.: *Species Imperatorias ſuperfluas et praedia venditit*, ut l. fin. C. de veſt. mil. l. 4. C. de veſt. holob. IDEM.

Celerari ſpeciem perurgebat.] Ergo ſumma accuſationis qua Maras Diaconus pulſabatur, haec erat: quod veſtem ſibi a Tyrii textrini miniſtris parari iuſſerat, purpuream ſcilicet, ut ſuſpicari dabatur. Eam enim ne quis privatus propria auctoritate uſurparet, (quippe quod tyrannidis affectationem indicat) ſeveriſſimis legibus interdictum fuit L. 4. C. de veſtib. holob. *Temperent univerſi, cuiuscunque ſunt ſexus, dignitatis, artis, profeſſionis, generis, ab huiusmodi ſpeciei poſſeſſione, quae ſoli Principi, eiusque domui dedicatur. Nec pallia tunicasque domi quis ſerica contexat, aut faciat, quae tincta conchylio nullius alterius permixtione ſubtexta ſunt.* D. Iohan. Chryſoſt. in Orat. de anathemate: Ὁ περιθεὶς ἑαυτῷ ἁλουργίδα βασιλικὴν ἰδιώτης τυγχάνων αὐτός τε καὶ οἱ αὐτῷ συνεργήσαντες, ὡς τύραννοι ἀναιροῦνται. Et Dio Caſſius lib. 49. c. 16. ſcribit, Octavianum Auguſtum prohibuiſſe, ne quis praeter Senatores vel Magiſtratum gerentes, purpuram geſtaret. Unde Suetonius in Nerone c. 32. ſcribit, matronam quamdam, quod purpura uſa eſſet, non veſte tantum, ſed bonis cunctis exutam fuiſſe. Poſteriores tamen Principes aequiores hac in parte fuere: ſegmentorumque purpureorum uſum Leo Imp. cunctis indifferenter conceſſit, Novell. LXXX. Id ipſum de Tiberio Iuniore Cedrenus. LIND.

ſpeciem.] Species eſt ipſum indumentum, frequentatur enim illa vox de rebus omnibus, quarum peculiare aliquod genus cogitandum eſt, (*Sorte, Gattung*) ſaepius apud Noſtrum, v. c. XXIII, 6. 38. de naphtha XXVII, 3. 10. de rebus venalibus, XXIX, 3. 4. de thorace. v. omnino Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. 1. p. 265. Diacono igitur illi procul dubio antea de veſte tali conficienda cum textoribus convenerat, in literis autem de citius mittenda monuerat, ſpeciem autem formamque iudicare neceſſe non habuerat, ideoque nihil inde ad accuſandum eum poterat confici. W.

nihil fateri compulſus eſt.] Mire dictum, quocunque ſenſu ſumas. Eſt enim vel compulſus eſt ad fatendum, quod non ita eſſet, vel, uti Ern. in Gloſſ. cui et ipſe accedo, intelligit, eo compelli non potuit, ut fateretur. W.

CAPVT X.

1. *coeli reſerato tepore,*] vere ineunte. cf. XXI, 6. 7. *Alamanni*, quorum bella cum Romanis Ammianus in ſequentibus libris commemorat crebro, ex interioribus Germaniae populis ſeſe conſociaverant (unde et nomen accepiſſe creduntur: *Alle Mannen*) Alſatiam tenuerunt, Sueviam partemque Helvetiae. v. omnino *Mannert* Germania p. 36. 270. 291. II. W.

Conſulatu ſuo ſeptiesˌ et Caeſaris iterum.] Scribendum ex Faſtis: *Conſulatu ſuo* VII. *et Caeſaris* III. quod eſt Conſulatu ſuo

ſeptimo, et Caeſaris tertio: ſeu Conſulatu ſuo ſeptieſ, et Caeſaris ter. Sic enim loquuntur Imperatores in lege 8. et 9. Codice Theod. de Indulgentiis debitorum: *Conſulatus noſtri ſepties, et Theodoſii iterum.* VALES.

2. *Translationem ex Aquitania.*] Inf. §. 4. *Convectio annonae.* L. 9. C. de ann. et trib. *Plus haberet diſpendii translatio, annonae, quam devotionis illatio.* L. unic. C. Theod. de luſor. Danubii: *Transvectio ſpeciei annonariae.* De commeatu qui ex Aquitania adferri ſolitus, etiam inf. mentio. LINDENBR.

discerpti.] Si, quos Valeſius laudavit, auctores ad manus non ſint, evolve Gibbonum v. p. 190. — *angorem animi emendabat*, reprimebat. W.

Herculanus Hermogenis filius.] In Editione Romana *Arculanus* ſcribitur. Mariangelus Accurſius *Hirculanus* ex ſuo codice emendavit. Sed vera lectio eſt *Herculanus*, quam codex Regius ſervat, ſeu *Herculianus*. Fuit hic Libanii diſcipulus, cui uxorem ducenti Libanius carmen nuptiale cecinit, tametſi ad eiusmodi ſcribenda carmina aegre admodum impelli poſſet, ut ipſemet dicit in Epiſtola 724. ad Gaianum Conſularem Phoenices: *Ἅπασι μὲν τοῖς τῶν ἐμῶν μετεσχηκόσι διατριβῶν, ὅσα οἷός τε ἦν συνεπηνώρθωσα τῶν πραγμάτων. Ἡρκουλιανὸν δὲ τὸν Ἑρμογένους οὕτω δὴ βέλτιστον ἡγησάμην, ὥστε αὐτῷ καὶ ἅσμα ἐποίησα γαμοῦντι, φυγὼν ἀεὶ δή ποτε τὸ τὰ τοιαῦτα ᾄδειν.* Uxorem autem duxerat Nicoclis Spartani filiam, eius qui Iuliani Caeſ. praeceptor fuit: ut docet Epiſtola 7. lib. 4. Epiſtolarum Libanii, quae ſcripta eſt ad Nicoclem. VALES.

Protector Domeſticus.] Hi Domeſtici ſimpliciter dicuntur haud raro: et a Protectoribus, de quibus ſupra dixi, diſtinguendi ſunt, ut docet lex 6. et 9. Codice Theod. de Protectoribus et Domeſticis. Eorum duae Scholae fuerunt: altera Domeſticorum equitum; altera Domeſticorum peditum: quarum utraque ſuum Comitem habuit, ut docet Notitia Imperii Romani. Porro inter Domeſticos alii in praeſenti erant, ut dicitur in lege 1. Codicis citati: qui Praeſentales vocantur in lege 6. Codicis de Advocatis diverſorum iud. *Inſerendos Praeſentalibus Domeſticis, alterum equitum, alterum Scholae peditum:* et in lege 4. Codicis de Domeſticis. Alii vero certis officiis deputati publicas exſequebantur iuſſiones, ut dicitur in lege 5. Codicis Theod. de Protectoribus. Nam praeter certum numerum eorum qui in comitatu eſſe debebant, reliqui in Galatia aut in limite ac terminis ſibi adſignatis manebant perinde ac Protectores, teſte Procopio in Anecdotis. Unde intelligenda ſunt verba Imperatoris, in lege 1. Cod. Th. de Protectoribus: *Ceteris qui ultra numerum in praeſenti eſſe voluerint, ſcias neque annonas, neque capita eſſe danda, ſed omnes cogendos ad manipulos ſuos ac terminos redire.* Sic enim legendus eſt hic locus. Interdum etiam pro neceſſitatibus publicis in provincias cum Comitibus ac Magiſtris militum mittebantur, ut teſtatur Marcellinus lib. 15. 5. *Protectoribus Domeſticis x. ad iuvandas neceſſitates publicas ſecum iunctis:* qui locus mirifice emendationem legis ſupradictae confirmat. Nam x. Domeſtici manipulum efficiunt, teſte Vegetio in lib. 2. Sed et in libro 16. idem teſtatur Marcellinus, cum dicit: *Provectis e conſortio noſtro ad regendos milites natu maioribus, adoleſcentes*

eum ſequi iubemur, quidquid pro Rep. mandaverit impleturi. Ex his intelligenda eſt lex 27. Cod. Theod. de erogatione militaris annonae. VALES.

Populari quondam turbela diſcerpti.] Anno Domini 342. Conſtantio 3. et Conſtante 2. Augg. Conſulibus Hermogenes Magiſter equitum, qui a Conſtantio Aug. Conſtantinopolim miſſus fuerat, ut Paulum Epiſcopum ſua ſede exturbaret, a populo interfectus et tractus eſt, ut ſcribit Socrates lib. 2. Hiſt. Eccl. et Sozomenus lib. 3. Hieronymus in Chronico, et Idatius in Faſtis. Exſtantque acta Pauli Conſtantinop. Epiſcopi in Bibliotheca Photii, quibus tota res fuſe memoratur. Hanc ſeditionem intelligit Libanius in Oratione quae *βασιλικὸς* inſcribitur, cum ait: *κατεῖχε ταραχή τις οὐ μετρία τὴν μεγίστην μὲν τῶν τῇδε πόλεων, τῆς δὲ ἁπασῶν μεγίστης δευτέραν*, etc. IDEM.

4. *Ruſinus Praefectus Praetorio ad diſcrimen truſus.*] Quippe militaris annonae cura ad Praefectum Praetorii pertinebat, ut docent Pollio in Macriano T. II. p. 287. Hack. et Vopiſcus in vita Probi 10. Zoſimus in lib. 2. 33. hanc dignitatem a Conſtantino Maximo valde imminutam eſſe ſcribit. Nam cum ad Praefectos Praetorii non modo annonae militaris cura, ſed etiam delictorum militarium caſtigatio pertineret, eamque ob cauſam miles peccare dubitaret, ne annona multaretur, Conſtantinus Magiſtros militum primus creavit, iisque militare forum attribuit: quo facto Praefectura Praetoriana contemni a militibus coepit. Eius verba ſunt inter cetera: *τῶν ὑπάρχων τοὺς ἁπανταχοῦ φόρους διὰ τῶν ὑπηρετουμένων αὐτοῖς εἰσπραττόντων, καὶ τὴν στρατιωτικὴν ἐκ τούτων ποιουμένων δαπάνην*, etc. Ex quibus intelligendus eſt locus Procopii in 1. Vandalicorum: *Ἀρχέλαος ἤδη μὲν τῆς αὐλῆς ὕπαρχος ἔν τε Βυζαντίῳ καὶ Ἰλλυριοῖς γεγονὼς, τότε δὲ τοῦ στρατοπέδου καταστὰς ὕπαρχος (οὕτω γὰρ ὁ τῆς δαπάνης χορηγὸς ὀνομάζεται.)* Et in lib. 2. Vandal. de Symmacho: *ὕπαρχός τε καὶ χορηγὸς τῆς δαπάνης ἐσόμενος.* Neque aliter apud eumdem Procopium in lib. 1. Perſicorum ſub initium: *χορηγὸς δέ τις τοῦ στρατοπέδου δαπάνης Ἀπίων αἰγύπτιος ἐστάλη.* Et in libro 2. de Tatiano. Non ſolum autem annonae militaris curam gerebat Praefectus Praetorii, ſed Civicae etiam ac Palatinae. Ac de Civica quidem annona, teſtis eſt Caſſiodorus in formula Praefecturae annonae. De Palatina vero illuſtre teſtimonium Marcellini noſtri ſupra vidimus, ubi Domitianus Praef. Praet. minatur Gallo Caeſari, ſe palatii eius annonas ſublaturum. Iulianus Imp. in lege 1. Cod. Theod. de Protectoribus mandat Secundo Praefecto Praet. ne annonas neve capita det Domeſticis iis qui ultra numerum in comitatu manere voluerint. Poſtremo Caſſiodorus in formula Praefecturae Praet. id diſerte affirmat his verbis: *Palatium ſua proviſione ſuſtentat; ſervientibus nobis procurat annonas.* IDEM.

In ordinarias dignitates.] Id eſt civiles. Ordinarias enim dignitates militaribus ſolet opponere Marcellinus, ut in lib. 16. 8. cum dicit: *Sub hoc enim ordinum ſingulorum auctores infinita cupidine divitiarum arſerunt: inter ordinarios iudices Ruſinus primus Praef. Praetorio; inter militares equitum Magiſter Arbetio.* Et in fine libri 21. *Sed cunctae caſtrenſes et ordinariae poteſtates ut honorum omnium apicem priſcae reverentiae more Praefectos ſemper ſuſpexere Praetorio.* Alias ordinarii iudices ſtrictius ſumuntur, et maioribus poteſtatibus opponuntur: ut nominatim

minatim in lege 3. Codicis Theod. de ſuariis et pecuariis, ubi Imperator ſic dicit: *Nam quia maiorum poteſtatum officiales ſolent eſſe provincialibus pernicioſi, per ordinarios iudices atque Curias etiam hanc exactionem convenit celebrari.* Eoque ſemper ſenſu ordinarii iudices accipiuntur in Codice utroque: pro Conſularibus ſcilicet et Correctoribus ac Praeſidibus, qui ſunt dumtaxat Clariſſimi. Proconſules autem ac Praefecti, qui ſunt Spectabiles et Illuſtres, eo nomine haudquaquam continentur, ut diſerte docet lex 7. Cod. Th. de honorariis codicillis, et Novella Theodoſii de tributis fiſcalibus. Et ita quidem in Codice. Sed in hoc Marcellini loco, quem prae manibus habemus, ordinariae dignitates pro civilibus ſumuntur, ut dictum eſt. Nec obſtat, quod de Praefectis Praet. hic ſermo eſt. Nam Praefectura Praetorii iam inde a temporibus Conſtantini Maximi civilis dignitas haberi coepta eſt. Ante Conſtantinum quidem negari non poteſt, quin ea dignitas fuerit militaris: quippe cum Praefectus Praetorio Praetorianis cohortibus cunctisque per Italiam militibus praeeſſet, ut docet Dio in lib. 52. Sed Conſtantinus primus Praetoriarum cohortium nomen exſtinxit, ut docet Aurelius Victor, omnemque rei militaris poteſtatem ad Magiſtros militum tranſtulit, quemadmodum ex Zoſimo adnotavi. Merito itaque queritur Aurelius Victor in Tito: *Moxque victorem Titum Veſpaſianus Praefectura Praet. extulerat. Unde etiam honos is ingens a principio, tumidior et alter ab Auguſto imperio fuit. Verum hac tempeſtate dum honorum honeſtas deſpectatur, miſtique bonis indocti ac prudentibus inertes ſunt; fecere nomen plerique potentia vacuum, inſolens per iniurias, et annonae ſpecie rapax.* VALES.

5. *Opera conſulta*] de induſtria, conſulto. Infra c. 11. eſt adeo *conſulto conſilio.* — *hoc dilato*, maſculine ſumas, nempe ipſo Romano dilato, nunc ſaltem non amplius inſidiis adpetito. Sic ſaepe optimi ſcriptores *differre* de perſonis. — *tumor conſenuit.* Reineſ. malit *conſedit*, quod uti aptius ſine dubio, ita tamen Ammiani non eſt, qui et aliis locis exquiſita tumori iungit verba: *exhalare, contundi, deflagrare.* W.

Galli periret avunculus.] Gallus enim Caeſar matre natus erat Galla, ſorore Rufini, ut ſcribit Marcellinus in calce huius libri. Huius, ni fallor, Rufini meminit Petrus Patricius in Excerptis legationum, inter legatos qui a Magnentio ea Vetranione ad Conſtantium miſſi erant: quos omnes Conſtantius praeter Rufinum Praef. Praet. in vincula compegit. Cauſam hinc diſcimus, quia ſcilicet affinis erat Conſtantii. Idem videtur eſſe, cuius mentio fit in lege 6. Cod. Theod. de annona et tributis, et qui Conſul cum Euſebio fuit anno Domini 347. Vide Marcellinum infra cap. ult. Dicebatur autem Vulcatius Rufinus, teſte Marcellino in ſequentibus libris. *Ex eadem domo videtur fuiſſe Vulcatius Gallicanus, qui Conſul fuit cum Baſſo Conſtantini Magni temporibus, inter Hiſtoriae Auguſtae Scriptores numerandus.* VALES.

Hocque delato.] Non ſine cauſa reſcribendum cenſeo *dilato*. Sic enim in lib. XV. 2. ubi de Urſicino quem clam e medio tollere decreverant, ait Marcellinus: *Facinus impium ad deliberationem ſecundam differri praeceptum eſt:* quo in loco Regius codex et Editio Romana atque Auguſtana ſcriptum habent *deferri*, eodem errore. VALES.

Digitized by Google

6. *Rauracum,*] Auguſta Rauracorum prope Baſileam, hod. *Augſt.* — *pontem ſuspendere navium compage,* placet τὸ *ſuspendere,* quamquam poetae magis, quam hiſtorico conveniat, pro ſimpliciori, iunctis navibus pontem conſtruere. — *cogitationibus magnis,* i. e. imminentibus periculis. Ern. — W.

7. *Honoratioris militiae cura commiſſa.*] Regius codex habet *honoratioris militis:* cui ſubſcribunt Editiones optimae, Romana et Auguſtana. Itaque non dubito, quin vulgata lectio ab emendatione Gelenii ſit profecta. VALES. Alamannis nempe, quorum aliqui in ipſo Romano exercitu ordines ducebant. W.

8. *Latinum Domeſticorum Comitem.*] Huius Latini meminit quoque Zoſimus in lib. 2. c. 48. ubi praelium Murſenſe deſcribit, eumque in aula Conſtantii plurimum valuiſſe commemorat: μόνοι Λατῖνος καὶ Θάλασσος τὰ πρῶτα παρὰ βασιλεῖ φέροντες. Scudilonis quoque Scutariorum Tribuni ibidem mentionem facit Zoſimus Lib. 2, 50. ſed nomen aliquantiſper depravatum eſt. legitur enim Σκολιδώαν καὶ Μάναδον ταξιάρχους, cum legi debeat Σκοδίλωνα. VALES.

Domeſticorum Comitem.] De Domeſticis abunde dictum eſt ſupra, ubi et de Comite Domeſticorum nonnulla. Unum dumtaxat hic addemus, hanc ſcilicet dignitatem diu ante Conſtantini tempora inſtitutam fuiſſe. Etenim Diocletianus ex Comite Domeſticorum ad Imperium evectus eſſe dicitur. Zonaras in Diocletiano: ἐξ εὐτελῶν στρατιωτῶν δοὺξ Μυσίας ἐγένετο· ἄλλοι δὲ κόμητα δομεστίκων αὐτὸν γενέσθαι φασί. Sane Aurelius Victor c. 39. id ſcriptum reliquit: *Ducum conſilio Tribunorumque Valerius Diocletianus Domeſticos regens ob ſapientiam eligitur.* Sed et imperante Aemiliano, tanto ante Diocletianum Paullinus quidam Comes fuit Domeſticorum, ut docet vetus Inſcriptio: D. N. C. AEMILIANO. FORTISSIMO. PRINCIPI. HERCULI. CONSERVATORI. L. VIRIUS. PAULLINUS. V. C. COMES DOMESTICORUM. VALES.

Ut dextris ſuis geſtantes Remp.] Valer. Max. lib. 2. cap. 8. §. 5. *Humeris ſuis ſalutem patriae geſtantes.* LIND.

9. *Dirimentibus forte auſpiciis.*] Alamanni auſpiciis admodum dediti fuere, iisque praecipue in bello utebantur. Cuius rei inſigne exemplum eſt apud Agathiam in lib. 2. Nam cum Buccellinus in Italia cum Narſe pugnaturus conſiſteret, vates Alamannorum ne eo die praelium committeret edixerunt: alioqui exercitum internecione deletum iri. προειρημένων αὐτοῖς ὑπὸ τῶν Ἀλαμαννικῶν μάντεων μὴ δεῖν ἐκείνης τῆς ἡμέρας διαμάχεσθαι, ἢ γινώσκειν ὡς ἅρδην ἅπαντες ἀπολοῦνται. Paullo poſt idem Agathias eos χρησμολόγους Ἀλαμαννικοὺς appellat. Porro hunc morem Alamanni a Germanis utpote maioribus ſuis hauſerant: de quorum religione in auſpiciis maxime per bella obſervandis ſcribit Tacitus in libro de moribus Germanorum: adeo ut etiam virginum vaticiniis fidem adhibuerint. Notae enim ſunt Veleda et Ganna, de quibus Tacitus Germ. 8. et Statius in Silvis, 1, 4. 90. et Suidas in θειάζουσα ex Dionis libro 67. Pene omiſeram hunc Marcellini noſtri locum in Editione Rom. et in codice Regio ſic ſcribi, *dirimentibus forte auſpicibus.* VALES.

Vel congredi prohibentibus.] Haec verba gloſſae, quod aiunt, cuiuspiam potius quam Marcellini eſſe, iure quis ſuſpicetur. Sed alio nos trahunt ſcripti codices, Editio ſcilicet Romana ac liber Regius. In utroque enim ſcriptum reperi, *vel congredi prohi-*

Digitized by Google

bentia. Unde non dubito, quin totus locus ita legi debeat: *Dirimentibus forte auſpicibus, vel congredi prohibente auctoritate ſacrorum, mollito vigore quo fidentius reſiſtebant, optimates miſere, etc.* Cauſam enim ſubitae mutationis Alamannorum exponit Marcellinus, qui cum antea acerrime reſiſterent Romanis, repente miſſis legatis pacem expopoſcerint. Ait igitur eos religione motos id feciſſe religionem autem eorum animis iniectam ſive ab auſpiciis, ſive ab ſacrificiis. * Certe in Mſ. Toloſano legitur, *vel congredi prohibente auctoritate ſacrorum, etc.* * VALES. Cum monerentur a vatibus, nec in ſacrificiis litarent. W.

10. *ſententiarum via concinens adprobaſſet*] Quidni ſimplicius: omnes in eo conſenſere? *poteſtatum celſarum,* aulae procerum. v. ſupra c. 1. W.

12. *Miles ubique — ſe ſolum — circumſpicit et defendit — Imperator vero officiorum, dum aequis omnibus alienae cuſtos ſalutis, nihil non ad ſui ſpectare tutelam rationes populorum cognoſcit.* Locus, ut ait Valeſius, peſſime adfectus, ac tum mendis, tum lacuna deformis. Senſus loci, ſi cum praecedentibus contendas, non alius eſſe poteſt, niſi hic: Imperatoris officium eſt, non tam ſuae ſalutis, quam totius exercitus rationem habere; ſed hanc ſimplicem ſententiam ſuo more Ammianus adornando obſcuravit, librarii novas tenebras adfuderunt, quas diſſipare quidem Gronoviis et Valeſius adniſi ſunt, nubeculas tamen plures reliquiſſe videntur. Et Gronovii quidem medela nimis quaeſita; Valeſius autem primis verbis *Imperator officiorum* quid agat, ſe nelcire, ideoque plane non attigiſſe fatetur; in ſequentibus nimis liberalis in explenda lacuna poſt *rationes* fuiſſe poſſit videri. Ego vero, cum ante hos quindecim annos popularibus legendum darem Ammianum, ita in animum induxeram, ut ſcriberem: *Imperator vero* officii memor *aequis omnibus* (omiſſo *cum* vel *dum*, quae optimae notae Codd. non habent) *alienae cuſtos ſalutis* i. e. ita cuſtos, ut omnes eodem loco habeat, eandem omnibus curam impendat, *nihil* (eiecto ſequente *non*, quod, facilius quippe, pro *nihil* margini lector aliquis adſcripſerat) *ad ſui ſpectare* (pro quo nunc malim *ſpectans) tutelam, rationes populorum* (exercitus ſui XVIII, 10. 1. XIX, 9. 9.) *cognoſcit, et remedia arripere debet.* — ſed mihi ipſe non facio ſatis, nedum aliis. W.

Rationes populorum cognoſcit.] Haec quam inſulſa ſint, nemo non videt. In Romana Editione legebatur *ratio* ... deinde relicta erat lacuna paullo plus quam dimidiatae lineae: neque aliter in exemplari Regio, niſi quod brevior erat lacuna unius voculae capax. Eſt quidem totus hic locus peſſime affectus, ac tum mendis, tum lacuna deformatus. Sed coniectura Petri Caſtelli quaſi tertia quaedam labes acceſſit. Quod ſi quid in loco tam deſperato coniicere licet, ſic commodius legi poſſe exiſtimo: *Imperator vero officiorum dum aequis omnibus, ut alienae cuſtos ſalutis, nihil ad ſui ſpectare tutelam, ſed rationes rerum ac temporum ponderare, et remedia cuncta quae ſtatus negotiorum admittit, arripere debet, etc.* Ac prima quidem illa ut erant mendoſa reliquimus. Quid enim illud eſt, *Imperator officiorum?* Sequentia ex codice Regio, et Editione Romana ſunt emendata: in iis enim legitur *aequis omnibus*, melius, ut puto, quam in Editione Petri Caſtelli, *dum aequus omnibus.* quamquam, ut ingenue fatear, neque illud ſatisfacit. Sed in loco corrupto ſatius

ſemper eſt ſcriptorum codicum lectionem exprimere. Paullo poſt ſcripſi, *nihil ad ſui ſpectare tutelam*, expuncta altera negativa particula, quae gloſſa erat praecedentis. Certe ſenſus et collationis ἀκολουθία ita poſtulat. VALES. Mirum eſt poſt adeo ſeriam Caſtelli et multiplicem obiurgationem placuiſſe viro maximo hiſtoriam alienam ita interpolare, tot ſuis verbis Ammiano admiſcendis, quae nunquam ſciebat vel ab ſcriptis libris vel ab polito lectore probatum iri. Lacunam opinor feciſſe, qui loquutionem auctoris non adſequebantur, quam vide an tetigerim. Lego enim: *Imperator vero, officiorum aequis omnibus alienae cuſtos ſalutis, dum nihil non ad ſui ſpectare tutelam ratio eſt, remedia* etc. Officiorum aequa vocat, quae aliis *iuſta* dicuntur. h. e. per omnia, quae arripere poteſt non tam ad ſuam, ſed potius communem ſalutem pertinentia, circumſpiciens eam et curans. Huic Imperatori ratio eſt nihil non ad ſui ſp. tutelam. GRON.

13. *Veritatis enim abſolutus ſermo ac ſemper eſt ſimplex.*] Haec verior lectio, quam quae in retro Editionibus: *Veritatis enim ſermo eſt ſimplex.* Sic namque lib. 21, 16. 2. *Chriſtianam religionem abſolutam ac ſimplicem.* Lib. 28. *textus abſolutus.* Lib. 22. 5. *planis abſolutisque decretis.* Lib. 29. 1. *abſolute confeſſus.* Lib. 17. 5. *Veritatis oratio ſoluta eſſe debet et libera.* Eodem modo *abſolutum ingenium*, Aur. Vict. in Aurel. Anton. 15. *Neque iugi pace ac longo otio abſoluta ingenia corrumpi.* *Bene ad Ammiani phraſin Auguſtin. in Sententiis a Proſpero collectis, n. 66. *Abſolutiora ſunt verba veracium, quam commenta fallacium.* Seneca Epiſt. 49. *Ut ille ait Tragicus, Veritatis ſimplex oratio eſt.* Euripides in Phoeniſſ. v. 472. ἁπλοῦς ὁ μῦθος τῆς ἀληθείας ἔφυ. Vid. Ciceron. Κοὐ ποικίλων δεῖ τἀνδιχ' ἑρμηνευμάτων. ἔχει γὰρ αὐτὰ καιρὸν, ὁ δ' ἄδικος λόγος νοσῶν ἐν αὐτῷ, φαρμάκων δεῖται σοφῶν. LIND. Abſolutus Ammiano et aliis locis eſt planus atque perſpicuus. Sic *plana et abſoluta decreta* iunguntur XXII, 5. 2. — *Chriſtiana religio abſoluta et ſimplex* XXI, 16. 18. — *abſolute*, i. e. aperte, confeſſus XXIX, 1. 7. Sed video, Lindenbrogium plura occupaſſe. W.

14. *Cunctator.*] Boxhorn *percunctator*, cui ſuffragatur *Reineſius:* nihil enim, inquit, aliud hac perſona agit Imperator, quam ut militum de pace cum barbaris firmanda conſilium, exquirat. Vix credo. W.

Si veſtra voluntas adeſt.] Animadverte quanta civilitate et modeſtia, quamque aequo propemodum iure cum militibus agat Imperator populi Romani. Qui non contentus eos *commilitones* appellare, infra etiam *arbitros* vocat. Quippe Imperatores Rom. pacem cum hoſtibus ferire niſi conſulto prius milite non ſolebant. Cuius rei celebre exſtat exemplum in hiſtoria Dexippi de Aureliano Aug. qui Vandalos devicerat. τῇ δὲ ὑστεραίᾳ τό τε πλῆθος τῶν ῥωμαίων στρατιωτῶν αὖθις ἠθροίσθη· καὶ ἐρωμένου βασιλέως, ὅ τι σφίσι περὶ τῶν παρόντων λαῶν εἶναι δοκεῖ, βοῇ τὸ βουλόμενον σημαίνοντες σύμπαντες εἰς τὴν κατάλυσιν τοῦ πολέμου ἐχώρησαν. Apud Malchum quoque in Hiſtoria Byzantina Zeno Aug. cum militibus et ſcholaribus de inferendo bello deliberat, et his ad eos verbis utitur: ἦν οὖν ἔχετε γνώμην, παῤ ὑμῶν ἀκοῦσαι βουλόμενος νυνὶ παρεκάλεσα· εἰδὼς τῶν βασιλέων τούτους ἀσφαλῶς πράττειν, οἳ ἂν τὰ βουλεύματα τοῖς στρατιώταις κοινώσουσι. Id eſt: *Nunc igitur ut ſententiam veſtram de hoc negotio intelligerem,*

huc vos convocavi. Scio enim eos demum Imperatores tuto agere, qui conſilia ſua cum militibus communicant. Plura exempla ſuppeditabit Marcellini noſtri Hiſtoria, quae ſtudioſo lectori notanda relinquimus. VALES.

16. *Mox dicta ſinierat.*] Magis perſpicuum foret *vix*, quem ſenſum tamen in animo habuiſſe videtur Ammianus. Ern. etiam exponit: *vixdum.* — *Fortuna.* Sic repoſui litera maiuscula, nam eſt h. l. Genius, cuique homini additus, ut XX, 11. extr. XXI, 1. 1. XXX, 5. 18. W.

Fortunam in malis civilibus vigilaſſe.] Inſ. c. 11. *Fortunam* (Conſtantii) *in discordiis civilibus formidabant.* Aur. Vict. de eod. Epit. 42. *Felix bellis civilibus, externis lacrimabilis.* Eutrop. lib. X. 15. *Cuius in civilibus magis, quam in externis bellis ſit laudanda fortuna.* Vide lib. XXI. 16, 15. LIND.

Icto foedere gentium ritu.] Fortaſſis an eo ritu quem Tacitus notat lib. XII. Annal. 47. *Mos eſt Regibus, quoties in ſocietatem coëant, implicare dextras, pollicesque inter ſe vincire, nodoque perſtringere. Mox ubi ſanguis in artus extremos ſe effuderit, levi ictu cruorem eliciunt, atque invicem lambunt. Id foedus arcanum habetur, quaſi mutuo cruore ſacratum.* Non abſimili modo Iſacius Imp. cum Saracenis foedus iniit. Nicet. Choniat. lib. 11. μετὰ τοῦ τῶν Σαρακηνῶν ἄρχοντος σπείσασθαι, καὶ κατὰ τὸ παρ' αὐτοῖς περὶ φιλίας κρατοῦν ἔθιμον ἀμφοτέρους σχάσαι φλέβα τὴν ἐπιστήθιον, καὶ τὸ ἐκεῖθεν ἐκρυὲν αἷμα ἑκάτερον εἰς πόσιν ἀλλήλοις ἀντιπροπίνασθαι. *Tertull. Apolog. cap. 9. Et apud Herodotum opinor defuſum brachiis ſanguinem, ex alterutro deguſtatum nationes quasdam foederi comparaſſe.* Iul. Solin. de Scythis loquens: *Hauſtu mutui ſanguinis foedus ſanciunt, non ſuo tantum more, ſed Medorum quoque uſurpata diſciplina.* Pomp. Mela lib. II. cap. 1. IDEM.

CAPVT XI.

1. *Tanquam nodum Gordium.*] Foede hic locus antea corruptus, ſic certe legi debet, ut edidimus. Proverbium autem unde natum ſit, ſatis conſtat ex Plutarch. in Alex. Arrian. περὶ ἀναβάσ. lib. 2. c. 3. Quint. Curt. lib. 3. c. 1. *Senec. Epiſt. 88. Feſt. in Cingulo.* LINDENBR.

Tamquam nodum Gordium difficillimum.] Sic primus edidit Lindenbrogius, cum anteriores Editiones ac princeps omnium Romana, *nodum et odium*, haberent. In Regio codice ſcriptum reperi, *nodum et odiem*, perinde ut erat in Mſ. Florentino. ſed coniecturam Lindenbrogii libens ſequor: hoc tantum addo, vocem, *difficillimum*, gloſſam videri, quae a neſcio quo ſcholiaſte ad marginem adſcripta, in textum irrepſit. VALES.

effundendis rebus pertinacius incumberet confidentia] antequam Galli inſolentia ad proferendos potentiae fines progrederetur. — *tractatus publici*, rei gravioris, quae communem conſultationem poſtularet. W.

Per ſimulationem tractatus publici.] Gloſſar. Nomicum: Τραχτάτος, σκόπος. Et alibi: Τραχτάτος, ἀνακάθαρσις, σύνοψις.

Tractatum habere, l. 4. 7. 9. 12. Cod. Theod. de legat. et decret. leg. 15. C. Theod. de Episcop. LINDENBR.

Per simulationem tractatus publici, minis abiectis.] Aliter in Editione Romana et Augustana excusus hic locus habetur: *tractatus publici nimis arguentis.* Ex quo dudum conieceram scribendum esse *nimis urguentis.* Coniecturam meam codex Regius *et Tolosanus* mihi postea confirmavit, in quo diserte scriptum reperi, *nimis urgentis.* Proinde non dubitavi eam lectionem hic restituere, eiecta illa Gelenii coniectura. VALES.

2. *Praepositus cubiculi.*] v. Ind. II. — *id occurrebat* dubium obortum est. W.

3. *Spadones, quorum ea tempestate plus habendi cupiditas.*] Alente nimirum eorum avaritiam audaciamque Constantio, cui in deliciis erant, ut Aurel. Vict. ait. Inoleverat enim foedissimus iste mos, a Persis perlatus ad Romanos, ut non solum gynaeceis adhiberetur tertium hoc genus hominum, sed Imperii quoque et aulae curis. Ita de Eutropio Eunucho Claudian. lib. 1. 142.

> — — *qui servi non est admissus in usum,*
> *Suscipitur regnis: et quem privata ministrum*
> *Dedignata domus, moderantem sustinet aula.*

Horum infensissimus hostis erat Alex. Sever. in cuius vita haec Lamprid. c. 17. et 34. *Eunuchos de ministerio suo abiecit, et uxori ut servos servire iussit. Et quum Heliogabalus mancipium eunuchorum fuisset, ad certum numerum eos redegit, nec quidquam in palatio curare voluit, nisi balneas feminarum: cum plerosque eunuchos rationibus et procurationibus praeposuisset Heliogabalus, hic illis et veteres sustulit dignitates.* Eadem mens Licinio. Aur. Vict. Epit. 41. 10. p. 572. Arntzen. *Spadonum et aulicorum omnium vehemens domitor, tineas foricesque palatii eos appellans.* LINDENBR.

spadones.] Quod hominum in genus, ut pestem aularum, non uno loco invehitur Ammianus. v. Ind. hist. Eunuchi. — *inter ministeria vitae secretioris*, interioris quippe admissionis. — *per multiplicem armaturae scientiam.* Nimis arcte accipere Valesius videtur de *saltatione in armis*, uno verbo *Pyrrhicha;* cui sententiae tamen h. l. obesse videtur τὸ *multiplicem;* armorum igitur varii generis tractandorum erant peritissimi. — *inter quotidiana proludia*, exercitationes militares. W.

Subolescere imperio adultos eius filios — per multiplicem armaturae scientiam.] Non vanus hic metus, et suspecta merito in eminentiori fortuna curiosa nimis armaturae exercitatio. LIND.

Per multiplicem armaturae scientiam.] Armatura species fuit exercitii militaris, quo milites a Campidoctoribus instituebantur in campo, ut docet Vegetius in lib. 1. et 2. seu, ut ad rem propius accedam, Armatura scientia est saltandi in armis; uno verbo Pyrricha. Vetus interpres in Ptolemaei Tetrabiblum lib. 4. ὁπλορχηστὰς, οἵπερ εἰσὶν οἱ μεθ' ὅπλων ὀρχούμενοι, οὓς καλοῦσιν ἀρματούρας. Armaturas intelligit milites, qui sub Campidoctore erant, et armaturae artem discebant. Nam olim quidem cuncti milites armaturae artibus instituebantur. Postea vero soli ex eo dicti Armaturae (ii erant inter principia legionis) ea exercitatione imbui coepere, teste Vegetio. Duplex porro erat armatura: altera pedestris, de quâ Marcellinus noster loquitur lib. 21. 16. §. 7. de

Constantio: *artiumque armaturae pedestris perquam scientissimus:* altera equestris, quam egregie describit Procopius in lib. 4. Gothic. sub finem, de Totila loquens moras pugnandi nectente, diemque consulto terente. καὶ αὐτὸς ὑπερφυεῖ ὀχούμενος ἵππῳ παιδιὰν ἐν μεταιχμίῳ ἔπαιζε τὴν ἐνόπλιον ἐπισταμένως· τόν τε γὰρ ἵππον ἐν κύκλῳ περιφαίσσων, ἐπὶ θάτερά τε ἀναστρέφων κυκλοτερεῖς ἐποιεῖτο δρόμους· καὶ ἱππευόμενος μεθίει ταῖς αὔραις τὸ δόρυ, ἀπ' αὐτῶν δὲ κραδαινόμενον ἁρπασάμενος, εἶτα ἐκ χειρὸς ἐς χεῖρα παραπέμπων συχνὰ ἑφ' ἑκάτερα καὶ μεταβιβάζων ἐμπείρως ἐφιλοτιμεῖτο τῇ περὶ τὰ τοιαῦτα μελέτῃ, ὑπτιάζων καὶ ἰσχιάζων καὶ πρὸς ἑκάτερα ἐγκλινόμενος, ὥσπερ ἐκ παιδὸς ἀκριβῶς τὰ ἐς τὴν ὀρχήστραν δεδιδαγμένος. Id est: *Ipse generoso insidens equo, in planitie quae inter castra sita erat, militari proludio ludebat perite. Namque et equum in orbem agitans, et altrinsecus reflectens, cursus in orbem ciebat. Et inter equitandum iactabat in auras hastam, eamdemque vibratam rapiens, tum de manu mittens in manum ac crebro permutans cum singulari peritia, dexteritatem suam ostentabat: corpus resupinans, lumbos flectens, et hac illac inclinans, utpote qui a puero Pyrricham accurate esset edoctus.* *Utramque armaturam tam pedestrem quam equestrem intelligit Themistius in oratione MS. quae inscribitur Constantius seu de humanitate. οἱ δὲ ἔτι καὶ μᾶλλον, οἷον ἤδη σοῦ θιγγάνειν δοκοῦσιν, οἱ τὴν ἐνόπλιον χορείαν διεξιόντες, καὶ τὰ κοῦφα ἐν πολλῷ σιδήρῳ σχιρτήματα, καὶ τοὺς ἐπὶ τῶν ἵππων ἐξελιγμοὺς, καὶ ἐξυμνοῦσιν εἰκότως σῶμα οὕτω διακείμενον πρὸς τοὺς πόνους ἐκ τριγονίας βασιλικῆς.* De hac equestri armatura sensit Firmicus in Sphaera barbarica, cum dicit: *Aut qui saltu quadrigas transeat, aut apprime vectus equo militares armaturas exerceat.* Itaque Scaliger in librum v. Manilii Firmicum immerito reprehendit, quod ex equo militares armaturas exerceri dixerit. Ipse potius Scaliger armatura quid esset penitus ignoravit, ut ex eius verbis liquido apparet. Ait enim: *Armatura est ὁπλοδιδαξία, et a Campidoctore in castris docebatur diebus festis.* Primo confundit armaturam cum exercitatione armorum: isque error iam notatus est a Cl. Salmasio in Notis ad Historiam Augustam. Deinde armatura non tradebatur in castris, sed in campo a Campidoctoribus: neque diebus festis, sed quotidie, ut docet Vegetius lib. 2. cap. 23. Exhibebatur quidem ab Impp. in Circo diebus festis, ut ibi Vegetius dicit, et Spartianus in Hadriano aliique testantur: sed quotidiana meditatione a militibus discebatur. Addit paullo post Scaliger: *Armaturae etiam dicebantur, cum armati currebant.* et ad eius rei confirmationem affert primo testimonium veteris Interpretis, quem quidam Proclum existimant, in Tetrabiblum Ptolemaei, quem nos supra explicavimus; deinde locum Artemidori. Quae omnia in gratiam Scaligeri una litura vellem esse deleta. Neque enim Interpres ille Tetrabibli de alio genere armaturae loquitur, quam de eo quod a Campidoctore tradebatur, ut supra ostendi. Et locus Artemidori longe alio spectat. Loquitur enim Artemidorus de sacris certaminibus, quibus Athletae certabant: eorumque certaminum ultimum esse dicit ὅπλον, id est: ὁπλίτην δρόμον, ut loquitur Pausanias in Eliacis. *Hunc Scaligeri errorem secutus est Lipsius in libro v. de militia capite XIV.* VALES.

Inter quotidiana proludia.] Proludiorum nomine omnes exercitationes militares complectitur Marcellinus. Sic in lib. 16. 5.

16. de Iuliano: *Cum exercere proludia disciplinae castrensis philosophus cogeretur ut Princeps, artemque modulatius incedendi per Pyrricham concinentibus disceret fistulis.* Et in libro 23. 6. 83. de Persis: *Militari cultu ac disciplina, proludiisque continuis rei castrensis et armaturae, quam saepe formavimus, metuendi.* Eodem sensu Vegetius prolusiones sumit in lib. 1. cap. 13. et in lib. 2. cap. 23. Hae porro exercitationes armorum quotidie fiebant, ut idem Vegetius passim inculcat. Petrus Patricius et Magister de Tullio Menophilo duce Moesiae, οὗτος δὲ δοὺξ ἦν Μυσίας, καὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν τὸν στρατὸν ἐγύμναζε. Narses quoque Eunuchus quotidie militem exercebat, teste Agathia in lib. 2. quo fortiore animo ad pugnam accederent. καὶ ἐπεῤῥώννυε τὸν θυμὸν ταῖς καθ' ἡμέραν μελέταις. VALES.

Proludia exercitus.] Restitui scripturam codicis Regii *ac Tolosani* et Rom. Editionis: *Inter quotidiana proludia exercitus consulto consilio cognitos:* quomodo hic locus laudatur alicubi a Iacobo Cuiacio V. Cl. IDEM.

4. *Aures verberarent.*] Plaut. *Amphitr. I, 1. 177.* *Dextera mihi vox aureis verberat.* LINDENBR.

Varia animo tum miscente consilia.] Huius loci emendatio cum aliis compluribus codici Regio debetur, in quo ita diserte scriptus est: *Vario animo tum miscente consilia, tandem ut optimum factum elegit.* Sed eadem manu emendatum est *variq.* In Editione Romana legebatur: *Vario animo tumescente consilia tandem dot optimum factum olegit,* Neque dubito, quin etiam in eo exemplari ex quo codex Regius est descriptus, ita exaratum fuerit. Observavi enim virum doctum, qui eum codicem descripsit, coniecturae saepius indulsisse. Proinde non veritus sum unius literulae adiectione locum hunc pristinae integritati restituere hoc modo: *Tandem id ut optimum factu elegit.* VALES.

5. *Prosper*] Et alibi apud Nostrum obvius, male inprimis audit. XV, 13. 3. — *copia rei vehicularis data*, de qua publicis curribus, clavulari cursu utendi facultate v. supra c. 6. et Ind. W.

Copia rei vehicularis.] Inf. *Vehiculis publicis usus.* — τῷ δημοσίῳ δρόμῳ χρησάμενος. Procop. Persic. 11. ἵπποις τοῖς δημοσίοις ὀχούμενος, οὓς δὴ βεγέδους καλεῖν νενομίκασι. Germ, *Herrnfuhr.* LINDENBR.

Itineribus properavit magnis.] In Mf. Florentino scribitur *properamus*, teste Lindenbrogio. Ego veram lectionem esse non dubito, *properavimus*, quam in Editione Rom. et codice Regio *ac Tolosano* postea reperi. Ammianus enim noster iamtum cum Ursicino in Oriente versabatur, ut ipsemet docet paullo supra his verbis: *Interea a Nisibi quam tuebatur Ursicinus accitus, cui nos obsecuturos iunxerat imperiale praeceptum.* Eundemque haud multo post secutus est in Gallias, cum ad opprimendum Silvanum illuc a Constantio missus esset. Inde cum eodem rursus ad Orientem transivit. Hinc est, quod tantopere illum ubique laudat. VALES.

6. *Caenos Gallicanos.*] Huius stationis mentio fit in Itinerario Antonini: *Totaio m. passuum* 28. *Dablis m. p.* 28. *Caenum Gallicanum m. p.* 18. *Dadastana m. p.* 21. Ex Galatia igitur in Bithyniam venientibus prima haec statio occurrebat. IDEM.

Digitized by Google

Caenos Gallicanos.] Itinerar. Anton. ap. Weſſeling. p. 141. habet Coenon Gallicanon (quae et aliis in locis ſcribendi diverſitas occurrit, v. ad Eutropium IX, 6. p. 687. Tzſchuck.) eſtque, uti ex Ammiano ipſo videre licet, prima ſtatio e Galatia in Bithyniam proficiſcentibus. — *febrium.* Plur. Sic ſemper et aliis locis Noſter, more illius aetatis, ſcriptorum inprimis eccleſiaſticorum. W.

7. *ſatisfactionem*] excuſationem. cf. XX, 4. 16. competenti ſatisfactione purgabo. W.

8. *Perfidia proximorum ratione bifaria deferebatur, quod.* etc.] Huius lectionis auctor fuit Sig. Gelenius. Nam in Editione Rom. et Regio codice legitur: *Perfidiam prox. ratione bifaria ferebatur.* Unde non dubito, quin veriſſima ſit ea lectio, quam ex Mar. Accurſii Editione reſtitui. VALES.

9. *mente obliqua*] non recta et aperta, ſed maligna, ſuſpicioſa, inſidiarum plena. Sic verba obliqua XV, 5. 4. literae per ambages obliquas ſcriptae XXIX, 1. 35. — *vaſtitas* devaſtatio, uti XXX, 9. 1. W.

10. *Diocletiano et eius collegae*] Maximiano Herculio. *Caeſares ut adparitores,* miniſtri, ſatellites, XVII, 11. 1. XX, 8. 6. XXVI, 4. 3. (cf. Spanhem. ad Iuliani Opera 146. 290.) *ultro citroque discurrentes,* promte et alacriter, quocunque mitterentur, properantes — *in Syria Diocletiani traſcentis — Galerius purpuratus* (nam et Caeſaribus purpura licuit uti). Idem narrat Eutropius IX, 24. irae quoque cauſam addens, quod inconſulte magis, quam ignave dimicaſſet Galerius. cf. et Tillemont IV. p. 60. W.

Ut apparitores Caeſares.] Inf. lib. 17. 11. *Erat enim neceſſe tanquam Apparitorem Caeſarem ſuper omnibus geſtis ad Auguſti referre ſcientiam.* Sic enim locum illum ex Mſ. reſtituimus. Lib. 26. 4. de Valente in participatum Imperii adſumto: *In eodem vehiculo ſecum reduxit, participem quidem legitimum poteſtatis, ſed in modum Apparitoris morigerum.* Lib. XX. 8. Iulianus iam Auguſtus a militibus appellatus, ſic ad Conſtantium ſcribit: *Currentium ex voto proſperitatum nuntiis crebris, ut Apparitor fidus aures implevi.* LIND.

Auguſti vehiculum traſcentis per ſpatium mille paſſuum fere pedes antegreſſus eſt Galerius.] Ruf. Feſt. in Breviar. c. 25. *Maximianus Caeſar, prima congreſſione cum contra iunumeram multitudinem cum paucis acriter dimicaſſet, pulſus receſſit. Hoc tanta a Diocletiano indignatione ſuſceptus eſt, ut ante carpentum eius per aliquot millia paſſuum cucurrerit purpuratus,* Eutrop. lib. IX. 24. LINDENBR.

Auguſti vehiculum pedes antegreſſus eſt Galerius.] Galerius Maximianus inter Callinicum Carrasque congreſſus cum Perſis, longe militum numero ſuperioribus, victus receſſit. Et ad Diocletianum profectus, cum ei in itinere occurriſſet, tanta inſolentia fertur a Diocletiano exceptus, ut per aliquot paſſuum millia purpuratus tradatur ad vehiculum eius cucurriſſe, ut ſcribit Eutropius et Rufus Feſtus c. 25. Et hoc primum fuit praelium quo Galerius cum Perſis dimicavit, teſte Rufo Feſto ac Zonara atque Eutropio. Sed Eutropii verba aliquantisper obſcura ſunt, unde erroris anſam tum Oroſio, tum auctori Miſcellae hiſtoriae praebuere. Sic enim ſe habent: (cf. ibi Tzſchuckium) *Galerius Ma-*

ximianus primo adverſum praelium, exin ſecundum habuit: inter Callinicum Carrasqne congreſſus, etc. Quibus verbis Eutropius primum illud praelium deſcribit, ut dixi: tum deinde alterum ſubiicit, quo Galerius in Armenia maiore Perſas debellavit. At Oroſius quidem in libro 7. 25. haec Eutropii verba ſic accepit, ut quater cum Perſis conflixerit Galerius: auctor vero hiſtoriae Miſcellae verbis Eutropii interpolatis, tria Galerii adverſus Perſas praelia poſuit, cum tamen duo tantum fuerint. VALES.

11. *Advenit poſt multos Scudilo.*] In Codice Regio prius quidem ſcriptum fuit: *Poſt multos Cudiculo.* Sed emendatum eſt eadem manu: *Poſt multo Scudilo.* Quae lectio minime displicet, ita tamen, ut vulgatam non damnem. IDEM.

velamento ſubagreſtis ingenii] ruſticitatis morumque inconditorum. — *adulabili*, cf. XXXI, 12. 7. — ſaepius *replicando* i. e. repetendo, quo ſenſu plurib. locis ap. Noſtrum. — *Arctoae.* Amat in his Graeca verba Ammianus, uti *Eoa* pro orientali. W.

12. *Utque ſolent manum iniectantibus fatis hebetari ſenſus.*] *Velleius Paterc. lib. 2. c. 51. *Ineluctabilis fatorum vis, cuius fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* Vide ipſum locum. lib. 2. c. 118. *Ita ſe res habet, ut plerumque fortunam mutaturus Deus conſilia corrumpat.* Mar. Victor. Maſſil. in Geneſ. lib. 3. p. 69.

*Servavit morem iuris ſententia recti.**

Lycurgus contra Leocrat. p. 219. ed. Hauptm. Οἱ θεοὶ οὐδὲν πρότερον ποιοῦσιν, ἢ τῶν πονηρῶν ἀνθρώπων τὴν διάνοιαν παράγουσι. In quam rem ſequentes laudat verſus:

Ὅταν γὰρ ὀργὴ δαιμόνων βλάπτῃ τινά,
Τοῦτ' αὐτὸ πρῶτον ἐξαφαιρεῖται φρενῶν
Τὸν νοῦν τὸν ἐσθλὸν, εἰς δὲ τὴν χείρω τρέπει
Γνώμην, ἵν' εἰδῇ μηδὲν ὧν ἁμαρτάνει.

Pub. Syrus in Iamb. *Stultum facit fortuna quem vult perdere.* LINDENBR.

Utque ſolent manum iniectantibus fatis hebetari ſenſus.] Haec fuit opinio veterum pene omnium, quae multis exemplis, tum ex ſacra, tum ex profana hiſtoria petitis confirmari poteſt. Eleganter Velleius in lib. 2. *Sed profecto ineluctabilis fatorum vis cuiuscunque fortunam mutare conſtituit, conſilia corrumpit.* et multo poſt c. 118. de Quintilio Varo: *Sed praevalebant iam fata conſiliis, omnemque animi eius aciem praeſtinxerant. Quippe ita ſe res habet, ut plerumque fortunam mutaturus Deus, conſilia corrumpat.* VALES.

manum iniectantibus fatis.] Mire dictum, ait Erneſti in Gloſſ. ſed cum apud Ciceronem pro Sextio 43. (et alibi) etiam homines *fata* (i. e. peſtes, peſtiferi) dicantur, eo minus mirum, talia fatis attribui. Docte quidem, ſed brevius defungi pollis ita: *Fata* ſunt *Parcae*, Μοῖραι. Sic *tria fata* apud Appuleium de mundo, extr. Gellium III, 16. *Spanhem.* Preuves de Remarques ſur les Céſars de l'Empereur Iulien p. 59. *Ruhnken.* ad locum Velleii a Valeſio laudatum, et *Manſo Verſuche über einige Gegenſtände aus der Mythologie* S. 505. ff. W.

De fumo in flammam.] Idem proverbium lib. XXVIII. 1. *Epiphan. contra Haereſes lib. 2. tom. 2. γέγονε αὐτοῖς τοῦτο

κατὰ τὴν παροιμίαν, ὅτι Φεύγοντες τὸν καπνὸν εἰς πῦρ ἐνέπεσον. Suid. in τεφρώσας· μὴ τὴν τίφραν φεύγων εἰς ἀνθρακιὰν πίσῃς. Conſimile Germanor. proverbium *aus der aſche ins feur.** Leo Imp. Homilia de reſurrect. Καὶ Φεύγοντες ἀνθρακας, τὸ τῆς παροιμίας, Φλογὶ περιπίπτουσι. Euſtath. Philoſ. de amoribus Ismen. et Leucip. Diogenianus in Collectione proverb. Cent. 8. LIND.

De fumo, ut proverbium loquitur, in flammam.] Huius proverbii meminit Diogenianus, τὸν καπνὸν Φεύγων εἰς τὸ πῦρ ἐνέπεσον: cui affine eſt illud Germanici Caeſaris in lib. 1. Anthologiae: in ed. Iacobſiana reperire non potui. W.) Ἐκ πυρὸς, ὡς αἶνος, πίσεις ἐς Φλόγας. VALES.

Capiti Coracis aurigae coronam impoſuit.] Moris fuit, ut agitatores qui ludis Circenſibus vicerant, ab editore coronarentur. Quare et Imperatores quoties equeſtres ludos edebant, victores aurigas coronabant. *Ita Chryſoſtomus Homilia 12. in cap. 3. Epiſtolae Pauli ad Philippenſes. οὐχ ὁρᾶτε καὶ ἐνταῦθα, ὅτι τοὺς μάλιστα τετιμημένους τῶν ἀθλητῶν καὶ τῶν ἡνιόχων οὐ στεφανοῦσι κάτω ἐν τῷ σταδίῳ, ἀλλ' ἄνω καλέσας ὁ Βασιλεὺς ἐκεῖ στεφανοῖ. Et in Homilia 5. in Geneſim ſub finem, denique in Homilia 2. de Davide, p. 1026. Themiſtius in oratione MS. quae inſcribitur Conſtantius ſeu de humanitate, ſub finem ait, Regis nomen vel Imperatoris praemia potius quam ſupplicia deſignare; atque idcirco leges praemia quidem Imperatorum manibus, ſupplicia autem aliorum miniſterio reſervaviſſe.* Ex his intelligendus eſt locus Libanii in Oratione funebri de obitu Iuliani, Reiske T. 1. p. 592. ubi Saporem cum Conſtantio componit. ὁ μὲν (Sapor ſcilicet) αἰχμαλώτων ἠβρύνετο πλήθεσιν· ὁ δὲ (Conſtantius) τῶν ἵππων ἀμίλλαις· τὸν μὲν ἐστεφάνουν αἱ πόλεις· ὁ δὲ τοὺς ἡνιόχους. IDEM.

13. *civitatibus pervitis*] inſolite pro iis, per quas iter faciendum eſſet. Laudat Ern. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. 1. p. 929. W.

14. *Taurus.*] v. Ind. hiſt. *Quaeſtor*, h. l. militaris, qui annonas militum distribuit, ſed iurisdictionem etiam et adparitionem habuit. Plura vide ap. Vicat Vocabular. iuris p. 231. *Leontius.* XV, 7. 1. — *Lucillianus.* cf. Ind. hiſtor. *Heynium* ad Zoſimum III, 8. *Weſſeling.* Obſſ. p. 108. W.

15. *Hadrianopolim introiſſet urbem Aemimontanam Uſcudamam antehac.*] Ruf. Feſt. c. 9. *Uſcudamam, quae modo Hadrianopolis nominatur, in deditionem noſtram redegit.* Vitioſe admodum Iordanes de Regnor. Succeſſ. p. 40. Lindenbr. *Aemimontiosque debellans, Pulendenam, quae nunc Philippopolis, et Uſtudamam, quae Hadrianopolis vocatur, in Romanorum redegit dominium.* Legendum autem, *Aemimontiosque debellans Eumolpiadam, quae nunc Philippopolis, et Uſcudamam, quae Hadrianop. etc.* LINDENBR. v. et infra XXVII, 4. 12. Eutrop. VI, 10. et ibi Tzſchuck. W.

Thebaeas legiones.] Mentio huius legionis in Notit. Imperii. Bedae Martyrologio VII. Kal. Septembr. VI. Id. Octob. Gregor. Turon. de Miracul. lib. 1. cap. LXII. et LXIII. *Acta Martyrii S. Mauricii: *Erat eodem tempore in exercitu legio militum, qui Thebaei appellabantur — Ii in auxilium Maximiano ab Orientis partibus accerſiti venerant, viri in rebus bellicis ſtrenui, vir-*

tute nobiles, ſed fide nobiliores, etc. Vide Herod. lib. 3. pag. 8. LINDENBR.

Per ſtationes locat confines.] Hic locus procul dubio corruptus eſt. Neque enim Gallus Caeſar Thebaeas legiones in ſtationibus proximis collocavit, quippe cum ante Galli adventum in vicinis oppidis hiemarent teſte Marcellino. Adde quod Marcellinus ſubiungit, Gallum Caeſarem nullam videndi, vel audiendi eos facultatem furari potuiſſe. Itaque reſcribendum puto: *Sui fiducia abunde per ſtationes locati confines.* Ut ad milites Thebaeos haec referantur, qui conſortes ſuos ad Gallum miſerant, hortaturos eum, ut fretus ipſorum fide ac numero inibi remaneret. *fiducia* igitur *ſui locati*, idem valet ac *fiducia ipſorum locatorum.* Quae locutio durior quidem eſt, ut fateor, ſed nihilominus videtur vera. *Notitia Imperii ſub Magiſtro militum per Thracias Thebaeos collocat. VALES.

16. *decem vehiculis publicis.*] Eo, quod tam pauca vehicula non ſuppetebant ad totum Galli comitatum avehendum, Conſtantius tacite innuere voluit hoc, ut maxima pars relinqueretur, uti recte monet Ritter ad Guthrium T. v. p. 36. *relicto palatio omni* palatinis — *tori miniſtros et menſae,* qui, quae ad victum nocturnaque deverticula neceſſaria eſſent, curarent. W.

17. *per inducias naturae conquieſcentis.*] Haud inepta translatio: dum mentem aliquantisper colligeret. W.

18. *Solutus enim corporeis nexibus animus.*] Hoc Peripateticorum dogma eſt. Aiunt enim Peripatetici, animum interdiu quidem circumplexum corpori miniſtrare, nec veritatem ſincere intueri poſſe: noctu vero ſolutum a corporis miniſterio, ac veluti in orbem collectum circa pectus, proſpicere futura, unde et ſomnia exiſtunt, teſte Aeliano in lib. 3. Variae Hiſt. cap. XI. Sane haec opinio fuit Ariſtotelis, ut docet Sextus in lib. 8. adverſus dogmaticos initio: ὅταν γὰρ, φησὶν, ἐν τῷ ὑπνοῦν καθ' ἑαυτὴν γενήσεται ἡ ψυχὴ, τότε τὴν ἴδιον ἀπολαβοῦσα φύσιν προμαντεύεταί τε καὶ προαγορεύει τὰ μέλλοντα. Id eſt: *Nam cum in ſomnis animus liber eſt ac ſui iuris, tum propria quaſi poſtliminio recuperata natura praeſagit, ac praedicit multo ante ventura.* Id autem explicabat Ariſtoteles ac Peripatetici, non ut ſomniandi cauſa extrinſecus immitteretur a Deo, ſed ut in animis noſtris quiddam natura ineſſe diceret, quod eos ita afficeret, ac moveret. Quippe omnem a Deo profectam vaticinationem removebat Ariſtoteles, ut docet Origenes contra Celſum. Vide Artemidorum in libro 1. cap. 7. ab iis verbis, θεόπεμπτα δὲ λέγω, οὐχ ὡς Ἀριστοτέλης, etc. ſic enim emendanda ſunt: et in libro 4. cap. 3. et 61. ubi ſomnia animi opus eſſe, inde ait apparere, quod ſapientibus quidem ſapientia ac φιλόλογα, contraria autem idiotis eveniunt. *Eadem eſt opinio Xenophontis in libro VIII. de inſtitutione Cyri pag. 237. (c. 7, §. 21.)* IDEM. Cf. Wopkenſ. Lectt. Tullian. p. 253. W.

Animus ſemper vigens motibus indefeſſis.] Eamdem cauſam ſomniorum affert Philo in lib. 2. allegoriarum his verbis: πολλάκις νύκτωρ οὐδεμιᾷ τῶν αἰσθήσεων ἐνεργούντες, ἀτόπους περὶ πολλῶν καὶ διαφερόντων λαμβάνομεν ἐννοίας, τῆς ψυχῆς ἀεικινήτου ὑπαρχούσης καὶ μυρίας τροπὰς ἐνδεχομένης. *Saepenumero noctu cunctis ſenſibus quietis ac tacitis, mirae quaedam de multis rebus atque diverſis cogitationes ſubeunt, idcirco quod animus*

Digitized by Google

noſter ſemper in motu eſt, et innumerabiles ſuſcipit converſiones. Unde et Artemidorus ſomnium definit, motum aut conformationem animi multiplicem, ſignificantem futura: ὄνειρος κίνησις ἢ πλάσις ἐστὶ τῆς ψυχῆς πολυσχήμων, σημαντικὴ τῶν ἐσομένων ἀγαθῶν ἢ κακῶν. VALES.

Cogitationibus ſubiectus et curis.] Codex Regius * et Toloſanus * cum Editione Rom. habent, *ſubiectis*, unde libens efficerem *abiectis*. IDEM.

Viſa nocturna quas phantaſias.] * A. Gellius lib. 19. cap. 1. ex Epicteto Arriani: *Viſa animi, quas Φαντασίας Philoſophi appellant.* * Boëtius Dialog. 11. in Porphyr. *Has mentis conſiderationes, quae a rerum ſenſu ad intelligentiam profectae, vel intelliguntur, vel certe finguntur, Φαντασίας Graeci dicunt, a nobis viſa poterunt nominari.* Quam *phantaſiam* Ammianus et Boëtius vocant, Macrobius *phantaſma* dixit: cuius verba commode huc pertinent, lib. 1. cap. 3. in Cicer. *Φάντασμα, hoc eſt viſum, cum inter vigiliam et adultam quietem, in quadam (ut aiunt) prima ſomnii nebula adhuc vigilare ſe exiſtimans qui dormire vix coepit, adſpicere videtur irruentes in ſe vel paſſim vagantes formas, a natura ſeu magnitudine ſeu ſpecie diſcrepantes.* Suid. ſic diſtinguit: Φάντασμά μὲν γάρ ἐστι δόκησις διανοίας, οἷα γίνεται κατὰ τοὺς ὕπνους, Φαντασία δὲ τύπωσις ἐν ψυχῇ. Vid. Nemeſ. Epiſc. περὶ Φύσεως ἀνθρώπου, cap. VII. LIND.

19. *Itineribus rectis per mutationem iumentorum emenſis.*] In Editione Rom. legitur: *itineribus eiectis permutationem ium. em.* neque aliter Regius codex. At Sigiſ. Gelenius qui Baſilienſi praeſuit Editioni, ſic edidit hunc locum: *Itineribus interiectis per mutationem ium. emenſis.* Cui longe meo quidem iudicio praeferenda eſt lectio Editionis Auguſtanae, quae eſt huiusmodi: *Itineribus interiectis permutatione ium. emenſis.* Nam et in libri 15. initio Marcellinus ſic loquitur: *Raptos eius calceos vehens equorum permutatione veloci.* Et Syneſius in Epiſtola ad Petrum Presbyterum: καὶ ἀμοιβῇ ζώων ἐφ' ἑκάτερα πέμψατε. Id eſt: *Equorum permutatione ultro citroque mittite.* ὁ ἀδοχὲς ὀρέων appellat Libanius in tomo 2. Orationum non ſemel. VALES. Quanto ſimplicius, *Itineribus electis per mutationem iumentorum emenſis?* GRONOV.

* *Petobionem opidum Noricorum.*] Nunc dictum *Pettavv* ad flumen Dravum. * VALES.

Petobionem (Pettau in Stiria) *Noricorum*, quorum fines inde a Stiria meridiem verſus ad Savum, ad Orientem usque ad lacum Poiſo in Hungaria, verſus Occidentem ad Rhaetos et Vindelicos, ſeptentrionem verſus ad Boios usque patebant. v. *Mannert* T. III. p. 605. W.

20. *Armatis omnes circumſedit.*] Emendatum eſt ex codice Regio, *omne circumdedit:* cui lectioni in parte ſubſcribit Editio Rom. et Auguſtana, quae ſic habent: *Armatis omne circumſedit.* VALES.

carpento privato,] nam curſus publicus Polam non tetigit. — *Pola* hodie *Fiannone* in Illria, qua Venetis nuper paruit. Ceterum de tempore, quo Gallus interfectus, accuratius egit Tillemontius T. IV. P. 2. p. 1121. — *Criſpum, Conſtantini*

filium, ex Minervina concubina ſuſceptum. Rem omnem ex variis ſcriptoribus uberius expoſuit *Gibbon* IV. 163-172. *W.*

Ad Iſtriam duxit prope oppidum Polam.] *Vid. Scalig. ad Euſeb. p. 234.* In inſula Flanone, vel, ut alii legunt, Flavone, interfectum ſcribunt. Socrates lib. 2. cap. 34. περὶ Φλάνωνα τὴν νῆσον. Sozom. lib. 4. cap. 7. ἤδη δὲ παρὰ Φλάβωνα τὴν νῆσον γενόμενος ἀνῃρέθη. Caſſiodor. Hiſtor. Trip. lib. v. cap. x. *Cum contra inſulam Flaconenſem veniſſet, eum illic Conſtantius praecepit interimi.* Hiſtoria Miſcell. Falconenſem vocat lib. xi. Polae civitatis meminit Stephanus et Strabo lib. vii. LINDENBR.

Prope opidum Polam.] Iuxta inſulam Flanonam ſive Flavonam occiſum eſſe Gallum ſcribit Socrates ac Sozomenus. Idatius in ipſa inſula Flanona peremptum prodit. Auctor Chronici Alexandrini ἐν ἴσῳ τῇ νήσῳ id accidiſſe dicit. (Iſſam forte voluit dicere.) Eſt autem Flanona non inſula quidem, ſed maritima civitas, in ora Liburniae poſita non procul a Neſactio. Neſactium autem iuxta Polam teſte Plinio ac Ptolemaeo. Unde Italiae finem alii Polam eſſe dicunt, inter quos eſt Strabo; alii Neſactium, ut Ptolemaeus VALES.

Opidum Polam.] Pola colonia Iulia pietas dicta eſt teſte Plinio: quod confirmat etiam auctor Panegyrici Flavienſium nomine Conſtantino dicti in fine: *Bibracte quidem hucusque dicta eſt Iulia, Pola, Florentia: ſed Flavia eſt civitas Aeduorum.* In vulgatis Editionibus legitur confuſe, *Iulia, Polla, Florentia*: quaſi Bibracte hic omnibus cognominibus affecta eſſet. IDEM.

Ubi peremptum accepimus Criſpum.] Hunc a Fauſta noverca delatum, quaſi ipſam de ſtupro ſollicitaſſet, inſontem occidi iuſſit Conſtantinus anno Chriſti 326. Conſtantino VII. et Conſtantio Caeſare Coſſ. ut ait Idatius in Faſtis, cum ipſe Romae reſideret, teſte Zoſimo lib. 2. c. 29. Moxque ob id ſcelus ab Helena matre increpitus, Fauſtam balneo calenti incluſam necavit, ut refert Zoſimus et Sidonius. At Chryſoſtomus in Homilia 15. in Philippenſes, Conſtantinum ait uxorem quidem adulterii ſuſpectam, ex qua multos liberos Caeſares habebat, in montibus alligaſſe, ac beſtiis vorandam obieciſſe: filium quoque ab eodem occiſum eſſe, ſeu potius ab eius fratre. Nam licet eo loci neminem nominet, conſtat tamen eum de Conſtantino loqui. IDEM.

21. *propinquantis exitus.*] Quoniam *exitum* ſic abſolute nec Ammianus (nam xix, 2. 4. eſt exitus *vitae*) nec alii uſurpant, Gronovius Praef. p. xxv. mavult exitii. — *praeſepultus* eſt etiam ap. Quintilianum Declam. ix, 23. — *Pentadius* eam ipſam ob cauſſam poſtea in iudicium vocatus. xxii, 3. 5. *W.*

Armaturarum Tribunus.] Armaturae milites fuere in comitatu Imperatoris. Horum duae Scholae in Notitia Imperii recenſentur, ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum: Armaturae ſcilicet ſeniores, et Armaturae iuniores. Ab his diſtinguendi ſunt Armaturae, quos Vegetius inter principia legionum, ſeu principales milites numerat in lib. 2. cap. 7. de quibus ſupra aliquid memini dicere. VALES.

22. *Adraſteo pallore.*] Adraſteum pallorem dixit ab Adraſto Talai filio Argivorum Rege, qui omnium mortalium infeliciſſimus fuit, utpote qui ambos generos in bello occidi vidit. Alii for-

Digitized by Google

taſſe pallorem Adraſteum ab Adraſtea dictum eſſe exiſtimabunt, de qua Marcellinus noſter inferius diſſerit: ſed alteram explicationem magis probo. VALES. Non erat neceſſaria huius ambiguitatis doctrina. Nam Marcellinus finxit hunc ſuum ſermonem ex Virgilio VI. Aeneid. 480. *Hic illi occurrit Tydeus, hic inclytus armis Parthenopaeus, et Adraſti pallentis imago.* quem locum video ab patre etiam hic adnotatum. GRONOV.

Alexandrum Magnum cet. Totam narratiunculam fortaſſe non ipſius Ammiani, ſed interpolatoris cuiusdam eſſe ſuſpicari poſſis, cum omnia tam laevia atque facilia ſint, nihilque Ammianei habeant tumoris, eaque reſecta ſequentia cum antecedentibus aptius nectantur. W.

Eum ſe per novem menſes.] Adſimile, quod narrat Arrian. Expedit. lib. VII. p. 290. ed. Gronov. Ἐπεὶ οὐδὲ ἐπαύοντο Ἀλεξάνδρῳ γράφοντες, ὁ μὲν τὴν αὐθάδειάν τε τῆς Ὀλυμπιάδος καὶ ὀξύτητα, καὶ πολυπραγμοσύνην, ἥκιστα τῇ Ἀλεξάνδρου μητρὶ εὐσχήμονα, ὥστε καὶ λόγος τις τοιόσδε ἐφέρετο Ἀλεξάνδρου, ἐφ' οἷς ὑπὲρ τῆς μητρὸς αὐτῷ ἐξηγγέλλετο, βαρὺ δὴ τὸ ΕΝΟΙΚΙΟΝ ΤΩΝ ΔΕΚΑ ΜΗΝΩΝ εἰσπράττεσθαι αὐτοῦ τὴν μητέρα. LIND.

23. *Eum capitali ſupplicio deſtinavit.*] Zonaras citra iuſſum Conſtantii occiſum eſſe Gallum memorat. Nam cum eum Caeſaris dignitate ſpoliatum primo tantum relegaſſet, poſtea incitatus a proximis miſit, qui eum interficerent. Mox poenitentia ductus datis literis interfectores revocavit. Sed Euſebius Cubiculi Praepoſitus, ut literae caede demum peracta redderentur, curavit. Ceterum de hac Conſtantii crudelitate ſic Chryſoſtomus in eo loco quem ſupra notavi: τῶν παίδων δ' αὐτοῦ ὁ μὲν ἑαυτὸν ἀνεῖλεν· ὁ δὲ τὸν ἀνεψιὸν τὸν αὐτοῦ, κοινωνοῦντα τῆς βασιλείας αὐτῷ, ἣν αὐτὸς ἐνεχείρισε. VALES.

cervice abſciſſa.] Arntzenius ad Aur. Victor. p. 288. malit *abſciſa*. Rectius omnino, ſed voces iſtae innumeris locis permutatae. W.

24. *Gallum actus oppreſſit crudelis.*] Emendavi ex codice Regio *et Toloſano,* *actus oppreſſere crudeles.* Cui lectioni favet Editio Romana, in qua ſcriptum eſt, *actus oppreſſe crudelis.* Petrus Caſtellus ediderat: *Gallum obitu oppreſſit crudeli.* Quam eius coniecturam et Accurſius, et Gelenius amplexi ſunt. VALES.

Cruciabili morte abſumti ſunt, qui eum l. n. blandis palpantes periuriis.] Diſcant hinc parcius fallere, qui fidem ſuam ſacramenti religione obligatam, ridendo violare non verentur, ut alios pedicis luctuoſis illigent. Quod licet pro Principis ſalute fiat, res ipſa tamen clamat iurisiurandi contemtam ſanctitatem Deum ſeveriſſimum ultorem habere. LIND.

deſtillatione iecoris,] quo eodem morbo laboravit Octavianus Aug. Sueton. c. 81. eumque arthritidem ad interiores partes reiectam fuiſſe exiſtimat *Moehſen* de archiatris primorum Imperatorum in *Beſchr. einer Berliniſchen Medaillen-Sammlung* S. 246. — *pulmones vomitans.* Reineſius adſcripſerat: „Forte melius *et pulmonis vomica*, vel *pulmonem vomicans.* Chiffletius Daedalmatum Lib. I. c. 14. mavult *ichoris.*“ W.

Anima in lacrimoſo obitu parentavit.] Vox *anima* videtur eſſe gloſſema vocis antecedentis. Ita ſcribendum puto; *Ex-*

ſtincti per fallacias Caeſaris manibus lacrymoſo obitu parentavit. ſic in libro 15. 8, 6. *Velut impiis eorum manibus Rom. ſanguine parentantes.* Apuleius in lib. 8. p. 206. l. 37. Elmenh. *Et ſanctis manibus eius iſtis oculis parentabo.* Denique Hyginus in Aſtronomico Poëtico: *Cui mortuae canis ſpiritu ſuo parentavit.* In Regio * et Toloſano * codice totus hic locus legitur hoc modo: *Animam lacrymoſo obitu parentavit.* VALES. Latinae linguae ratio manifeſta eſt. Sed ita leviter eiicere per cauſam gloſſae, quicquid ſanare nequeas, non placet. Video patrem adſcripſiſſe editioni Lindenbrog. f. *non minus ludibrioſo.* Hanc enim vocem habet Lindenbrogius et alii ante eum, in qua miror Valeſium tacere nil nili *lacrimoſo* agnoſcentem. Sed ſtilus Ammiani eſt et omnium huius temporis, *extincti per fallacias Caeſaris manibus, nimium ludibrioſo*, vel *lacrimoſo*, ſi ita eſt in antiquis libris, o. *p.* GRONOV.

25. *Adraſtria — quam vocabulo duplici etiam Nemeſin.*] Ariſtot. de Mundo p. 293: Νέμεσιν ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως, Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν. Quae ſic interpretatur Apuleius p. 75. l. 36. Elmenh.: *Nemeſin, quod unicuique adtributio ſua ſit adſcripta. Adraſtia eadem, quaſi ineſſugibilis neceſſitas ultionis.* Vide Phornut. περὶ θεῶν φύσεως cap. VIII. Suid. in Ἀδράστεια. *De Adraſtia multis agit Proclus in Theolog. Platon. lib. 4. cap. 6. p. 205. etc.* LIND.

Humanarum mentium opinione Lunari circulo ſuperpoſitum.] Ocellus Lucan. περὶ τῆς τοῦ παντὸς φύσεως cap. 2. Euſeb. de Praepar. lib. 3. cap. 3. IDEM.

Subſtantialis tutela.] Sic lib. XXI, 1, 8. *Subſtantiales poteſtates.* Intelligit utrobique daemonia ſive angelos. Chalcidius in Platon. Timaeum, p. 97. *Poteſtatibus abſequium caeli praebentibus, etiam terrena curantibus, quae Poteſtates aetherei aëreique ſunt daemones, remoti a viſu noſtro et ceteris ſenſibus.* Neque aliter Graeci, qui ἀοράτους οὐσίας et δυνάμεις ἀοράτους καὶ ἐπουρανίους poteſtates haſce vocant. Theodoret. contra Graecos Orat. III. de Angelis. *Iſidorus lib. VII. cap. proprie Poteſtates de bonis Angelis intelligit. *Poteſtates ſunt, quibus virtutes adverſae ſubiectae ſunt, et inde Poteſtatum nomine nuncupantur, quia magni ſpiritus eorum poteſtate coërcentur, ne tantum mundo noceant, quantum cupiunt.** IDEM.

Partilibus praeſidens fatis.] Varie hunc locum alii, qua emendare, qua interpretari conati ſunt, quorum errorem tacere, quam repetere ſatius eſt. Certum enim *partilia fata* Ammian. vocare, *quod fatum, prout Mars vel Saturnus Mercuriusve in horoſcopo partiliter conſtitutus eſt, vires quoque ſuas inde accipiat:* vel etiam quod tria cum ſint fata, partiliter quoque ſingulis diviſa ſint et diſtributa: ut μοῖραι a Graecis, ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι καὶ κατανενεμῆσθαί τινα ἡμῶν ἑκάστῳ, ut ex Chryſippo refert Theodoret. contra Gent. Orat. de Provident. Vide Phornut. περὶ θεῶν, cap. XIII. Fulgent. Mytholog. lib. 1. IDEM.

Theologi veteres.] Etiam libro XXI. (14, 3. XVI, 5, 5.) Theologicae doctrinae, et Poëtae veteres Theologique laudantur. Theologiam Graecus error eam Philoſophiae partem vocabat, quae ad contemplationem Dei, atque ad animi incorporalitatem indagatione componitur. Boëth. in Porphyr. lib. 1. Et a Porphyrio ipſo

non

non raro adducuntur τὰ τῶν θεολόγων: a quo etiam Seleucus Theologus laudatur περὶ ἀποχῆς ἐμψ. lib. 2. p. 34. Democritus quoque ad Magos profectus fuerat, Theologiae myſtica ab eis ut addiſceret. Diogenes in Democrito IX, 7.* Hinc Orpheus, Muſaeus, Linus Theologi audiebant, quia in operibus ſuis ſecretiora quaedam de Diis et rebus ſacris tractabant. Vide Auguſt. de Civit. Dei lib. 18. cap. 14. Euſeb. Pamph. de Praeparat. Evang. qui copioſe paganam Theologiam impugnant. LINDENBR.

Fingentes Iuſtitiae filiam.] Heſiodus in Theogonia 223. Nemeſin Noctis filiam facit:

Τίκτε δὲ καὶ Νέμεσιν πῆμα θνητοῖσι βροτοῖσι
Νὺξ ὀλοή.

Smyrnaei quoque, apud quos Nemeſes praecipuo honore cultas accepimus, eas Nocte ſatas eſſe dicebant, ut teſtatur Pauſanias in Achaicis VII, 5. Fac. T. II. p. 250. quod quidem idcirco veteres Theologi videntur mihi finxiſſe, quod fata hominum in abſtruſo latent. Nemeſis enim nihil aliud eſt quam ſors cuiusque. Unde etiam idem Heſiodus Parcas, quas Latini quoque Fata appellabant, Noctis filias fingit. Nihil tamen obſtat, quo minus etiam Iuſtitiae filia dicta ſit Nemeſis. Etenim priſci illi Theologi, qui per ambages et allegorias loquebantur, uni eidemque numini diverſos ſaepe parentes aſſignabant, quemadmodum apparet in libris Tullii de natura Deorum. Et Heſiodus in Theogonia cum Parcas Noctis filias dixiſſet, nihilo minus easdem paullo poſt Themidis filias facit. In quo minime putandum eſt, eum ſui oblitum pugnantia loqui: ſed potius diverſam vim numinis ea re ſignificari. Nam quod Noctis filias fecit, occultam eſſe mortalibus providentiam numinis denotat, ut ſupra dixi. Quod vero Themidis filiae poſtmodum dicuntur, ſignificat iuſtitiam numinis, ſingulis pro merito cuiusque poenas aut praemia tribuentem. Idem ſentiendum eſt de Nemeſi, cum Iuſtitiae filia dicitur. νέμεσις enim dicta eſt ex eo quod ſuum cuique tribuat, ἀπὸ τοῦ τὰ ἴσα νέμειν ἑκάστῳ: unde Iuſtitiae nuntia vocatur a Platone in lib. 4. de rep. Eleganter Dio Chryſoſtomus in Orat. 64. de Fortuna Reiske II, 330. ὠνόμασται δὲ, inquit, ἡ τύχη πολλοῖς τισιν ἐν ἀνθρώποις ὀνόμασι· τὸ γὰρ ἴσιν αὐτῆς Νέμεσις, τὸ δὲ ἄδηλον ἐλπὶς, τὸ δὲ ἀναγκαῖον μοῖρα, τὸ δὲ δίκαιον θέμις. *Fortuna autem variis nominibus a nobis appellatur: aequitas enim, eius Nemeſis dicta eſt; incertitudo Spes; neceſſitas Parca; iuſtitia Themis.* VALES.

Iuſtitiae filiam ex abdita quadam aeternitate tradunt deſpectare terrena.] Demoſth. κατ' Ἀριστογείτ. Orat. I. τὴν ἀπαραίτητον καὶ σεμνὴν δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς καταδείξας Ὀρφεὺς παρὰ τὸν τοῦ Διὸς θρόνον φησὶ καθημένην, πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾷν. Ariſtid. in Legat. Orpheus carm. in Nemeſin. LINDENBR.

Inſerit Ammianus philoſophema de *Adraſtea* ſ. *Nemeſi*, in quo ſi elocutionis obſcuritate philoſophi laus cenſenda eſt, proecto haud infimum inter aetatis noſtrae philoſophantes locum obtinuiſſet. Tenebras iſtas an ubique feliciter diſſipaverim, ipſe, fateor, dubito. Ut vero taedium et mihi et lectoribus minuerem, praeſtantiſſimum illum *Meſomedis* hymnum contuli in Anthologia Graeca (*Brunck* T. II. p. 292. *Iacobs* T. III. p. 6.) ſervatum, ab

Herdero in commentatione de Nemeſi (zerſtreute Blätter Th. 2. S. 238.) in linguam Teutonicam converſum, doctiori vero Commentario illuſtratum a Cel. Iacobs Animadv. Vol. II. P. 2. p. 341. ſſ. — Sed audiamus Ammianum: *Adraſtia* ab Adraſto, rege Argivorum, quem primum aram ei conſtituiſſe ex Antimacho narrat Strabo XIII. p. 588. alii tamen aliter. — *praemiatrix*, qua voce Latium donavit Ammianus — *vocabulo duplici* alio *appellamus Nemeſin.* — *ius quoddam ſublime* coeleſte (uti XXVI, 1. 8. ſol perenni rerum *ſublimium* lege ad eundem redit ordinem) *numinis efficacis* Deae potentis *lunari circulo ſuperpoſitum* (nam cum genus humanum ad ſummam ſenſim improbitatem eſſet prolapſum, *Nemeſis* cum Pudore terram reliquiſſe, et in altioris aetheris regiones (Olympum) avolaſſe dicitur. Heſiod. Ἔργα v. 198.). Si inutilium demas verborum involucra, nihil habebis, niſi hoc: Nemeſis eſt Dea coeleſtis, iuſtitiam potenter adminiſtrans. — *Vel*, pergit Philoſophus, *ut alii definiunt, ſubſtantialis tutelae* (cf. XXI, 1. 8. ſubſtantiales poteſtates) *generali potentia partilibus praeſidens fatis*, h. e. natura intelligens, daemon, genius aeque omnibus, quod iuſtum eſt, dispenſans. (De partilibus fatis vide notam Valeſii, Salmaſium ad Solinum 788. et Iac. Gronovium ad Gellium III, 16.) *Iuſtitiae filiam* (Meſomedes θυγάτηρ Δίκης) *ex abdito aeternitate* ſolio Iovis adſidens *deſpectare terrena omnia.* W.

26. *Mortalitatis vinciens faſtus tumentes incaſſum.*] Crediderunt veteres quamdam eſſe numinis vim, quae ſuperbos frangeret, et excelſa quaeque convelleret. *Φιλέει γὰρ ὁ θεὸς τὰ ὑπερέχοντα πάντα κολούειν*, ut ait eleganter Artabanus apud Herodotum in lib. 7. c. 10. eamque numinis vim *Φθόνον* vocabant, ſeu *νέμεσιν*. Nam *νέμεσις* invidiae affinis eſt, eamque inter *Φθόνον*, et *ἐπιχαιρεκακίαν* mediam locat Ariſtoteles in lib. 2. Ethic. Itaque Solon a Croeſo interrogatus apud Herodotum in I. c. 32. quid de ipſius felicitate ſentiret, ſic reſpondet: *ὦ Κροῖσε, ἐπιστάμενόν με τὸ θεῖον πᾶν ἐὸν Φθονερόν τε καὶ ταραχώδες ἐπειρωτᾷς ἀνθρωπηίων πρηγμάτων πέρι; Quid me interrogas, Croeſe, de rebus humanis, qui ſciam omne numen invidum eſſe ac turbulentum?* Et Artabanus apud eumdem Herodotum in lib. 7. c. 46. iisdem verbis alloquitur Xerxem: *ὁ δὲ θεὸς γλυκὺν γεύσας τὸν αἰῶνα, Φθονερὸς ἐν αὐτῷ εὑρίσκεται ἐών. At Deus qui ſuavi perfruitur aevo, invidus ipſe eſſe deprehenditur.* Quae quidem Herodoti verba immerito reprehendit Plutarchus in libro quem de malitia Herodoti conſcripſit. Nam ſi Nemeſis recte dicitur de Deo, cur non et *Φθόνος* dicetur? Utraque enim in hominibus aeque vitioſa eſt. Sed cum haec et ſimilia Deo tribuuntur, quidquid adiunctum habent vitii, ſtatim exuunt; ac proinde benigne ſunt interpretanda. Alioquin ipſe Plutarchus eadem culpa tenebitur, qui in Aemilio haec dicit: *οὐδενὶ δὲ τῶν ἀγαθῶν ἐπίφθονον, πλὴν εἴ τι δαιμόνιον ἄρα τῶν μεγάλων καὶ ὑπερόγκων εἴληχεν εὐτυχιῶν ἀπαμύτειν καὶ μιγνύναι τὸν ἀνθρώπινον βίον*, etc. VALES.

Tumentes incaſſum.] Codex Regius cum Editione Romana habet, *tumentis incaſſum*: ut referatur ad *mortalitatis*. IDEM.

Pinnas ideo fabuloſa vetuſtas aptavit.] Alatae Nemeſis ſtatuam apud Smyrnaeos ſe vidiſſe ait Pauſanias, cuius rei hanc rationem adfert in Atticis: *ἐπιφαίνεσθαι γὰρ τὴν θεὸν μάλιστα ἐπὶ*

τοῖς ἐρῷν ἐθέλουσιν, ἐπὶ τούτων Νεμέσει πτερὰ ὥσπερ ἔρωτι ποιοῦσι. LINDENBR.

Eadem *retinaculo* freno (ἀδάμαντι χαλινῷ) *faſtus tumentes incaſſum compeſcens* (κοῦφα φρυάγματα ἐπέχει) Herder: *Du, die der Sterblichen leicht hinſchnaubenden Lauf Mit ehernem Zügel lenkſt*, ut ad gryphos currui eius iunctos reſpiciatur, quod mihi quidem nimis doctum videtur. *momenta verſans* (βίου ῥοπάς) — *ut novit*, novit enim, *erectas mentium* (Reinef. *regentium*, felicius Iacobs *mortalium**) reponi iubet *cervices opprimit* (γαυροίμενον αὐχένα κλίνει) — *Pinnas* (πτερόεσσα) cf. *Voſs mythol. Briefe* B. II. p. 32. *et praetendere gubernaculum* (εὐγόν. cf. Anthol. Vol. III. p. 170.) *rotam* (τροχὸν) *ut per elementa diſcurrens omnia* ubique praeſens. — — Haec igitur Ammianus, quem tamen Nemeſin cum Fortuna confudiſſe recte monet Cl. Iacobs, quem eundem et conferas Animadv. Vol. II. P. 2. p. 79. et Vol. III. P. 1. p. 297. W.

27. *Cum quadriennio imperaſſet.*] Conſentit et Victoris Epitome, et annorum ratio. Nam Fl. Conſtantius Gallus, Caeſar a Conſtantio creatus eſt poſt Conſulatum Sergii et Nigriniani, Idibus Martiis, teſte Idatio in Faſtis, et Chronico Alexandrino: id eſt anno Chriſti 351. Caeſus autem eſt anno 354. Conſtantio VII. et Conſtantio III. Coſſ. VALES.

quadriennio.] De quo vide Tillemont P. IV. T. 2. p. 1122. *Maſſa Veternenſi.* Maſſam vocabant poſterioris aevi ſcriptores *fundum*, v. Lindenbrog. Sed revera nomen proprium urbis eſt, quae etiamnum hoc nomen habet, haud procul a Siena ſita. De Galli caede vide etiam Iul. Pollucis hiſt. ed. Hardt. p. 362. W.

Apud Tuſcos in maſſa Veternenſi.] *Quid maſſa hoc loco notet, ex Caſſiodor. Variar. lib. IX. Epiſt. 3. conſtat, cuius locum omnino vide. Gregor. PP. Epiſt. 28. lib. 10. *De maſſa iuris Eccleſiae noſtrae quae Vitelas dicitur.* Poſtea vocatur poſſeſſio. *Maſſae Dioeceſium*, Concil. African. cap. 23.* *Maſſam* vocabant poſterioris aevi Scriptores fundum, vel certam agri partem. Gloſſae vett. σύγκτησιν interpretantur. Sic *maſſa Caeſiana*, in Conſtit. Leon. et Anthem. Impp. in Cod. Theod. *maſſa Varroniana*, Gregor. PP. lib. 1. Epiſt. 42. pag. 612. *maſſa Palentiana* apud Caſſiod. Var. V. Epiſt. 12. *Conductores maſſarum* apud eumdem lib. 12. Var. 5. Et *maſſarius* in LL. Longobard. lib. 1. Tit. 8. §. 32. Tit. 11. §. 3. lib. 2. Tit. 33. §. 3. Italorumque *Maſſaro*, id eſt villicus, hinc appellationem invenit. LINDENBR.

Patre Conſtantio.] Is Iulius Conſtantius eſt dictus. Fuit autem Patricius, et Conſulatum geſſit cum Rufio Albino, anno Chriſti 335. ut docet Athanaſius in Apologia ad Conſtantium Aug. ὑπατείᾳ ἰουλίου Κωνσταντίου τοῦ λαμπροτάτου πατρικίου, ἀδελφοῦ τοῦ εὐσεβεστάτου Βασιλέως Κωνσταντίνου τοῦ Αὐγούστου, καὶ Ῥουφίνου (lege Ῥουφίου) Ἀλβίνου τοῦ λαμπροτάτου. VALES.

Sorore Rufini et Cerealis.] De Vulcatio Rufino ſupra c. 10. dictum eſt. Neratius autem Cerealis Praefectus Urbi fuit Conſtantio V. et Conſtantio Caeſare Coſſ. ex ante diem 6. Cal.

---

*) Mihi ſcripſiſſe videtur Ammianus *amentium*. ERN.

Octobris, eumque magiſtratum geſſit usque ad 6. Idus Decembres anni ſequentis. Eius Praefecturam Urbanam memorat etiam vetus Inſcriptio, quam protulit Lindenbrogius initio Obſervationum, et vetus Interpres Iuvenalis ad illa ex Satyra 10, 25.

— ut maxima toto
Noſtra ſit arca foro.

Usque ad Cerealem, inquit, *Praefectum in foro Traiani arcas habuerunt Senatores, in quibus argentum aut pecunias tutius deponebant.* Idem poſtea Conſul fuit cum Datiano, anno Chriſti 358. Exſtat eius elogium apud Hieronymum in Epitaphio Marcellae his verbis: *Cumque eam Cerealis, cuius clarum inter Conſules nomen eſt, propter aetatem, et antiquitatem familiae, et inſignem, quod maxime viris placere conſuevit, decorem corporis, ac morum temperantiam ambitioſius peteret, etc.* VALES.

Et Praefecturae provinciarum, forma, etc.] In Editione Romana hic locus ſic legebatur: *Et Praefecturae . . . autem forma conſpicuus.* Quam lacunam Petrus Caſtellus ita ſupplevit: *Et Praefecturae provinciarum. Forma conſpicuus, etc.* Eius emendationem ſecuti ſunt Gelenius et Accurſius, niſi quod Accurſius ex Mſ. ſuo addidit: *Fuit autem forma conſpicuus.* Nos ex Regii *et Toloſani* codicis auctoritate locum purgavimus, eiecta voce inſiticia quam Caſtellus intruſerat imperite. Praefecturae nomine tam Urbana, quam Praetoriana intelligitur Praefectura. Et Cerealis quidem Praefectura Urbana multis ſupra teſtimoniis confirmata a nobis eſt. De Rufino autem Praefecto Praet. loquitur Marcellinus tum in hoc, tum in 16. libro c. 8. IDEM.

28. *decente ſilo corporis.*] Haud displicet translatio: per totum corpus procedens aequaliter decor. — *membrorum recta compage.* locus ſimillimus XXV, 4. 22. *ab ipſo capite usque unguium ſummitates lineamentorum recta compage.* cf. et XXIV, 2. 10. XXX, 9. 6. W.

**Flavo capillo et molli, barba licet recens emergente lanugine tenerâ: ita tamen, etc.*] Sic in Regio ac Toloſano codice ſcriptum inveni.* VALES.

Temperatis moribus.] Inf. *Cuius temperati mores laudandi potius ſunt, quam imitandi.* LINDENBR.

30. *Fortuna mutabilis et inconſtans fecit Agathoclem.*] Exempla quae hic quaſi per ſatyram congeruntur, facile erit curioſo plenius explicata reperire apud Livium, Trog. Pomp. lib. 44. Val. Max. lib. 2. cap. 7. lib. 6. cap. 9. Plutarch. in Apophtheg. et Parall. Tacit. Annal. 3. Flor. lib. 3. cap. 19. Auſon. in Epigr. Hiſtor. Miſcell. lib. 4. De iis vero, qui humili loco nati ad ſummas dignitates pervenere, vel qui contrario luſu ex magna fortuna deiecti miſeram atque aerumnabilem vitam vixere, vide Hellan. in Bibliothec. Photii, pag. 866. Tzetz. Hiſtor. Chiliad. 4. pag. 72. 73. *Vide etiam Rittersh. ad Malchum p. 37. verſ. 22.* IDEM.

Agathoclem.] quem ſi propius noſſe cupis, evolve Polybium XV, 35. Diod. Sic. XIX, 1. Iuſtinum XXII, 1. — *Dionyſium*, iuniorem nempe, *Corinthi literario ludo praefecit.* Iuſtinus XXI, 1. 5. Cicero Tuſcul. III, 12. W.

Digitized by Google

31. *Adramytenum Andriſcum*] Florus II, 14. Adramytenum eum fuiſſe teſtatur etiam Zonaras T. II. p. 114: *fullonem* Lucianus adv. indoctum c. 20. T. VIII. Bipont. p. 20. W.

In fullonio.] Ita MS. al. *fullonia.* *Laberius fullonicam vocavit apud Gellium lib. 16. cap. 7. *Conticior in fullonicam.* Ulpian. lib. 53. ad Edictum l. 3. ff. de aqua et aqua fluv. *Fullonicas circa fontem inſtituiſſe.* Vide Frontinum pag. 57.* Gloſſar. Κναφεῖον, *fullonium:* eadem inflexione, κουρεῖον, *tonſorium* *et εἰδωλεῖον, Paul. 1. Corinth. 8. verſ. 10. Tertull. de Coron. mil. c. 10. *In idolio recumbere, alienum eſt a fide.** LINDENBR.

Ob pſeudo-Philippi nomen evexit.] Quanto elegantius *codex Toloſanus* et Editio Auguſtana, quae ſic habet: *ad pſeudo-Philippi nomen evexit:* et ita quoque ad oram Regii codicis emendatum eſt. In textu enim ſcriptum eſt: *A pſeudo-Philippo nomen evexit.* Hunc porro pſeudo-Philippum in fullonio natum fuiſſe teſtatur et Lucianus πρὸς ἀπαίδευτον Bip. VIII, 20. his verbis: καθάπερ ὁ ψευδαλέξανδρος καὶ ψευδοφίλιππος γναφεύς. VALES.

Perſei legitimum filium artem ferrariam.] De quo ſic Oroſius in lib. 4. cap. 20. *Filius eius iunior fabricam aerariam ob tolerandam inopiam Romae didicit, ibique conſumptus eſt.* Plutarchus in vita Aemilii c. 37. cum Alexandrum nominat, aitque egregium artificem fuiſſe in tornando, et eiusmodi tenui opere elaborando: Romanis quinetiam literis ac lingua perceptis, ſcribae operam Magiſtratibus cum ſumma induſtria praebuiſſe. τὸν δὲ τρίτον Ἀλέξανδρον εὐφυῆ μὲν ἐν τῷ τορεύειν καὶ λεπτουργὸν γίνεσθαί φασιν· ἐκμαθόντα δὲ τὰ ῥωμαϊκὰ γράμματα καὶ τὴν διάλεκτον, ὑπογραμματεύειν τοῖς ἄρχουσιν, etc. Quo in loco deeſſe videtur quidpiam. Neque enim Alexander Rom. Magiſtratibus, ſed Albanis ſcribae miniſterium exhibuit, teſte Zonara his verbis: μόνος δὲ ὁ νεώτατος τοῖς τῶν Ἀλβανῶν ἄρχουσιν ὑπογραμματεύων ἐπί τινα χρόνον διήγεσεν. Quod etiam confirmat Tzetzes Chil. 6. hiſt. 41.

Ὁ τούτου παῖς δ' Ἀλέξανδρος, οἶμαι, τὴν κλῆσιν φέρων,
Τινὸς λατίνου γραμματεὺς γίνεται, πλὴν τῶν κάτω.

VALES.

32. *Mancinum poſt imperium dedit Numantinis.*] Malim *dedidit.* De deditione Mancini nota res eſt, et ab Hiſtoricis omnibus celebrata. Qui cum a Numantinis receptus non eſſet, a genero in caſtra reductus eſt, et lege lata, ut civis Romanus eſſet, Praeturam poſtea geſſit, ut Pomponius in lege ult. D. de legationibus, et Aurelius Victor in libro de viris inluſtribus ſcribunt. Ceterum hanc deditionis ignominiam adeo deſpexit Mancinus, ut ſtatuam ſibi eodem habitu inſtituerit, quo erat deditus, teſte Plinio in lib. 34. cap. 5. Sed ex verbis Victoris ac Pomponii naſcitur non levis difficultas, quomodo Mancinus Praetor factus ſit, qui iam Conſul fuerat. Hanc quaeſtionem ſolvit Plutarchus in vita Ciceronis c. 17. Ait enim id moris fuiſſe apud Romanos, quoties vir Conſularis, aut Praetorius Senatu motus, in priſtinum locum reſtitueretur, ut is denuo Praetor fieret. Loquitur autem de Cornelio Lentulo Sura: ἀνὴρ γένους μὲν ἐνδόξου, βεβιωκὼς δὲ φαύλως, καὶ δι' ἀσέλγειαν ἐξεληλαμένος τῆς βουλῆς πρότερον, τό-

τε δὲ στρατηγῶν τὸ δεύτερον, ὡς ἔθος ἐστὶ τοῖς ἐξ ὑπαρχῆς ἀναπτωμένοις τὸ βουλευτικὸν ἀξίωμα. Idem ſcribit de hoc Lentulo Dio in lib. 37. 30. Et in fine libri 42. 52. id etiam nos docet, moris interdum fuiſſe, ut qui ſenatoriam dignitatem recuperare vellent, Praetores fierent. Sic enim de Salluſtio dicit: στρατηγὸς γὰρ ἐπὶ τῷ τὴν βουλείαν ἀναλαβεῖν ἀπεδέδειτο. P. etiam Ventidius bis Praetor factus eſt eamdem ob cauſam, teſte Dione in lib. 43. 51. et 47. 15. Nam cum a Senatu hoſtis publicus eſſet una cum Antonio iudicatus, poſtea ut reſtitueretur ordini ſuo, iterum Praetor eſt factus. Item M. Marius Gratidianus iterum Praetor fuiſſe dicitur, ſed ob aliam cauſam, quod nimirum eſſet popularis, ut ait Aſconius in Orationem in toga candida. Quod non adeo novum fuiſſe declarat Livii locus ex lib. 23. pag. 369. VALES.

Manetnum (Hoſtilium) *poſt imperium dedidit.*] Libri habent *dedit*, quod ſine cauſſa in *dedidit* mutaſſe Valeſium dicit *Arntzenius* ad Aur. Victor. p. 262. quum *dare* pro *dedere* et alii dixerint, Vell. Paterc. II, 1. Florus II, 18. Cicero de Offic. III, 30. Liv. Epit. 56. — *Samnitum atrocitati Veturium* poſt cladem ad furcas Caudinas Liv. IX, 10. — *Claudium* Glyciam Corſis. Val. Max. VI, 3. — *Regulum.* Florus II, 2. et quis non? — *Pompeius M.* Dio Caſſ. XLII, 4. 5. W.

Summa atrocitate Veturium.] Ita primus edidit Caſtellus, cum in Editione Rom. legeretur, *ſummi ..... atrocitate Veturium.* Regius codex ſcriptum habet, *ſummana ..... atrocitate.* Unde non ſine cauſa ſcribendum eſſe conieci: *Samnitum atrocitati Veturium, etc.* Titus enim Veturius cum ad Furcas Caudinas incluſo exercitu turpiſſimum foedus cum Samnitibus percuſſiſſet, populi iuſſu hoſtibus eſt deditus, ut populus Senatusque Rom. religione ſolveretur, ut narrat Livius in lib. 9. VALES.

Claudium Corſis.] De M. Claudio Clinia, qui turpem cum Corſis pacem fecerat, praeter Valerium Maximum in lib. 6. cap. 3. videndus eſt Zonaras, et Excerpta ex Dione nuper a nobis publicata. IDEM. At non erat Valeſianae doctrinae in hoc Cliniae vocabulo acquieſcere, praeſertim quum iam Pigius ad annum urbis DXVII declaraverit Glyciae cognomen habuiſſe, ubi et locum Ammiani ſic ſupplendo tentat *ſumma atrocitate Veturium Samnitibus.* Sed nimium illud. Quid quod ne Valeſianum quidem ſatis caſtum. Certe ex editione Romana et vulgata lectione patet mihi auctorem ſcripſiſſe *Samniti atrocitati* vel *Samnit.* ERONOV.

33. *Eunus ergaſtulartus*] Non ad operas publicas damnatus maleficus, ſed *ſervus*, nam ergaſtula ſunt carceres ruſtici, in quibus mancipia opus faciunt, piſtrina etc. Erneſti Clav. Cic. cf. et Sueton. Aug. 32. Tiber. 8. — *Viriathi.* Dio Caſſ. Fragm. 78. Florus III, 19. W.

34. *Arenarum numerum.*] Zenob. Ἄμμον μετρεῖν ἐπὶ τῶν ἀδυνάτων καὶ ἀνεφίκτων. Oraculum apud Herod. lib. 1. et Origen. contra Celſ. lib. 2. Οἶδα ἐγὼ ψάμμου τ' ἀριθμὸν καὶ μέτρα θαλάσσης. Cui reſpondet illud Baſilii, Orat. 22. Ἴσον ἐστὶ καὶ κύματα πελάγους ἀπαριθμεῖσθαι, ἢ ταῖς κοτύλαις πειρᾶσθαι τὸ ὕδωρ τῆς θαλάσσης ἀπομετρεῖν. Feſt. Avien.

Si velit has ullus, velit idem ſcire, quot alto
Curventur fluctus pelago.

"Θαλάττης χόες, Plato Theaet. p. 173." LINDENBR.

Arenarum numerum cet. Aeque ſtultus, ac qui numerare arenas, montesve in trutina ponere, vel, uti XXVI, 1. atomos numerare poſſe ſibi videntur. — *ſcrutari putabit.* Contra Valeſium disputantem vide Gronovium Praef. p. XXVIII. W.

Montium pondera ſcrutari poterit.] Haec libri totius clauſula nimis languide ſonat, nec cothurnatis Ammiani numeris reſpondet. In Mſſ. codicibus, Florentino ſcilicet et Vaticano atque Fauchetii, legitur *putavit:* neque aliter habet Editio Romana. Unde legendum eſſe coniicio *ſcrutari poſſe putabit.* ut loquitur noſter Marcellinus L. 26. c. 1. §. 1. Regius tamen liber vulgatam lectionem, quae ex emendatione Caſtelli profecta eſt, tuetur. VALES.

Digitized by Google

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XV. C. I.

1. *Quaeque videre non licuit per aetatem.*] Totum initium huius libri multis et maximis mendis foedatum erat: in quo emendando Sig. Gelenius citra controverſiam palmam tulit. Unum in eo damno, quod contra fidem omnium librorum negationem huic loco inſeruit: quae quantum aliena ſit ab Auctoris noſtri ſententia nemo non videt. Etenim Ammianus Marcellinus cum ſub initium Conſtantii Aug. militiam auſpicatus eſſet, rerum aliquam notitiam hauſerat, ſed eam confuſam et imperfectam, utpote qui adhuc adoleſcens eſſet. Poſtea vero cum virilem aetatem attigiſſet, iam firmiore iudicio cuncta diſpexit. Itaque cum ad ſcribendam Hiſtoriam ſe contuliſſet, res quidem Romanas ab exordio Nervae ad Conſtantini Magni obitum ex Annalibus et Hiſtoriis et Faſtis publicis conſcripſit. Cum vero ad Conſtantii tempora perveniſſet, ea quae ſe adoleſcente geſta erant, prout viderat ipſe aut ab aliis in medio verſatis acceperat, commemoravit, verbi cauſa bellum Magnentii, facinora et caedem Caeſaris Galli. Nunc vero inchoans narrationem earum rerum quas ipſe virilem ingreſſus aetatem ſpectaverat, uberiorem et accuratiorem rerum geſtarum deſcriptionem lectori promittit. VALES.

Perplexe interrogando — ſcire.] Erneſti τὸ *perplexe* exponit *diligentius*. Non uno quidem ſenſu accipit hanc vocem Ammianus, ita tamen, ut *obſcuritatis, difficultatis* notio ubique dominari videatur; ego itaque malim: non ſine ambagibus, et aliud quaſi agendo, percontando ex aliis elicui. W.

Nihil ſubtrahit cognitioni iuſtorum.] Mallem legi *geſtorum*. VALES.

2. *Igneus turbarum incentor.*] Oroſ. lib. VII. cap. 21. *civilis belli incentor.* *Feſtus Avienus: *Incentore canam Phoebo.** LIND. *Apodemius*, Agens in rebus XIV. 11. *quoad vixerat* (Gallus) *turbarum incentor* (incentivum XIV, 1, 2. Sic *nefarius belli totius incentor* XVI, 12, 24.) W.

Ad ſententiam totam facilitate completam.] Scribe, *tota facilitate completam*, quae locutio ſollemnis fuit apud Auctores illius ſaeculi. Sic enim loquuntur Imperatores in lege 80. Codicis Theod. de Decurionibus, et in lege 33. de Haereticis, et D. Ambroſius in ſermone 62. 77. 83. VALES. *Ad ſententiam* ex animi ſententia, *Tota facilitate* i. e. facillime (ſic *tota celeritate* XVI, 12. §. 51.) correxerat iam Salmaſius ad Scriptt. H. A. Tom. II. p. 636. W.

Veteranio.] Hic Fl. Vetranio in nummis antiquis dicitur: atque ita ſcribi ſolet tum apud Latinos, tum apud Graecos Auctores: niſi quod apud Graecos interdum transpoſitis elementis Βρετανίων exaratur. Sed Veteranio ſcribi debet, ut teſtatur Themiſtius in Orat. 14. (II. p. 38. A. ed. Hard.) his verbis: *ὁπόσον δέ ἐστιν ὑπ' ἀληθινοῦ φιλοσόφου λόγῳ ἁλῶναι, ἤσθετο ἀκριβῶς ὁ καὶ τοὔνομα καὶ τὴν τύχην πάλαι στρατιώτης.* Id eſt: *Quantum vero ſit a germano philoſopho oratione ſuperari, ſenſit is qui et nomine erat et loco Veteranus.* Vides hic Themiſtium aperte ad Veteranionis nomen alludere. Eſt enim *παλαιστρατιώτης* Veteranus; ut eſt in Gloſſis Latino-Graecis, et apud ipſum Themiſtium orat. 6. in calce, (XVIII. p. 224. A.) et Herodianum in fine libri 7. (c. 10.) cum dicit: *οἱ δὲ Βαλβῖνος καὶ Μάξιμος ἐκ τοῦ ἱππικοῦ τάγματος τοὺς νεανίας, πάλαι στρατιώτας τε, οἳ ἐν ῥώμῃ διέτριβον, περιστήσαντες*: quod minime intellexit Politianus, qui Urbanos milites interpretatur, cum vertere debuiſſet, *Veteranos qui Romae agebant.* Appianus quoque *πάλαι ἐστρατευμένους* appellat Veteranos.

[Annon tamen potius dicendum eſt, *Vetranionis* quidem nomen a *Veterano* deduci, cum id Themiſtius diſertis verbis aſſerat: ſed nihilo minus tamen *Vetranionem* eliſa littera *e* ſcribi ſine dubitatione oportere, cum ita in omnibus codicibus priſcis, in omnibus nummis, ita apud omnes Graecos ac Latinos Auctores nomen hoc ſcriptum reperiatur; nusquam *Veteranio?* Errant autem Graeci nonnulli, qui Vetranionem Βρετανίωνα appellant: cum haec duo diverſa ſint nomina. Nam qui Graecis eſt Βρετανίων, idem Latinis eſt *Britannio.* *Britannio* autem a *Britannus* derivatur, ut a *Gallus Gallio*, a *Burgundus Burgundio* apud Gregorium Turonicum Epiſcopum, a *Francus Francio* apud Fredegarium.] VALES. *Exauctoratos* dignitate exutos. Alias nonniſi milites dicuntur *exauctorati.* *Vetranio*, nomine Auguſti adſumto, cauſam Magnentii tueri viſus, mox ad partes Conſtantii transiit, ſed a militibus nomen atque dignitatem Auguſti deponere coactus, reliquam vitam privatus transegit. v. Spanhem. ad Iuliani Opp. p. 206. et Ritterum ad Guthrium T. v. p. 22. ſſ. W.

3. *Ut aeternitatem eam aliquoties aſſereret, et ipſe.*] Hunc locum ex fide Regii codicis reſtituimus, cui ſubſcribit Editio Romana et Auguſtana: niſi quod in Romana *ſubſeret* perperam ſcriptum eſt. Ceterum hinc Conſtantium egregie reprehendit Athanaſius, quod aeternitatem ſibi quidem arrogabat, Dei autem Filio detrahebat. Sic enim loquitur in tractatu de Synodis Arimini et Seleuciae adverſus Arianos, quorum partes Conſtantius fovebat: *πρὸς τούτοις περὶ τοῦ κυρίου προσποιούμενοι γράφειν, ἄλλον δεσπότην ὀνομάζουσι Κωνστάντιον· καὶ αἰώνιον δὲ αὐτὸν βασιλέα εἰρήκασιν οἱ τὸν υἱὸν ἀΐδιον ἀρνούμενοι.* Id eſt: *Ad haec de Domino fingentes ſcribere, alium ſibi dominum nominant Conſtantium: et qui Filium Dei negant aeternum, ipſum aeternum Auguſtum dixerunt.* Sic enim Chartula Valentis et Urſacii in Ariminenſi Synodo habuit: *ἐξετέθη ἡ πίστις ἡ καθολικὴ ἐπὶ παρουσίᾳ τοῦ δεσπότου ἡμῶν τοῦ εὐσεβεστάτου καὶ καλλινίκου βασιλέως Κωνσταντίου αὐγούστου τοῦ αἰωνίου σεβαστοῦ.* VALES. Gronovius in Praef. p. XXV. legendum putat *aeternitatem meam.* Ceterum conferri poſſunt quae habet Ritterus T. v. p. 58. W.

Ad aemulationem civilium Principum.] Qualis fuit Octavianus, Tiberius, Hadrianus, Alexander Severus. Est autem civilitatis in Principe signum, Domini appellationem recusare, sine lictore deambulare, officia humanitatis mutua exercere. Ut de Augusto Tacit. Annal. lib. 1. c. 54. *Civile rebatur misceri voluptatibus.* Sueton. in August. cap. 52. 53. in Tiber. cap. 2. Spartian. in Hadrian. Lamprid. in Alex. Sever. Contra vero Claudio vitio versum fuit, *quod tactator civilitatis neque convivia inire ausus est, nisi ut speculatores cum lanceis circumstarent, militesque vice ministrorum fungerentur.* Ergo etiam Constantius, qui civilis videri voluit, in eo incivilissimus fuit, quod Dominum totius orbis se nominare non erubuerit: qua voce ne appellarentur alii, vix severissimis prohibere potuerunt edictis. LINDENBR.

4. *Mundorum infinitates Democritus.*] Veterum Philosophorum variae de mundo opiniones fuere: quem cum ex atomis constare putarent, ut illae innumerae sunt, sic mundorum quoque infinitates somniabant. Leucippus dicebat, κόσμους γίνεσθαι σωμάτων εἰς τὸ κενὸν ἐμπιπτόντων, καὶ ἀλλήλοις περιπλεκομένων. Democritus, ἀπείρους εἶναι κόσμους, καὶ γενητοὺς καὶ φθαρτούς. Zeno, Epicurus, Anaximander idem adserebant, et totum hoc quod circum supraque cernimus, infinitum putabant. Pythagorici, Orpheus, Heraclides, aliique existimabant, ἕκαστον τῶν ἀστέρων κόσμον ὑπάρχειν. Horum omnium vanitatem supergressus Seleucus Philosophus, non solum pluralitatem mundorum defendere voluit, verum etiam unumquemque illorum infinitum esse dixit. Hasce erraticas forte cum audiret sententias Alexander ille Magnus, lacrumas misisse dicitur, indoluisseque, quod post tot exantlatos labores, e tantis ne unius quidem mundi Dominus esset. Aelian. lib. IV. cap. ult. (ubi vid. Perizon. W.) Mich. Glycas Annal. lib. II. ὅτι καὶ Φιλοσόφου τινὸς ἤκουσεν εἰπόντος, ἀπείρους εἶναι κόσμους, καὶ μέγα στενάξας, ἔφη· ἀπείρων ὄντων, μηδενὸς ἐγὼ κεκράτηκα. Vide Cicer. Acad. lib. 4. cap. 17. Val. Max. lib. 8. cap. 14. Plutarch. in Alex. Diogen. Laert. Theodoret. contra Gentes lib. 4. Philastr. de Haeresib. IDEM.

Instar brevis obtinet puncti.] Cleomed. lib. 1. cap. 2. ὅτι ἡ γῆ σημείου λόγον ἐπέχει πρὸς τὸν οὐρανόν. Ammian. lib. XX. c. 3. §. 12. *Rerumque magnitudini instar exigui subdita puncti.* Marc. Capella lib. 6. *Tellus, quae rapidum consistens suscipit orbem, Puncti instar medio haeserat una loco.* Aristarch. in lib. de magnitud. Solis pag. 1. scribit Terram puncti ac centri habere rationem ad sphaeram Lunae. Macrob. in Somn. Scip. lib. 1. 16. *Physici Terram ad magnitudinem circi, per quem volvitur Sol, puncti modum obtinere docuere.* IDEM.

CAPVT II.

1. *Post horrendam deleti Caesaris cladem.*] Mire hoc in loco variant scripti codices. Florentinus et Vaticanus habent, *post petiserandam;* Regius, *post desiderandam:* Fauchetii liber, *post pestiferam.* In Editione Romana reperi, *post petis errandam.* Unde Petrus Castellus vulgatam lectionem exsculpsit. VALES. Ex ea varietate satis elucet legi debere *exsecrandam.* GRON.

Digitized by Google

accidentia] fortunae quemque caſum *(mutationes varias accidentium* XXVI, 2, 8.) W.

medullitus gemens] cf. XIV, 1, 9. W.

4. *Impugnabat eum per ficiae benign. illecebras collega.*] Scribo, *collegam et virum fortem ſaepe prop. appellans Arbetio.* Notae ſunt autem hae aulicorum artes, palam laudare eum quem clam oppugnent, ut de Fabio Valente ſcribit Tacitus in lib. I. Hiſt. c. 64. *Secretis eum criminationibus infamaverat Fabius ignarum, et quo incautius deciperetur, palam laudatum.* Quae artes praecipue in aula Conſtantii viguerunt, ut praeter Marcellinum noſtrum docet Iulianus Aug. in Epiſtola 12. (p. 381. Spanh.) his verbis. σύγεσμεν γὰρ ἀλλήλοις οὐ μετὰ τῆς αὐλικῆς ὑποκρίσεως, ἣν οἶμαί σε μέχρι τοῦ δεῦρο πεπειρᾶσθαι, καθ' ἣν ἐπαινοῦντες μισοῦσι τηλικοῦτον μῖσος, ἡλίκον οὐδὲ τοὺς πολεμιωτάτους. Id eſt: *A congreſſibus autem et colloquiis noſtris omnis abeſt aulica ſimulatio, quam te hactenus expertum eſſe credo: qua quidem ii qui laudant, eos ipſos quos laudant, maiore odio proſequuntur quam inimiciſſimos.* Et Mamertinus in Panegyrico, quem Conſul Iuliano dixit c. 4. ab eiusmodi calumniatoribus vexatum eſſe ait Iulianum tum Caeſarem: *Et cum ſancti Principis mores atque inſtituta falſarum opinionum vituperationumque licentiam ſubmoverent, callido nocendi artificio accuſatoriam diritatem laudum titulis peragebant; in omnibus conventiculis quaſi per benevolentiam illa iactantes: Iulianus Alamanniam domuit, etc.* non vulgaris elegantiae. Quibus addi debet locus Polybii ex lib. 4. c. 87. ſane illuſtris: Καινὸς γὰρ δή τις οὗτος εὕρηται τρόπος διαβολῆς, τὸ μὴ ψέγοντας, ἀλλ' ἐπαινοῦντας λυμαίνεσθαι τοὺς πέλας. εὕρηται δὲ μάλιστα καὶ πρῶτον τοιαύτη κακεντρέχεια καὶ βασκανία καὶ δόλος ἐκ τῶν περὶ τὰς αὐλὰς διατριβόντων καὶ τῆς τούτων πρὸς ἀλλήλους ζηλοτυπίας καὶ πλεονεξίας. VALES.

vitae ſimplici] quam vivit, qui, altiora non appetens, facit, quod ſuum eſt. W.

Ita ille addens etiam poteſtati laedendi militiae munus.] Haec ſpuria eſſe ſatis per ſe apparet. In Editione Rom. legebatur: *Ita ille ad diem e ſortes etiam poſt ..... militiae munus.* Unde P. Caſtellus hanc lectionem effinxit: *Ita ille addens etiam poſt laedendi militiae munus.* Sed cum in ea lectione ſenſum eſſe nullum videret Gelenius, emendavit, *addens etiam poteſtati laedendi*, haud multo meliore ſenſu. Ego ex codice Regio verae lectionis veſtigia mihi videor deprehendiſſe. Sic enim habet: *Ita ille ad imae ſortis etiam poſt .... militiae munus.* *Neque aliter Mſ. Toloſanus.* Ex quibus hanc ſcripturam elicio: *Ita ille ab imae ſortis gregario ad ſummum evectus militiae munus.* quae quidem emendatio non mediocriter confirmatur altero loco qui eſt in lib. 16. c. 6. §. 1. *Inſtabatque ei (Arbetioni) ſtrepens immania Comes Veriſſimus nomine, arguens coram quod a gregario ad magnum militiae culmen evectus, etc.* Et in libro 22. c. 3. §. 12. de Euſebio Praepoſito Cubiculi: *Quem ab ima ſorte adusque iubendum Imperatori pene elatum, etc.* VALES. Et quis, quaeſo, acquieſcere tali ſpiſſationi poterit *gregario ad ſummum evectus*, pro quibus omnibus in Mſſ. tantum invenitur *etiam poſt?* An in loco libri XVI. dicit *gregario imae ſortis?* an in libro 22. vocibus *ab ima ſorte* addit *gregarium?* Seſe profecto his citationibus refutat Valeſius, quum talia non con-

iungat Ammianus. Videns igitur in capite IV ſcribi in Editione Romana et codice Toloſano *poterat ad primigenio*, ubi τὸ *ad* eſt ſupervacuum, et ſuſpicans inde id nunc quoque ſuppoſiticium eſſe poſſe, collegi ſcripſiſſe auctorem, *ita ille ima e ſorte*, vel, *ita ille ab ima ſorte, ſed tam poſt militiae munus.* GRON. *Summum militiae munus*, erat enim magiſter equitum. W.

Conſcientiam polluebat.] Chriſtianum magis loqui, quam gentilem putes; ſed Tacitus Ann. III, 50. itidem: *polluere mentem.* W.

5. *Cum Imperatore ſententiam rogante id egerat.*] Hunc locum primus ita edidit Sig. Gelenius, ſive quis alius auctor fuit Editionis tertiae Baſilienſis. In Editione Romana perinde ut in ceteris Mſſ. codicibus legitur, *ſententia . . . . . id ſederat.* Mariangeli quoque Editio agnoſcit *id ſederat.* quod probo. Sic enim Marcellinus noſter in lib. 18. c. 2. §. 2. loquitur: *Seditque tandem multa et varia cogitanti, id tentare.* Valerius Argonaut. I. 555.

Hinc Danaum de fine ſedet:

et lib. 2. 383.

Si ſedet Aegaei ſcopulis habitare profundi. VALES.

Domitius Corbulo dicitur caeſus.] Dio lib. LXIII. 17. LIND.

Perductum.] tanquam reum. Paullo poſt de *Gorgonio* eodem ſenſu. W.

7. *A Marcelli fundo.*] Sic primus edidit Mariangelus Accurſius. Nam in Editione Rom. et Bononienſi legitur, *a Macelli fundo*, quo modo in codice quoque Regio *ac Toloſano* reperimus ſcriptum. Neque aliter hunc fundum appellat Sozomenus in lib. 5. c. 2. et poſt eum Cedrenus ac Nicephorus Calliſtus in lib. X. In eo fundo Iulianus quaſi in carcere incluſus, ſex annos cum fratre manſit, ab omni aequalium congreſſu ſeiunctus, cum nulli ex aequalibus, aut paternis amicis ad ipſos viſendos introire ſinerentur, ut ipſe Iulianus memorat in Epiſtola ad ordinem et populum Athenienſem. Ubi etiam feritatem illam et aſperitatem ingenii quae erat in fratre Gallo, agreſti ac montanae illi educationi adſcribendam eſſe aſſerit: a qua feritate ipſe ſe philoſophiae ope liberavit. VALES. *Macelli fundo.* Iulio Polluci in Chronico ab Ignatio Hardt Monachii 1792. edito p. 362. Μακελλικὸν χωρίον πρὸς Καισαρείαν ἐν Καππαδοκίᾳ. Ex hoc igitur quaſi carcere emiſſi, Gallus Epheſi, Iulianus primum Conſtantinopoli, deinde Nicomediae iuſſu Imperatoris ſtudiis liberalibus operam dederunt. W.

Ad Aſiam demigravit liberalium deſiderio doctrinarum.] Greg. Nazianz. in Iulian. Orat. I. p. 281. Ἐπεὶ δὲ τὸν μὲν ἀδελφὸν ἡ Φιλανθρωπία τοῦ αὐτοκράτορος ἀποδείκνυσι βασιλέα, καὶ μέρος οὐκ ὀλίγον ἐγχειρίζεται τῆς οἰκουμένης, τῷ δὲ ὑπῆρχε κατὰ πολλὴν ἐξουσίαν καὶ ἄδειαν, καὶ λόγων καὶ διδασκάλων τοῖς ὀλεθριωτάτοις προσομιλεῖν, Ἀσία δὲ ἦν αὐτῷ τὸ τῆς ἀσεβείας διδασκαλεῖον, ὅση τε περὶ ἀστρονομίαν καὶ τὰς γενέσεις καὶ φαντασίαν προγνώσεως τιτατεύεται, καὶ τὴν ἑπομένην τούτοις γοητικήν. LINDENBR.

Per Conſtantinop. transeuntem viderat fratrem.] Iulianus a Macelli fundo digreſſus, lenita iam adverſus eos Imperatoris ira, Conſtantinop. petiit, ibique pergulas magiſtrales privato habi-

Digitized by Google

tu frequentavit: poſtea Imperatoris iuſſu Nicomediam translatus eſt. Interea Gallus qui poſt Macellianam cuſtodiam Epheſi degebat, ſtudiis liberalibus operam navans, a Conſtantio evocatus, Caeſar creatur in Illyrico; qui cum Orientem peteret, Iulianum fratrem Nicomediae in Bithynia convenit, ut narrat Libanius in oratione funebri in laudem Iuliani (Reisk. T. 1. p. 527.) ἐκεῖνος μετὰ οὖν καὶ διὰ τῆς Βιθυνίας δορυφορούμενος ἐχώρει, καὶ εἶδον ἀλλήλους. Idem ſcribit Socrates in lib. 3. et ex eo Nicephorus Calliſtus in lib. x. Sed Marcellinus Conſtantinopoli, non autem Nicomediae Gallum a fratre Iuliano viſum eſſe commemorat. Poſt hunc congreſſum Iulianus fratrem non vidit, ut ipſe in Epiſtola ſupradicta teſtatur his verbis: κάτοι μὰ τοὺς θεοὺς οὐδὲ ὄναρ μοι φανεὶς ἀδελφὸς ἐπεπράχει ὅσα γε ἐπεπράχει· καὶ γὰρ οὐδὲ συνῆν αὐτῷ, οὐδὲ ἐφοίτων παρ' αὐτόν. quibus verbis crimen indicat quod ipſi imponebatur. Arceſſebatur enim conſcius fuiſſe facinorum fratris Galli. VALES. — *adſpiratione* favore. cf. XXVI, 1. 5. W.

8. *Euſebia ſuffragante Regina.*] Non novum hoc in huius aevi Scriptoribus, Reginas vocare Imperatorum uxores. Sic lib. 14. *Trucis a ſtimulis Reginae.* Inf. *Opponebat ſe ſola Regina.* L. 26. C. de donat. int. vir. et ux. Lampr. in Alex. LINDENBR. — *ſuffragante* cf. c. 8, 3. et XXI, 6, 4. Zoſim. III, 1. Euſebia ſine dubio cognatione attigit Iulianum, ſaltem Euſebius Epiſc. Nicomedienſis cognatus vocatur XXII, 9. 4. W.

Pro colendi ingenii cauſa.] Mſ. *pro candenti ingenii cauſa.* Puto Ammianum ſcripſiſſe, *procudendi ign. cauſ.* Ut lib. 16. c. 4. §. 6. *ad procudendum ingenium vertebatur.* Lib. 31. extr. *procudere linguas.* LIND.

Ad Graeciam ire permiſſus eſſet.] Libanius in Oratione quae προσφωνητικὸς inſcribitur, (Reisk. T. 1. p. 410.) Athenas relegatum eſſe Iulianum, eaque urbe digredi prohibitum ſcribit: idemque dicit in Oratione Conſulari ad Iulianum. At Iulianus in Epiſtola ad Athen. ait, Conſtantium audita hinc ſeditione quadam in Pannonia, illinc defectione Silvani in Galliis, mandaſſe ſibi, ut paulliſper in Graeciam ſecederet. Eumdem vide in Orat. 3. ad Euſebiam Auguſtam. VALES.

**Permiſſus eſſet.*] Sic primus Gelenius emendavit, cum in omnibus tam editis quam Mſſ. codicibus legeretur, *permiſſus eſt:* quod certe ad claudendam periodum longe modulatius ſonat. Nec movere Gelenium debuit huius phraſeos inſolentia. Nam infra c. 5. eodem modo loquitur Auctor noſter: *Ni fortuna motum eventu celeri conſummavit.* Sic enim ſcribitur in codice Regio [et in Colbertino,] ac in Editione Romana.* IDEM.

9. *Quae diſpiceres ſecundis auribus contigiſſe.*] In Editione Rom. legitur: *quae diſpice ſecundis auribus contigiſſe:* quemadmodum etiam codex Regius et Vaticanus ſcriptum habent. Proinde non dubitavi quin locus ita emendandus eſſet ut edidimus. VALES.

Pulſantes.] ingenti pecunia redimentes. W.

Quibus exiguae res erant ad tuendam ſalutem.] Tota haec linea in Editione Romana deerat; quam partim Sig. Gelenius ex Hirſfeldenſi codice, partim Mariangelus Accurſius ex fide ſcripti exemplaris explevit. Ego Editionem Accurſii hoc in loco ſequi malui, quippe quae auctoritate Regii codicis confirmaretur.

Digitized by Google

Sic enim in eo ſcribitur: *quibus exiguaeve res erant ad redimendam ſalutem aut nullae.* [Ita et in Mſ. Colbertino.] VALES.

10. *Gorgonius, cui erat thalami Caeſariani* (Galli) *cura commiſſa* (Kammerherr) alias Praelectus cubiculi, quod idem eſt cum thalamo. v. Ind. II. v. Cubiculum. W.

Fuiſſe participem.] Fortaſſe ſcripſerat Ammianus *fuiſſe ſemper participem*, ob ſequens *interdum*, quae vocula quomodo excidere potuerit, facile eſt ad intelligendum. *ex confeſſo*, manifeſte, uti infra c. 5. §. 11. W.

CAPVT III.

1. *Militarium.*] i. e. ducum, quod patet ex ſtatim ſequentibus *ad infimam truſi militiam — membris fluentibus*, tabeſcentibus. W.

Domitianus et Montius.] Vide XIV, 7. W.

2. *Ad quos audiendos Arbora miſſus eſt.*] Romana Editio [et codex Colbertinus] hunc locum ſic praeferebant: *ad quos avodos Arborum miſſus eſt:* neque aliter Regius codex, niſi quod *Arborus* habet. Equidem crediderim *Arborius* ſcribendum eſſe: *ſicut in Mſ. Toloſano exaratum eſt.* Arborii cuiusdam viri Praefectorii meminit Sulpicius in lib. 1. c. 20. de vita Martini: *ad quem miſſa eſt lex XVI. Codicis Theodoſiani de Piſtoribus. De eodem Paulinus in fine libri 11. de vita Martini. Atque in nomen per Gallias nobiliſſimum fuiſſe, teſtatur Auſonius in Parentalibus, Carmine IV.* VALES. *Arborius* in primi ordinis proceribus aulae fuiſſe videtur, qui ante *Cubiculi Praepoſitum, Euſebium* nominetur. Non infrequens eſt virorum huius gentis mentio, de quibus vide inprimis *Wernsdorfium* ad poetas Lat. minor. T. III. p. 140. ſ. W.

**Nulla perſpicacitate.*] Sic correxit Accurſius, cum in Editione Romana reperiſſet, *nullo perſpicaciter*. Ego vero cum Editionis Romanae ſcripturam reliquorum Mſſ. [in primis Colbertini] conſenſu firmatam videam, malim legere, *nullo perſpicaciter inquiſito*, ut loquitur A. Marcellinus libro 29. c. 1. §. 38. *queis omnibus perſpicaciter inquiſitis.* IDEM.

Quosdam ad infimam truſere militiam.] Inter poenas militares fuit olim gradus deiectio, ut ait Modeſtinus in lege 3. D. de re militari: quae uno verbo regradatio dicitur Latine, Graecis καταβιβασμὸς, ut eſt in veteribus Gloſſis. Eam regradationem intelligit noſter Marcellinus in lib. 24. c. 5. §. 10. cum dicit: *Reliquos ex ea cohorte qui abiecte ſuſtinuerant impetum graſſatorum, ad pedeſtrem compegit militiam, quae oneroſior eſt, dignitatibus imminutis.* Ubi non ſolum regradatio, ſed et militiae mutatio eſt. Sed ſollemnem regradationis morem nemo luculentius explicat, quam D. Hieronymus in Epiſtola ad Pammachium contra Origenis ſectatores. *Finge*, inquit, *aliquem Tribuniciae poteſtatis ſuo vitio regradatum, per ſingula militiae equeſtris officia ad tironis vocabulum devolutum. Non ex Tribuno ſtatim fiet tiro: ſed ante Primicerius, deinde Senator, Ducenarius, Biarchus, Circitor, Eques, deinde tiro. Et quamquam Tribunus quondam miles gregarius ſit, tamen ex Tribuno*

non tiro, ſed Primicerius factus eſt. Haec autem regradationis poena Impp. reſcriptis addi ſolebat: ut nominatim in lege 2. Cod. Theod. de curſu publico: *Promotus regradationis humilitate plectetur.* VALES.

Inſidiantibus multis.] Haec verba primo intuitu de inſidiis ipſi Conſtantio ex illo tempore ſtructis videri poſſunt intelligenda; nexus tamen cum antecedentibus et ſequentibus hoc voluiſſe Ammianum docet: Ita crevit ex eo Conſtantii immanitas, ut quaſi terminum vitae civibus a natura conſtitutum praeventurus, aures animumque praeberet inſidioſis delatoribus. Locus fere geminus eſt XXIX, 1, 20. *Erat expoſitus acceſſu inſidiantium et recluſus* cet. W.

3. *Cibyratae illi Verrini.*] Tlepolemus puta et Hiero fratres Cibyratae, rapinarum odoriſequi miri, quos ideo Verres ſecum in Siciliam duxerat. Cicer. 4, 13. Verrin. LIND.

Cibyratae illi Verrini, tribunal unius legati lambentes.] Imitatur Ciceronem, qui in actione 3. 11. in Verrem ſic ait: *Quid iſta cohors, quorum hominum eſt? Voluſii haruſpicis, et Cornelii medici, et horum canum, quos tribunal meum vides lambere.* Ubi canum nomine Tlepolemum et Hieronem intelligit fratres Cibyratas, quos etiam Cibyraticos canes appellat in lib. 4. 13. in Verrem, his verbis: *Simul atque in opidum aliquod venerat, immittebantur illi continuo Cibyratici canes, qui inveſtigabant et perſcrutabantur omnia.* et alio loco: (ibid. paullo poſt) *Mirum in modum canes venaticos diceres: ita odorabantur omnia et perveſtigabant.* VALES.

4. *Ille natus in Dacia.*] Paulus ſcilicet Notarius. Atqui in lib. 14. c. 5. §. 6. hunc eumdem Paulum in Hiſpania natum eſſe dixerat: ut in altero horum locorum mendum eſſe neceſſe ſit. *Certe in actis paſſionis magni Martyris Artemii hic Paulus Notarius Hiſpanus dicitur.* IDEM. Gronovius in Praef. p. XXVIII. eam ob cauſam, quod Paulus XIV, 5. 6. Hiſpanus vocetur, τὸ *ille* iubet deleri, ita ut de ſolo *Mercurio* ſermo ſit; qui parentes quidem habuerit Perſas, caſu tamen a peregrinante forte matre in Dacia natus ſit; ſed idem potuit matri accidere Pauli, et, quum bis repetitis pronominibus *hic — ille* iſtos viros et ratione patriae, et munerum, quibus functi ſunt, diſtinguere Ammianus voluerit, τὸ *ille* eiici non poteſt, niſi hiulcam facere orationem velis. W.

Ille miniſter triclinii Rationalis.] Mſ. *Ille a miniſtro.* Ita. *a miniſterio tricl.* LIND.

Ille miniſter triclinii Rationalis.] Reſtituimus hic lectionem Editionis Romanae, cui codex Vaticanus et Valentinus [Colbertinusque] ſubſcribunt: ea eſt hujusmodi: *Notarius ille, hic a miniſtro triclinii Rationalis.* Ait enim Marcellinus Mercurium hunc Rationalem fuiſſe, cum primus miniſter fuiſſet ſacri triclinii: idque ſibi volunt haec verba, *a miniſtro triclinii:* ut apud Tacitum in lib. 2. Hiſt. c. 92. de Vitellio: *Praepoſuerat Praetorianis P. Sabinum a Praefectura cohortis.* Malim tamen ſcribi, *ex miniſtro triclinii:* neque aliter a Marcellino ſcriptum fuiſſe exiſtimo. Sed corruptioni cauſam dedit *à* et *x* literarum quaedam inter ſe affinitas. Eodem enim errore in lib. 14. c. 11. §. 25., ubi de Adraſtia ſermo eſt, in codice Regio et Editione

Rom. ſcriptum offendi, *ultra facinorum impiorum*, pro *ultrix*: et *diſceptatria*, pro *diſceptatrix*: et initio huius libri, *perpleae*, pro *perplexe*. VALES.

A miniſtro triclinii.] Hi Miniſteriani dicuntur in Codice, et cum Caſtrenſianis iunguntur in Titulo de Caſtrenſianis et Miniſterianis.] In Notitia Imperii Rom. Miniſteriales Dominici appellantur ſub diſpoſitione viri Spectabilis Caſtrenſis ſacri Palatii. De iisdem loquitur Marcellinus in lib. 14. c. 11. §. 16. cum dicit: *Relicto palatio omni praeter paucos tori miniſtros et menſae.* Horum officium Corippus in lib. 3. deſcribit his verſibus (v. 214. — 17.)

Adfuit obſequio caſtorum turba virorum.
Illis ſumma fides et plena licentia ſacris
Deſervire locis, atque aurea fulcra parare,
Regales menſas epulis onerare ſuperbis. IDEM.

Catenae cognomentum] XIV, 5, 8. W.

Taetra venena ſerens, varieque disperdens.] Huius lectionis primus auctor fuit P. Caſtellus. Nam in Editione Rom. ſcriptum erat: *Intra invenerunt ſeſe varietate dispendens.* neque aliter in Vaticano ac Florentino codicibus: niſi quod hi habent *invenerum.* Antiquarius qui codicem Regium deſcripſit, cum hunc locum nimis depravatum videret, lacunam relinquere maluit: duas tantum ultimas voces diſtincte retinuit, prout in ſcriptis exemplaribus legi diximus. Quod ſi quis noſtram de huius loci emendatione ſententiam, aut potius coniecturam requirit, ſic commode legi poſſe arbitramur integrum locum: *Et Paulo quidem, ut relatum eſt ſupra, Catenae inditum eſt cognomentum, eo quod in complicandis calumniarum nexibus erat indiſſolubilis, taetra inventorum ſeſe varietate diſtendens; ut in colluctationibus callere nimis quidam ſolent artifices palaeſtritae.* VALES. Non intelligo unde viro ſummo ſic placuerit Caſtellanum *taetra*, quum utique litterae ſcripturae veteris iſtuc minime vergant; ſed *intra* apparet poſitum loco τοῦ *mira.* Totidem vides apices. Et ſane hanc vocem quoque attendebat Salmaſius, quum ante Valeſium ſignificaret e veſtigiis ſcripturae ſe elicuiſſe hanc lectionem, *miram in nodorum varietatem ſeſe diſpendens, ut in colluctationibus callere nimis quidam ſolent art. pal.* ad Solinum p. 291. (p. m. 206. W.) GRON. In eandem cum Salmaſio coniecturam incidit Reineſius, niſi quod *varietate* retinuit. Valeſium ſecutus eſt Erneſti, qui tamen *disperdens* mutari maluit in *diſpergens*, quod eodem fere tempore in mentem venit Puettmanno in Probabb. I. p. 43. W.

Calce tenere quidam ſolent.] Haec eſt coniectura P. Caſtelli, quam ceterae deinceps Editiones amplexae ſunt. At in Romana Editione longe aliter ſcriptum erat: ſic enim habet: *calce renem. is quidam ſolent.* neque aliter codex Vaticanus et Florentinus. In Regio legitur, *calce et . . . . . quidam ſolent.* *In Toloſano, *calce et Harenis.** Nobis coniectura noſtra quam ſupra propoſuimus, non diſplicet. Comparat enim hic Marcellinus nodoſos calumniarum nexus cum palaeſtricis nexibus luctatorum, quae Graece ἄμματα dicuntur. Apollodorus in Bibliotheca, II, 5. p. 137. Heyne, de lucta Herculis cum Antaeo: τούτῳ δὲ παλαίειν ἀναγκαζόμενος Ἡρακλῆς, ἁράμενος ἄμμασι μετέωρον κλάσας ἀπέκτεινε. Libanius in eiusdem luctae deſcriptione δεσμοὺς et συμπλο-

συμπλοκὰς vocat. Latini nodos vocant. Sic enim Aurelius Victor in Commodo (Caes. XVII, 9.): *Ibi per ministrum ungendi faucibus, quasi arte exercitii, brachiorum nodo validius pressis exspiravit.* et Statius in lib. 6. Thebaïdos de Tydeo 884 — 887.

Mox latus et firmo celer implicat ilia nexu.
Poplitibus genua inde premens, evadere nodos
Nequidquam, et lateri dextram insertare parantem
Sustulit, etc.

Calcis quoque in lucta usum fuisse non ignoro. Nam et σφυρῷ προσπαλαίειν, id est, calce luctari solitos docet Philostratus in Arrichione, et ὑποσκελίζειν id proprie dictum esse docet Pollux, et Lucianus in Anacharsi. Sed si calcis solius mentio hic fiat, quomodo stare possit Marcellini nostri similitudo, non video. VALES. In Pancratio, quod vocant, volutatorio humi stratum adversarium genubus calcibusque ad artem motis ita constringebant, ut ne pedum quidem liberum ei usum relinquerent. v. Mercurialis de arte gymnast. p. 147. W.

Artifices palaestritae.] Palaestritas dixit improprie pro luctatoribus, quos Graeci παλαιστὰς dicunt. Palaestritae vero ministri sunt palaestrae, qui athletas curabant et ungebant. Sic apud Ciceronem lib. 2. in Verrem c. 54. *Numquam vos Praetorem tam palaestricum vidistis. Verum ita palaestritas defendebat, ut ab iis ipse unctior discederet.* Sane in Victoris Epitome 17, 16. Narcissus palaestrita dicitur, quem Aurelius Victor 17, 19. ministrum ungendi dixerat. Neque alio sensu palaestritas sumit Persius hoc versu Sat. IV, 39.

Quinque palaestritae licet haec plantaria vellant,
Haud tamen ista filix ullo mansuescet aratro.

Lampridius tamen in Alex. Severo c. 27. palaestritam perinde ut Marcellinus usurpat. *Palaestrites*, ait, *primus fuit.* Sed *palaestes* legendum est ex MSS. VALES.

5. *Mercurius solemniorum appellatus Comes.*] Exercere lectorem haec scriptura merito potest. Nam quid sibi vult haec solemniorum Comitis appellatio, et quam habet connexionem cum αἰτιολογίᾳ, quae mox subiungitur? Scripti quidem codices nihil hic variant. Sed nihil certius est quam legendum esse, *Somniorum appellatus comes.* Hic enim Mercurius ita facete cognominatus est, eo quod aliena somnia ita perspicue noverat, et Imperatori narrabat, ut somniorum quidam quasi comes videretur ac socius.

[Annon tamen potius Mercurius Comes somniorum vulgo per iocum appellitatus est, tamquam novo officii genere ab Imperatore somniis praepositus, quae notissima haberet, et quorum ipsi esset rationem redditurus? uti Comites Privatarum, Comites Sacrarum Largitionum, Comites sacri Patrimonii, Comites Thesaurorum per provincias vocabantur, qui his erant rebus a Principe praepositi. Praeterea lusisse in nomine Mercurii mihi videtur populus, Comitem somniorum seu Praefectum appellando, quod Mercurium credidere veteres virgae suae tactu somnos et somnia mortalibus immittere consueviſſe.] IDEM.

* *Ut clam mordax canis.*] Graeci dicerent elegantes: καθάπερ οἱ λαθροδῆκται τῶν κυνῶν. Sic loquitur Chrysostomus in Homilia XV. in Epistolam Pauli ad Ephesios: sic et Palladius in vita

Chryſoſtomi, de Theophilo loquens: καὶ μικρὸν ἐφησυχάσας χρόνον, καθάπερ λαθροδάκτης κύων. VALES. Conf. Brunckii Lexicon Sophocl. in Λαίθαργος. ERF.

Interno vitio ſubmiſſus.] Sic primus correxit Gelenius, cum prius legeretur, *interna vitia:* ut in MSS. codicibus, Vaticano, Regio, Toloſ. [Colbert.] et in priſca Editione Romana ſcriptum inveni. Proinde non dubito, quin hic locus emendandus ſit hoc modo: *Ut clam mordax canis, inter initia ſubmiſſius agitans caudam.* VALES. *Interno vitio.* Vix, fateor, haec intelligo, niſi pro Ablativis velim abſolutis ſumere hoc ſenſu: quamquam intus malignitatem alat. W.

Ubi fuſius natura vagatur] ubi vis imaginandi liberius exſpatiatur (*varietas ſomniorum* eſt XXXI, 2, 6.). *mole criminis pulſabatur.* Sic infra c. 5. *vitam inſontis pulſare.* W.

6. *Tantum aberat, ut — cum.*] Nota miram inſolentiam particulae *cum* pro ſecundo *ut* poſitae. W.

Apud Atlanteos nati non eſſent.] Herodotus in Melpomene (IV, 184.) ſcriptum reliquit, in terra Africa populos eſſe, qui ad Atlantem incolunt, eos nulla ſomnia videre: λέγονται δὲ οὔτε ἔμψυχον οὐδὲν σιτέεσθαι, οὔτε ἐνύπνια ὁρᾶν. Ex eo Plin. lib. 5. cap. 8. *Atlantes degeneres ſunt humani ritus, ſi credimus: nam neque nominum illorum inter eos appellatio eſt, et ſolem Orientem Occidentemque dira imprecatione contuentur, ut exitialem ipſis agrisque. Neque inſomnia viſunt, qualia reliqui mortales.* Marcian. Capella lib. 6. p. 252. *Inter ſolitudines degunt, qui neque ulla inter ſe nomina habent, et Soli imprecantur, quod eos cum meſſibus ſemper amburat. Hi numquam ſomniare videntur.* Vide Aldret. Antiquit. p. 559. 560. Quod tamen an verum ſit, disputat Tertullianus lib. de Anima pag. 369. LINDENBR. Herodotum ſecutus eſt etiam Mela I, 8, 11. Cf. Salmaſ. ad Solin. p. 410. W.

7. *In convivio Africani.*] Huius rei hiſtoriam perſtringit Iulianus in Epiſtola ad Curiam et populum Athenienſem, p. 273. Spanh. his verbis: συκοφάντης τις ἀνεφάνη περὶ τὸ Σίρμιον, ὃς τοῖς ἐκεῖ πρᾶγμα συνέῤῥαψεν ὡς νεώτερα διανοουμένοις. ἵστε δήπουθεν ἀκοῇ τὸν Ἀφρικανὸν καὶ τὸν Μαρῖνον, οὐκοῦν ὑμᾶς οὐδὲ ὁ Φῆλιξ ἔλαθεν, οὐδὲ ὅσα ἐπράχθη περὶ τοὺς ἀνθρώπους. Sic enim legendus eſt hic locus, qui in Editione ultima corruptus eſt. ubi συκοφάντης eſt Gaudentius, quem delatorem etiam Marcellinus appellat: Africanus et Marinus a Marcellino quoque nominantur. Sed Felicis nulla ſit mentio. VALES. *Africani.* Occurrit iterum XVI, 8. 3. ubi eadem, quae h. l. brevius narrantur. *Rectoris.* i. e. Proconſulis. *Pannoniae ſecundae.* De hac Ammiani aetate recepta Pannoniae diviſione vide Mannert German. T. III. p. 612. W.

Poculis amplioribus madefacti.] Lucian. in Deor. Dialogo XXIII. T. II. Bip. p. 324.: ἐν τῷ συμποσίῳ ἱκανῶς ὑποβεβρεγμένοι. Crobylus apud Athenaeum VI. p. 258. C.: τὴν ἀσωτίαν ὑγρότητα νῦν προσαγορεύουσι. Ita *madidus vino* Plaut. in Aulul. III, 6, 37. *Ego te hodie reddam madidum, ſi vivo probe:* et alibi apud eumdem, et Iuvenal. Martial. LINDENBR.

Imperium praeſens ut moleſtiſſimum accuſabant.] Obtrectatione temporum pulſae maieſtatis crimen contrahi, ex L. unic. C.

ſi quis Imp. maled. et quae ad eam a me dicta, conſtat. LIND.

8. *Gaudentius magnis in rebus.*] Emendatum a nobis eſt *Agens in rebus.* quae emendatio, cum ipſa per ſe clara eſt, tum mirifice confirmatur ex alio loco libri 16. c. 8. §. 3. ubi noſter Marcellinus hanc eamdem perſtringit hiſtoriam: *Quo indicante quaedam cognita per Gaudentium Agentem in rebus: Conſularem Pannoniae tunc Africanum cum convivis retulimus interfectum.* Quid, quod et in Editione Romana [et in Mſ. Colbertino] ac Vaticano legebatur, *Gaudentius magis in rebus?* VALES.

Agens in rebus.] Agentum in rebus munus id fuit, ut Conſulum nomina, victorias Auguſtorum, et edicta provincialibus nuntiarent, ut docet Libanius in Oratione pro Ariſtophane Corinthio, p. 203. (Reisk. T. I. p. 429.) et in Oratione funebri in laudem Iuliani, p. 305. (Reisk. T. I. p. 567.) Hinc ἀγγελιαφόροι fere dicuntur a Graecis Agentes in rebus, ut apud Libanium in Orat. funebri citata, pag. 249. et apud Priſcum Rhetorem in excerptis legationum, p. 26. et 36. Aliud etiam vel praecipuum munus eorum fuit, ut in provinciis poſiti explorarent ac ſcrutarentur, ſi quod adverſus Principem nefarium conſilium iniretur. Atque hi proprie Curioſi dicebantur; qui erant e Schola Agentum in rebus, ut docet Imperii Notitia: a Graecis πευθῆνες eleganter appellati. Sic Libanius in Orat. adverſus Florentium, pag. 425. (Reisk. T. II. p. 470. 471.) et adverſus Icarium, p. 472. (Reisk. T. II. p. 133.) Denique in Oratione funebri iam laudata, his verbis: εἰς ἀγγελιαφόρους τελέσαντες ἐπονοῦντο μετὰ πευθῆνες καταστῆναι· καὶ τὸ σχῆμα ἦν φυλάκων, ὅπως μηδὲν ἀγνοοῖ βασιλεὺς τῶν ἐπ' αὐτὸν συντιθεμένων. Id eſt: *Relati in Scholam Agentum in rebus, enitebantur ut Curioſi fierent. ac ſpecie quidem ipſa cuſtodes erant, ne quidquam eorum quae adverſus Principem ineuntur conſilia, ipſum lateret: reipſa autem calumniis et concuſſionibus omne genus mortalium vexabant.* Quibus ſimillima ſunt, quae Aurelius Victor in Diocletiano c. 39. de iisdem prodit: *Remoto poſtilenti Frumentariorum genere; quorum nunc Agentes rerum ſimillimi ſunt: qui cum ad explorandum adnuntiandumque qui forte in provinciis motus exſiſterent, inſtituti viderentur; compoſitis nefarie criminationibus, iniecto paſſim metu, cuncta foede diripiebant.* Ex his Curioſis videtur fuiſſe Gaudentius, quem hoc loco commemorat Marcellinus: quod et ſequentibus verbis apertius confirmatur: *Quo facto,* inquit, *delator funeſtus biennio id quod agebat, ut poſtularat, continuare praeceptus eſt.* id eſt enim, Curioſi officio in iis partibus fungi. IDEM.

Ultimorum ſemper avidum hominem.] Id eſt, ſanguinis ac ſuppliciorum. quo ſenſu dixit in lib. 14. c. 11. §. 8. *Eo neceſſitatis adductus, ultimaque ni vigilaſſet opperiens, principem locum, ſi patuiſſet copia, affectabat.* Et in lib. 30. *Quosdam ultimorum metu exagitatos, etc.* IDEM. *Rapi ſublimes:* corripi et equuleo imponi. cf. XXVIII, 1, 56. W.

vetita ex more humano.] Nitimur enim in vetitum ſemper. Ovid. Amor. III, 4. 17.) Praecedens *delator funeſtus* non eſt Gaudentius, de quo quis forte intelligere poſſit, ſed *Rufinus,* quod patet ex *biennio continuato.* cf. XVI, 8, 3. W.

10. *Teutomeres Protector Domeſticus.*] Ad hunc Teutomerem ſcripta eſt Epiſtola Libanii v. libri IV. ex qua diſcimus Teutomerem comitatum eſſe Imperatorem Iulianum in expeditione Perſica. [*Teutomeres* autem, et *Theodomerès*, vel *Theudemeres*, quod nomen apud Gregorium Regis Francorum fuit, unum idemque nomen eſt. Ex quo intelligitur Teutomerem hunc Protectorem Domeſticum, natione Francum fuiſſe. *Francorum* quippe *ea tempeſtate in Palatio multitudo florebat*, ut loquitur Marcellinus in hoc ipſo libro.] VALES. Reineſius adſcripſerat: *Teutomeres*, dux Daciae Ripenſis. Ad eum Valens et Valentinianus AA. ſcripſere Mediolano Coll Ioviano et Varroniano legem 13. Cod. Theod. de operibus publicis. W.

Marinus ex Campiductore.] Hoc loco vocem inſerui neceſſariam, ut arbitror. Nam cum in MSS. codicibus Florentino ac Regio, et in Editione Rom. poſt vocem *Marinus* vacuum ſpatium eſſe relictum viderem, non dubitavi quin locus ita explendus eſſet, ut edidi: *Marinus Tribunus ex Campidoctore eo tempore vacans.* Sic enim Marcellinus loquitur in fine lib. 16. c. 12. §. 63. *Et vacans quidam Tribunus, cuius non ſuppetit nomen.* Et in lib. 18. c. 2. §. 2. *Hariobaudem Vacantem Tribunum.* Denique in libri 31. c. 13. §. 18. *Vacantes* porro Tribuni dicuntur, qui honorem quidem Tribunorum et annonas ac ſalaria accipiunt, ſed nullum habent certum numerum quem regant. Unde Vacantes numerorum Rectoribus opponit Marcellinus in lib. 31. c. 13. citato: *Triginta quinque oppetivere Tribuni Vacantes, et numerorum Rectores.* Fere tamen milites ex aliis cohortibus lecti et in ſubſidiis locati, Vacantibus Tribunis regendi committebantur, quemadmodum docet Vegetius in lib. 3. cap. 17. Ut autem Tribuni Vacantes, ita et Comites, et Praefecti, et ceteri Vacantes dicebantur, qui codicillos quidem earum dignitatum a Principe acceperant, ſed in actu minime erant poſiti. quare praecincti honore otioſi cinguli dicuntur in lege ult. Cod. de primiceriis et ſec. Ita ἔπαρχον μέχρι προσηγορίας Praefectum Praet. Vacantem dixit Eunapius in Libanio p. 174. Commelin. τῶν δὲ μετὰ ταῦτα βασιλέων καὶ τῶν ἀξιωμάτων τὸ μέγιστον αὐτῷ προσθέντων, τὸν γὰρ τῆς αὐλῆς ἔπαρχον μέχρι προσηγορίας ἔχειν, αὐτὸν ἐκέλευον. Id eſt: *Cum vero ſubſecuti Principes ampliſſimum dignitatis gradum ei tribuiſſent, (nam Praefecturae Praet. honorarios codicillos ei offerebant) ipſe recuſavit.* Vacantes tamen ab Honorariis diſtingui videntur in Novella Theodoſii de Metatis. VALES.

Ex Campiductore] Inſ. lib. XIX. 6, 12. *Campiductoribus ut fortium virorum anteſignanis.* Chryſoſtomus ad Innocent. Epiſcopum: Καμπιδούκτορας ἀντὶ διακόνων προηγουμένους ἔχοντες. Urbicius in Tacticis: ὅτε θέλει κινῆσαι σημαίνει ἢ βουκίνῳ ἢ τῇ τυμπάνῳ ὁ καμπιδούκτωρ. Acta Martyrii S. Mauricii, a Simlero edita p. 138. *Cum Exſuperio, quem exercitus appellat Campiductorem.* Vid. Veget. de re milit. Gloſſ. et Schol. Juvenal. Inſcript. vet. Romae: NEMESI SANCTAE CAMPESTRI. PRO. SALUTE. DOMINORUM N. N. AUGG. P. AEL. P. F. ARLIA. PACATUS. SCUPIS. QUOD. COH. DOCTOR. VOVERAT. NUNC CAMPI DOCTOR COH. I. PR. P. V. SOMNIO. ADMONITUS POSUIT. L. L. LINDENBR.

Ex Campiductore.] Regius liber ſcriptum habet *ex Campidoctore:* quae ſcriptura magis placet, tum quia in Gloſſis vete-

ribus, et apud Lampridium in Alexandro c. 53. ac Vegetium ita appellantur: tum maxime propter auctoritatem antiquae inscriptionis, quam hic profert Lindenbrogius. Sunt autem Campidoctores, qui scientiam armorum, et omnes armaturae numeros militibus tradunt; unde ὁπλοδιδάκται in Glossis veteribus appellantur. Casaubonus tum ad Theophrasti Characteres, tum in Polybii lib. 2. pag. 150. ὁπλομάχους Campidoctores vertit, quod equidem probare non possum. Quippe ὁπλομάχοι artem tractandorum armorum ephebis tradebant in Graecia, ut docet Teles apud Stobaeum: ἔφηβος γέγονε; τὸν κοσμητὴν φοβεῖται, τὸν παιδοτρίβην, τὸν ὁπλομάχον, τὸν γυμνασίαρχον. Sextus Empiricus lib. 2. de Philosophia, cap. de Demonstratione (p. 535. Fabric.): ὥσπερ, inquit, ὁ παιδοτρίβης καὶ ὁ ὁπλομάχος ἔστ' ὅτε μὲν λαβόμενος τῶν χειρῶν τοῦ παιδὸς ῥυθμίζει καὶ διδάσκει τινὰς κινεῖσθαι κινήσεις· ἔστ' ὅτε δ' ἄπωθεν ἑστὼς καὶ πως κινούμενος ἐν ῥυθμῷ παρέχει ἑαυτὸν ἐκείνῳ πρὸς μίμησιν. Id est: *Ut exercitator, et doctor armorum interdum quidem apprehensis pueri manibus eum format, certosque motus quosdam corporis edens, imitandum se ei proponit.* Denique Theophrastus in descriptione τῆς ἀρεσκείας, ὁπλομάχους in palaestris specimen sui edidisse testatur. Quare armorum doctores, seu magistros cum Vegetio libentius verterim. Differunt autem armorum doctores a Campidoctoribus, ut genus a specie. Certe Vegetius in lib. 1. cap. 3. Campidoctores ab armorum doctoribus videtur distinguere. quippe armorum doctores tractandorum armorum scientiam solis fere tironibus tradebant: at Campidoctores armaturae numeris ac motibus milites imbuebant, ut in libro superiore dixi. *Erant autem ut plurimum veterani milites, ut docet Plinius in Panegyrico c. 13. qui eorum loco postea adscitos esse ex Graecia magistros queritur.* VALES. Conf. Besselii Miscell. p. 154. et 255. W.

extractis vitalibus] i. e. intestinis. ch. XVI, 12. XXII, 15, 52. XXIV, 4, 30. W.

11. *Iussi sunt attineri.*] Sic loquitur Symmachus in Epistola 56. libri 10. VALES. *Poenalibus clanstris*, carceribus, XIX, 12, 7. ferrum poenale XXVIII, 1, 7. gladius XIV, 5, 9. mors XIV, 9, 6. *pronuntiati*, publico condemnati. W.

CAPVT IV.

1. *Lentiensibus Alemannicis pagis.*] Infr. lib. 31. c. 10. §. 2. *Lentiensis Alemannicus populus, tractibus Raetiarum confinis.* Videtur esse locus quem hodie Germani *das linkgavv* vocant. De pagis vero, quorum hic et alibi apud Ammian. mentio, erudite multa ex veterum scriptis, quae secretis dispersa monumentis latent, collegit V. Cl. Marq. Freherus in Originib. Palatinis cap. V. LINDENBR. *Alamannos*, a pluribus coeli plagis Romanis conterminos L. XIV, 10. vidimus ad Basileam post cladem Romanis inlatam fusos et ad petendam pacem compulsos. Iam vero alia huius populi pars, *Lentienses* dicti (in Curia Rhaetorum, ubi etiamnum pagus Lens est) in fines Romanorum incursiones fecerunt. Cf. Mannert Germ. p. 296. W.

Digitized by Google

In Raetias composque venit Caninos.] Sunt qui tractum illum designari putant, quem hodie *Churvvalhen* appellant. Et Campos Caninos recte dici posse *der Gravven Beldboden.* *Vide Tschudum p. G. 2. Simler. 103.* Unde et Raetos ipsos a cano colore *Grisones*, et a confoederatione mutua *Gravvpundter* etiamnunc vocari scimus. *Sidon. Apollin. Carm. 5. v. 377. *Perque canis quondam dictos de nomine campos.* Gregor. Turon. lib. 10. c. 3. optime loci situm notat: *Ad Mediolanensem urbem advenit: ibique eminus in campestria castra posuerunt. Olo autem Dux ad Bilitionem hulus urbis castrum, in campis situm caninis, importune accedens, iaculo sub papilla sauciatus cecidit et mortuus est.* LINDENBR.

Arbetio.] XIV, 11. XV, 2. W.

2 *Extenditur penes Lepontios.*] Totus hic locus mirifice interpolatus erat. In editione quidem Romana legebatur: *Inter montium celsorum anfractus impulsu immani Rhem. . . . . pulos extenditur . . . . . nes adoptas, ut . . . . . cataractas inclinatione praeteriti funditur Nilus . . . . . , ab ortu poterat ad primogenio copils . . . . . , propriis inruenti curreret sim . . . . . Iamque ad . . . . . solutus altaque divortia riparum arradens, etc.* Has omnes lacunas Petrus Castellus prorsus infeliciter expleverat hoc modo: *Impulsu immani Rheni discurrentis extenditur penes Lepontios, ut per deciduas cataractas inclinatione pernici funditur Nilus, torrente ab ortu protinus primigenio copiis aquarum propriis inruenti cursu simplici. Iamque adiutus nivibus liquatis ac solutis, altaque divortia, etc.* Secuti deinde Accursius et Gelenius hanc stupidissimi hominis emendationem retinuerunt, quod equidem satis mirari non possum. Ego vero scriptae lectionis vestigiis insistens, huius loci verissimam emendationem deprehendisse mihi videor. VALES. *Rhenus immani pulsu exoriens*, magno cum impetu aquarum ex ipsis fontibus molem emittit, cf. XXII, 13, 4. ubi *pulsus* itidem de fonte. W.

Rhenus exortens per praeruptos scopulos extenditur.] Lacunam quae tum in Editione Romana, tum in Mss. codicibus, Vaticano, Florentino, ac Regio exstat, supra exhibui. Eam autem aliter expleri non posse, quam eo modo quo a nobis expleta est, quisquis animum intenderit confitebitur. Quid enim, hi apices scriptae lectionis, ... *pulos extenditur*, nonne aperte significant *scopulos* prius scriptum fuisse? quod clarius etiam demonstrat sequens Rheni comparatio cum cataractis Nili. VALES. Haec summi viri ratiocinatio procedit quodammodo in literis *pulos*, sed non etiam probat adiectionem *praeruptos*, quam vocem mutatus ἀ πάνυ videtur ex loco libri XXII, quem mox citat. Et sane tales eos fuisse, quid erat necesse scribi, quum mox dicat ruenti currere similem potius, quam fluenti? unde satis colligitur tales fuisse. Quin etiam an non *populos* suppleri posset, et si lacunae spatium ita indicaret *per Alpinos populos*, Vennonetas scilicet ac Sarunetes, in quibus in ortu prolabi Rhenum testatur Plinius, ac Tulingos. Considerent spatium lacunae, quibus ea felicitas est; nam et in prima Valesii editione longe est amplius. GRON.

Nullis aquis externis adoptatis.] Sic fere a Marcellino scriptum fuisse, tum vestigia veteris scripturae testantur, tum aliorum locorum collatio, ubi Marcellinus eodem modo locutus est.

Nam in fine capitis 7. lib. 18. ita dicit: *Ubi tenuis fluvius prope originem et anguſtus, nullisque adhuc aquis advenis adoleſcens, facile penetrari poterit, ut vadoſus.* Et in libro XV. c. 11. §. 18. de Rhodano: *Hinc Rhodanus aquis advenis locupletior.* Ceterum adoptatae aquae eleganti metaphora dicuntur, quae in potioris fluvii nomen tranſeunt: quo etiam ſenſu infra XV. 11. 17.) de Rhodano ſcribit: *Ararim quem Sauconnam appellant, inter Germaniam primam fluentem, ſuum in nomen adſciſcit.* VALES. Quid certius eſt, quam ex lectione ſcripta duntaxat legi debere *nullos externos* vel potius *advenas amnes adoptans?* An reſpexit auctor Ovidium, apud quem Achelous ad Oeneum lib. IX. Metam. v. 19. *Nec gener, externis hoſpes tibi miſſus ab oris, Sed popularis ero et rerum pars una tuarum.* GRON.

Ut per . . . . . cataractas inclinatione praecipiti funditur Nilus.] Non placet, immo displicet prorſus coniectura Caſtelli, qui *deciduas* ſupplevit: quod Latinum non eſt. Quod ſi coniecturae locus eſſet, mallem equidem *declines*: ſed cum absque hac voce conſtet ſenſus, nihil hic coniectura opus eſſe exiſtimavi. Reſtitui autem, *inclinatione praecipiti*, exploſa illa Caſtelli emendatione: cum hanc ſcripturam et elegantiorem eſſe intelligerem, et propius ad veterum exemplarium lectionem accedere. Nam in vetuſtis codicibus obſervavi, plerumque caninam literam ſcribi inſtar *p* ſeu ῤ̃ Graecanici. VALES. Niſi vetus lectio indicet *praeceleri*. Praecipitium enim per inclinationem deſignari ſatis videtur. GRON. Illuſtr. *Muellerus* Geſch. d. ſchweizer. Eidgenoſſenſch. B. 1. S. 65. ed. Lipſ. catarrhactam prope Scaphuſiam in hoc Ammiani loco inveniſſe ſibi viſus, ad hanc ſuam ſententiam tuendam nonnulla mutavit; nam pro *exoriens* mavult *diſcurrens*, et paullo poſt: per praeruptos ſcopulos, (omiſſo *extenditur*) perque *deciduas* cataractas inclinatione *pernici* funditur, ut Nilus. Diſſentientem tamen in eo habet vir praeſtantiſſ. popularem, qui poſt eum ſcripſit, *Franc. Lud. Hallerum* in *Verſ. einer Geſch. d. Helvetier unter den Römern. Zür.* 1793. S. 264. qui, uti ſcriptores priſcos omnino, ita et Ammianum catarrhactam Scaphuſienſem, quae ſerius demum viam ſibi aperuerit, ignoraſſe contendit. W.

Et navigari ab ortu poterat primigenio.] Haec quidem et ſequentia ita a Marcellino, ut edidimus, ſcripta fuiſſe, quovis pignore contenderim. Nec magnae difficultatis erat veram huius loci ſcripturam ex his veſtigiis elicere. Sic enim habent ſcripti codices, Regius, Vaticanus ac Florentinus: *Et . . . . . gari ab ortu poterat primigenio copiis eduerans propriis inruenti curreret ſim . . . . . s quam fluenti.* In Mſ. codice Toloſano hunc locum ita ſcriptum inveni: *Et Navigari ab ortu poterat ad primigenios copiis ſe duerans propriis, ni ruenti curreret ſimilis . . . . . quam fluenti. Iamque abſolutus*, etc.* Etſi autem haec emendatio adeo illuſtris eſt, ut nullam auctoritatem deſideret; tamen Marcellini ipſius teſtimonio a me confirmabitur. Is enim in lib. 22. c. 15. §. 9. de Nilo perinde locutus eſt: *Exundatione ditiſſima ad cataractas, id eſt, praeruptos ſcopulos venit, unde praecipitans ruit potius quam fluit.* Quemadmodum Plinius etiam ac Solinus de Nilo dixerunt. VALES.

3. *Iamque abſolutus.*] In Editione Romana perinde ut in ceteris MSS. exemplaribus ſcriptum eſt: *Iamque ad . . . . . ſolutus.* Unde Petrus Caſtellus egregiam hanc nobis lectionem effinxit: *Iamque adiutus nivibus liquatis ac ſolutis.* Quali vero ea ſit mens Marcellini, hinc augeri flumen Rhenum, quippe qui ante dixerat eum ab ipſo ſtatim fonte grandem fluere, ac copiis propriis exuberare: ſed id tantum dicit, poſtquam confragoſa loca permeavit, per valles eum tantiſper fluere, ac mox in Brigantinum lacum ferri. Rectius ergo hic reſcripſi: *Iamque abſolutus, etc.* Quod quidem ad veterum codicum ſcripturam propius accedit. Ac fortaſſe etiam aliquot praeterea deſunt vocabula, (eſt enim maior lacuna) quae ſuppleri poſſunt in hunc fere modum: *Iamque anguſtiis abſolutus, etc.* VALES. Atqui lacuna eſt inter literas *ad* et *ſolutus*, non inter *iamque* et *ad*, in qua parte ſupplet vir Clariſſimus. Quod neſcio utrum magis improbem, quam quum in prima coniectura lacunam pro vana ac temeraria habet. Certe utrumque non illi ingenio ac doctrinae conveniens. Itaque ut Mela ſcribit de Nilo, *usque ad Elephantidem urbem Aegyptiam atrox fervensque decurrit; tum demum placidior et iam bene navigabilis*, eandem rationem in Rheno ſuo obſervari ab Ammiano exiſtimans collegi ſervatis ſcriptorum codicum literis ſupplendum eſſe *iamque ad Coriam ſolutus.* Coria vetuſta et primaria urbs eſt fere media inter ortum Rheni et lacum Brigantiam, hodieque nota. Ibi ſolutus ab illis celſorum montium anfractibus, ut docet geographia. GRON. *Iamque abſolutus* montium anfractibus, et in iuſtum flumen abiens; (paullo poſt: *vocabulo et viribus abſolvitur integris*, quae confert etiam Ernelli in Gloſſ.) *alta divortia riparum adradens*, alveum ſibi quaſi eruens. W.

Altaque divortia riparum adradens.] Sic *divortium itineris*, lib. 28, c. 5. §. 6. Feſt. Avien. in Ora marit. *Oſtiorum divortia*, Epigramma vetus:

— — ad divortia Rheni
Pervaſi, hoſtiles depopulatus agros. LINDENBR.

Quem Brigantiam accola Raetus appellat.] Hodie lacus Conſtantienſis dicitur, ab urbe Conſtantia. Brigantinum lacum vocat Solinus in cap. 24. *lacum Raetiae Brigantium Plinius libri 9. cap. 17.* Qui ſic dictus videtur a Brigantiis populis, quos Vindelicis proximos facit Strabo, urbesque habere dicit Brigantiam et Campodunum. *Vulgo dici hunc lacum *Der Bodenſee*, ait Cluverius in lib. 1. pag. 64. et in lib. 2. capite ultimo, in quo etiam affirmat, eius lacus ſummam longitudinem eſſe millium 40. latitudinem maximam ſex; arguitque Strabonem et Marcellinum.* VALES.

Squalentium.] paludibus diſtinctarum. W.

Vetus illa Rom. virtus et ſobria.] Sobrios eo ſaeculo dicebant viros prudentes et graves ac moderatos. Sic Atilius Fortunatianus in lib. de metris: *Hexametrum autem et Heroum volunt quidam ab eo dictum, quod hoc magna et ſobria canantur, ut Heroes magni et ſobrii.* Et Arnobius in lib. ult. adverſus gentes: *Vir alioqui gravis, et ſobriae religionis.* Ioſippus, quem vulgo Hegeſippum vocant, in lib. 1. de excidio Hieroſol. de Hyrcano: *Moderator egregius, et pulcre ſobrius.* Et in lib.

Digitized by Google

4. cap. 2. *Itaque ille praestantissimus, qui inter adversa sobrius colluctatur casibus.* Quod Iosippus ex quo haec conversa sunt, ita scribit Graece: κἀκεῖνος ἄριστος, ὁ κἀν τοῖς εὐτυχήμασι νήφων. Quomodo et Antoninus Aug. loquitur in lib. 1. de vita sua, (sect. 16. p. 12. Wolle) cum ait: μήτε περὶ τοὺς θεοὺς δεισιδαίμον, μήτε περὶ ἀνθρώπους δημοκοπικὸν ἢ ὀχλοχαρὲς, ἀλλὰ νήφοντα ἐν πᾶσι καὶ βέβαιον. et paullo post ἐννήφειν ἑκατέρῳ dicit, quod est moderate in utroque se gerere et sobrie. Ac quemadmodum Antoninus τὸ νήφον opponit τῷ δημοκοπικῷ ἤθει; ita D. Ambrosius in Ep. 6. sobrium populari. sic enim dicit: *Nihil in Sacerdotibus plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum studio atque usu, et moribus inconditae multitudinis. Sobriam in turbis gravitatem, singulare pondus dignitas sibi vindicat Sacerdotalis.* Eodem sensu Agellius in lib. 1. cap. 10. *antiquitatem sobriam* cognominat: quem imitatus est Ammianus in libro 31. c. 10. §. 6. et 19. VALES.

4. *Velut finali interfecat libramento.*] Antonius Loisellus ad oram codicis sui adnotarat legendum videri *funali*: ut funale libramentum idem sit quod libella, quae Graeco στάθμη. Potest tamen vulgata lectio defendi. IDEM. *Finali libramento.* Est punctum, quo motus sit in libra; *finali*, quod fines praescribit, ultra quos progredi non liceat, si aequilibrium servandum sit. — Melius tamen videtur *funali libramento.* W.

Elementum] eo sensu, quo philosophi principia rerum στοιχεῖα adpellare solent, (v. Dorville ad Charit. p. 579. ed. Lips.) ergo h. l. *aqua perenni discordia separata*, quae aliis nunquam se miscet elementis, *vocabulo et viribus absolvitur integris*, nec nomen amittit nec vim aquarum, *nec contagia* (metaphora prope poetica) *patiens*, i. q. paullo superius: *nullis aquis externis adoptatis.* — *intimatur.* Verbum cadentis latinitatis, effunditur, exoneratur. W.

Subluvie] Reinesius adscripserat: veteres libri Appuleii Lib. 9. *ad viam prodimus sub* (distincte, ut duae voces sint) *luvie coenosa lubricam.* Rectum tamen *subluvie* (una voce). Gloss. H. Stephani: ὑπόκλυσις, subluvies, v. Pricaeum ad App. p. 495. W.

5. *Et confusum misceri non potest corpus.*] Editio Romana hunc locum sic exhibet, *Flumens et confusum*: neque aliter in exemplari Bibliothecae Reg. prius scriptum erat: sed ab exscriptore ultimum illud σίγμα erasum est: quod tamen ad sententiam huius loci necessarium esse existimo. Scribo itaque: *Sed confusum misceri non potest corpus.* VALES.

Nulla vi.] summa adeo attentione, acie oculorum, adhibita, nullo modo. W.

6. *Alpheus oriens in Arcadia cupidine fontis Arethusae.*] Theon Sophista, pag. 112. Ἔρως ἅπτεται ποταμοῦ· πόθον οὖν ἐμβέβληκεν Ἀλφειῷ Σικελικῆς πηγῆς Ἀρεθούσης τοὔνομα. πλησίον δὲ ἔρχεται δι' Ἰονίου παρ' αὐτήν, φυλάττων ἀμιγὲς καὶ ἐν θαλάττῃ τὸ ῥεῖθρον. Vide Plutarch. de Fluminib. Fulgent. Mythol. lib. III. fab. ultima. Placid. Lactant. Theb. lib. 1. ad illum versum — *Sicantos longe relegens Alpheus amores.* Serv. in Virgil. Aen. III, 694. LINDENBR.

Adusque amatae confinia progreditur.] In Editione Romana sic legitur hic locus: *Adusque amatae confinia progrontusque*

barbaros. Sequitur deinde lacuna quatuor linearum. Petrus autem Caſtellus partim ſupplevit, partim emendavit hoc modo: *Adusque amatae confinia proruit nymphae. Arbetio qui adventus barbarorum nuntiarent, non expectans.* Quae quidem ſpuria ac temere inſita eſſe nemo eſt qui non videat. Ac profecto maior huius loci lacuna eſt, quam ut coniectura cuiusquam ſuppleri poſſit. Ceterum τὸ *progreditur* eſt ab emendatione Sig. Gelenii profectum, quam tamen proprietas Latini ſermonis refutat. In codice Regio ea vox deeſt: *in Toloſano legitur, progreſſusque barbaros.* VALES.

7. *Aſpera orſa bellorum.*] Quod unum in tam foede corrupto loco poſſum, id ſedulo facio, ut lectorem admoneam, quid genuinum, quid ſpurium, et a correctoribus inſertum ſit. In Editione igitur Rom. et in Regio *Toloſanoque* codice ita ſcribitur hic locus: *Dum adeſſent licet ſcirent ..... orta bellorum, in occultas delatus inſi ..... immobilis malo repentino perculſus ... niſi e latebris hoſtes exiliunt, et ſine pars ..... nia quidquid offendi poterat, etc.* Quae quidem hoc modo edi cum lacunis ſcriptorum codicum praeſtabat, quam ſuppleri adeo infeliciter, ut a Caſtello factum eſt. IDEM. *Aſpera orſa bellorum* ſibi in montium anguſtiis atque difficultatibus bellum incipiendum: *in occultas delatus inſidias.* ubi nunc eſt *Lucienſteig.* Mueller l. l. W.

Inſidias veluti immobilis.] Recte, ut arbitror, et certiſſima coniectura ſic reſtitui: *In occultas delatus inſidias ſtetit immobilis.* Ita enim loqui ſolet noſter Marcellinus omnibus propemodum paginis. VALES.

8. *Et ſine aliqua intermiſſione.*] Ex lectionis ſcriptae veſtigiis, quam ſupra propoſuimus, apparet legendum eſſe: *Et ſine parcimonia.* Quae phraſis Marcellino noſtro familiaris eſt, adeo ut exempla congerere, putidae et odioſae diligentiae ſit. VALES.

10. *Et in tuto fore reſidua credens.*] Sic primus edidit Sigism. Gelenius. Nam Caſtellus locum ſuo more corruperat. Videndum eſt tamen, ne ſatius ſit ſic legere: *Et intuta fore reſidua credens.* In Mſ. enim codice Regio, [et Colbertino,] et in Editione Rom. ſcriptum reperi: *In tota fore reſidua,* IDEM. *Intuta fore reſidua credens,* reliquis militibus haud ſatis tuto confidens. W.

Qui equeſtrem turmam Comitum tuebatur.] Hi Comites diverſis cognominibus appellati, inter vexillationes militabant ſub Magiſtris militum. Alii enim Comites ſeniores, alii iuniores, alii Comites Clibanarii, alii Sagittarii, alii aliter dicebantur. De Comitibus Sagittariis loquitur Marcellinus noſter in fine lib. 18. c. 9. §. 4. his verbis: *Aderat Comitum quoque Sagittariorum pars maior, equeſtres videlicet turmae, ubi merent omnes ingenui barbari.* VALES.

Et Bappo ducens Promotos.] Promoti quoque inter vexillationes merebant. Equites Promoti in Notitia Imperii Rom. appellantur: eorumque iterum meminit Marcellinus in lib. ult hiſce verbis: *Inter hos etiam Promotorum Tribunus Potentius cecidit.* Ceterum quod ad Bapponis ipſius nomen attinet, neſcio an idem ſit, qui poſtea Praefectus urbi Conſtantinop. fuiſſe dicitur Modeſto et Arinthaeo Coſſ. in leg. 21. Codicis Th. de Praeto-

Digitized by Google

ribus. VALES. Praefectus fuit non Conſtantinop., ſed Romae, v. Corſini de Praeff. urbis p. 251. W.

Cum commiſſis ſibi a Principe.] In huius loci corruptione apparet praecipue temeritas Petri Caſtelli. Nam cum in Editione Rom. quam velut archetypum habebat, ſic legeretur perinde ut in codice Regio: *Et Bappo ducens promoto ..... miſſis ſibi ..... cauſa communis velut propria ..... veterum exemplo uſuentere fulminis hoſtibus ſuperfuſi, etc.* Caſtellus hoc edidit modo: *Et duces Promotorum cum miſſis ſibi a Principe ruebant auxiliis. Urgebat cauſa communis velut propriam viri cunctis arcentibus, veterum exemplo accolarum fluminis hoſtibus ſuperfuſi.* Quae quidem delirantis hominis ſomnia eſſe nemo erit, qui non fateatur. Ita Gelenius, cui de correctoris facinore aliquid ſuſpicionis obvenerat, nonnulla ex his reſecuit, alia in meliorem ſenſum planioremque reformavit. Sed vir doctiſſimus in eo quidem luſit operam. VALES.

11. *Cauſa communis velut propria.*] Huius loci licet mutili ſenſum deprehendere facile eſt: vult enim dicere Marcellinus, milites ducum exemplo incitatos, publicum dedecus, cladem ſcilicet Arbetionis temeritate acceptam ulciſci properaſſe, non ſecus ac ſi privata ipſorum res ageretur. Quo ſenſu Nazarius in Panegyrico in Conſtantini quinquennalibus dicto: *Secuti*, inquit, *hunc ardorem fortiſſimi milites, et dignos ſe ductu eius imperioque teſtati, ſic viritim laboraverunt, quaſi ſumma res ſingulorum manu niteretur.* Eodemque pene modo Pacatus in Panegyrico: *Milites*, ait, *priſtinae virtutis, Romani nominis, Imperatorum denique memores, cauſam publicam manu agere.* In eam ſententiam eleganter Chryſoſtomus in Homil. LX. in Matthaeum: ἐν πολέμου παρατάξει ὁ πρὸς τοῦτο μόνον ὁρῶν στρατιώτης, ὅπως ἑαυτὸν διασώσειε φεύγων, καὶ τοὺς ἄλλους μετ' ἑαυτοῦ προσαπόλλυσι· ὥσπερ οὖν ὁ γενναῖος καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων τὰ ὅπλα τιθέμενος, μετὰ τῶν ἄλλων καὶ ἑαυτὸν διασώζει. Eadem dicit Xenophon in lib. II. de inſtitutione Cyri pag. 51. VALES.

Vim cunctis arcentibus veterum exemplo accolarum fluminis.] Nihil potuit ineptius excogitari. Nam primo Romani non iam vim arcent, ſed ipſi ultro laceſſunt barbaros: deinde quid ſibi volunt hic exempla accolarum fluminis? Quod ſi nobis hic ariolari licet, ſic fere ſcriptum eſſe a Marcellino cenſeo: *Et Bappo ducens Promotos. Iamque propilatis miſſilibus ac verutis cum urgeret cauſa communis velut propria, animati milites rectorum exemplo, inſtarque fluminis hoſtibus ſuperfuſi, etc.* Extrema quidem ita ab Marcellino conſignata fuiſſe non dubito. Sic enim loqui ſolet, ut in lib. 14. c. 5. §. 6. de Paulo: *Iuſſa licentius ſupergreſſus, fluminis modo fortunis complurium ſeſe repentinus infudit.* VALES. Cf. Dorvill. ad Charit. p. 551. W.

Non iuſto praelio, ſed diſcurſionibus praedatoriis.] Extrema vox a P. Caſtello ex coniectura ſuppleta eſt, cum in Editione Rom. vacuum ſpatium eſſet relictum, quemadmodum etiam in exemplari Regio deprehendi. VALES.

Corpora, nudantes intecta.] „Nihil inſulſius. Quid huc facit *intecta*? cum nudata corpora dicat. Scribe igitur *interea*." Haec ex Boxhornio adſcripſit Reineſius. Nihil vero mutandum, nec aliter XIX, 11, 15. *latera nudantes intecta.* Corpora intecta ſunt

corporis partes, clypeis ocreisve non munitae; poplites, surae, dorsa, uti est XXVII, 10, 15. W.

12. *Eorum dorsis videbantur innixi.*] Emendavi, *Eorum dorsis nidebantur innexi*, ut codex Regius [et Colbertinus,] ac Editio Romana praeferebant. VALES.

CAPUT V.

1. *Extincturus.*] Malim *destructurus*, quod *turbini* magis aptum, et a Codice antiquo firmatur. W.

2. *Pedestris militiae rector iratus.*] Etiam tacente me facile coniiciat lector ultimam vocem a Castello huc intrusam fuisse; quid enim sibi vult iratus hic Silvanus? Sane nec Editio Rom. nec Regius codex eam vocem agnoscunt. Sic enim Rom. praefert Editio: *Pedestris militiae rector id efficax ad haec corrigenda.* [uti et codex Colbertinus.] Regius autem liber, *rector in efficax, etc.* VALES.

Efficax.] idoneus, strenuus. cf. XVI, 12. efficaciss. Caesar XVI, 4. W.

Primum ipsis supervenit.] Longe aliam lectionem servant manuscripti codices Regius Florentinus, Vaticanus, Fauchetii, quibus consentit etiam Editio Romana. Sic enim habent: *Primum ipsius superrexit.* Ex quibus licet corruptissimis veram huius loci emendationem elicui: *Principis iussu perrexit.* VALES.

Gravabatur, periculosae molis onus impingeret.] Et haec spuria sunt, ex Castelli coniectura profecta. In Editione enim Rom. perinde ut in ceteris codicibus MSS. legitur hoc modo, *grav.....* Sequitur deinde lacuna trium circiter linearum. VALES.

3. *Actuarius sarcinalium Principis inmentorum.*] Nomen quidem huius Actuarii supplere nequaquam difficile est, quippe cum ex sequentibus appareat Dynamium intelligi: cuius etiam meminit Iulianus in Epist. ad Curiam et populum Athen. p. 273. Spanh. his verbis: ἀλλ' ὡς ποῦπα αὐτῷ κατεμηνύθη τὸ πρᾶγμα, καὶ ἐξαίφνης Δυνάμιος ἄλλος συκοφάντης ἐκ Κελτῶν ἤγγειλεν, ὅσον οὔπω τοῦ Νείλου κἀν ἐν αὐτῷ πολέμιον ἀναφανεῖσθαι. Quae sic emendanda sunt: ὅσον οὔπω τὸν Σιλουανὰν αὐτῷ πολέμιον ἀναφανεῖσθαι. Eiusdem Dynamii meminit Zosimus in fine lib. 2. (c. 55.) Sed halucinari idem videtur, qui Galli Caesaris caedem Dynamio adscribat. Silvanum enim, non Gallum is calumnia perculit. Ceterum Actuarius sarcinalium Principis iumentorum is dicitur, qui curam gerebat describendi equos sarcinales Principis. Eodem modo Actuarius Thymelae equorumque curulium dicitur in lege 21. et 22. Codicis Th. de diversis officiis. Glossae veteres ὑπομνηματογράφον Actuarium, et Memoralium vertunt. Haec autem iumenta Principis sarcinalia ad Bastagam referre soleo, ita ut Actuarius sarcinalium iumentorum nihil aliud sit, quam Actuarius Bastagae; seu largitionalis, seu privatae, de quibus mentio fit in Notitia Imperii, et in Codice. Petrus Patricius in Historia Rom.: οἱ τοῦ Λικιννίου ἐφόδῳ λανθανούσῃ χρησάμενοι, τὸν βαστάγην αὐτοῦ μετὰ βασιλικῆς ὑπηρεσίας κατέσχον. Id est: *Liciniani subita incursione nec opinantes aggressi, sarcinalia Principis iumenta, cum omni Regio ministerio ceperunt.* VALES.

Ut quaſi.] Alterutrum abundat. W.

ſimpliciter.] i. e. lubenter, bono animo. Quod praecedit *nihil ſuſpicans*, fortaſſe gloſſema eſt. W.

4. *Lampadio Praefecto Praet.*] Cuius meminit Zoſimus lib. 2. ubi eum cum Dynamio et Picentio caedis Galli Caeſaris auctorem fuiſſe prodit; ſed, ut ſupra dicebam, fallitur graviter. VALES.

**Euſebio, cui cognomentum erat inditum Mattiocopae*] Sic Polemon apud Athenaeum Stelocopas dictus eſt Deipnoſophiſtarum lib. VI. In quem vide Caſaubonum capite V. Itaque Mattiocopas dictus eſt *παρὰ τὸν κόπτον τὸν περὶ τὰ μάτια*: quod minium diligens eſſet circa res minutas et parvas. Antonius Oiſellus V. Cl. I. C. in ſuis ad me litteris datis Lutecia anno 1611. ſcripſit, *Mattiocopam* cognomen ioculare et ridiculum ſibi videri, compoſitum ut *artocopa*: quo ſignificetur *caſſemiette*, aut *briſemie*: μάτιον enim micam ſignificat; κόπτειν, ſcindere, ſecare.* LINDENBR.

Mattiocopae.] D. Petavius vir longe doctiſſimus in Notis ad orat. 4. Themiſtii emendat, *ματιοκόπτῃ*, ut parcus ac ſordidus quidam intelligatur Euſebius: quos Graeci *ματιολοιχοὺς* (rectius *ματτυολοιχούς*, uti apud Ariſtoph. Nub. 451. cf. Lexic. Schneideri. W.) appellant, hoc eſt *χρυσιμίτρας*, ut explicant Grammatici, ſeu *ζυγοκρούστας*, ut loquitur Artemidorus in lib. 4. cap. 59. In Regio codice (et in Colbertino) ſcribitur *Mattiocobae*: neque ſecus in Editione Romana, Auguſtana, et Baſilienſi. *In Mſ. Toloſano *Mathiochobae.** Quare quis primus vulgatae ſcripturae auctor fuerit, incompertum habeo. *Forte *Himatiocopae* ſcribendum eſt: ut ſignificetur Euſebium, qui Comes fuerat Privatarum, veſtem Imperatoris privatam diripuiſſe et dilaceraſſe.* VALES. Weſſeling Obſſ. p. 462 emendat *ματυοκόπην*, a *ματύα*, rect. *ματτύα*, quae cupediorum genus eſt. cf. et Heynium ad Apollodor. p. 1145. In eandem, ut videtur, ſententiam Reineſius adſcripſerat: Lego *mattyocopae*, et ita cognominatum fuiſſe puto, quod eſſet ganeo et cupediarius. *ματτύα* enim quilibet cibus delicatus. W.

Aedeſio ex-Magiſtro Memoriae.] Videtur is eſſe, cuius mentio exſtat in veteri Inſcriptione huiusmodi: SEXTILIUS. AGESILAUS. AEDESIUS. V. C. CAUSARUM. NON. IGNOBILIS. AFRICANI. TRIBUNALIS. ORATOR. ET. IN. CONSISTORIO. PRINCIPUM. ITEM. MAGISTER. LIBELLORUM. ET. COGNITIONUM. SACRARUM. MAGISTER. EPISTULARUM. MAGISTER. MEMORIAE. VICARIUS. PRAEFECTURAE. PER. HISPANIAS, etc. Poſita autem haec ſtatua eſt Valente V. et Valentiniano iuniore A. Coſſ. ut ſubditum habet Inſcriptio: cum ea quae narrat hic Marcellinus, geſta ſint Conſulatu Arbetionis et Lolliani, id eſt, anno 22. ante huius ſtatuae dedicationem. VALES.

Ex-Magiſtro Memoriae.] Magiſter Memoriae adnotationes omnes, id eſt, breves Principis manu ſubſcriptos dictabat et emittebat, ut eſt in Notitia Imperii Romani. Unde *ἀντιγραφεὺς τῆς μνήμης* dicitur a Petro Patricio in Excerptis legationum; id eſt ad verbum, qui dictat ad memoriam, ut loquitur Vopiſcus in Caro c. 8. Similiter apud Socratem in lib. 5. Hiſt. Eccleſ. Eugenius tyrannus *ἀντιγραφεὺς τοῦ βασιλέως* fuiſſe dicitur, hoc eſt, Magiſter ſcrinii ſacri, Epiſtolarum ut opinor. Sozomenus lib. 7. cap. 13. officium Magiſtri Memoriae deſcribit his verbis: *μετακαλεσαμένη τοίνυν βενίβολον τὸν ἐπὶ τοῖς γραμματείοις τῶν δεσμῶν*

τότε τεταγμένον. Benivolum eum Magiſtrum Memoriae tum fuiſſe et Rufinus, et Gaudentius Brixienſis affirmant: quem Iuſtina evocatum adverſus fidem Catholicam legem dictare compellebat. At id potius erat officium Quaeſtoris, ſub cuius diſpoſitione erant leges dictandae, ut ſcribitur in Notitia Imperii Romani. Proinde auctor Hiſtoriae tripertitae cum ſupradicta Sozomeni verba interpretaretur, Quaeſtorem vertit, docte quidem, ſed parum vere: fuit enim tum Benivolus, ut dixi, Magiſter Memoriae. VALES.

Ad Conſulatum, ut amicos iunctiſſimos idem curarat ſubrogari.] Veterem ſcripturam quam Caſtellus temere reiecerat, hic quaſi poſtliminio reſtituimus: praeſertim cum et Regius codex, et Florentinus *Tololanusque* [et Colbertinus] Editioni Romanae ſubſcriberent. Sed antiqui moris ignoratio Caſtellum induxit, ut locum prava correctione interpolaret. Sciendum igitur eſt moris fuiſſe, ut Conſules deſignati amicos ſuos ad officium Conſulare, quod erat Kalendis Ian. evocarent: quod dicebant rogare ad Conſulatum. Pollio in Gallieno (c. 16.): *Matronas ad Conſulatum ſuum rogavit, iisdemque manum ſibi oſculantibus quaternos aureos dedit.* Et Symmachus in lib. 6. Ep. 10. et 37. Atque iuterdum Conſules deſignati non ſuis dumtaxat literis amicos evocabant, ſed etiam Principis ipſius literis per Agentem in rebus eos ad Conſulatum ſuum rogari curabant: quem honorem ſibi primo delatum eſſe ſcribit Libanius in Oratione de vita ſua pag. 67. (Reisk. T. 1. p. 137.) de Richomere Conſule loquens: καὶ μέλλων τελεῖν εἰς τὸν τῶν ὑπάτων χορὸν διπλοῖς με ἐκάλει γράμμασι· τοῖς μὲν αὐτοῦ, τὸ τῶν ἄλλων ποιῶν· τοῖς δὲ τοῦ βασιλέως, ὃ οὔπω πρόσθεν ἐγεγόνει. Id eſt: *Et cum Conſulatum eſſet initurus, duplicibus me literis evocavit; cum ſuis, in quo conſuetudinem aliorum ſecutus eſt: tum Auguſti, quod quidem nemini antea contigerat.* Sed an primum id Libanio tributum ſit, aliis disquirendum relinquo. Sub ea autem tempora id frequentiſſime uſurpatum eſſe, docent Symmachi Epiſtolae in lib. 5. et 6. Eiusdem generis eſt Epiſt. 20. Iuliani Auguſti ad Euſtochium, in qua haec leguntur inter cetera: ἧκε τοίνυν μεθέξων τῆς ὑπατείας αὐτός. Id eſt: *Venito igitur, ut ſportulam Conſularem ipſe accipias.* Ex his patere exiſtimo, quis ſit ſenſus eius loci, quem prae manibus habemus. Ait enim Marcellinus Lampadium Praefectum Praet. curaſſe, ut Euſebius et Aedeſius ſibi amiciſſimi ad officium Conſulare, Arbetionis ut puto, (is enim hoc anno Conſul fuit) ſeu ſi mavis, Lolliani, evocarentur. *Ceterum quod de Conſulibus dixi, idem etiam de reliquis magiſtratibus ſentiendum eſt, qui amicos ſuos ad officium ſuum et ſolemnem auſpicandi diem invitare conſueverant, ut teſtatur Chryſoſtomus in ſermone de ſanctis Berenice et Proſdoce pag. 634. καθάπερ οὖν ἄνθρωποι ἀρχὴν λαμβάνοντες πολλοὺς καλοῦσι τοὺς κοινωνήσοντας αὐτοῖς τῆς εὐφροσύνης.* VALES.

Verbis obliquis] obſcurioribus, ambiguis, infra XXIX, 1. *literae per ambages obliquas ſcriptae.* W.

Propediem ſoltum Principis aditurum iuvarent.] Et hanc lectionem excogitavit Caſtellus, cum in Editione Romana legeretur hoc modo: *Propediem locis principalis aditurum:* absque extrema voce, quam neque Regius codex, [nec Colbertinus,] neque ceteri, ut opinor, agnoſcunt. Quocirca ſic legendum puto: *Ut ſe altiora coeptantem, et propediem loci principalis adiuva-*

rent. Ita in lib. 16. c. 6. §. 1. de Arbetione: *Hoc quoque non contentus, ut parvo, locum appeteret principalem.* et supra in lib. 14. c. 11. §. 8. de Gallo: *Principem locum si copia patuisset affectabat.* Sane in Regio codice et Valentino distincte scriptum erat, *loci principalis.* VALES. *Altiora coeptantem et propediem solium Principis adituram.* Salmas. ad Scriptt. H. A. T. 1. p. 221. ex vestigiis antiquae scripturae mavult legi *captantem et propediem loci principalis potiturum.* Verissime, ni fallor: sic enim oratio est obliqua, quod secus esset in solio Principis adeundo. W.

Ad arbitrium figmenti commisit.] Totus hic locus non minus ad arbitrium figmenti interpolatus est a Castello, quam illae Silvani epistolae a Dynamio interpolatae sunt. Romanae quidem Editionis scriptura haec est: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti co ..... sit vitam pulsaturus insontes Adynamus coeptum Praefectus Imperatori avide scrutari haec et similia tensue terreret e....., id sole ingressus intimum caperem tempore, deinde sperans, ut pervigilem salutis custodem.* Atque ita prorsus habet Regius codex, [et Colbertin.] nisi quod *pulsaturum* scribit, et *salutis eius custodem.* Mihi in tam desperato loco, ut vulgo dicitur, aqua haeret. Priora tamen sic videntur legi posse commodius: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti compositum, multos pulsaturum insontes, a Dynamio susceptum Praefectus Imperatori avido scrutari haec et similia censuit offerendum.* Quae emendatio firmatur ex iis, quae paullo post sequuntur: *Dynamius compositas literas his concinentes, quas obtulerat Principi per Praefectum.* VALES. *Hunc fascem* (erant enim plures epistolae. v. supra.) *ad arbitrium figmenti commisit* cet. Totus locus, usque ad verba: *salutis imperatoriae custodem*, mire depravatus, ex quo nec, uti Valesio constituere eum placuit, idoneum sensum elicio. Lucem olim, quum Ammianum in linguam vernaculam converterem, tentavi adfundere, nec operae etiamnunc poenitet omnino, quamquam in ultimis vineta ipse mea caedere non erubesco. Sic igitur legendum esse putem: *Hunc fascem ad arbitrium figmenti* (arbitrariam, pro lubitu excogitatam fraudem: paullo inferius. ex libidine consarcinatae falsitatis.) COMPOSITUM *commisit, vitam pulsaturus* (sic existimationem pulsare XVIII, 4.) *insontis* (Silvani) *Dynamius Praefecto,* (haec firmantur paullo inferius sequentibus: *quas obtulerat Dynamius principi per Praefectum) ut pro Imperatore scrutaretur. Hic et similia cum astu texeret* (Silvano et ipse nocere machinaretur) *Consistorium solus* (quod licebat Praefectis Praetorio. v. Haubold de Consistorio Principum Diss. 1. p. 48.) *ingressus* EST *intimum, captato tempore* SISTERE (probare) SE *sperans pervigilem salutis imperatoriae custodem.* Possis etiam propius ad literas legere EXHIBERE SE vel EVINCERE SE, i. e. praestare, qua significatione occurrit ap. Val. Flaccum 1, 248. W.

Vitam pulsaturus insontis.] Multis de causis displicet haec lectio. Primo enim parum Latina huiusmodi locutio est: deinde non solius Silvani vita calumniis appetebatur, sed eorum quoque omnium ad quos scriptae erant epistolae. Quare potior videtur Regii codicis scriptura, ac Rom. Editionis. Sic Marcellinus noster infra c. 6. §. 2. de Proculo Silvani domestico: *Memor,* inquit, *somnii quo vetitus erat per quietem pulsare quemquam insontem.*

Digitized by Google

Et in lib. 29. c. 2. §. 8. de Heliodoro: *Quam praecipiti confidentia Patriciatus columina ipsa pulsavit.* VALES. Ammianus 18. 4, 4. habet *existimationem* pulsare. Quidni ergo et *vitam?* W.

5. *Consistorium solus ingressus intimum.*] Ita supplevit P. Castellus, inepte, ut solet: quasi haec de Dynamio intelligerentur, homine vilissimo, ac non potius de Lampadio, Praefecto Praetorii, qui fascem epistolarum a Dynamio susceptum ipse Principi obtulit, ut supra notavi. Quod si coniecturae locus esset, sic fere scriptum esse existimarem: *Et illucescente vix sole conclave ingressus est intimum, etc.* ut in fine lib. 30. c. 6. §. 3. de Valentiniano ictu sanguinis percito scribit: *Concursu ministrorum vitae secretioris ad conclave ductus est intimum.* VALES.

Ut pervigilem salutis imp. custodem.] Non assentior Castello, qui haec ad Silvanum retulit. Mihi non dubium est, quin de Dynamio aut potius Lampadio intelligenda sint, qui de industria in palatium diluculo venerat, Silvani literas Principi oblaturus, ut pervigil ipse salutis imperatoriae custos haberetur. Sic Marcellinus in lib. 16. c. 8. §. 7. de Rufino delatore quodam Dynamii simillimo: *Quo cognito,* inquit, *Constantius gemens, et tamquam vindicem salutis suae lugens exstinctum.* VALES.

6. *Homines dicatos Imperio.*] Imperatores, quibus commissi exercitus. — *necessitudinibus suis* coniuge et liberis, uti XVII, 1, 6. — *Mallobaude,* idem qui XIV, 11, 21. MEllobaudes, quae librariorum inconstantia et alibi in hoc viro occurrit. vid. Ind. t. W.

7. *Compositu forte turbabit.*] seditionem excitabit, de qua antea ne cogitaverat quidem. W.

8. *Qui incidens Principi in Galliis.*] Longe aliter scriptum erat in Editione Romana. Sic enim habet: *Qui incidentis..... cum ventis et in Gallias dissidens a mandatis qui proficiscenti sunt data:* eodemque plane modo scriptum est in Regio [et in Colbertino] *ac Tolosano* exemplari. At Castellus, vir ad delirium usque fatuus, locum sic pro libidine refinxit: *Qui incidens Principi in Galliis dissidens a mandatis conventis quae proficiscenti, etc.* Quanto sapientior Gelenius, qui in Editione Basiliensi sic edi iussit: *Qui incidentis .... cum venisset in Gallias, dissidens a mandatis conventis, etc.* Equidem si quid mei iudicii est, sic a Marcellino nostro scriptum fuisse censeo: *Qui incidentia parviducens, cum venisset in Gallias, dissidens a mandatis quae, etc.* explosa illa insiticia voce *conventis,* quam Castellus ex corrupta Editionis Rom. scriptura *cum ventis* temere huc intruserat. Coniecturae autem nostrae suffragatur ipsemet Marcellinus, qui in lib. 31. c. 10. §. 19. de Gratiano sic ait: *Incidentia multa parviducebat et seria.* IDEM. Cur igitur aut unde editum *parvi pendens?* GRON.

Adscitoque Rationali.] Rationales in provinciis bona caduca et vacantia fisco vindicabant. Horum duo genera fuere: alii Rationales rerum privatarum, alii Largitionum sacrarum, ut patet ex lege 4. Cod. Theod. de appellationibus, lege 6. de diversis officiis et apparitionibus. Hi sub dispositione Comitis Largitionum: illi sub Comite rei privatae, ut declarat Imperii Notitia. Utrum vero Rationalis rei privatae, an Largitionum hic intelligatur, difficile est dicere. Observavi tamen fere fundos ac praedia rei privatae applicari solita, aurum vero et argentum Largitionibus. Iulianus

in

in Epist. 43. ad Ecebolum: *τὰ χρήματα τῆς Ἐδεσσηνῶν ἐκκλησίας ἅπαντα ἐκελεύσαμεν ἀναληφθῆναι δοθησόμενα τοῖς στρατιώταις, καὶ τὰ κτήματα τοῖς ἡμετέροις προστεθῆναι πριουάτοις*: atque hinc intelligenda est lex 7. et lex 20. Codicis Theod. de bonis proscriptorum. Inde etiam est, quod *Comes Gildoniaci patrimonii*, et *Procurator rerum* Iuliani sub dispositione Comitis rei privatae ponuntur in Imperii Rom. Notitia. Praeter Rationales erant et Magistri rei privatae, de quibus lex 2. et 4. Cod. Th. de iure fisci, et lex 14. de Decurionibus. De his intelligendus est Eusebius in lib. 8. Hist. cap. 13. de Adaucto: *διὰ πάσης προελθὼν ἀνὴρ τῆς παρὰ βασιλεῦσι τιμῆς, ὡς καὶ τὰς καθόλου διοικήσεις τῆς παρ' αὐτοῖς καλουμένης μαγιστρότητός τε καὶ καθολικότητος διελθεῖν*. et Athanasius in Apologia ad Constantium pag. 679 *ῥουφῖνος καὶ στέφανος, ὧν ὁ μὲν καθολικὸς, ὁ δὲ μάγιστρος ἦν ἐκεῖ*. ubi vides Magistros semper Rationalibus adiungi. Unde adducor ut credam mendosam esse legem 26. Cod. Theod. de Decurionibus, in qua legitur: *Cunctos ex Comitibus et ex Praesidibus et Rationalibus et Magistris studiorum, etc.* Scribendum enim videtur, *et Magistris privatae*, ut plane confirmat lex 14. eodem titulo. VALES.

9. *Ad Tribunum miserat Fabrica Cremonensis.*] Huius Fabricae item mentio in Notitia Imp. Occid *Sub dispositione viri illustris Magistri Officiorum Cremonensis scutaria.* LINDENBR. Vid. Ind. II. v. Fabricae. W.

10. *baiulum*] Pr. usurpatur de iis, qui onera portant, sed literarum baiulus est etiam ap. Symmachum Epp. V, 7. et infra 28, 1, 33. W.

11. *adhibitis Francis*] Barbaros enim iam Constantinus M. (ut ipse Ammianus dicit XXI, 10, 8.) omnium primus ad usque fasces auxerat et trabeas consulares. W.

Tumultuabaturque factis insidiis.] Sic primus edidit Gelenius, ex coniectura, ut videtur. In codice enim Regio *ac Tolosano* atque in Editione Augustana legitur hoc modo: *Tumultua.....factis insidiis.* Mihi non dubium est, quin legendum sit, *tumultuando patefactis insidiis.* VALES.

12. *Consistorianis et Militaribus universis.* Consistorium locus est in quo Princeps consultat aut iudicat: θεῖον συνέδριον eleganter interpretatur Hesychius. Quotiescumque autem Princeps in Consistorio sedebat, adsistebant fere Praefectus Praet. Praesens, Quaestor Palatii, Magister Officiorum cum Comitibus ac Tribunis sacri Consistorii. Hi omnes Consistorianorum nomine continentur. Neque enim solos Comites ac Tribunos Consistorianos hic intelligi crediderim umquam: praesertim cum Florentius Agens tunc pro Magistro Officiorum in hoc sedisse negotio paullo post referatur. Ceterum etsi Consistoriani iudices in hac causa fuerunt, non tamen in Consistorio rem actam esse existimandum est. Etenim, ut supra dixi, Consistorium non dicitur, nisi ubi Princeps est. Et acta in Consistorio ita concipiebantur: *Acta habita apud Imp. N. Augustum, N. et N. Consulib. x. Kal. April. Constantinop. in Consistorio, etc.* ut apparet ex lege 5. et 8. Cod. Theod. de fide testium. Huic autem iudicio, quod refert Marcellinus noster, non interfuit Constantius Aug. sicuti ex sequentibus apparebit, ubi ait: *Imperator doctus gesta relatione*

fideli, etc. VALES. Cf. Haubold de Conſiſtorio Principis Sect. II. p. 29—32. W.

Praeterinquiri] denuo inquiri (*Proceſs revidieren*). Verbum, quod vix alibi reperias. W.

Florentius.] Quum plures eiusdem nominis apud Ammianum occurrant, hunc, patris nomine addito, ab aliis discriminat. v. Ind. I. W.

Tum factum ex priore textu.] Hic locus beneficio Regii codicis a nobis eſt emendatus, quem Gelenius antea et Caſtellus corruperant: ſed et coniectura noſtra nonnihil eſt adiutus. Nam cum in exemplari Regio *Toloſanoque* [et Colbertino,] perinde atque in Editione Rom. ſcriptum eſſet, *longe ali quam dictarat Silvanus*, emendavi, *longe alia quam dictarat Silvanus.* VALES.

13. *Statui ſub quaeſtione praecipit.*] In Auguſtana Editione Mar. Accurſii reperi, *praecepit:* quod magis probo. IDEM.

Suſpenſus autem Euſebius.] Suſpenſum in eculeo intellige: ut *ſupra lib. 14. cap. 9.* et infra cap. 9. quod cum non intelligeret Caſtellus, vocem temere inſeruerat hoc modo: *Suſpenſus autem Euſebius ex-Comite Privatarum, qui ſe conſcio haec dixerat concitata.* IDEM.

Cum Correctoris dignitate abiit, nec non corrigere, etc.] Multa hic mala fide inſerſerat P. Caſtellus, quae hactenus pro veris ac probis retenta ſunt in omnibus Editionibus. Nos, reſectis hominis deliri ſomniis, veram germanamque ſcripturam ex fide ſcriptorum codicum Regii, Vaticani, *Toloſani* et Fauchetii, quaſi poſtliminio reſtituimus: quam Editio quoque Romana ex parte ſervaverat: ſic enim habet; *Correctoris dignitate regere iuſſus eſt Tuſcus.* deinde a capite, *Agens inter haec, etc.* Haec autem lacuna, quae et in ſcriptis codicibus reperitur, Caſtello perſuaſerat quidpiam hic deeſſe, cum tamen revera nihil deſit. Solent enim tum in Editione Rom. tum in exemplari Regio eiusmodi intervalla relinqui, praeſertim ubi nova narratio a capite inſtituitur, ut obſervavi non ſemel. VALES.

15. *Sciens animum tenerum verſabilis Principis in dicta cauſa timens*] *Sc. Principis, indicta cauſa timens, etc.* LINDENBR.

Principis in dicta cauſa, timens ne abſens.] Aliter codex Regius *Toloſanusque,* ſcilicet hoc modo: *Principis ..... aretur abſens, et indemnatus in difficultate poſitus maxima, etc.* Atque ita quoque habet Editio Romana, niſi quod extrema illa vocis exeſae portio deeſt. Mihi quidem ſic commode legi poſſe hic locus videtur: *Et ſciens animum tenerum verſabilis Principis, timens ne proſcriberetur abſens et indemnatus.* aut quod equidem verius puto: *timens ne damnaretur abſens et inauditus.* Sic in lib. 26. c. 6. §. 3. de Procopio: *Veritus,* inquit, *ne hac ex cauſa indemnatus occideretur, e medio ſe conſpectu discrevit.* VALES. Quaeſo, unde habet τὸ *proſcriberetur?* Immo reliquiae veteris ſcripturae oggerunt, *ne trucidaretur abſens et indemnatus.* GRON. Gronovii emendationi favet 15, 2, 5. monente Erneſt. in Gloſſ. v. *indemnatus.* W.

16. *Dum militaret Candidatus.*] Duae erant Scholae Candidatorum: alii enim Candidati ſeniores, alii iuniores dicebantur: hi ſeptimae, illi ſextae erant Scholae. At ſeniores quidem Gordianus ſenior inſtituit, lectis e Scholarium ordine fortiſſimis ac

Digitized by Google

maximae proceritatis: iuniores autem Gordianus iunior, ut Cedreno placet, aut iunior Philippus, ut est in Chronico Alexandrino. De his Candidatis intelligendus est locus D. Hieronymi de vita Hilarionis, ubi dicit: *Namque Candidatus Imperatoris Constantii, rutilus coma, et candore corporis indicans provinciam, etc.* et Victor Turonensis in Chronico: *Cui nepos Iustinianus vocabulo fuit, Candidati militia functus.* et paullo post: *Ex Candidato Magister militum ordinarius constituitur.* Nec omittenda est vetus Inscriptio, quam Romae in aede S. Petri ad vincula abs se descriptam, mihi communicavit Iacobus Sirmundus quem honoris causa nomino. HIC. POSITUS. EST. ANTIOCHOS. CANDIDATUS. PRIMICER. Vide Cuiacium ad legem 5. Codicis, qui militare possunt. Ab his autem Candidatis distinguendi sunt Candidati ii, quos inter principia legionum recenset Vegetius in lib. 2. [Distinguendi sunt et *Candidati Caesaris*, qualem se ac fratrem suum fuisse in Praetura petenda ac consequenda, scribit Velleius in Histor. libro II. c. 124. *Candidati* autem *Caesaris* erant ac vocitabantur, qui commendatione ipsius Imperatoris, et suffragiis tribuum populi Rom. ad Magistratus dignitatesque perveniebant: ut nos docet Suetonius in Iulio Caesare cap. 41.] VALES. Vid. Ind. II. W.

Solum adfuisse morituro Constanti.] Constans Aug. factione Magnentii circumventus, apud Helenam oppidum a Gaisone cum lectissimis misso caesus est Sergio et Nigriniano Coss. ab omnibus militibus suis destitutus ac proditus: ut testatur Zosimus in lib. 2. c. 62. his verbis: *καταληφθεὶς δὲ ὑπὸ Γαίσωνος εἰς τοῦτο μετά τινων ἐπιλέκτων σταλέντος ἀνηρέθη, πάσης αὐτὸν βοηθείας ἀπολιπούσης.* Solus Laniogaisus qui tunc Candidatus militabat, Principem suum non deseruit, ut scribit hic Marcellinus. Turbat tamen Regius codex, in quo scriptum reperi, *morituraе Constantiae.* [In Colbertino codice legi, *morituraе Constanti.*] In Editione certe Romana legitur *morituro.* Sed hanc scripturam non probo. Porro Constantem, cum a Magnentio comprehendendus esset, sibi manus intulisse, ait Chrysostomus Homilia 15. in Philipp. *τῶν παίδων δ' αὐτοῦ ὁ μὲν ἑαυτὸν ἀπέκτεινεν ὑπὸ τυράννου καταληφθείς*: quod omnium Historicorum consensu refellitur, et auctoritate S. Athanasii in Apologia ad Constantium, ubi et Constantem paullo post susceptum Baptismum ait occisum fuisse. VALES.

Supra retulimus] in libro deperdito. W.

Accepto praemio prodituros.] Male hinc audiebant Franci: quibus familiare ait fuisse Vopiscus in Proculo. (Scr. H. A. T. II. p. 762. Hack) ridendo fidem frangere. Idemque scribit scriptor morosus ac querulus, Salvianus in lib. 7. de gubernat. et Procopius, ut notat Casaubonus ad Vopiscum. Iidem tamen constantissimi fuerunt in servanda fide, postquam Gallis permisti humaniorem cultum induerunt. VALES.

Cum principiorum vertícibus.] Principia sunt principales milites, qui privilegiis muniuntur. Principiorum igitur vertices sunt Tribuni, Centuriones, Ordinarii, Draconarii, et similes, ut optime declarat Vegetius in lib. 2. cap. 13. Eosdem Proceres appellare videtur Marcellinus noster lib. 20. c. 4. §. 13. cum dicit: *Ad convivium Proceribus corrogatis, petere iure si quid in promptu esset edixit.* Libanius vero in Oratione funebri de laudibus Iu-

Digitized by Google

liani, eamdem rem narrans: τοὺς ἄκρους τῶν λόχων appellat, ὧν ἐξήρτηται τὸ λοιπόν. VALES.

Cultu purpureo a draconum et vexillorum insignibus.] Cum imperii παράσημον esset purpura, quàm conficere sub poena capitis interdictum erat; qui tyrannidem arripiebant, purpuram de signis aut vexillis ac statuis detrahere necesse habebant: donec imperio confirmato confici sibi purpuream vestem iuberent. De vexillis testatur Capitolinus in Gordianis (c. 8.): *Sublata de vexillis purpura Imperatores eos dicemus.* De statuis auctor est Vopiscus in Saturnino (c. 9.): *Deposita purpura ex simulacro Veneris, cyclade uxoria militibus circumstantibus amictus et adoratus est.* Et Pollio in Celso Tyranno p. 326. Libanius quoque in Antiochensi pag. 363. de Eugenio quodam Tribuno, qui Diocletiani temporibus tyrannidem arripuit: τυραννίδος ἐρᾷ καὶ οὐκ ἔμελλε· καὶ ἦν γὰρ ἁλουργὶς ἀγάλματι περικειμένη, ταύτην ἐνδὺς ἔργου εἴχετο. Interdum etiam ex gynaeceo segmentum aliquod rapiebant purpurae. Sic Procopius a Faustina Constantii quondam uxore purpuram accepisse dicitur in lib. 26. c. 7. §. 10. Et Iulianus in Oratione 1. et 2. ad Constantium, Silvanum ait non ex signis, sed ex gynaeceo purpuram sumpsisse: quod quidem in contemptum tyranni probabiliter ab oratore confictum existimo. IDEM. Nuspiam pannuli purpurei quidquam, nisi in signis militaribus vel statuis Deorum reperiri poterat, monente Ernest. v. Purpureus. De *Draconibus* locus clasicus est XVI, 10, 7. W.

18. *Submissis verbis perstringebatur mentio.*] leviter et timidiuscule iecta est. W.

Per Admissionum Magistrum.] Magister Admissionum is erat, qui viros honoratos in Consistorium introducebat. Huius meminit Vopiscus in Aureliano, et lex 12. Cod. Theod. de glaebali onere; et alibi mentio eius dignitatis occurrit. Sub eo fuit officium Admissionum, qui Admissionales dicuntur in lege 3. et 7. Cod. de privilegiis eorum qui in palatio militant. Fuit et Proximus Admissionum, cuius meminit Marcellinus in lib. 22. c. 7. §. 2. *Manumittendis ex more inductis per Admissionum Proximum.* Is erat primus post Magistrum: unde intelligitur, quare honoratius fuisse dicat Marcellinus, per Magistrum accersiri. Ab his Admissionalibus non multum diversi sunt invitatores, qui admittendos ultro invitabant, de quibus loquitur lex ultima, Cod. de diversis officiis. Hi porro omnes erant sub dispositione Magistri Officiorum, ut ex Notitia Imperii constat, ad quem spectabat viros clarissimos et legatos omnium gentium in Consistorium inducere, ut testis est Cassiodorus lib. 6. in formula Magisteriae dignitatis. VALES.

Ingresso Consistorium offertur purpura.] Quam adorare more novo cogebatur. Inf. *adorare solenniter anhelantem celsius purpuram.* Quo modo etiam ipsi Impp. loquuntur, L. 4. C. de Consulib. et non sparg. L. 1. C. de Praepos. Cub. L. unic. C. de Comit. et Tribun. L. 1. C. de Silentiar. L. fin. C. de Palat. sacrar. Larg. L. 2. C. de privil. Schol. Graeci dicunt, χλαμύδος προσκυλίνδεισθαι. Themist. Orat. XIII. LINDENBR. *Consistorium.* Cf. Haubold de Consist. Principum Sect. 1. p. 48. 49. W.

Offertur purpura.] Id est, adorandae sacrae purpurae copia datur. Solebant enim Imperatores ultro ipsi venientibus chlamy-

Digitized by Google

dis laciniam porrigere, quo maiore animo accederent. Unde Iulianus Aug. Lucilliano ait: *Maiestatis insigne non ut consiliario tibi, sed ut desinas pavere, porrexi.* Infra in lib. 21. c. 9. §. 8. Adorandae autem purpurae ritus erat eiusmodi, ut Patricii quidem ad dextram Principis papillam adorarent, Princepsque eorum caput deoscularetur: Senatores vero ac ceteri genu dextro ante Principem flexo abscederent, quemadmodum scribit Procopius in Anecdotis sub finem: quem habitum exprimit Marcellinus paullo post, (§. 27.) cum de Ursicino haec dicit: *Adactusque inclinante negotio ipso cervices adorare solemniter anhelantem celsius purpuratum.* Vide Suidam in προσκυλινδεῖσθαι, et Eusebium lib. 4. de vita Const. cap. 57. *Cum autem purpura ab Imperatore esset oblata, tunc is qui erat admissus, purpuram manu apprehensam deosculabatur, ut indicat Chrysostomus in oratione XI. ad populum Antiochensem: εἰ γὰρ πορφυρίδα τὴν βασιλικὴν οὐκ ἂν ἀνάσχοιτο χερσὶ δέξασθαι μεμιασμέναις.* VALES.

Omnium primus extero ritu.] Ante haec verba lacuna est in omnibus codicibus scriptis, adeoque in Editione Romana: quam quidem lacunam P. Castellus infeliciter supplere tentaverat hoc modo: *Offertur purpura multa, quam ante Principis pedes explicitam straverunt.* Sed Sigismundus Gelenius haec deliramenta ex Editione sua expunxit. Exstitere postea qui illam Castelli coniecturam teconcinnarent, ut videre est in Editione Lindenbrogii. Sed haec utpote spuria, et ex ea, quam dixi, officina profecta nos quoque delevimus. Deest autem in hac lacuna, ut equidem iudico, unum aut alterum vocabulum hoc modo: *Diocletianus Augustus omnium primus, etc.* Certe id Diocletiano tribuunt Eutropius, et Aurelius Victor (de Caesar. 39, 4.), Eusebius in Chronico, et Zonaras in tomo 2. Annalium, (12, 31. extr.) his verbis: *οὐκέτι προσαγορεύεσθαι παρὰ τῆς γερουσίας ἠνείχετο, ἀλλὰ προσκυνεῖσθαι ἐθέσπισε· καὶ τὰς ἐσθῆτας ἑαυτοῦ, καὶ τὰ ὑποδήματα χρυσῷ καὶ λίθοις καὶ μαργάροις ἐκόσμησε, καὶ πλείονα πολυτέλειαν τοῖς βασιλικοῖς παρασήμοις ἐνέθετο· οἱ πρώην γὰρ βασιλεῖς κατὰ τοὺς ὑπάτους τετίμηντο, καὶ τῆς βασιλείας παράσημον μόνον εἶχον πορφυροῦν περιβόλαιον.* Id est: *Non iam amplius a Senatu salutari sustinuit, sed adorari se iussit: vestesque et calciamenta auro et lapillis et margaritis ornavit: ac regiis insignibus plus magnificentiae addidit. Nam superiores Principes instar Consulum observabantur, et imperii insigne purpuream tantum chlamydem habebant.* Ceterum integra haec de Diocletiano seu quovis altero periodus per me quidem expungi potest: a Grammatico enim quopiam ad oram libri adnotata, ac postea in contextum irrepsisse videtur. IDEM.

Ante Principis pedes.] Ritus hic προσκυνήσεως non a Constantio primum introductus, sed iam olim ab Impp. Romanis usurpatus fuit. De Diocletiano scribit Eutrop. lib. IX. c. 26. quod *Imperio Romano primus Regiae consuetudinis formam magis, quam Romanae libertatis invexit; adorarique se iussit, cum ante eum cuncti salutarentur.* Trebell. Pollio de Zenobia (Scr. H. A. T. II. p. 331. Hack.): *Adorata est more Persarum.* Et iam ante monstrum illud hominis Heliogabalus adorari se ritu eo iusserat. Sed Alex. Sever. optimus Princeps, continuo ubi ad Augustam dignitatem evectus, id ne frequentaretur iussit. Lamprid. (in Alex. Severo c. 18.) *Adorari se vetuit,* (Alex. Sever.) *cum*

Digitized by Google

iam coepiſſet Heliogabalus adorari, Regum more Perſarum. Quo autem geſtu haec adoratio peracta, et quid a ſaluratione differat, multis declarat V. Cl. Barnab. Briſſon. de ritu Perſar. lib. I. LINDENBR.

Iudicum.] Iudices h. l. ſunt poteſtates ſublimes, excelſae, ſummi magiſtratus, uti alibi ap. Noſtrum, v. c. XX, 8, 14. 9, 1. et Salmaſ. ad Scr. H. A. T. II. p. 731. Sed totum locum inde a verbis *omnium primus* usque ad *legerimus* cum Valeſio ſpurium arbitror. W.

19. *Vorago Orientis*] qui totum Orientem in partes ſuas trahere, ſibi filiisque ſubiicere vellet. cf. c. 2. et XIV, 11, 2. W.

Conſtantini M. fuerat commilito.] Id eſt, fuiſſe praedicabatur. Simili idiotiſmo Gallicanus in Caſſio dixit: *Qui ſi obtinuiſſet imperium, fuiſſet non modo clemens, ſed bonus, ſed utilis, ſed optimus Imperator.* VALES. Et haec gloſſematica eſſe vel ex addito cognomine *Magni* colligo, quod, niſi fallor, Conſtantino ſerius dari coepit. W.

Solus petebatur.] Iniuriam igitur Urſicino facit Gibbonus T. IV. p. 291. ed. Lipſ. iudicans illum eo conſilio, ut amiſſam Imperatoris gratiam recuperaret, iniuſtum ac turpe negotium vel ultro ſuſcepiſſe vel ſibi iniungi paſſum eſſe. *Exulceratum* calumniis iam adpetitum et oppreſſum, uti exponit Erneſt. in Gloſſ. W.

20. *Praegreſſus*] praeveniens. Sic XXI, 5, 13. anteverſio et praegreſſus. *Controverſa defenſio* ad quam excutiendam multum temporis requireretur. *Partes* litigantes, Urſicinum et accuſatores eius. W.

22. *Publicas . . . . . coniunctis.*] In Mſ. Florentino *ac Toloſano* [Colbertinoque] atque in Editione Auguſtana legitur, *publicas . . . . . et coniunctis.* Neque aliter Regius codex, niſi quod lacunam habet nullam. Equidem non dubito, quin legendum ſit ut edidi: *Protectoribus Domeſticis decem ad iuvandas neceſſitates publicas ei coniunctis.* Nam et ſenſus ita poſtulat, et obſervavi hanc particulam *et* poni ſolere pro *ei*, tum in codice Regio, tum in Editione Romana. VALES.

Verinianо] Idem ſine dubio, qui XVIII, 8, 11. Verennianus domeſticus protector. W.

Reſidui omnes propinqui et familiares.] Tres poſtremae voces additae ſunt a P. Caſtello. Nam in Mſſ. codicibus Regio et Florentino, [Colbertinoque.] *ac Toloſano*, atque in Editione Rom. legitur tantum: *reſidui omni . . . . . iamque, etc.* quod monitum volui, ne quis ſpuria pro legitimis acciperet. VALES.

23. *De ſe metu quisque.*] Hunc locum ſic lego et interpungo: *Iamque cum egreſſum, ſolum de ſe metuens quisque per longa ſpatia deducebat.* Certe in exemplari Regio *Toloſanoque* legitur *metum.* IDEM.

In locis ſuis ſecunda conſtituunt] verum iis pretium attribuunt. Sic Erneſt. in Gloſſ. v. *locus.* W.

Ex internis veritatis ipſius promulgatam.] Haec eſt ſcriptura Regi codicis [et Colbertini,] et omnium, ut opinor, ſcriptorum exemplarium. Editio Rom. habet: *in externis, Ver. ipſ. promulgatam.* Unde P. Caſtellus hanc lectionem effinxerat, *in aeternis veritatis ipſius adytis prom.* Mihi potior ſcriptorum

codicum lectio visa est: quae confirmatur ex lib. 31. (c. 16. §. 1.) Ceterum haec Tulliana sententia hodie in libris Ciceronis non reperitur. [Petrus quidem Pithoeus ad oram Ammiani sui manu sua notavit, hunc locum sumptum esse ex Ciceronis oratione post reditum in Senatu habita: sed eam sententiam diu multumque ibi frustra quaesivi.] Altera tamen similis legitur in oratione ad Pontifices, his verbis: *Nam etsi optabilius est cursum vitae conficere sine dolore et sine iniuria: tamen ad immortalitatem gloriae plus affert, desideratum esse a suis civibus, quam omnino numquam esse violatum.* VALES. Et certe vulgo solet in Ciceronis editionibus inter fragmenta ex incertis libris reponi, etiam Nizolio bis inter incerta id referente. Sed mirum est, quum sic se quaesiviſse testetur vir doctissimus, non obvenisse illi locum ex oratione, quam habuit Tullius ad Quirites post reditum, (c. 1.) prorsus eadem sententia et verbis etiam propinquioribus. *Etsi homini nihil est magis optandum, quam prospera, aequabilis; perpetuaque fortuna, secundo vitae sine ulla offensione cursu; tamen si mihi tranquilla et placata omnia fuissent; incredibili quadam, et paene divina, qua nunc vestro beneficio fruor, laetitiae voluptate caruissem.* GRON.

Saevis.] Reinesius malebat *scaevis.* W.

24. *Erratica quaedam antevolans p. fama.*] In Editione Rom. excusum est *erraria.* In Regio autem codice [et in Colbertino] scriptum inveni *aeraria:* proinde legendum esse arbitror *aëria,* *prout in Mſ. Tolosano exaratum est.* Sic infra in libro 18. c. 6. §. 3. *Credimus, neque enim dubium est, per aërios tramites famam praepetem volitare:* quo in loco Editio Romana habet, *per errarios tramites,* plane simili errore. VALES.

25. *Convena.*] Adiectivum, uti aquae convenae XXIII, 3, 8. *Novelli* contemtim. cf. XXVII, 6, 15. *Per ludibriosa auspicia virium accessu firmandi,* cui fortuna nunc quidem accessione virium favere videretur, eundem tamen mox ludibrio habitura. *Dux flebilis* miserus, cum imperatore scil. comparatus Ursicinus. W.

26. *Sub elogio uno*] cf. XIV, 7, 2. W.

27. *Anhelantem celsius purpuram.*] Non intelligo, qua ratione dicatur anhelans celsius purpura. Etenim celsius anhelare nonnisi de homine dici potest, qui ad maiora adspiret, ut in lib. 26. c. 6. §. 1. de Procopio: *Velut Imperatoris cognatus altius anhelabat.* et in lib. 27. c. 9. §. 4. *Qui ex eo anhelantes, ex nutu suo indistanter putant omnium pendere fortunas.* (et XXVIII, 1, 31. *Anhelans flatu superbo Maximinus.* W.) Quocirca saniorem esse existimavi scripturam codicis Vaticani, qui sic habet: *Anhelantem celsius purpuratum.* Accedit, quod in Editione Rom. et Regio *Tolosanoque* [ac Colbertino] codice legitur *purpuratam.* VALES.

28. *Per quaestiones familiarium*] ob suppositas a Dynamio supra memoratas epistolas. W.

29. *Angustias Alpium perrumpere Cottiarum*] castra movere, et in Italiam proficisci adversus ipsum Constantium. W.

30. *Cautis spei ministris.*] In exemplari Regio [et in Colbertino] est scriptum, *cauti spei ministris:* atque ita in reliquis exemplaribus scriptum esse non dubito. Legendum igitur est, *cautis rei ministris.* Nam ut omnes sciunt, *p* pro *r* in libris

manu exaratis saepissime visitur; quod in codice Regio frequentissime deprehendi. VALES.

31. *Sequestres*] internuntios. cf. XIV, 7, 21. W.

Conventiculum ritus Christiani] templum. Cf. XXVII, 3, 15. W.

Gladiorum ictibus trucidarunt.] De caede Silvani sic loquitur Zonaras: σταλεὶς γὰρ Οὐρσικῖνος ἐκεῖ καὶ χρήμασι τῶν ἐκείνου στρατιωτῶν τινὰς ὑποφθείρας, δι' ἐκείνων ἀνεῖλε τὸν Σιλβανόν. Id est: *Missus enim illuc Ursicinus, Silvanum corruptis pecunia ipsius militibus interemit.* Quem quidem locum eo libentius adscripsi, quod Ursicini in eo fit mentio, de quo apud ceteros Scriptores altum silentium est. Haec Silvani defectio simul ac caedes contigit Arbetione et Lolliano Coss. ann. Domini 355. Existantque nummi, in quibus DN. VAL. SILVANUS. P. F. AUG. appellatur, teste Goltzio. VALES.

33. *Cum Armaturis proditionem ante Mursense pr.*] Silvanus Armaturarum Tribunus paullo ante Mursense praelium a Magnentio ad Constantium una cum militibus suis transierat: quo facto Constantius ad persequendum Magnentium longe alacrior est factus, ut narrat Iulianus in Orat. 1. ad Constantium (p. 48, 8panh.): τῶν στρατευμάτων δὲ τὴν εὔνοιαν τίς ἂν ἀξίως διηγήσαιτο; τάξις μὲν ἱππέων πρὸ τῆς ἐν Μύρσῃ παρατάξεως μεθειστήκει. et Orat. 2. in fine: ἴλη τε τῶν ἱππέων σὺν τοῖς σημείοις καὶ τὸν συστρατηγὸν ἄγουσα, τούτῳ τοῦ κινδύνου ξυμμετέχειν μᾶλλον ἢ ἐκείνῳ εὐτυχίας ἠξίου. Quibus in locis notandum est Iulianum eius defectionis gloriam Silvano, quippe ob perduellionis crimen occiso, adimere, et ad milites ipsos transferre. Zonaras tamen, *uti Ammianus,* Silvano eam proditionem assignat: Σιλβανὸς εἷς τῶν αὐτοῦ ταξιαρχῶν μετὰ πλήθους ὁπλιτῶν ἐκείνου λιπών, Κωνσταντίῳ προσῆλθε τῷ αὐτοκράτορι. Et Aurelius Victor (c. 42.): *Is namque Silvanus ortus in Gallia barbaris parentibus, ordine militiae, simul a Magnentio ad Constantium transgressu, pedestre ad magisterium adolescentior meruerat.* Ex Iuliani verbis supra allatis Armaturas equites fuisse apparet: quamquam Zonaras pedites videtur vocare. VALES.

Patris quoque Boniti.] In Editione Romana legitur *Poniti.* Regius codex [et Colbertinus] habet *Boniti:* quod praetulerim equidem. Nam et apud Pollionem in Regilliano Bonitus quidam stipator Gallieni memoratur: et apud Paulum in lib. 5. historiae Longob. Bonitus recensetur, quintus a Benedicto Abbas montis Cassini. IDEM.

34. *Silvanus devictus est*] Mutare nolui, fateor tamen praeplacere, quo ducere Codices nonnulli videntur: *Silvanus desiit est.* Vid. Gronovii Praef. p. XXXI. W.

35. *Quacunque arte contraria*] opposita fortiter factis, ergo ignavia, desidia, W.

36. *De Gallicanis intercepta thesauris,*] Hi thesauri ad sacras Largitiones pertinebant: unde Praepositi thesaurorum per Gallias sub dispositione Comitis Largitionum in Notitia Imperii recensentur. Eorum meminit Marcellinus in lib. 22. c. 3. §. 7. *Datis litteris ad eum qui Gallicanos tuebatur thesauros, quidquid poscoret Caesar, proculdubio iussserat dari.* Loquitur de Ursulo Largitionum Comite. Erant autem duo genera Largitionum seu thesaurorum. Alii enim Comitatenses dicebantur the-

Digitized by Google

ſauri, qui ſcilicet in comitatu Principis una cum ipſo Comite verſabantur: alii provinciarum ſeu urbium ſingularum, ut patet ex lege 2. et 3. Codicis Theod. de privilegiis eorum qui in ſacro pal. Unde pari ratione Palatini ſacrarum Largitionum alii Comitatenſes, alii Mittendarii dicebantur, ut ſcriptum eſt in Gloſſis Nomicis. Comitatenſium Largitionum meminit Petrus Alexandrinus in Epiſtola quadam apud Theodoritum lib. 4. Hiſt. ὁ τῶν κομιτατησίων δὲ λαργιτιόνων κόμης. Et Marcellinus in lib. 31. c. 12. §. 10. cum dicit: *Theſauri enim et fortunae principalis inſignia cum Praefecto et Conſiſtorianis ambitu moenium tenebantur.* VALES.

Etiam tum] nam poſtea temporis Magiſter Officiorum exſtitit. v. XXVII, 9, 2. W.

Rationario apparitionis armorum Magiſtri.] Id eſt, Officialis Magiſtri militum, qui militarium numerorum rationes tractabat. Sic Marcellinus lib. 26. c. 1. §. 6. *Leo adhuc ſub Dagalaipho Magiſtro equitum rationes militarium numerorum tractans.* Et in lib. 18. c. 5. §. 1. de Antonio quodam ſic ait: *Rationarius Apparitor Meſopotamiae Ducis:* ſtatimque id officium ita deſcribit: *Et utriusque linguae litteras ſciens, circa ratiocinia verſabatur, qui quarumve virium milites ubi agant, etc.* Hi aliter et communiori vocabulo Numerarii dicebantur. Nam in Imperii Notitia in officio Magiſtri militum Numerarii ponuntur ſtatim poſt Principem totius Officii ſeu Apparitionis. Et ita quoque Marcellinus noſter in lib. 19. c. 9. §. 2. *Iacobus*, inquit, *et Caeſius Numerarii Apparitionis Magiſtri equitum.* Vide titulum in Cod. de Numerariis et Actuariis. Hos Graeci ψηφιστὰς ſeu διαψηφιστὰς vocant. Baſilius in Epiſt. 250. ad Dorotheum, τῷ διαψηφιστῇ τῆς τάξεως τῶν ἐπάρχων ἔδωκα τὴν ἐπιστολήν, vertendum eſt: *Numerario Officii Praefecturae Praet.* Et Sozomenus in lib. 4. cap. 26. de Marathonio quodam: ὃς ἀπὸ ψηφιστοῦ δημοσίου τῶν ὑπὸ τοὺς ὑπάρχους στρατιωτῶν: quae eodem modo vertenda ſunt. Eunapius λογιστὰς eos appellat, ubi de Harbazacio, qui in Chronico Marcellini Comitis et Iordanis corrupte Narbazaicus nominatur: καὶ οἵ γε προσήκοντες αὐτῷ λογισταὶ τῶν στρατιωτικῶν ἔργων, τὸν μὲν ἀριθμὸν τῶν στρατιωτῶν ἠγνόησαν· τὸ δὲ πλῆθος τῶν ἑταιρῶν καὶ τὸν ἐκ χειρῶν ἀριθμὸν αὐτῶν διέφυγεν. Id eſt: *Ac Numerarii qui illi apparebant ex more, militum quidem numerum norant: meretricum vero copia omnem eorum calculum ſuperabat.* Exſtat illuſtris hic locus apud Suidam in Ἀρβαζάχιος. Quibus adde *Vegetium in capite XIX. libri II.* et Themiſtium in oratione 17. VALES.

Laqueus vitam eripuit] v. XXX, 2, 12. W.

Vitam in cauſa Trip. legat. rupit.] Scripti codices uno omnes conſenſu habent, *erupit.* Auguſtana Editio, *eripuit:* quod huic clauſulae convenientius eſſe exiſtimavi. VALES.

In cauſa Tripolitanae legationis.] Inf. lib. XXVIII. 6. LIND. Conf. et 30, 2. W.

37. *Croeſum legimus Solonem.*] Vid. Herodot. lib. 1. c. 33. Diogen. Laërt. in Solone, Plutarch. lib. de Diſcrim. adulat. et amici. LINDENBR. Reineſius adſcripſit: Negat Meurſius in Solone c. 26. p. 108. W.

Dionyſium intentaſſe Philoxeno mortem.] In latomias Syracuſanas coniectum Philoxenum ſcribunt, ubi et Cyclopem fabulam compoſuit. Aelian. Variar. lib. XII. cap. XLIV. Carmen vero

Digitized by Google

Dionyſii tragoediam fuiſſe Plutarch. ait, de Fort. Alexand. Διονύσιος ὁ τὸν ποιητὴν Φιλόξενον εἰς τὰς λατομίας ἐμβαλὼν, ὅτι τραγῳδίαν αὐτοῦ διορθῶσαι κελευσθεὶς, εὐθὺς ἀπὸ τῆς ἀρχῆς ὅλην μέχρι τῆς χορωνίδος αὐτὴν περιέγραψεν. Vide Suid. in Philoxeno. LINDENBR.

Abſurdos et inconcinnos.] ἄμετρα καὶ κακοσύνθετα Lucian. de non cred. calumnia c. 14. Vide incundiſſime haec narrantem Diodor. Siculum xv, 6. et ibi Weſſelingium T. vi. Bip. p. 604. Nec poenitebit contuliſſe quae Daviſius monuit ad Ciceron. Tuſc. v, 22. p. 428. ed. Rath. W.

CAPVT VI.

1. *Tartareus*] ſceleratus, exſecrandus. Cf. xxviii, 1, 10. xxix, 2, 6. W.

Silvani Domeſticus.] Domeſtici erant Apparitores, ſeu Officiales Iudicum, tam civilium, quam militarium, in lege 3. Cod. Th. de aſſeſſorib. lege 16. et 17. de numerariis et actuar. et lege 8. de principib. Agentum in reb. Et ita apud Symmachum Domeſtici ſumuntur aliquoties. Domeſtioi officium dicitur in novella Theodoſii de Scholaribus, et in lege 1. Cod. de privilegiis Scholarum: Domeſtici militia in lege 17. citata Cod. Th. de numer. et apud Caſſiodorum in Epiſt. 6. lib. xi. idem et Cancellarii dicebantur, nec ordine militiae, ſed lectione Iudicis ad eum locum veniebat, teſte Caſſiodoro, et lege 3. Cod. Theod. de aſſeſſ. Eorumque videtur honoratior fuiſſe militia. Nam Heraclianus Comes Africae Sabinum, Domeſticum ſuum, generum ſibi elegiſſe dicitur ab Oroſio in lib. 7. Et Imperatores in lege 3. Cod. Th. ad legem Iul. repetund. ſatis innuunt, altiſſimum hunc fuiſſe militiae gradum, his verbis: *Natalem quondam Ducem ad provinciam quam nudaverat, ire praecipimus, ut non ſolum quod eius non dicam Domeſticus, ſed manipularius ac miniſter accepit, etc.* Baſilius in Epiſt. 285. ad Iulittam: ἐπέστειλα δὲ καὶ Ἑλλαδίῳ τῷ οἰκείῳ τοῦ ἐπάρχου. Id eſt: *Scripſi etiam ad Helladium Domeſticum Praefecti:* eumdemque maxima libertate cum Praefecto agere teſtatur. Iſidorus Peluſiota epiſt. 300. lib. 1. δομέστικον τοῦ ἐπάρχου dicit Latino vocabulo. Ceterum hi Domeſtici omnium fere conſiliorum participes erant: quare periclitantibus Iudicibus ipſi quoque in periculum rapiebantur, quemadmodum docent leges ſupra laudatae, et Oroſius in libro citato. Marcellinus noſter in lib. 30. c. 2. §. 11. *Caeſarium*, inquit, *antehac eius Domeſticum, quae Remigius egerit, vel quantum acceperit, ut Romani iuvaret actus infandos, per quaeſtionem cruentam interrogabat.* Hinc Malchus in hiſtoria Byzantiaca conciliatores ac Miniſtros furtorum Domeſticos Iudicum dici notat: καὶ τοὺς προσαγωγέας τῶν λημμάτων τῆς ἀρχῆς, οὓς δομεστίκους καλοῦσι ῥωμαῖοι, ἐκπέμπειν ὡς τάχιστα λόγον διδόντας ὧν ἔλαβον. Id eſt: *Et miniſtros atque interpretes furtorum, quos Romani Domeſticos vocant, ad ſe mitti, rationem reddituros eorum quae acceperant.* Non ſunt autem confundendi hi Officiales cum Domeſticis Protectoribus, neque item cum Domeſticis thematis et cohortis, ut fecit Lindenbrogius ad hunc locum. VALES.

Silvani domestious.] Bene de hac dignitate Glossarium Nomic. Δομέστικος τοῦ θέματος, ὃς μετὰ κόμητος κούρτης εἰς τὴν προσέλευσιν τοῦ στρατηγοῦ τέτακται. Sic Solomon quidam Belisarii, et Praesentinus Petri, Imp. Mauricii fratris, Domestici fuere. Procopius Vvandalicor. lib. 1. Σολόμων ὃς τὴν Βελισαρίου ἐπετρόπευε στρατηγίαν· δομέστικον τοῦτον καλοῦσι Ῥωμαῖοι. Sic enim locus hic legendus. Theophylact. Simocat. lib. VIII. pag. 396. Πραισεντῖνος, ὁ τὰς τοῦ Πέτρου πεπιστευμένος φροντίδας, ὃν δομέστικον εἰώθασιν οἱ Ῥωμαῖοι ἀποκαλεῖν. Et de Romani, deque Remigii Domesticis Ammian. lib. XXVIII. c. 6. et XXX. Sic *consortium et schola Domesticorum*, Ammian. lib. XXV. et XXVIII. L. 38. de Decurionib. L. unic. de Praepos. labor. alibique in Cod. Theodos. et Iustinian. locis permultis. LIND.

Levi corpore] imbecillo. Locus plane huic geminus est XIV, 7, 15. — *Citari faceret* more sequioris aetatis: faceret ut citarentur. Eodem modo *remitti fecit* XXVII, 7, 3. introire fecit XXVIII, 1, 55. W.

3. *Infulas.*] „Proprie dependent infulae a vittis, quae sunt sacra quasi diademata; unde factum esse putem, ut infulae pro insignibus imperatoriis dicerentur: quamquam etiam de omnium magistratuum et dignitatum ornamentis et insignibus dicuntur. vid. Gothofred. Glossar. Nom. Cod. Theodos. in h. v. cf. Drakenborch. ad Livii 2, 54, 4." Sic Ernest. W.

Fortis esset et fidus.] Formula solennis, qua alloqui milites soliti sunt Impp. inf. lib. XX. c. 5. §. 3. in oratione Iuliani: *Propugnatores mei Reique publicae fortes et fidi.* Unde in Nummis veteribus, qui hasce allocutiones exhibent, haec verba leguntur, FIDES MILITUM, vel FIDES EXERCIT. In vett. Inscriptionib. LEGIONES PIAE FIDELES. Traianus Imp. in fragmento Mandati apud Ulpian. lib. 45. ad Edict. L. 1. ff. de testam. mil. *optimos fidelissimosque commilitones* appellat, *quemadmodum Constantius Imp. milites suos *Romanae rei fidissimos defensores* lib. XVII. c. 13. §. 26. Etiam Christiani in suis supplicationibus sic orabant: Fortis esset exercitus et fidus.* Tertull. Apolog. pag. 30. *Precantes sumus semper pro omnibus Imperatoribus, vitam illis prolixam, imperium securum, domum tutam,* EXERCITUS FORTES, *Senatum fidelem, populum probum, orbem quietum.** Prudentius in Martyr. Roman. v. 426.

— — numquam pro salute et maximis
Fortissimisque Principis cohortibus
Aliter precabor, quam FIDELE UT MILITENT.

LINDENBR. v. Glossar. Nomicum Cod. Theodos. s. v. Fortis. W.

Pondus expenderet ut suum.] Sic primus edidit Gelenius, cum Castellus excudi fecisset hoc modo: *Pondus repeteret ut suum.* In Editione Rom. perinde atque in Mss. Florentino [et in Colbertino] legitur, *pondus giretur.* in Regio modicum spatium inter has duas voces relictum: ut appareat legendum esse, ut edidi. VALES.

4. *Decentio Caesari*] fratri Magnentii. Libri, ubi haec fusius exposuerat Ammianus, periere. v. tamen Iulianum Or. 1. p. 40. et ibi Spanhemium p. 263. Zosimum II, 45. Ritterum ad

Digitized by Google

Guthrii Hiſt. univ. T. v. P. 1. p. 21. Gibbonum T. iv. p. 251. W.

[*Et Lutto, et Maudio Comites interemti ſunt.*] in Mſ. Cod. Colbert. licet recenti, optimae tamen notae, quem exactiſſime evolvi, *Mandio* legitur: quam veram eſſe lectionem et probam puto. Erant autem ambo hi Comites, ut Silvani Franci amici ac conſiliorum participes, ſic et ipſi natione Franci: ut vel eorum nomina docent. *Lutto* enim, vel *Hluto* praeclarum ſignificat veteri lingua Francica, ſicuti ſcribit Hermoldus Nigellus in lib. 1. de geſtis Ludovici Pii Imper. *Mancionem* autem Comitem ac conſobrinum Waifarii Aquitanorum Ducis, hominem utique Francum, et Mancionem alterum circa annum DCCCC. Epiſcopum Catalaunorum fuiſſe reperio: quae Mancionis appellatio mihi videtur a Mandionis nomine non differre.] VALES.

Perplexe] diligenter, uti ſupra c. 1. *temporis obſtinatione* nimio rigore atque ſeveritate. W.

CAPVT VII.

1. *Turbo*] Turbinem aliosque ſimiles tropos amat Noſter. Sic paullo ante c. 5. calamitatum turbo. XIV, 1. init. fortunae ſaevientis procellae cet. W.

Urbem aeternam.] v. quae ad XIV. 6. init. notavimus. *regens* Praefectus urbi. Corſini p. 214. W.

In audiendo celer] facile admittens, affabilis. — *in disceptando* litibus dirimentis. Erneſt. in Gloſſ. laudat Livii 1, 50. disceptatorem iuſtiſſimum. W.

Ad amandum.] Mallem aliud verbum perſonae iudicis magis aptum; ſed nil variant libri, ideoque alterius ſexus amator ſit. W. Equidem certa correctione locum reſtitui poſſe arbitror, ſi ſcribas *ad damnandum*, quod quomodo potuerit in *ad amandum* tranſire, nil eſt quod explicem. ERF.

2. *Sequuta plebs omnis velut defenſura*] Populus nempe turbellas dare ſolitus, et contradicere ius dicenti, vel precibus inſtare, cum ſecius quam placeret, aliquis damnatus vel abſolutus eſſet. Ioh. Chryſoſt. Hom. 3. de Dei natura, p. 364. Πρὸ δέκα τούτων ἐτῶν ἑάλωσαν ἐπὶ τυραννίδι τινές· εἶτα τῶν ἐν δυνατείᾳ τις ὄντων ὑπεύθυνος τοῖς ἐγκλήμασι φανεὶς, σπαρτίον ἐπὶ τοῦ στόματος λαβὼν ἐξήγετο τὴν ἐπὶ θανάτου ὁδόν. τότε δὴ πᾶσα ἡ πόλις ἐπὶ τὸν ἱππόδρομον ἔτρεχε, καὶ τοὺς ἐκ τῶν ἐργαστηρίων ἐξῆγε, καὶ κοινῇ πᾶς ὁ δῆμος ἀνελθὼν ἐξήρπασε τῆς βασιλικῆς ὀργῆς τὸν καταδικασθέντα, καὶ οὐδεμίας ὄντα συγγνώμης. *Cum damnatus capite ad ſupplicium duceretur, populus motus miſericordia univerſus Praetorem adiit, et deprecandi communi opera efficere potuit, ut reus ille venia nulla dignus liberaretur.* Ad quam infrenatam audaciam viri religioſi et ſacri interdum quoque proſiliebant, ut patet ex L. 6. C. de Epiſcop. audient. Itaque ſevere legibus id vetare neceſſum fuit, L. 29. C. de appellat. L. 12. C. de poenis. LIND. *Proprium pignus* cariſſimum χειμήλιον. W.

3. *Vini cauſando inopiam.*] Cf. quae ad XIV, 6. init. adſcripſimus. W.

Digitized by Google

Septizonium.] In codice Regio [et Colbertino,] et in Editione Rom. legitur *Septemzodium.* Apud Capitolinum quoque in Severo, et apud Hieronymum in Chronico, *Septizodium* in Mſſ. legi, Scaliger Salmaſiusque teſtantur. Proinde verior ac melior mihi videtur haec ſcriptura, quam aut *Septenzonium*, ut edidit Caſtellus, aut *Septizonium*, ut Gelenius: quamquam haud ignarus ſum haec confundi ſolere. Nam Beda in lib. de Emboliſmorum ratione, et in Ephemeride laterculum feriarum hebdomadae Septizodium vocat, quod Graeci ἑπτάζωνον dicunt, teſte Scaligero in lib. 3. Iſagogic. canonum. VALES.

Septemzodium.] (al. Septizonium.) Aedificium fuit ſeptem exſtructum columnarum ordinibus, ita ſeſe excipientibus praecinctionibus, ut ex infimo ambitu ſenſim contraherentur, et ſupremus omnium ambitus breviſſimus eſſet. Non aedificium tantum, ſed regionem ubi ſtetit, totam hoc nomine inſignem fuiſſe, patet ex hoc noſtro Ammiani loco, comprobante Victore de regionibus urbis. Plures huius nominis moles Roma habuit. Ammianus ſine dubio in mente habuit antiquius illud, quod Imperatoris Titi iamiam aetate memorat Suetonius c. 1. Aliud Septimius Severus erexiſſe dicitur. v. Capitolinum c. 19. Praeterea in Italia aliisque terris eiusmodi aedificia exſtitere, ad ſimilitudinem celeberrimi illius exſtructa, quod olim Deioces, niſi fallor, erexerat. Cf. Scaligeri Theſ. temporum p. 229. Caſaub. ad Scriptt. H. A. T. 1. p. 630. et 640. it. Salmaſ. p. 642. Tillemont T. III. P. 1. p. 95. W.

Nymphaeum Marcus condidit.] Ex his verbis apparet Septemzodium vetus hic intelligi, quod in 12. Urbis regione collocant Victor, aliique. In eadem regione fuere et Thermae Antoninianae, quas fortaſſe hic intelligit Marcellinus. Nolim id tamen pertinaciter affirmare, cum ſciam Nymphaea a Thermis eſſe diverſa. Sunt enim proprie Nymphaea aedes Nymphis ſacratae, marmorum varietate, et columnarum altitudine, ac pictis tabulis, aquarum denique copia ſpectabiles. Ita Libanius in Antiochico, pag. 372. Nymphaeum Antiochiae *cuius meminit Evagrius in lib. 3. cap. 12.* deſcribit. Νυμφῶν ἱερὸν οὐρανόμηκες, λίθων αὐγαῖς καὶ κιόνων χρόαις καὶ γραφῆς αἴγλῃ καὶ ναμάτων πλούτῳ πάντα ὀφθαλμὸν ἐπιστρέφον. Et Philoſtratus cap. 4. libri 8. de Nymphaeo Puteolano: ἐκάθηντο, inquit, ἐς τὸ Νυμφαῖον, ἐν ᾧ ὁ πίθος λευκοῦ λίθου, ξυνέχων πηγὴν ὕδατος. Id eſt: *Sederunt in Nymphaeo, in quo dolium erat ex lapide candido, fontem aquae continens.* Aliam eius nominis originem afferunt Zonaras et Cedrenus in Leonis Auguſti vita. Aiunt enim Nymphaeum dici aedem publicam, ubi nuptias celebrarent, qui domos non ſatis capaces haberent: τὸ καλούμενον Νύμφαιον, οἶκον εἰς τὸ τοὺς γάμους γίνεσθαι ἐν αὐτῷ χρηματίζοντα τῶν μὴ κεκτημένων οἴκους χωροῦντας πλῆθος ἐν ἑαυτοῖς, ait Zonaras. Potuerunt quidem Nymphaea huic rei inſervire. Sed tamen ab hoc uſu ita appellata eſſe, nec Zonaras nec Cedrenus umquam mihi perſuaſerint. Scio virum doctiſſimum in Notis ad Capitolinum in Gordianis, Nymphaea cepiſſe pro ſalientibus ſeu fontibus manu ſtructis, qui aquam eiaculantur in publicum, ſed ſine auctore. VALES. Aliquoties in Roma ſua hunc locum tetigit Nardinus, ante quem alii praeteribant taciti; ſed nihil adfert, quod non Valeſianis cedat, aut ex iis translatum videatur. ORON.

Digitized by Google

Marcus] nempe Aurelius, Philosophus dictus, unde colligi fortasse possit, intelligendas esse Thermas Antoninianas. Donatus in Roma p. 267. habet Caracallam, qui et ipse Marci Aurelii praenomina habuit. Cf. Corsini de Praeff. Urbi p. 320. W.

de industria,] fortiter, μετὰ σπουδῆς. Sic industrie gesta c. 5. §. 30. W.

Ab omni toga Apparitioneque.] Id est, ab omnibus Togatis et Apparitoribus. Togati autem hoc in loco dupliciter accipi possunt: vel pro Advocatis Praefecturae Urbanae: Advocati enim Togati frequenter appellantur, ut notum est; vel sane pro viris honoratis, qui officii causa Praefectum Urbis prosequebantur. Sic Mamertinus in Panegyrico ad Iulianum, de officio Consulari loquens (c. 30.): *Mistus*, inquit, *agmini Togatorum praeire coepit pedes, gradum moderans pene ad lictoris nutum et viatoris arbitrium.* De Apparitoribus seu Officialibus Praefecturae Urbanae consulenda est Imperii Notitia. Hos obsequentes infra vocat Marcellinus noster his verbis: *Adeo ut eum obsequentium pars deseereret; licet in periculum festinantem abruptum.* et Salvianus in lib. 3. *Et hoc non summi solum, sed etiam infimi; non Iudices solum, sed etiam Iudicibus obsequentes.* VALES. De clientibus tamen potentiores deducentibus intelligit Ferrarius part. 1. lib. 1. rei vestiariae cap. 33. GRON.

Ex commotione pristina] modo memorata ob Philoromum orta seditione. W.

Difficilisque ad pavorem recti.] Codex Florentinus teste Lindenbrogio habet: *Difficilis ad pavorem recte tetendit.* *Neque aliter Tolosanus,* [et Colbertinus.] Certe particula copulativa deest in omnibus exemplaribus, et a Gelenio primum inserta est, ad sensum, ut opinari datur, explendum. Sed commodius, ut arbitror, locus ita suppleri potest: *Sed ille difficilis ad pavorem, recte retendit. Recte* idem valet ac *recta*. ut apud Apuleium in lib. 9. Milet. *Hortulanus inscenso me, concito gradu recte festinat ad civitatem.* VALES. Mirum viro maximo, et tanto omnium interpolationum hosti, hanc potuisse placere, cuius utique nulla in tot scriptis libris vestigia; et quasi non interdum ita loquantur veteres, ut nobis videantur nimium abrupti. GRON.

Difficilis ad pavorem.] „h. e. gravis, constans, inmotus ad pavorem. Facilis, levis et dissolutus." Sic Reinel. *Recte* i. e. recta, ut XXI, 1. 12. quo in loco, monente Ernest., *rectissime cernere* pro directe cernere positum est. Sic etiam *rectus pergeret* XVIII, 7. 10. W.

4. *speciosa*] manifesta, munere, quo fungeretur, digna *fiducia*. W.

suspendi] h. l. non de equuleo cogitandum, sed de columna, ad quam sursum trahi solebant flagellis caedendi. — *tribulium* sociorum omnino. W.

5. *Urbis membra*] Inf. lib. XVI. c. 10. §. 14. *Urbis membra collustrans.* Lib. XX. *Cuncta oppidi membra compleverunt.* Prudent. contra Symmach. *Perque omnia membra urbis.* Sic *membra domus*, Vitruvius, Ulpianus, Apuleius. *Membra moenium*, Ammian. lib. XX. c. 7. §. 9. Idem *membra Reipublicae*, lib. XV. c. 3. §. 3. *membra Philosophiae*, lib. XVI. c. 5. §. 6. LINDENBR.

Digitized by Google

Tamquam in iudiciali ſecreto.] Secretum ſeu ſecretarium, locus eſt in quo ſedent Iudices pro tribunali. Heſychius in Lexico σέκρετον συνέδριον reddit. Suidas in στήλη, ἔνθα, inquit, Ζήνων ἐκρινε τοὺς μετὰ Βασιλίσκου, καὶ σέκρετον τὸν τόπον ἐποίησε. Et in codice Canonum Eccleſiae Africanae cap. 97. Patres poſtulant ab Imperatoribus, ut Defenſoribus eccleſiarum liceat ingredi Iudicum ſecretaria: εἰς τὰ σήκρητα τῶν δικαστηρίων εἰσιέναι: quod quidem Honoratis tantum licebat, ut notavimus ſupra. Ab hoc Iudicum ſaecularium more manaſſe videtur, ut ſecretaria in Eccleſiis haberent Epiſcopi ac Presbyteri, ubi audiendis ac dirimendis laïcorum negotiis vacabant. De quibus elegans eſt locus Severi Sulpicii in lib. 3. de vita Martini, (imo in Dialogo 2. p. 544. ed. Horn. Cf. et Epiſt. 1. W.) quem hic ponam: *Deinde ſecretarium ingreſſus (Martinus Epiſcop.) cum ſolus, ut erat ei conſuetudo, reſideret. Hanc enim ſibi etiam in Eccleſia ſolitudinem permiſſa Clericis libertate praeſtabat, cum quidem in alio ſecretario Presbyteri ſederent, vel ſalutationibus vacantes, vel audiendis negotiis occupati, etc.* Nempe Martinus Miſſarum ſollemnia acturus cum ad Eccleſiam venerat, amore ſolitudinis ſe in ſecretarium recipiebat, dimiſſis Clericis ac Presbyteris. Cumque moris eſſet, ut populus, praeſertimque Honorati, qui ad Miſſarum ſollemnia veniebant, Epiſcopum oſculo ſalutarent; ipſe eiusmodi ſalutationum officiis Presbyteros delegaverat, ut Sacris mox celebrandis totus animum intenderet. De hoc autem more, ne quid ſine teſte affirmare dicamur, loquitur Ambroſius in Sermone 34. *Interrogo vos, qui in Quadrageſima prandetis, ſi non vobis rubor eſt, cum exitis in publicum, ne quis vobis ieiunus occurrat; aut ſi non cogitatis, cum ad Eccleſiam proceditis, quemadmodum pacem Epiſcopo porrigatis, ne forte ipſo ſpiritu oſculi veſtri vos reprobet.* Et Salvianus in lib. 8. *Ipſam quodammodo Eccleſiae ſalutationem idolo praeſtiterunt.* Denique Conſtantius in vitae S. Germani libro 1. poſtquam dixit, eum *ad Miſſarum ſollemnia agenda in Eccleſiam veniſſe*, ſubdit: *Praemiſſaque in populo ſalutatione ſollemni*, etc. Inde locus in quo ſalutationibus audiendis vacabant Epiſcopi aut Presbyteri, ſalutatorium dicitur in Hiſt. tripartitae lib. 9. cap. 30. Quem ἀσπαστικὸν οἶκον Graece dixerat Theodoritus in lib. 5. cap. 17. Ita accipe ſalutatorium apud Gregorium Turon. lib. 2. hiſt. Franc. cap. 21. et lib. 6. cap. 11. Scio Scaligerum in lib. 2. Auſonian. Lectionum cap. 23. de ἀσπασικῷ οἴκῳ aliter ſentire. Sed qui haec legerit, is, ut opinor, ſententiam illius non magni faciet. Porro ſalutatorium an a ſecretario diſtinctum fuerit, ignotum habeo. Certe ex loco illo Severi conſequi videtur, unum idemque fuiſſe. Ceterum etſi ſecretariorum in Eccleſiis mos eſt antiquiſſimus; initio tamen non fuiſſe docet Epiſtola Patrum Concilii Antiocheni adverſus Paulum Samoſat. Antiochiae Epiſcopum: βῆμα μὲν καὶ θρόνον ὑψηλὸν ἑαυτῷ κατασκευασάμενος, οὐχ ὡς Χριστοῦ μαθητὴς, σήκρητον δὲ ὥσπερ οἱ τοῦ κόσμου ἄρχοντες ἔχων τε καὶ ὀνομάζων, apud Euſebium lib. 7. Id eſt: *Qui tribunal et ſublime ſolium ſibi non ut Chriſti diſcipulus conſtituit, et ſecretarium perinde ac ſaeculi magiſtratus habet nominatque.* Rufinus vertit: *In Eccleſia vero tribunal ſibi, multo altius quam fuerat, exſtrui, et thronum in excelſioribus collocari iubet; ſecretarium quoque ſterni ac parari, ſicut Iudicibus ſaeculi ſolet.* Quanto modeſtius Martinus, qui in ſecretario ſe-

dens, numquam cathedra uſus eſt, teſte Severo in lib. cit. VALES.

In iudiciali ſecreto] Gloſſar. Nomicum: Σεκρέτον, δικαστήριον. *Philoſtr. lib. 4. cap. 15. τὸν Ἀπολλώνιον ἤνεγκεν ἐς τὸ ἀπόῤῥητον δικαστήριον, ἐν ᾧ περὶ τῶν μεγίστων ἡ ἀρχὴ αὕτη ἀφανῶς δικάζει.* Idem lib. 2. cap. 9. pag. 342. *τὸ ἀπόῤῥητον δικαστήριον, ἐν ᾧ τὰ μεγάλα καὶ ἐλέγχεται καὶ σιωπᾶται.** Theophylact. Simocat. lib. VIII. p. 398. *ὁ αὐτοκράτωρ ἐπιτείνας τὸ βάδισμα, μεθίσταται τοῦ παρὰ Ῥωμαίοις λεγομένου σεκρέτου.* In ſecreto enim Palatii Imp. Mauricius ſocero ſuo Germano ſententiam pronunciarat: *οὐδὲν ἡδύτερον τοῦ διὰ ξίφους τεθνάναι.* Vocatur etiam *ſecretarium* in Collat. Carthag. et L. 3. C. ubi Senator. vel Clariſ. L. 16. C. de accuſationib. *L. 1. C. Theod. de offic. Rector. Provinc. Donatus lib. 1. Aeneid. ad illum verſum, (505.) *inm ſorib. Divae.* Zonar. in Concilio Carth. can. 108. *τὰ σήκρητα τῶν δικαστηρίων. σήκρητα δὲ τὰ κριτήρια τοῖς λατίνοις ὠνόμασται. σεκέρνω γὰρ παρ' ἐκείνοις τὸ διακρίνω. Secreta iudiciorum. Eſt autem ſecretum Latinis exercendi iudicii locus: nam ſecernere apud illos diiudicare ſignificat.** LINDENBR.

Exaratis lateribus] Prudent. περὶ στεφάνων in Eulaliam v. 147 — 150.

Non laceratio vulnifica,
Crate tenus nec arata cutis;
Flamma ſed undique lampadibus
In latera ſtomachumque furit.

Idem in Romanum v. 172.

— — ſponte nudas offerens
Coſtas biſulcis exarandas ungulis. IDEM.

Eripere virginis non obſcurae pudorem, Patruini Conſularis ſententia ſupplicio ob id capitali addictus] Hoc quidem ex iure antiquo, et ad praeſcriptum Legis Iuliae, L. 6. ff. ad Leg. Iul. de adult. Recentiorum Impp. Conſtitutionibus varie id interpolatum. Si quis enim per vim puellam depudicaſſet iam alii pactam, ut adulter puniebatur, qui facinus perpetrarat: ſi vero ἀμνήστευτον, tum ducere eam licet pauperrimam cogebatur. Quod ſi vero nuptias illa ſtupratoris non optaret, naribus abſcillis triente bonorum reus multabatur. At vero ſi ſolis blandimentis in fraudem pellecta, in venerem conſenſiſſet, aut ducebat eam, aut ſuarum facultatum partem dabat: ſin ſecus, verberatus et tonſus relegabatur. Zonar. et Balſam. in Canon. Apoſt. LXVII. Ecloga Baſilicῶν lib. LX. Harmenop. lib. VI. Tit. VII. Non abſimile Graecorum ſcitum, ἢ γάμος, ἢ θάνατος, apud Aphthon. Sopatr. et Quintilian. in Controverſ. IDEM.

Conſularis] rector provinciae. v. Ind. II. W.

Supplicio ob id capitali addictus.] Neſcio quid in mente habuerit Lindenbrogius, cum ad hunc locum notavit, id ex iure antiquo, et ad praeſcriptum legis Iuliae factum fuiſſe. Immo vero ſtupri poena lege Iulia capitalis non fuit, ut ſatis conſtat. Non ego ex praeſcripto legis Iuliae fecit Patruinus Conſularis Piceni, ſed Iulianus, de quo ſic narrat Marcellinus noſter in lib. 16. c. 5. §. 12. *Aditus a parentibus virginis raptae, eum qui violarat, convictum relegari decrevit.* Revera enim poena legis Iuliae fuit relegatio, ut docuit V. Cl. B. Briſſonius in libro

libro ad legem Iuliam de adult. Quae tamen poena a ſequentibus Impp. pro arbitrio aucta eſt. Unde ſubiicit Marcellinus in loco citato lib. 16. *Hisque indigna pati querentibus, quod non ſit morte multatus, etc.* VALES.

6. *Liberius Chriſtianae legis antiſtes*] Vid. Theodoret. Hiſtor. Eccleſ. lib. 2. cap. 16. Lucif. Calaritan. ad Conſtantium Imp. pro Athanaſio. LINDENBR.

Chriſtianae legis antiſtes.] epiſcopus. Lex pro religione poſita, de quo plura exempla ex Cod. Theodoſ. adlegavit Vicat in Vocabulario iuris utriusque v. Lex p. 300. cf. et Miſc. Obſſ. T. v. p. 134. W.

Ad Comitatum mitti.] Mediolanum ſcilicet, ubi tunc temporis agebat Conſtantius, teſte Sulpicio Severo in lib. 2. Hiſtoriae ſacrae. VALES.

7. *Sciſcitari conatum externa*] rebus ſeſe immiſcentem, quae ſui iuris non eſſent, ἀλλότρια curantem. *Eiusdem loci* conditionis, dignitatis, i. e. epiſcoporum. W.

Synodus ut appellant, removit a ſacramento.] Metaphora eſt ducta ab exauctoratione militari. Tribus autem in Synodis exauctoratus fuerat Athanaſius: primum in Synodo Tyri habita, ſuperſtite adhuc Conſtantino Magno, Conſulatu Conſtantii et Albini, qui annus erat 335 Natalis Dominici: iterum in Concilio Antiochenſi, quod in Encaeniis magnae Eccleſiae celebratum eſt, Marcellino et Probino Coſſ. anno Domini 341. Poſtremo in Synodo Mediolanenſi, quae Mediolani coacta eſt praeſente Conſtantio, anno Chriſti 355. Conſulatu Arbetionis et Lolliani. VALES.

8. *Fatidicarum ſortium fidem — callens.*] Idem XXIII. 6, 25. ſic effertur: apud quos veridica vaticinandi fides eluxit. W.

Quaeve augurales portenderent.] Videtur id intelligi, quod narrat Sozomenus in lib. 4. hiſt. Eccl. cap. 9. et poſt eum Nicephorus in lib. 9. cap. 35. Athanaſium ſcilicet, cum et futura multo ante proſpiceret, et imminentia pericula ſumma dexteritate vitaret, Arianis iuxta atque Gentilibus magicarum artium ſuſpectum fuiſſe. Cumque eum Alexandriam aliquando ingredientem Graeci, qui tum forte aderant, de quadam cornice quae ſupra modum crocitabat, per ludibrium interrogaſſent ecquid praediceret, craſtinum, inquit, diem vobis male ceſſurum: quod perinde accidit. Nam craſtino allatae ſunt Principis litterae, quibus Gentiles qui illum diem feſtiſſimum erant habituri, templa deorum adire vetabantur. VALES.

9. *Iubente Principe*] qui Arianis favebat. W.

Nec viſum hominem, nec auditum damnare nefas.] Ipſiſſima Liberii Epiſcopi verba ad Conſtantium Imp. adiecit Theodoret. Hiſtor. lib. 2. cap. 16. οὐδὲ γὰρ οἷόν τε καταψηφίσασθαι ἀνδρὸς ὃν οὐκ ἐκρίναμεν. Quo etiam pertinent, quae Lucifer Calaritanus pro Athanaſio ſcripſit. Sciebant illi non divina ſolum lege, ſed etiam XII. Tab. vetitum, indicta cauſa quemquam occidere. Salvian. Maſſilienſ. lib. VIII. Baſil. Magn. Epiſt. LXX. pag. 318. κακοῦργος μὲν οὐδεὶς ἄνευ ἐλέγχων καταδικάζεται. Lactant. lib. V. cap. 1. *Sacrilegis, et proditoribus, et veneficis poteſtas defendendi ſui datur, nec praedamnari quemquam incognita cauſa licet.* LINDENBR.

Digitized by Google

10. *Licet sciret impletum*] Quamquam vel sic Athanasii condemnationem ratam reliquorum episcoporum subscriptione habendam nosset. W.

Auctoritate quoque qua potiores Rom. urbis Episcopi.] Melius meo quidem iudicio Regius codex sic habet, *auctoritate quoque potiore, etc.* Atque ita fere Romana Editio, *et Tolos. codex,* [ac Colbert.] nisi quod *potiores* scriptum habet. Ceterum hic locus notabilis est de auctoritate Pontificis Rom. vel maxime ob testimonium hominis ethnici. VALES.

Absportari] Mediolanum, ubi cum coram principe liberius esset locutus, Beroeam Thraciae relegatus est. Plura vide ap. Gibbonum T. v. p. 129. ss. inprimis p. 157. 161. 185. W.

CAPUT VIII.

Iulianus in societatem imperii adsciscitur. cf. omnino Zosimum Lib. III, c. 1. 2. W.

1. *Deploratas*] Haec vox, uti *deflere, conclamare*, proprie de modo mortuis usurpata, quos in vitam revocare clamore, lacrimisque largiter effusis frustra tentaverant, deinde de rebus desperatis. Deplorata igitur Gallia est, cuius servandae vix spes esset, ad tristiorem conditionem redacta. — *Barbaris.* Francis, Alamannis, Saxonibus. v. Zos. l. c. W.

Ab Achaia contractum accitu] Mf. *contractu accitu. Is. ab Achaico tractu accitum:* idque verum putamus. LINDENBR.

Iulianum ab Achaia contractum accitu.] In Regio codice [et in Colbertino] reperi, *contractu accitum:* quare amplexus sum emendationem Lindenbrogii, qui in Notis monuerat legendum sibi videri, *ab Achaico tractu accitum.* Iulianus ipse in Orat. 3. ad Eusebiam Aug. ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος evocatum se esse testatur, id est, ex Achaia. Zosimus in lib. 3. c. 2. et Libanius in Oratione Consulari ex ipsa urbe Athenis accitum esse memorant: quod confirmat Eunapius in Maximo, et Iulianus ipse in Epist. ad ordinem et populum Athenienscm (p. 274. Spanh.); ubi se Athenis discedentem ubertim flesse, ac prae discessu mortem optavisse dicit. Addit Libanius in Oratione funebri, pag. 268. sanguinem ei quoque ex naribus effluxisse prae metu ac pavore. VALES. Cf. supra c. 2. *Palliatum* Graeco habitu incedentem. W.

2. *Infatuabant hominem.*] Verbo usus est admodum proprio. Revera enim nihil tam infatuat Principes quam adulatio. Nam cum praecipua pars sapientiae sit seipsum nosse, adulator maximo id agit mendaciis et assentationibus suis, ne nos ipsi nosse possimus. *Recte Parmeno in Eunucho actu 2. scena 2. v. 23. *Scitum hercle hominem! Hic homines prorsus ex stultis insanos facit.* Et Hieronymus in Epistola ad Rusticum Monachum: *Ne credas* (ait) *laudatoribus tuis, immo irrisoribus: qui cum te adulationibus foverint, et quodammodo impotem mentis effecerint, etc.* Eleganter Iohannes Chrysostomus in Matthaeum Homilia LXXXVIII. de adulatoribus loquens, eos magis fugiendos esse ait, quam vituperatores: ἐκεῖνοι δὲ τὸν τύφον ἡμῶν ἐπαίρουσιν, ἀλαζονίας καὶ κενοδοξίας καὶ βλακείας ἡμῖν πληροῦσι, καὶ μαλακωτέραν

ἡμῶν ἐργάζονται τὴν ψυχήν.* Proinde adversus adulationes unicum remedium est, quod ait Seneca in Ep. 59. eis nihil credere. *Idem*, inquit, *nos faciamus, cum pro sua quemque portione adulatio infatuat: dicamus. Vos quidem dicitis, me prudentem esse. Ego vero video, quam multa inutilia concupiscam, etc.* Eodem verbo utitur Hirtius lib. 5. de bello Afric. c. 16. *Quid tu*, inquit, *miles tiro, tam feroculus es? vos quoque iste verbis infatuavit?* Sed et Cicero id verbum ita usurpat in Orat. pro Flacco c. 47. et in Philipp. 3. c. 9. Recte itaque Sulpicius Severus adulantium verba fatua appellat in lib. 3. de vita Martini. (imo in Dial. XIV. p. 535. ed. Horn.) *Quis enim nostrum est*, inquit, *quem si unus homunculus vilis salutaverit, aut fatuis atque adulantibus verbis femina una laudaverit, non continuo elatus sit in superbiam? etc.* VALES.

3. *Pro nativa prudentia*] Consentit in hac laude Zosimus III, 1. Φρονήσει τὴν γυναικείαν ὑπεραίρουσα φύσιν. W.

4. *Tribunali ad altiorem suggestum erecto, quod aquilae circumdederunt et signa*] Mos hic Impp. Romanorum, cum vel armatos pro concione alloqui, vel legatos exterarum gentium audire vellent, tribunal signis et aquilis circumdare, quo augustior eorum maiestas appareret: quod ex Livio, Tacito, aliisque Historicis notum. Ammian. lib. XVII. c. 13. §. 25. *Constantius iam metuente sublimior, militarique consensu secundo Sarmaticus appellatus ex vocabulo subactorum; iamque discessurus convocatis cohortibus, et centuriis, et manipulis omnibus, tribunal insistens, signisque ambitus et aquilis, et agmine multiplicium protestatum, his exercitum allocutus est, ore omnium favorabilis, ut solebat.* *Lib. XX. c. 5. §. 1. *Tribunal ascendit signis aquilisque circumdatus et vexillis, saeptusque totis armatorum cohortium globis.** Huius moris insignis exstat locus apud Iohannem Constantinopolitanum in Eclogis legationum ex Dexippo, pag. 3. ubi Aurelianus Imp. Iuthungorum Oratores ad se admittere volens, hoc modo tribunal praestruxit: Διέταττε τοὺς στρατιώτας ὡς ἐς μάχην, ἐκπλήξεως ἕνεκα τούτων ἐναντίων. ἐπεὶ δὲ καλῶς εἶχεν αὐτῷ ἡ διακόσμησις, ἐπὶ ὑψηλοῦ βήματος μετέωρος βέβηκε, καὶ ἀλουργίδα ἀμπίσχων, τὴν πᾶσαν τάξιν ἐποίει ἀμφ' αὐτὸν μηνοειδῆ. παρεστήσαντο δὲ καὶ τῶν ἐν τέλει, ὅσοι ἀρχάς τινας ἐπιτετραμμένοι, σύμπαντες ἀφ' ἵππων. κατόπιν δὲ βασιλέως τὰ σήματα ἦν τῆς ἐπιλέκτου στρατιᾶς. τὰ δέ εἰσιν ἀετοὶ χρυσοῖ, καὶ εἰκόνες βασίλειοι, καὶ στρατοπέδων κατάλογοι, γράμμασι χρυσοῖς δηλούμενοι. ἃ δὴ σύμπαντα ἀνατεταγμένα προϋφαίνετο ἐπὶ ξυστῶν ἠργυρωμένων. ἐπὶ δὲ τούτοις ᾧδε διακοσμηθεῖσιν, Ἰουθούγγους ἠξίου. LINDENBR.

Augustus inscendens, eumque manu retinens.] Sic primus hunc locum edidit Gelenius. In Editione Rom. legebatur, *Augustus insigmensiumque manu, etc.* [In Mf. Colbertino, *Augustus insiginens, eumque manu retinens dextera, etc.*] At in codice Regio ita scriptum reperi: *Augustus insignens emque manu retinens dextra.* Mendose. Sed amplector emendationem Gelenii: tantum mallem legere, *Augustus insistens*, ut loqui solet Marcellinus. Sic in lib. 14. c. 10. §. 10. *Tribunali adsistens.* Et in lib. 21. c. 5. §. 1. *Saxeo suggestu insistens.* Et iterum in eodem libro: *Tribunali celso sistens.* Denique in lib. 23. c. 5. §. 15. *Ipse aggere glaebali adsistens.* [Vel legendum, *insiliens*,

quod ad *insignens* magis accedit.] VALES. Apparet pro fortuna dierum τῷ πάνυ varia veniſſe in mentem, quum ſibi conſcius eſſet occultari etiamnum aliquid. Plana ſunt autem veſtigia verae lectionis in omnibus codicibus, ſi modo recognoſcas. Eam eſſe opinor *Auguſtus, inſigne enſemque manu retinens dextra.* Id inſigne quid fuerit, mox interpretatur, *Indutum avita purpura Iulianum.* Illam enim in promptu habebat et manu dextra retinebat poſt finita verba iniecturus Iuliano. GRON. Acute Gronovius et proxime ad literas; nec tamen perſuaſit, cum purpura manu retenta non minus, quam enſis liberam oratoris actionem impediviſſet, ac, monente Erneſt., obſtare videatur locus parallelus XXVII, 6. 5. ubi haec ſunt: tribunal adſcendit: ſplendoreque nobilium poteſtatum, dextera puerum adprehenſum productumque in medium, oratione concionaria deſtinatum imperatorem exercitui commendavit. Malim igitur accedere Gelenio, ita tamen, ut cum Valeſio reponam *inſiſtens* et τὸ *eum* referam ad Iulianum. Boxhornius, teſte Reineſio, malebat *inſignia tenens.* W.

5. *ſuccinctius.*] accuratius, diligentius. XIV, 10. XXVIII, 1. cet. W.

6. *rebellium tyrannorum*] Maxentii, Magnentii rel. W.

7. *ultra adpoſita*] i. e. fines. Sic adpoſita quaeque vaſtare XIV, 2. XXVIII, 1. 38. W.

Reſtat ut rerum ſpem quam gero.] Codex Regius habet: *Reſtat ut veſtram ſpem, etc.* In Editione Romana ſcriptum erat, *reſtiturum*, [in Colbertino *reſtituiturum.*] Primusque Gelenius vulgatam lectionem ex coniectura, ut videtur, reſtituit. VALES.

Etiam veſtra conceſſione firmandis.] Legendum arbitror, *veſtra conſenſione.* IDEM.

10. *Vigoris tranquilli.*] Placent ſic iuncta. Alacritas ineſt, non impetuoſa tamen, ſed prudentia, conſilioque temperata. Cf. laudatus ab Erneſtio Livius VII, 4. W.

Ad honorem proſperatum exſurgat.] Heic mendam ſubeſſe nemo non videt. Quid eſt enim honor proſperatus, aut quis umquam ita locutus eſt? In codice Colbertino lego: *Ad honorem prope ſperatum exſurgat.* Unde coniicio ſcribendum eſſe: *Ad honorem prope deſperatum exſurgat,* id eſt, vix aut numquam ſibi ſperatum: aut certe, *ad honorem properatum:* quia Iulianus adhuc erat iuvenis, et tantae dignitati paene immaturus, natus annos 24. VALES. In his nihil adfertur ab viro ſummo, quod non in Lindenbrogii variis lectionibus exſtet. Nec difficile foret lepidiora formare. Sed quis negavit aut negabit Ammianum non ita interdum loqui, ut non alius unquam locutus fuit. GRON. Erneſt. arbitratur, cum *exta proſperantia* XVIII, 7. dixerit noſter, etiam *honores proſperatos* dici ab eo potuiſſe. Ego vero illius aetatis Latinitatem talia omnino haud ſpernere animadvertiſſe videor. Gesnerus h. v. ex Tertulliano Apolog. c. 6. *proſperatam* adeo laudat *felicitatem.* W.

11. *purpura avita*] Avum enim habuit Iulianus Conſtantium Chlorum. W.

12. *Primaevus*] admodum iuvenis, in primo aetatis flore conſtitutus XVI, 1. XXII, 12. W.

Digitized by Google

deferenda ſuperiori poteſtate] Spanhem. ad Iuliani opera p. 292. ed. Lipſ. mavult pro *iuſtus* legere *iuſtius* vel *magis iuſtus* et poteſtate *inferiori* i. e. Caeſaris, ut opponatur ſtatim ſequenti *poteſtati*, i. e. Auguſti, ut ſenſus ſit: non tam laetor ſuprema mea Auguſti poteſtate, quam quod tam egregium dignumque propinquum Caeſarem mihi ſumam. Nihil tamen opus eſt mutare. W.

13. *tutelam miniſterii ſuſcipe Galliarum.*] Hoc equidem, fateor, non intelligo. Intelligerem, ſi invertere liceret: miniſterium tutelae. W.

14. *Mecum ubique videberis praeſens.*] Haec idcirco dici videntur, quia Caeſarum imagines una cum imaginibus Auguſtorum, tum in ſignis militaribus, tum per civitates et oppida poni mos erat. In reſcriptis etiam ac legibus Caeſaris nomen ſimul cum Auguſti nomine apponebatur, ut apparet in Codice Theodoſiano. [Annon potius haec quomodo accipienda ſint, explicat Ammianus ipſe in fine libri XVI. (c. II. §. 68.) quum ait, Imper. Conſtantium *ſuopte ingenio nimiam* et adulationibus corruptum, *quidquid per omnem terrae ambitum agebatur, felicibus ſuis auſpiciis adſignaviſſe:* et cum Mediolani moraretur in Italia, edictis propoſitis, aut litteris laureatis in provincias millis, nonnumquam falſo ſcripſiſſe, *ſe ſolum* in Gallia *pugnaſſe et viciſſe, et ſupplices Reges Gentium erexiſſe;* ſe apud Argentoratum aciem inſtruxiſſe, *ſtetiſſe inter ſigniferos, et Barbaros fugaſſe praecipites, ac ſibi oblatum eſſe Chnodomarium Regem;* et in pugna adverſus Perſas, *ſe inter primores verſatum* fortiter feciſſe.] VALES.

Ad ſumma mihi propera.] Longe melius meo quidem iudicio legeretur: *Ad ſummam i, i, propera.* Certe in Editione Auguſtana legitur, *Ad ſummam*, et in codice Regio. Sic autem loquitur Marcellinus in lib. 23. c. 5. §. 22. *Ad ſummam polliceor univerſis, etc.* (etiam XX, 3, 4. W.) Et ne quis parum Latine dictum putet, Horatius lib. 1. Epiſt. 1, 106. [Iuvenalis Sat. 3. 79. ac Petronius] Apuleius 3. Florid. Ambroſius in Epiſt. 22. aliique ſic loquuntur. VALES.

15. *ſcuta genibus illidentes.*] cf. XVI, 12. *proſperitatis indicium plenum*, certum. Vi oppoſitionis *proſperitas* h. l. nihil aliud eſſe poteſt, quam *adſenſus*, uti recte explicat Heynius in Proluſ. de Ammiano p. CXXXIX. noſtrae ed. nam opponuntur *ira et dolor.* W.

16. *Oculos cum venuſtate terribiles.*] De eodem Iuliano lib. XXV. c. 4. §. 22. *Venuſtate oculorum micantium flagrans.* De hisce vero corporis ſignis longe diverſum iudicium Gregor. Nazianz. Orat. 2. in Iulian. pag. 106. *οὐδενὸς ἐδόκει μοι σημεῖον εἶναι χρηστοῦ, αὐχὴν ἀπαγὴς, ὦμοι παλλόμενοι καὶ ἀνασηκούμενοι, ὀφθαλμὸς σοβούμενος καὶ περιφερόμενος, καὶ μανικὸν βλέπων*, etc. LINDENBR.

Vultum excitatius gratum] ita gratum, ut caperet omnes et ad amorem excitaret. W.

Velut ſcrutatis veteribus libris.] Phyſiognomonicos intelligit libros. Nam ut nihil incognitum relinquerent priſci illi ſapientes, etiam huius artis, ſi tamen ars dicenda eſt, non vanae ludibrium hariolationis, praecepta tradere conati ſunt. *Georg. Διαιοφύλαξ τοῦ παχυμέρους*, in Epitome Ariſtot. Logic. Prior. Ana-

Digitized by Google

lytic. cap. 19. p. 37. τὸ φυσιογνωμονεῖν γίνεται, ὅταν ἀπό τινος σωματικοῦ ψυχῆς σημείου ἰδίωμα χαρακτηρίζωμεν· οἷον, σκληροὶ τὴν γνώμην οἱ πλαταιόνυχες, πονηροὶ οἱ συνόφρυες, εὐφυεῖς οἱ εὐρυμέτωποι. *Mores naturamque cognoſcimus, quando ab aliquo corporeo ſigno animae proprietatem formamus, ut ungues lati pinguem Minervam indicant: et mali ſunt, quibus ſupercilia iunguntur: bonae indolis, qui frontem latam habent.* *Quae licet ſaepe fallant, conſtat tamen non raro ſigna rebus ipſis examuſſim convenire. Sane de Socrate ex habitu corporis quale iudicium olim factum, ex Cicerone ſcimus de Fato c. 5. *Quid? Socratem nonne legimus quemadmodum notavit Zopyrus phyſiognomon, qui ſe profitebatur hominum mores naturasque ex corpore, oculis, vultu, fronte pernoſcere? Stupidum eſſe Socratem dixit, et hardum, quod iugula concava non haberet, obſtructas eas partes et obturatas dicebat. Addidit etiam mulieroſum: in quo Alcibiades cachinnum dicitur ſuſtuliſſe.* Et Martial. cum in Zoilum ſcriberet lib. XII. Epigram. LIV.

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine luſcus,
Rem magnam praeſtas, Zoile, ſi bonus es.

Nihil aliud quam phyſiognomica ſigna poſuit, qualia etiamnunc vulgo iactari ſolent in ahenobarbos, luſcos, aliove corporis vitio inſignitos. Quare Pythagoras in explorandis diſcipulorum ingeniis haec quoque inprimis obſervabat: τοῖς τε τῆς Φύσεως γνωρίσμασι Φυσιογνωμονῶν αὐτοὺς, σημεῖα τὰ φανερὰ ἐποιεῖτο τῶν ἀφανῶν ἠθῶν ἐν τῇ ψυχῇ. Vide Philoſtr. p. 89. Rittersh. ad Malchum de vita Pythag. p. 19. verſ. 5.* Iamblich. de vita Pythag. c. 17. Id quod Indi ſapientes in uxoribus ducendis factitarunt: αἱ γὰρ δὴ ὄψεις αἱ χρηστὰι ἔχοιεν ἄν τι πλεῖστον τοῦ κάλλους τῆς ψυχῆς. Nicoſtratus apud Stob. Serm. CLXXXIX. Hoc genus argumenti apud Graecos curate tractarunt Zopyrus, Loxus, Polemon, ut Origen. *lib. I. pag. 26.* contra Celſum teſtatur. Neque id Latinis intentatum fuiſſe, indicat fragmentum Trogi Pomp. Auctoris graviſſimi, apud Plinium lib. XI. cap. LII. At nunc praeter Ariſtotelis, Polemonis, et Adamantii Sophiſtae Φυσιογνωμονικά, nihil ad manus noſtras pervenit: quibus tamen curioſus quisque ſatis ſuperque ſitim exſtinguere poterit. LINDENBR. Phyſiognomonicos veterum libros edidit Franzius Altenb. 780. W.

Potiori] ſc. Auguſto. W.

17. *Homerico carmine.*] Iliad. v. 83. LINDENBR.

Haec die octavo Id. Novemb.] Conſentit Idatius in Faſtis, et Socrates in lib. 2. cap. 27. τῇ ἕκτῃ τοῦ Νοεμβρίου μηνὸς, quod idem eſt. Male in Faſtis Siculis legitur, πρὸ ἡ ἰδῶν ὀκτωβρίων, cum νοεμβρίων legi debeat. Porro id geſtum eſſe Mediolani docet Hieronymus in Chronico: *Anno Domini* 355. *Iulianus frater Galli Mediolani Caeſar appellatur.* Quod ex praecedenti Marcellini narratione, et ex Sulpicio Severo ſatis colligitur. VALES.

Cum Arbetionem Conſulem ann. hab. et Lollianum.] Socrates: ὑπατείᾳ Ἀρβιτίωνος καὶ Λολλιανοῦ. Arbitionem quoque eum appellat Zoſimus IV, 7. Neque aliter praeferunt hoc in loco codex Regius [et Colbertinus,] et Editio Romana. Apud Athanaſium tamen in Epiſtola ad Solitarios Arbaethio perſcribitur, pag. 868. τοῖς μετὰ τὴν ὑπατείαν Ἀρβαιθίωνος καὶ Λολλιανοῦ

Digitized by Google

ἀποδειχθησομένοις ὑπάτοις. Idem in Apologia 2. Episcopum quemdam eiusdem nominis memorat Arbethionem. VALES.

18. *Comitatu parvo susceptο.*] Trecentis ac sexaginta militibus, ut docet Zosimus III, 3 Quod etiam confirmat Libanius in Oratione Consulari ad Iulianum: (Reisk. I. p. 379.) ὁρμηθεὶς τοίνυν ἐξ Ἰταλίας σὺν ὁπλίταις ἐλάττοσιν ἢ τετρακοσίοις ἐν ἀκμῇ τοῦ χειμῶνος. Id est: *Profectus ex Italia cum militibus minus quam quadringentis hieme adulta.* Idem in Oratione funebri in laudem Iuliani, (Reisk. I. p. 535.) trecentos tantum ponit, eosque nullius pretii Iuliano datos. Sed numerum a Zosimo memoratum firmat Iulianus ipse in Epistola ad curiam et populum Athenienſem. (p. 275. Spanh.) IDEM.

Adusque locum duabus columnis insignem, qui Laumellum interiacet et Ticinum.] Nulla huius loci indicia in vett. Itinerariis. Nam et Antoninus Aug. et Tabula antiqua sic tantum habent, *Ticinum, Laumellum, Cottias.* LINDENBR.

Adusque locum qui Laumellum interiacet.] Videtur intelligi mutatio, quae Duriae a duobus eius nominis fluviis dicebatur. Nam in Itinerario Burdegalenſi legitur: *Mansio Laumello millia* X. *mutatio Durits m.* IX. *Civitas Ticino m.* XII. VALES. Nollem ab viro doctissimo ita palam describi Cluverium et huius coniecturam ita inverecunde sine ulla mentione ad ipsum raptam. Videsis Cluverium in Italiae descriptione pag. 233. GRON. Cf. Wesseling. Itineraria p. 340. et 557. *Laumellum*, (Lumello in ducatu Mediolanenſi.) *Ticinum* (Paviam.) *Taurinos* (Turin.) W.

ne parata diffluerent] apparatus bellici in vulgus emanarent. W.

19. *Coloniam Agrippinam ampli nominis urbem.*] Zosim. lib. I. 38. Ἀγριππίναν πόλιν ἐπικειμένην τῷ Ῥήνῳ μεγίστην. LINDENBR.

Secunda Germania] vel inferior, pars Galliae quae tum erat. vid. c. II. *Referatam* expugnatam. cf. XXI, 12. XXVI, 10. W.

21. *Viennam* (Guienne) — *impetrabilem*, strenuum. vide ad XIV, 8. W.

CAPVT IX.

1. *Mantuanus vates*] Virgilius Aen. VII, 44. 45. — *procinctus* pro bellis omnino saepius ponit noster. *nauticos.* Simile nimis quaesitum. W.

2. *Ambigentes super origine prima Gallorum.*] Conferenda cum hac Galliarum descriptione, quae multo copiosius tractarunt Strabo lib. IV. Caesar, Plinius, Paul. Orosius, Aimoinus. LINDENBR.

Semiplenam.] Vox proba, in Livio etiam et Cicerone obvia. W.

Timagenes.] Suid. Τιμαγένης ἱστορικὸς, περίπλουν πάσης θαλάσσης ἐν βιβλίοις ις. Eius saepe auctoritate utuntur Plinius in Histor. Plutarch. et alii. LINDENBR.

Timagenes.] Alexandrinus Rhetor, Regii nummularii filius. Hic captus a Gabinio, Romam perductus est. Ex captivo deinde coquus, ex coquo lecticarius, ex lecticario denique us-

Digitized by Google

que ad amicitiam Auguſti felix, usque eo utramque fortunam contempſit, ut cum illi multis de cauſis iratus Caeſar interdixiſſet domo, comburet hiſtorias rerum ab illo geſtarum: ut ſcribit Seneca lib. x. Controverſ. 5. Idem poſtea in contubernio Aſinii Pollionis conſenuit, a tota civitate dilectus, teſte altero Seneca in lib. 3. de Ira c. 23. De hoc Quintiliani iudicium eſt in lib. x. c. 1. *Longo poſt intervallo natus Timagenes, vel hoc eſt ipſo probabilis, quod intermiſſam hiſtorias ſcribendi induſtriam nova laude reparavit.* Laudatur a Q. Curtio in lib. 9. c. 5. et a Ioſepho in lib. 2. contra Apionem. Horatius in Epiſt. 3. ad Maecenatem, (1, 19, 15.) urbanum et diſertum appellat. De eo Suidas in Τιμαγένης accurate ſcribit. VALES. v. omnino *Bonamy recherches ſur l'hiſtorien Timagenes. Memoires des Inſcriptions* T. XIII. W.

3. *Aborigines primos.*] Aborigines hic ſunt indigenae, quemadmodum in veteribus Gloſſis legitur: *Aborigines αὐτόχθονες.* Sic etiam Aborigines eos qui primi Romam habuiſſe dicuntur, quidam ideo ſic appellatos eſſe ſcribunt, quod eſſent indigenae, ut ait Dionyſius Halic. lib. 1. c. 10. καὶ τὴν ὀνομασίαν αὐτοῖς τὴν πρώτην φασὶ τεθῆναι διὰ τὸ γενέσεως τοῖς μετ' αὐτοὺς ἄρξαι, ὥσπερ ἂν ἡμεῖς εἴποιμεν γενάρχας ἢ πρωτογόνους. Proprie tamen Aborigines ſunt, qui ab origine ſeu patriis ſedibus profecti, exteras regiones occupaverunt, ſicut indicat Feſtus Pompeius. Et ita loquitur Tertullianus in lib. de Anima, his verbis: *Invenimus autem apud commentarios etiam humanarum antiquitatum, humanum genus paullatim exuberaſſe, dum aborigines, vel vagi, vel extorres, vel glorioſi quique occupant terras, ut Scythae Parthicas, ut Athenienſes Aſiam, ut Phryges Italiam, ut Phoenices Africam: dum ſollemnes etiam emigrationes, quas ἀποικίας appellant, conſilio exonerandae popularitatis in alios fines examina gentis eructant. Nam et origines nunc in ſuis ſedibus permanent, et alibi amplius gentilitatem feneraverunt.* Locum integrum adſcripſi, prout ex Agobardi codice legi debet. Aborigines Tertullianus vocat eos, qui e ſedibus ſuis migrant. Eos autem aut vagando terras occupare dicit, quo referendi ſunt Phryges: aut extorres, id eſt, pulſos patria; quales fuere Scythae, qui Parthos condidere, ut ad lib. 31. dicam; atque Phoenices a Ieſu filio Nave expulſi teſte Procopio: aut denique glorioſos, ut Athenienſes, qui Imperii propagandi ſtudio Aſiam frequentarunt coloniis. Expunximus autem illa verba, quae in omnibus Editionibus habentur, *Ut Amyclaei Peloponeſum*, quae ſunt certe ineptiſſima.*) Neque enim Amyclaei Peloponneſum occuparunt umquam. Nec verius eſt, quod ex veſtigiis codicum Rhenani ſubſtituunt viri doctiſſimi: *Ut Temenidae Peloponneſum.* Nam Temenidae Peloponneſum minime occuparunt, ſed Heraclidae ducibus Temeno ac Creſphonte et Ariſtodemo. In illis vero poſtremis verbis: *Nam et origines, etc.* aſſentior viro Cl. doctiſſimoque Nic. Rigaltio, qui *originos* recte dici ipſos, ex quibus profecti ſunt, conditores ad-

*) Reineſ. adſcripſit: Non erunt inepta, ſi veram lectionem conſitueris: *ut* HERACLIDAE *Peloponneſum.* Idque veriſſimum eſt. Relinquenda igitur, praeſertim cum in *omnibus* edd., quod ipſe fatetur Valeſius, exſtent, non expungenda. W.

Digitized by Google

notavit. Sic enim Latini vocabant, ut Salluſtius in bello Iugurthino c. 19. *Urbes in ora marittima condidere. Haeque brevi multum auctae, pars originibus ſuis praeſidio, aliae decori fuere.* Livius in lib. 26. c. 13. *Albam unde oriundi erant, a fundamentis proruerunt, ne ſtirpis, ne memoria originum ſuarum exſtaret.* Et in lib. 38. c. 39. *Ilienſibus Rhoeteum et Gergithum addiderunt, non tam ob recentia ulla merita, quam originum memoria.* [Aborigines eadem qua origines ſignificatione nonnumquam uſurpari a veteribus doctisque Scriptoribus obſervo. Certe Plinius in lib. IV. cap. XXIII. *Tyrios* vocat *aborigines Gaditanorum*, id eſt, auctores generis eorum. Verba Plinii ſunt: *Erythraea dicta eſt*, (inſula Gadis) *quoniam Tyrii ab origine eorum orti ab Erythraeo mari ferebantur.* Quae verba ita emendanda puto: *Erythia dicta eſt, quoniam Tyrii, aborigines eorum, orti ab Erythraeo mari ferebantur.* Hoc eſt, Gadis inſula dicta eſt et Erythia, ἐρύθεια, nomine ipſo originem ſuam indicans, quoniam Tyrii, Gaditanorum generis auctores, ex locis Erythraeo mari proximis profecti eſſe dicuntur.] VALES.

Celtas nomine Regis amabilis, et matris eius vocabulo Galatas dictos.] De Galate Diodor. Sicul. lib. V. c. 24. περιβόητος γενόμενος ἐπ' ἀνδρείᾳ τοὺς ὑπ' αὐτὸν τεταγμένους ὠνόμασεν ἀφ' ἑαυτοῦ Γαλάτας, ἀφ' ὧν ἡ σύμπασα Γαλατία προσηγορεύθη. Aliter D. Eucherius Epiſcop. Lugdunenſ. cap. 4. de Gentib. *Galli a candore corporis primum Galatae appellati ſunt, e quibus populi quondam in Orientis longinqua migrantes primum Gallo-Graeci, nunc antiquo Gallorum nomine Galatae vocantur.* LINDENBR.

Celtas nomine Regis.] Parthenius in Eroticis cap. 30. ſcribit, Herculem, cum ab Erythia rediret, regionem quam nunc Celtae habitant, peragraſſe, et ad Bretannum quemdam veniſſe: cuius filia Celtine amore Herculis capta, boves Geryonis ei occultavit, nec reddere prius voluit, quam Hercules ſecum coiſſet. Ex hoc coitu natus Celtus, a quo Celtae dicti fuere. VALES.

Gallos.] Hoc nomen poſtea Gallis Romani dedere. Caeſar 1, 1. cf. omnino Mannert Gallia p. 19. W.

4. *Draſidae memorant.*] Scribendum videtur *Dryſidae*, quod idem valet ac Druidae. Sane in antiquis Plinii editionibus *Dryſidae* ſcribitur: et apud Aurelium Victorem in Claudio (de Caeſ. 4, 2.) codex Mſ. ſic habet, teſte Schotto: *Compreſſa per eum vitia, ac per Galliam Dryſudarum famoſae ſuperſtitiones.* In ſecunda quoque eiusdem nominis ſyllaba variatum eſſe comperio. Nam Origenes in lib. 1. contra Celſum, τοὺς Γαλατῶν ΔΡΥΑΔΑΣ vocat. Porro emendationem hanc noſtram confirmat C. Caeſar in lib. 6. de bello Gallico c. 18. *Galli ſe omnes a Dite patre prognatos praedicant, idque a Druidibus proditum dicunt.* VALES.

Dryſidae a Graeca voce δρῦς. Nam „roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Graeca poſſint Druides videri," Plin. XVI, 44. Formam Graecam inveniſſe apud Timagenem ſuum videtur Ammianus. Romani deinde, mutato, ut ſaepe, y in u, ex Dryſidis fecere Druidas. W.

Digitized by Google

Alluvione fervidi maris ſedibus ſuis expulſos.] Id quidem de Cimbris et Ambronibus veteres prodiderunt, teſte Strabone in lib. 7. et Feſto Pompeio. Sed eas fabulas iampridem refutavit Poſidonius. Nam cum mare quotidie et accedere et recedere ſoleat, idque ſtatis horis, et huiusmodi aeſtus omnibus oceani accolis ſollemnes ſint atque innoxii; nequaquam credibile eſt, non dico gentem univerſam, ſed ne unum quidem hominem tam ſtupidum exſtitiſſe, qui patriam idcirco relinquendam ſibi putaverit. VALES.

Adluvione] qua terrae continentis partes abriperentur et ſubmergerentur. W.

5. *Poſt excidium Trotae.*] Aimoinus Hiſtor. Francor. lib. 1. LINDENBR.

6. *Geryonis et Tauriſci ſaevorum tyrannorum.*] Ab hoc ergo Tauriſco quondam Tauriſci populi, qui poſtea Norici dicti, appellationem invenere. Plin. lib. 3. cap. 20. LINDENBR. Citat Lindenbrogius, ut ipſius tempore legebatur. Sed Valeſius ad librum xx. cap. 6. docet praeclare, cur ſic mutaverit in tertiam declinationem. GRONOV. Sic XXIX, 5, 48. *ſaevum* ſuppliciorum. W.

7. *Harpali inclementiam.*] Nil variant vett. codd. et tamen certum eſt legendum *Harpagi inclem.* ſic enim conſtanter eum vocant Paul. Oroſius, Iuſtinus, Herodotus, qui multa de eo, et Phocenſibus novas ſedes quaerentibus, lib. 1. 166. ſqq. narrat. LINDENBR. Eidem Harpago exponendus traditus fuerat recens natus puerulus Cyrus, Iuſtin. 1, 4. 5. HarpaLum Ammianus ſumſiſſe videtur ex Gellio, quem omnino ſaepius ſequitur. x, 16. W.

Veliam] quae et Helia ſ. Eleia dicitur, (hodie Caſtello a Mare della Brucca) in Neapoli. W.

Pars Veliam, alia condidit in Vien. Maſſiliam.] De Veliae conditu conſentit Herodotus in lib. 1. 167. et Antiochus Xenophanis filius apud Strabonem in principio lib. 6. (p. 214. Tzſchuck.) *φησὶ δ' Ἀντίοχος Φωκαίας ἁλούσης ὑφ' Ἁρπάγου τοῦ Κύρου στρατηγοῦ, τοὺς δυναμένους ἐμβάντας εἰς τὰ σκάφη πανοικίᾳ, πλεῦσαι πρῶτον εἰς Κύρνον καὶ Μασσαλίαν μετὰ Κρεοντιάδου, ἀποκρουσθέντας δὲ τὴν Ἐλέαν κτίσαι.* Id eſt: *Antiochus vero ſcribit, Phocaea capta ab Harpago,* (Marcellinus Harpalum vocat) *Cyri Praefecto, cives omnes quibus copia erat, cum familia univerſa conſcenſis navibus, primum in Corſicam, et Maſſiliam navigaſſe duce Creontiade; deinceps expulſos inde, Veliam condidiſſe.* De Maſſiliae autem conditu duplex opinio eſt. Alii enim a Phocenſibus Harpali vim ac dominationem Perſarum fugientibus conditam ſcribunt, inter quos eſt Iſocrates in Archidamo, et Hyginus apud Agellium in lib. x. cap. 16. his verbis, quae imitatus eſſe videtur Marcellinus noſter: *Nam qui ab Harpalo,* inquit, *Regis Cyri Praefecto ex terra* PHOCIDE *fugati ſunt, alii Veliam, partim Maſſiliam condiderunt.* Aitque id geſtum eſſe Ser. Tullio regnante Romae, poſt annum amplius ſexcenteſimum quam Aeneas in Italiam venit; hoc eſt, Olympiade circiter 57. Alii autem affirmant Maſſiliam a Phocenſibus mercatoribus longe antea conditam fuiſſe. Et ita ſentit Ariſtoteles in Rep. Maſſilienſium, teſte Harpocratione in Μασσαλία. *Ἰσοκράτης μέν φησιν ἐν Ἀρχιδάμῳ ὡς* ΦΩΚΑΕΙΣ *φυγόντες τὴν τοῦ μεγάλου βασιλέως δεσποτείαν, εἰς Μασσαλίαν ἀφίκισαν· ὅτι δὲ πρὸ τούτων τῶν χρόνων*

ἤδη ὑπὸ ΦΩΚΑΕΩΝ ᾠκίστο ἡ Μασσαλία, καὶ Ἀριστοτέλης ἐν τῇ Μασσαλιητῶν πολιτείᾳ δηλοῖ. Verba ipſa Ariſtotelis habemus apud Athenaeum in lib. 13. Ἀριστοτέλης, inquit, ἐν τῇ Μασσαλιωτῶν πολιτείᾳ γράφει οὕτως. ΦΩΚΑΕΙΣ οἱ ἐν Ἰωνίᾳ ἐμπορίᾳ χρώμενοι ἔκτισαν Μασσαλίαν, etc. quae operae pretium fuerit legere, et cum narratione Iuſtini in lib. 43. componere. Tempus huius coloniae fuit Olympias 45. Tarquinio Priſco Romae regnante, ut tradunt Timaeus apud Marcianum Heracleotam in Deſcriptione orbis, Solinus cap. 8. et Iuſtinus in lib. cit. Quamquam Solinus pugnantia inter ſe dicit atque contraria. PHOCENSES, ait, *quondam fugati Perſarum adventu, Maſſiliam urbem Olympiade 45. condiderunt.* Atqui Phocenſes Perſarum adventu fugati non ſunt niſi Olymp. 57. ut dixi. Olympiade autem 45. nondum inſtitutum erat Perſarum Imperium. Itaque Solinus duas de Maſſiliae conditu veterum ſententias confudiſſe deprehenditur. VALES. Utique in loco Ariſtotelis et Harpocrationis non debuit ΦΩΚΑΕΙΣ vertere Phocenſes, dum ſcribit *Maſſiliam a Phocenſibus mercatoribus* etc. Nec ſane credibile eſt Henricum ita negligenter ſcriptitaſſe, quum ſane in prima editione legatur clare *a* PHOCAENSIBUS. Debuit igitur Hadrianus honori fratris conſulere cautius. Et quis mutavit? GRONOV.

virium] i. e. iuventutis ſubole, uti exponit Ruhnken. ad Velleii. Pat. 1, 4. p. 17. — *varietas*, variarum opinionum enumeratio. W.

8. *Bardi, Euhages, Druidae.*] Strabo lib. IV. (p. 59. Tzſchuck.) de Gallia: παρ' ἅπασι ὡς ἐπίπαν τρία φῦλα τῶν τιμωμένων διαφερόντως ἐστί. Βάρδοι τε καὶ Οὐάτεις, καὶ Δρυΐδαι. Βάρδοι μὲν ὑμνηταὶ καὶ ποιηταί. Οὐάτεις δὲ ἱεροποιοὶ καὶ φυσιολόγοι. Δρυΐδαι δὲ πρὸς τῇ φυσιολογίᾳ καὶ τὴν ἠθικὴν φιλοσοφίαν ἀσκοῦσι. De Druidibus haec porro Plin. lib. 16. cap. 44. *Iam per ſe* (Druides) *roborum eligunt lucos, nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt, ut inde appellati quoque interpretatione Graeca poſſint Druides videri.* Lucanus lib. 1. 452.

Solis noſſe Deos, et caeli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum.

Atque ideo σεμνόθεοι a Graecis vocantur. Diogen. Laërt. in Prooemio Vit. Stephan. de Urbib. Suid. Quin etiam feminae eorum divinipotentes, et fatidicae. Easque de rebus ſuis Aurelianum et Numerianum Impp. conſuluiſſe: Alex. quoque Severo *in bellum proficiſcenti mulierem Druidam Gallico ſermone vaticinatam*, Flav. Vopiſc. et Ael. Lampr. in Hiſtor. Augg. (P. II. p. 533. 794. P. I. p. 1029. Hack.) ſcribunt. Vide Diodor. Sicul. lib. v. 31. Iuſtin. lib. 24. Ciceron. de Divinat. 1. et de Legib. v. Plin. lib. 30. Feſt. Pomp. lib. 2. *Origenes contra Celſum lib. 1. pag. 14. γαλατῶν δρυάδας vocat.* LINDENBR.

Bardi quidem.] In Manuſcripto Regio [et Colbertino] *ac Toloſano*, et Editione Romana *Vardi* legitur utrubique. Graeci Βάρδους vocant. Poſidonius apud Athenaeum in lib. 6. p. 246. D. ait, Celtas ſecum in exercitu circumducere paraſitos, qui ſuas laudes ubique decantent: τὰ δὲ ἀκούσματα αὐτῶν εἰσὶν οἱ καλούμενοι Βάρδοι· ποιηταὶ δ' οὗτοι τυγχάνουσι μετ' ᾠδῆς ἐπαίνους λέγοντες. Eosdem Bardos memorat etiam Diodorus Siculus in lib. 5. c. 31. his verbis: εἰσὶ παρ' αὐτοῖς καὶ ποιηταὶ μελῶν, οὓς Βάρ-

δους ὀνομάζουσιν· οὗτοι δὲ μετ' ὀργάνων ταῖς λύραις ὁμοίων οὓς μὲν ὑμνοῦσιν, οὓς δὲ βλασφημοῦσι. Id eſt: *Sunt etiam apud eos Melici poetae quos Bardos nominant: hi ad inſtrumenta quaedam lyris ſimilia, horum laudes, illorum vituperationes decantant.* Quippe dominos ſuos, ac Reges, quorum menſas ſectabantur, Bardi laudabant: inimicos vero hoſtesque Regum ſuorum conviciis inceſſebant. Cuius rei exemplum illuſtre eſt apud Athenaeum in lib. 4. p. 152. E. ex Poſidonii hiſtoriis, ubi Poſidonius de Luernio Bituiti patre narrans, ſic ait: ἀφορίσαντος δ' αὐτοῦ προθεσμίαν ποτε τῆς δοίνης, ἀφυστερήσαντά τινα τῶν βαρβάρων ποιητῶν ἀφικέσθαι· καὶ συναντήσαντα μετὰ ᾠδῆς ὑμνεῖν αὐτοῦ τὴν ὑπεροχήν, ἑαυτὸν δ' ὑποδρηνεῖν ὅτι ὑστέρηκε. Id eſt: *Cum aliquando tempus certum conſtituiſſet ad epulum, quidam ex poëtis barbaris cum ſerius veniſſet, illum adiit: et eius quidem maieſtatem cantu celebravit; ſuam vero calamitatem deflevit, qui tardius adfuiſſet.* Appianus etiam in Celtico c. 12. p. 85. Schweigh. id ipſum confirmat, de Bituiti Regis Arvernorum Legato loquens: μουσικός τε ἀνὴρ εἵπετο, βαρβάρῳ μουσικῇ τὸν βασιλέα Βιτύϊτον, εἴτε Ἀλλόβριγας, εἴτε τὸν πρεσβευτὴν αὐτὸν ἐπαινῶν, εἴς τε γένος καὶ ἀνδρίαν καὶ περιουσίαν ὑμνῶν. οὗ δὴ καὶ μάλιστα ἕνεκα αὐτοὺς οἱ τῶν πρεσβευτῶν ἐπιφανεῖς ἐπάγονται. Id eſt: *Sequebatur et Muſicus quidam, barbaro cantu Bituitum Regem, ſeu Allobrogas, ſeu Legatum ipſum celebrans, tum a ſplendore generis, tum ab opibus ac fortitudine. Cuius rei cauſa nobiliores Legati eos ſecum circumducere ſolent.* Ex his patet Bardos nil aliud fuiſſe quam paraſitos, planeque ſimiles eorum, quos Latini Scurras vocabant. Ut enim ſcurrae exercitum ſequebantur, iocis ac geſticulationibus milites inter convivia delenire ſoliti, ita etiam Bardi. De his ſcurris ſic Spartianus in Septimio Severo ſcribit 22. *Aethiops quidam e numero militari, clarae inter ſcurras famae et celebratorum ſemper iocorum, etc.* Et Plautus in Truculento Act. 2. Sc. 6. v. 10.

Non placet quem ſcurrae laudant, manipulares muſſitant.

De iisdem intelligere ſoleo Ciceronis locum in Epiſt. 20. libri 9. et Hieronymi in lib. 2. contra Iovinianum cap. 49. Eos eleganter depingit Gregorius Nazianzenus in Invectiva 2. in Iulianum: ὡς δὲ ἄλλοι τῶν γελοιαστῶν βαρβάρων τινὰ τοῦτο τολμῆσαι, οἳ τοῖς στρατιώταις ἔπονται λύπης τε ψυχαγωγία, καὶ πότοις ἥδυσμα. De his ſcurris loqui videtur Marcellinus in lib. 29. cap. 4. VALES.

Druidae.] Cf. de his Ritterus ad Guthrium T. v. P. III. p. 277. ſſ. W.

Illuſtrium facta heroicis compoſita verſibus.] Lucan. lib. 1. v. 447.

Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremptos,
Laudibus in longum vates dimittitis aevum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina Bardi.

Vide quae olim ad Hiſtoriam Langobard. notavi. LINDENBR.

Heroicis compoſita verſibus.] Non videtur probabile, Bardos hexametris verſibus cecinisſe: neque id veterum quisquam ſcripſit. Itaque id admenſus de ſuo videtur noſter Marcellinus. Niſi forte heroicos verſus appellavit, quibus heroum praeclare facta canebantur a Bardis, non autem hexametros. VALES.

Digitized by Google

Eubages vero ſcrutantes ſumma.] In Regio exemplari [et in Colbertino] "ac Toloſano Vaticanoque" ſcriptum reperi *Euhagis* utrubique, prout in Editione Romana legitur. Proinde non dubitavi eam ſcripturam hic reſtituere, praeſertim cum a Strabone in lib. 4. (p. 59. Tzſchuck.) dicantur *οὐάγεις. οὐάγεις δὲ*, inquit, *ἱεροποιοὶ καὶ Φυσιολόγοι*: quod praeclare convenit cum his, quae habet Marcellinus: *Euhages vero ſcrutantes ſeriem et ſublimia naturae pandere conabantur.* Sic enim legitur in Regio codice. Editio Romana habet, *ſcrutantes ſerviani*, ut et Mſ. Florentinus, [et Colbertinus.] VALES. Recte *Euhages εὐαγεῖς* (i. q. *ἅγιοι, ὅσιοι*, ſancti). Mirum tamen, quod eorum loco Strabo habeat *Οὐάτεις* h. e. *Vates*, fortaſſe librarii antiquioris incuria, qui latine magis, quam graece doctus literulas *o* et *ε* mutaverat. Eosdem a Diogene Laertio Semnotheos, a Diodoro Siculo Lib. v. c. 31. Saronidas appellari docuit me Pithoeus in Adverſar. p. 17. (Imo Druidae ſic dici videntur. EDR.) Reineſius adſcripſit: „*οὐάγεις* vox corrupta ex *οὐατεῖς*, nam *τ* et *γ* ſcriptores ſaepe permutarunt. Sic *ουιτον* et *ουιγον* in Theophraſto, et in Heſychio *ἰαγίον* pro *ἰατίον*. v. Salmaſ. Plin. Exercitt. p. 700. Diod. Sic. Lib. 5. *μάντεις*." Accuratius omnia expoſita ſperabam in libro, quem in ſupellectili mea ſervo: *Taillepied hiſt. de l'etat et republique des Druides, Eubages, Sarronides, Bardes, Vacies. Par.* 585. 8. a cuius lectione nihilo doctior diſceſſi. Diligentiſſime autem de Euhagibus egit Ritterus ad Guthrium T. v. P. III. p. 294. ſſ. in emendando Strabone mecum, quod laetor, conſentiens, Etymon tamen vocis non e Graeca, ſed Celtica lingua derivans. W.

Ut auctoritas Pythagorae decrevit.] Haec Marcellini verba ſic intelligenda ſunt, quaſi diceret Druidas ex praecepto Pythagorae non modo ſodaliciis adſtrictos vivere, ſed etiam animas immortales affirmare: utrumque enim pariter a Pythagora decretum eſt. Ac de ſodaliciis quidem Pythagoreorum Iuſtinus in lib. 20. 4. *Sed triginta ex iuvenibus, cum ſodalicio iure ſacramento quodam nexi, ſeparatam a ceteris civibus vitam exercerent, etc.* et Agellius in lib. 1. cap. 9. De iisdem multa dixerat Cicero in Oratione pro Vatinio, ea (ut opinor) cauſa, quod Vatinius Pythagoreum ſe eſſe jactabat, ſicut teſtis eſt idem Tullius in Oratione contra Vatinium. Hieronymus in lib. 2. adverſus Ruſinum in fine, *Lege*, inquit, *pro Vatinio oratiunculam, et alias, ubi ſodalitiorum mentio ſit: revolve dialogos Tullii: reſpice omnem oram Italiae, quae quondam Magna Graecia dicebatur: et Pythagoreorum dogmatum inciſa publicis litteris aera cognoſces.* Huius porro Orationis pro Vatinio meminit Valerius Max. in lib. 4. cap. 2. Haec Pythagoreorum collegia Polybius in lib. 2. 39. *συνέδρια* vocat, Strabo in lib. 6. (p. 243. Tzſchuck.) *συσσίτια*: ſcribitque Iamblichus in lib. 1. de vita Pythagorae cap. 6. *κοινοβίους* ob id dictos eſſe Pythagorae ſectatores. VALES.

Sodaliciis adſtricti conſortiis.] *Sodaliciis* hic ſumitur adiective, ut apud Iuſtinum in eo loco quem ſupra laudavimus, *ſodalicio iure*. Sic enim habent omnes Mſſ. codices. Et ſimiliter in lege 1. D. de collegiis, *Collegia ſodalitia*. Quae quidem locutio Marcellino noſtro familiaris eſt: ut cum in calce lib. 21. c. 15. §. 6. dicit: *Matrimonio iure copulata eſt Gratiano.* et in lib. 22. c. 15. §. 31. *Deinde Syenes, in qua ſolſtitio tempore,*

Digitized by Google

etc. Sic enim habet utrubique codex Regius. Denique in lib. 23. c. 6. §. 12. *Mari iunguntur oceano.* VALES.

Pronuntiarunt animas immortales] Pomp. Mela lib. 3. cap. 1. *Hi* (Druidae) *terrae mundique magnitudinem et formam, motus caeli et siderum, ac quid Dii velint, scire profitentur. Docent multa nobilissimos gentis clam et diu, vicenis annis in specu, aut in abditis saltibus. Unum ex iis quae praecipiunt in vulgus effluit, videlicet ut forent ad bella meliores, aeternas esse animas, vitamque alteram ad manes.* Diodor. Sicul. Biblioth. lib. v. c. 28. ἐνισχύει παρ' αὐτοῖς ὁ Πυθαγόρου λόγος, ὅτι τὰς ψυχὰς τῶν ἀνθρώπων ἀθανάτους εἶναι συμβέβηκε, καὶ δι' ἐτῶν ὡρισμένων πάλιν βιοῦν, εἰς ἕτερον σῶμα τῆς ψυχῆς εἰσδυομένης. Strabo lib. iv. (p. 60. Tzschuck.) Caesar lib. vi. c. 14. LINDENBR.

Pronuntiarunt animas immortales.] Singulare eius rei testimonium est, quod refert Valerius Max. de externis instit. 2, 10. *Gallos,* inquit, *memoriae proditum est, pecunias mutuas, quae sibi apud inferos redderentur, dare: quia persuasum habuerint animas hominum immortales esse. Dicerem stultos, nisi idem Bracati sensissent, quod palliatus Pythagoras sensit.* [Idem de Gallis dicit Mela in cap. 2. lib. 3.] VALES.

CAPVT X.

1. *Alpium Cottiarum*] a monte Viso usque ad montem Cenis pertinentium. Altmann Beschreibung der Helvetischen Eisberge p. 235. W.

2. *In amicitiam Octaviani receptus.*] Atque haec causa est, cur Octavius Imp. civitates XII. Cottianas non addiderit Inscriptioni e trophaeo Alpium. Quas etiam non nisi defuncto Cottio Rege, Nero in provinciae formam redactas Imperio adiecit. Eutrop. lib. VII. c. 14. Aurel. Victor in Nerone (de Caes. 5, 2.) LINDENBR. Conf. etiam Plinius III, 24. (20.) et Messalla Corvinus c. 34. p. 87. Tzschuck. W.

Ad vicem memorabilis muneris] ut gratum animum testificaretur. W.

3. *Initium est a Segusione*] (Susa) in Pedemontio. Wesseling ad Itinerar. p. 341 et 556. W.

4. *Devolvuntur*] Vox bene delecta, rem enim quasi pingit. Omnino totam harum viarum descriptionem recte laudat Gibbonus T. III. p. 56. ut lucidam, vividam et accuratam. W.

5. *Humus crustata frigoribus*] Lib. XVII. c. 2. §. 3. *Crustae pruinarum.* *Virgil. Georgicor. 3. v. 360. *Concrescunt subitae currenti in flumine crustae.* Sidon. Apollin. lib. 4. Epist. 6. *crustis glacierum.** Et *concrustare,* Ammian. lib. (XVII, 7, 11. et) XXX, 6, 5. Hinc Italorum *la fredda crusta.* LINDENBR.

Labilis] lubrica. XXVII, 10. *Incessum praecipitantem impellit* eo celeriorem facit. W.

Montanis] Ante hanc vocem addere malim *vel.* W.

[*Agrestibus praeviis difficile pervaduntur.*] De Alpibus loquitur Ammianus. Hi *agrestes praevii, locorum callidi* ibidem dicti, sunt quos *Marrones* vel *Marrunos* nostri postea vocavere; nos

Digitized by Google

vulgo *les Marrons* appellamus. Iohannes in Vitae Odonis Abbatis Cluniacenſis libro 3. ante annos 750. *Marrones, genus quoddam hominum,* ei per Alpes nivoſas hieme ex Italia redeunti, accepta mercede ducatum praebuiſſe ſcribit. Et Odo ipſe in Vita Geraldi Aureliacenſis Comitis tradit, *Marranos, rigentes Alpium incolas, ſupellectilem Geraldi* Romam petentis ſaepe *per iuga montis Iovini* magno quaeſtu *transvexiſſe:* ſicut apud Ammianum legimus, vehicula funibus illigata, pone cohibentibus laborioſe eiusmodi viris, tutius per Alpes devolvi ſolere. Rodulfus qui Geſta Abbatum Trudonenſium et ſua ante annos 560. ſcripſit, *Marones montis Iovis* ſeu ſummi Pennini memorat in lib. XII. et ita vocari ait *viarum praemonſtratores,* ac *peregrinorum duces,* quorum pilea, chirothecas, cothurnos, et haſtas longas graphice depingit. Marrones montis Ciniſii ſeu Alpis Cottiae, Novalicium, Ferrariam, et Annaeburgum incolunt, montis ſui tempeſtates praenuntiant viatoribus, eosque ex ſummo Ciniſio in Galliam deſcendentes, cratibus impoſitos dirigunt.] VALES.

6. *Stationem nomine Martis*] Anton. Aug. in Itinerar. (p. 341. ed. Weſſel.) *A Mediolano Arelate per Alpes Cottias. — Seguſionem, ad Martis, Brigantionem.* Tabula antiqua: *Seguſione, Martis, Gadaone, Brigantione.* LINDENBR. Cluverius *ad Martis* hodie eſſe oppidum *Orſi,* Bouche *Oulx* fani huius ſedem fuiſſe crediderunt. Weſſel. l. l. et p. 556. W.

Adusque ſtationem nomine Martis.] Manſio Martis dicitur in Itinerario Burdigalenſi. Sed Marcellinus ſtationem indiſtincte tam pro manſione militari quam pro mutatione curſus publici uſurpare ſolet. Sic Dadaſtanam vocat ſtationem, quae in illo Itinerario manſio eſt: et Arethuſam ſtationem, quae ibidem mutatio dicitur. Statio igitur nomen generale eſt, ut σταθμὸς Graece. Scribit enim Euſtathius in Iliad. β ſub finem, σταθμὸν dici τὴν μονὴν καὶ τὴν λεγομένην ἀλλαγήν. VALES.

Matronae] hodie *Genevre.* Weſſel. p. 556. W.

7. *Caſtellum Virgantiam.*] Legendum eſt *Brigantiam.* In Tabula Peutingerorum, et Itinerario Antonini, et apud Ennodium in Itinerario Alpium dicitur *Brigantio.* In Burdigalenſi vero Itinerario *Byrigantum* corrupte. Sed locum integrum hic adſcribere operae pretium fuerit.

Manſio Hebriduno m. 16. *Inde incipiunt Alpes Cottiae.*
Mutatio Rame m. 17.
Manſio Byrigantum m. 17. *Inde adſcendis Matronam.*
Manſio ad Marte m. 19.
Civitas Secuſſione m. 16. *Inde incipit Italia.*

Lego *Brigantium.* Ptolemaeo enim βριγάντιον dicitur in Alpibus Graiis, itemque a Strabone in lib. 4. (p. 75. Tzſchuck.) Hodie *Briançon* vocamus opidum in Delfinatu noſtro, ut notavit vir praefata reverentia nominandus Iac. Sirmundus in Notis ad Ennodium. Iulianus in Epiſtola ad ordinem et populum Athen. (p. 286. Spanh.) βριγαντίαν appellat, perinde ac Marcellinus: ἐν τῇ βριγαντίᾳ τοσοῦτον ἕτερον ἐπὶ (lege περὶ) τὰς Κοττίας ἄλπεις, etc. VALES.

9. *Thebanus Hercules ad Geryonem.*] Mamertinus idem tangit in Panegyr. c. 9. *Vos invictiſſimi Impp. prope ſoli Alpium vias, hibernis nivibus obſtructas, divinis veſtigiis aperuiſtis: ut*

quondam Hercules per eadem illa culmina Iberiae ſpolia incomitatus abduxit. LINDENBR.

Maritimas] Meſſala Corvinus p. 88. habet Cottias, Penninas, Graecas et *Romanas*, quas fortaſſe cum Maritimis easdem eſſe putat Tzſchuck. W.

Hicque harum indidit nomen.] Graias ſcilicet vocavit, teſte Plinio in lib. 3. cap. 16. et Cornelio Nepote in Hannibalis Vita, qui ſic ait c. 3. *Ad Alpes poſteaquam venit quae Italiam ab Gallia ſeiungunt, quas nemo umquam cum exercitu ante eum traiecerat: quo facto is hodie ſaltus Graius appellatur.* Quare in hoc Marcellini loco melius legeretur: *Hisque Graiarum indidit nomen.* VALES. *Graiarum* ego fidenter in textum recepi. Quid enim? *harum* referri non poſſet, niſi ad praecedentes *Maritimas*, quibus hoc nomen dederit Hercules, de quo ſilent omnes, qui de Alpibus ſcripſere. Abeſſe contra non poterant *Graiae*, quas omnes commemorant. Hae dicuntur hodie *der kleine Bernhardsberg.* W.

Monoeci ſimiliter arcem et portum.] Strabo lib. IV. p. 140. (p. 75. Tzſchuck.) ὁ δὲ τοῦ Μονοίκου λιμὴν ὅρμος ἐστὶν, οὐ μεγάλαις, οὐδὲ πολλαῖς ναυσὶν, ἔχων ἱερὸν Ἡρακλέους Μονοίκου καλουμένου. *Lucanus lib. I. 405.

Quaque ſub Herculeo ſacratus nomine portus
Urget rupe cava pelagus. Non Corus in illum
Ius habet, aut Zephyrus: ſolus ſua littora turbat
*Circius, et tuta prohibet ſtatione Monoeci.** LINDENBR.

Nomen ad noſtram adeo aetatem propagatum. Eſt enim Monaco vel Mourguez. Weſſel. Itin. p. 503. Vid. praeter Strabonem a Lindenbrogio laudatum Plinius III, 7. et Tacit. Hiſt. III, 42. W.

Alpes Poeninae] hodie *der groſse Bernhardsberg. ſunt excogitatae* i. q. antea *conſtructae.* Sic XXII, 16, 9. *excogitavit* i. e. reſtauravit, inſtruxit, in portu Cleopatra turrim excelſam. Communi cum aliis errore Ammianus habet *Poeninas*, quod nomen ab tranſitu Hannibalis *Poeni* iſtas Alpes traxiſſe falſo crederent. Rectius *Peninae* a Deo *Pen* vel *Penino*, cuius mentionem facit Livius XXI, 38. et Inſcriptio apud Gudium p. LIV. 6. v. Altmann p. 243. ſſ. W.

10. *Superioris Africani pater Pub. Corn. Scipio.*] Flor. lib. II. cap. VI. LINDENBR.

Deſtinatione] obſtinatione, pertinacia, XVI, 12, 37. XIX, 3, 1. — *intercurſo* percurſo, ſuperato. W.

11. *Per Tricaſſinos et oram Vocontiorum.*] [In Mſ. Colbert. legitur, *per Tricaſinos.*] Reſcripſi *per Tricaſtinos*, ut Auguſtana ac Baſilienſis Editiones praeferunt: firmatque T. Livius in lib. 21. c. 31. his verbis quae Marcellinus noſter exſcripſit: *Cum Alpes peteret, non tam recta regione iter inſtituit; ſed ad laevam in Tricaſtinos flexit: inde per extremam oram Vocontiorum agri tetendit in Tricorios, etc.* Manetque etiamnum Tricaſtinorum appellatio in Delfinatu noſtro. De Tricoriis loquitur Plinius in lib. 3. c. 5. (4) p. 555. Franz. et Appianus in Celticis 1, 3. Strabo in lib. 4. (p. 25. 26. Tzſchuck.) eos ſupra Cavares locat cum Vocontiis ac Medullis. VALES. Etiam *Tricaſtinos* iam citat Hier. Surita ad itinerarium Antonini p. 506. GRON. *Per Trica-*

Digitized by Google

Tricaſtinos, aliquot milliaria ad orientem a Valentia (Valence) usque ad Gratianopolin, (Grenoble) in parte auſtrali Isarae fluvii. Mannert, quem omnino, fidiſſimum quippe ducem, ubique ſequor, T. II. P. 2. p. 89. Cf. et Salmaſ. Epiſt. L. 1. 4. W.

Oram Vocontiorum] in montibus per medium Delphinatum, partemque Provinciae. Mannert p. 92. — *ad ſaltus Tricorios*, in ditione *Brigantiae* (Briançon). ib. p. 95. W.

Vi magna flammarum, acetoque.] Livius lib. XXI. 37. *Hericus Altiſſiod. de Vita S. Germani lib. 5. p. 52.

Hinc ſubit aërias meritis ſublimior Alpes.
Limes hic Auſonias Gallis diſterminat oras,
Aeternis nivibus, aeterno frigore, torpens,
Humano generi non ante meabilis unquam,
Hannibal Hiſpana remeans quam victor ab ora
Diduxit ſcopulos, et montem rupit aceto.

Acetum ſolum ex omnibus humoribus flammam violentam exſtinguit, dum per frigus ſuum calorem vincit elementi. *Acetum igni exſtinguendo.* Vid. L. 3. §. 5. ff. de penu legata. L. 12. § 18. de inſtr. vel inſtr. legat. Vid. Livium lib. 21. p. 502. 566. Macrob. Saturnal. 6.* LINDENBR. Eadem praeter Livium habet Appian. de B. Hannib. c. 4. et Iuvenal. 10, 153. ubi alii laudantur. Inde refert Servius ad Virgil. Aen. 10, 13. et narrationem *putri mole* innuit Sil. Ital. 3, 643. Duriores rupes ferro ſubigendi morem non Hannibalis primum commentum fuiſſe, ſed inde ab antiquiſſimis temporibus invaluiſſe ipſum lobum Cap 28. teſtem advocat *Comes Velthemius vom Feuerſetzen der Alten im Goett. Magaz. d. Wiſſenſch. u. Literatur Jahrg. III. S.* 658. *ff.* Hic vir, dum viveret, non rei metallicae tantum, ſed literaturae fere omnis peritiſſimus, omnem hanc rationem emolliendi igne duriſſimas cautes accurate exponit, nec in eo refragatur Livio et Ammiano. Magnam inprimis vim eſſe venti, qui ſi ad ſtruem lignorum apte dirigatur, lapides ſenſim emolleſcere, aceto vero adfuſo, magis etiam macerari, quamquam ſola aqua ob ſubitam refrigerationem ad rumpenda ſaxa valeat. Iam vero etſi eandem aceto vim tribuit Plinius 23, 27. (1.) Eleutherarum muros eo ſolutos refert Dio Caſſius 36, 1. et Guiſius princeps noſtro aevo in Neapolitana expeditione eadem arte uſus eſt, quod ipſe in commentariis rerum a ſe geſtarum ſcribit (vid. Harduin. ad Plin. l. c.) alii tamen negant, quod Polybius nullam eius rei faciat mentionem, nec intelligi poſſit, unde tantam aceti copiam in Alpibus ſumſerit Hannibal cf. Duker. ad Liv. l. c. Docte illuſtratur haec narratio in diſputatione Boettigeri, quam inſertam exhibet Schleswigiſches Journal ann. 1793. Februario menſe p. 201 — 221. v. Tzſchuck. ad Eutrop. p. 142. W.

[*Per Druentiam flumen gurgitibus vagis intortum.*] Quid ſit flumen *gurgitibus vagis intortum*, quidve haec verba ſignificent, fateor me ignorare. In codice Colbertino, qui eſt optimus, ſcriptum reperio, *gurgitibus vagis intotum*: ex quo facillime iudicari poteſt, legendum eſſe *intutum*. Certe Livius in lib. XXI. c. 31. *Druentiam Alpinum amnem, omnium Galliae fluminum difficillimum tranſitu eſſe* ſcribit, *nova ſemper vada, novosque gurgites, ac plures ſimul alveos facientem; ad haec ſaxa glomeroſa volventem, nihil ſtabilis nec tuti ingredienti praebere.*

Silius Italicus in libro III. v. 472. eadem omnia, quae Livius, de Druentia dicit.

Ac vada translato mutat fallacia curſu,
Non pediti fidus, patulis non puppibus aequus.

Auſonio in Moſella v. 479. dicitur ob id Druentia *ripis ſparſis incerta.*] VALES. *Druentia* hod. Durance. W.

CAPVT XI.

1. *Laterent ut barbarae*] Nihil enim antiquiſſimis temporibus notum fuit, niſi orae maritimae. W.

2. *Et Gallos quidem qui ſunt Celtae.*] Caeſaris locum imitatus eſt, lib. 1. de Bell. Gall. c. 1. *Gallos ab Aquitanis Garumna flumen, a Belgis Matrona et Sequana dividit. Horum omnium fortiſſimi ſunt Belgae, propterea quod a cultu atque humanitate Provinciae longiſſime abſunt, minimeque ad eos mercatores ſaepe commeant, atque ea quae ad effeminandos animos pertinent, important.* LINDENBR.

3. *Poſt circumclauſum ambitu inf. Pariſiorum caſtellum.*] Atqui paullo ſupra Pariſios Matrona in Sequanam influit; ut Marcellinum falli neceſſe ſit, qui infra Luteciam influere ſcribit. Tamen ſi propius attenderis, nihil hic peccat Marcellinus. Neque enim negat, ſupra Luteciam Pariſiorum Matronam miſceri Sequanae: immo idipſum tacite ſignificat, cum dicit hos duos amnes poſt circumclauſam ambitu inſulari Luteciam ſociatim meare: proxime enim ſupra Pariſios coniuncti, Pariſiorum inſulam cingunt, deinde ſociatim meant. Verum illud aeque excuſari non poteſt, quod ſubiicit, *prope caſtra Conſtantia* in mare evolvi. VALES.

Pariſiorum caſtellum, Luteciam nomine.] De Pariſiorum antiqua conditione inprimis praeclare egit *Bonamy* in Memoires des Inſcriptt. T. XV. p. 656. et Oberlinus ad Vibium Sequeſtrem p. 183. cf. Ritterus ad Guthrium T. V. ſect. 3. p. 67. W.

Caſtra Conſtantia] (civitas Conſtantia Notit. Gall.) Nomen habent a conditore, Conſtantio Chloro. Cellarius non habet, Danvilius (et Oberlinus l. l.) putant eſſe, quae hodie vocatur *Coutances.* Fortaſſe eſt *Carocotinum* (Itin. Antonini p. 381.) prope urbem *Harfleur.* Mannert p. 140. W.

6. *Regebantur Galliae, iam inde uti ceſſere Iulio Dict. poteſtate in partes diviſa IV, quarum Narbonenſis una Viennenſem intra ſe continebat, et Lugdunenſem: altera Aquitanis praeerat univerſis: ſuperiorem et inferiorem Germaniam, Belgasque duae Iurisdictiones eisdem rexere temporibus.*] Si de Iulii Caeſaris temporibus intelligitur hic locus, quo modo ferri poſſit neſcio. Tunc enim Galliae omnes unica iurisdictione regebantur ab eo, cui Senatus eam provinciam decreverat. Poſtea Auguſtus nova Galliae diviſione facta quatuor iurisdictiones conſtituit. Sed ne tum quidem Belgicae iurisdictio a iurisdictione utriusque Germaniae ſeparata eſt, ut docet Dio in lib. 53. 12. nec diu poſtea: quod ex Plinio et Ptolemaeo colligitur, qui ſub Belgica provincia utramque Germaniam comprehendunt.

Digitized by Google

[Iulius Caesar tres Galliae partes, Belgicam, Celticam, quae postea Lugdunensis dicta est, et Aquitaniam fere totam, in provinciarum formam redegit, ac tributarias fecit. Nam quarta pars Galliarum, seu provincia Narbonensis pridem Romanis parebat. Sed uni, an quatuor rectoribus Galliam is omnem attribuerit, scire non possumus. At sub Augusto Iulii successore, a quo Aquitania perdomita et cum Belgica aucta, atque Celtica seu Lugdunensis imminuta est, constat quatuor summis totius Galliae partibus, nimirum Belgicae, Celticae vel Lugdunensi, Aquitaniae, ac Galliae Narbonensi (ne de Germania Cisrhenana loquar) suum cuique rectorem praefuisse. Unde alium *Belgicae provinciae Legatum;* alium *Lugdunensis Galliae Legatum*, Suetonio *Propraetorem* dictum; hunc *Legatum Aquitaniae*, alias Praesidem; illum *Galliae Narbonensis rectorem* a Tacito, Suetonio, Spartiano, Eutropio, aliisque Historicis nuncupari videmus. Ex quo intelligitur, quatuor istas Galliae partes non modo sub Augusto, sed etiam sub Severo, Gallieno, et Aureliano Principibus suos sibi ac seorsum rectores habuisse. Non igitur sub C. Iulio Caes. Dictatore, ut asserit Ammianus, ac ne sub Augusto quidem insequentibusve Principibus provincia Narbonensis Viennensem Lugdunensemque continebat, et Narbonensis, Viennensis ac Lugdunensis uni eidemque rectori parebant: cum Viennensis provincia nulla tum esset. Quippe tractus omnis terrarum, qui provinciae Viennensis nomine diu post censeri coepit, tum Narbonensis Galliae pars erat, ac eumdem quem ipsa rectorem habebat. Celtica vero vel Gallia Lugdunensis tum suum sibi Legatum habuit, a provinciae Narbonensis rectore diversum: ut docui in mea Notitia Galliarum in disceptatione de variis Galliae divisionibus pag. 298. et 299. Denique (qui est tertius error Ammiani Marcellini non ut Belgicae unus Legatus praeerat; ita et superioris inferiorisque Germaniae, a corpore Belgicae circa Augusti Principatum avulsae, rector unus ac unicus fuit: sed superior Germania vel prima Legatum sibi suum habuit; inferior aut secunda similiter suum: utrumque a Belgicae Legato diversum. Unde Suetonius Tranquillus Vitellium c. 7. *Legatum a Galba in inferiorem Germaniam missum esse* tradit; et in Domitiano c. 6. *Lucium Antonium superioris Germaniae Praesidem* nuncupat: Tacitus quoque *Visellium Varronem inferioris Germaniae Legatum* vocat in libro III. Annalium c. 41. et Spartianus scribit c. 1. *Didium Iulianum Germaniam inferiorem rexisse*. Ut appareat Legatos illos utriusque Germaniae partim militares, partim etiam civiles Magistratus exstitisse, nec tantum Germanicis exercitibus seu legionibus superioris inferiorisque Germaniae, ad ripam Rheni hiberna habentibus, sed etiam alterum provinciae Germaniae superiori, alterum inferiori praefuisse: cum Lucius Antonius *superioris Germaniae Praeses* fuisse, Iulianus Germaniam inferiorem rexisse dicatur. Non ergo (uti ait Ammianus) quatuor primum fuere toti Galliae iurisdictiones aut potestates, una Narbonensi simul et Lugdunensi, una Aquitaniae, una Belgicae, una ambabus Germaniis. Sed sex omnem Galliam tum rexere Magistratus, Narbonensem provinciam unus, Aquitanicam alter, tertius Celticam vel Lugdunensem Galliam, quartus Belgicam, quintus superiorem Germaniam, sextus ac ultimus inferiorem.] VALES. Uberius de Galliarum diversis temporibus facta divisione egit vir κριτικώτατος Ritterus ad Guthrium T. v. sect. 3. p. 136. ff. 154. ff. Cf. etiam Mannert P. II. p. 33—35. W.

Inde uti] ex quo. cf. XXII. 16. 6. W.

Duae iurisdictiones tenuere] Mannert p. 208. hoc ita vult intelligi, ut Proconsules res civiles, exercituum praefecti res bellicas administrasse putentur. W.

7. *At nunc numerantur provinciae per omnem ambitum Galliarum, secunda Germania*] Accurate haec tractantur in Notitia Provinciarum atque Urbium Gallicanarum, quae cum iam edita sit, supervacaneum hic singula repetere. LINDENBR. Notitia Provinciarum Galliae, quae, quum Theodosii M. vel Honorii aetate demum perscripta sit, Ammiano nondum cognita fuit, XVII. habet provincias, quam divisionem Gratiano demum deberi putat Ritterus l. l. p. 158. Ammianus nonnisi XII. ignorat enim Narbonensem secundam, Alpes Maritimas, Aquitaniam secundam, Lugdunensem tertiam et quartam. Alii aliter numerant. Sic Sextus Rufus in Breviario habet XIV. v. omnino Mannert p. 38. W.

Secunda Germania] Continebat Belgium nuper Austriacum, Iuliacum, Coloniam usque ad Bingium. *Tungri* (Tongern) Wesseling. ad Itiner. p. 378. Semel hic monuisse sufficiat, et urbium et populorum idem saepe nomen fuisse. *Amplis et copiosis* ob frequentiam civium. Tungrorum tamen civitas paullo post Ammianum a Francis diruta. W.

8. *Prima Germania*] a Bingio ultra Argentoratum porrecta. *Mogontiacus* (Mainz) Wesseling p. 355. Reise auf den Harz p. 253. *Vangiones* Wesseling l. l. Dicta urbs est etiam Borbetomagus, unde contr. Wormats-Worms. Ritter. l. l. p. 114. *Nemetae* Wessel. p. 253. a rivulo praefluente Spira, Speier. *Argentoratus barbaricis cladibus nota.* v. XVI, 12. et Wernsdorf. Poet. lat. minor. Vol. I. p. 192. W.

9. *Belgica prima*] Treviros, partem Lucemburgi, Lotharingiam et tres episcopatus continens. *Mediomatrici* (Metz) *Treviri* (Trier) *domicilium principum* nempe a Constantino M. usque ad Valentem. v. XXVII, 10. et Wernsdorf Poet. min. Vol. I. p. 194. W.

Treviros domicilium Principum.] Zosim. lib. III. c. 7. vocat πόλιν μεγίστην τῶν ὑπὲρ τὰς Ἄλπεις ἐθνῶν, regiique palatii, cum alii Scriptores, tum quoque D. Ambros. meminit lib. V. Epist. XXVII. *Cum perveniissem Treviros, postridie processi ad palatium.* Eius etiam nunc rudera exstant. LINDENBR.

10. *Belgica secunda*] Ad meridiem constabat inde a *civitate Catelaunorum* (Chalons sur Marne) terris omnibus, Sequanam inter et Mosam sitis usque ad Oceanum, Mannert p. 160. *Ambiani* (Amiens) *Remi* (Rheims). W.

11. *Sequani*] Maxima Sequanorum, hodie Franche-Comté (Burgundia) Helvetia occidentalis et Alsatia australis. Mannert p. 41. *Bisontii* al. Vesontienses, intra XX, 10. Besantio (Besançon). v. Wesseling ad Itiner. p. 349. *Rauraci* (Augst ad Basileam). W.

Lugdunensis prima] Hod. Bourgogne et Nivernois. *Lugdunus* (Lyon) *Cabillonis* (Chalons sur Saone) *Senones* (Sens) *Biturigae* (Bourges) Wesseling p. 460. *Augustodunum* (Autun) de quo vide XVI, 12. et Wesseling p. 360. W.

12. *Secundam enim Lugdun. Rotomagi et Turini.*] Hunc locum sic legendum atque distinguendum esse existimo; *Et Turo-*

Digitized by Google

ni, Mediolanum oſtendunt et Tricaſſini. Turoni enim in tertia Lugdunenſi locantur in Notitia provinciarum Galliae. Mediolanum vero quod in Lugdunenſi etiam Ptolemaeus ponit, intelligo Mediolanum Aulercorum, cuius mentio fit in Itinerario Antonini. Porro duas tantum Lugdunenſes agnoſcit noſter Marcellinus, perinde ac Rufus Feſtus in Breviario c. 6. qui iisdem fere temporibus ſcripſit. Poſtea quatuor ſunt factae. VALES.

Lugdunenſis ſecunda] Nunc Normannia. *Rotomagi* (Rouen) *Turini*, rectius, quod in textum recepi, *Turones* (Tours) Mannert p. 40. cf. etiam Salmaſ. Epiſt. 6. *Mediolanum* (Evreux) quod nomen deinde Galli Italiam occupantes in Italiam etiam transtulerunt. Mannert p. 142. Weſſeling p. 384. *Tricaſini* (Troyes). Qui quatuor Lugdunenſes ſtatuunt, Turones tertiae, Senones quartae civitates primarias faciunt. W.

Alpes Graiae et Poeninae] Hodie Valeſia (Wallis) et orientalis plaga Sapaudiae. *Aventicum* Mannert p. 192. In anno diruti Aventici non conſentiunt ipſi Helvetii. v. *Müller Schweizergeſch.* p. 70. *Haller Geſchichte d. Helvetier* inpr. p. 245. et 255. W.

Habent et Aventicum.] Immo Aventicus eſt in Sequanis, ut docet Notitia provinciarum et civitatum Galliae, [non in Alpibus Graiis et Peninis. Pari errore Ammianus *Biturigas* metropolim Aquitaniae in Lugduñenſi prima collocat; et Narbonenſi attribuit *Eluſam*, quae tum erat metropolis civitas prov. Novempopulanae.] VALES. Cf. tamen Weſſeling. p. 352. W.

13. *In Aquitania.*] Ex his verbis apparet, Marcellinum Gallias omnes in duas partes diſtinguere, Galliam ſcilicet, et Aquitaniam. Ac Galliae quidem ſeptem provincias ſupra recenſuit. Nunc provincias Aquitaniae aggreditur, primamque ex his ponit Aquitanicam: quod quidem nemini mirum videri debet. Nam et Rufus Feſtus in Breviario eamdem diſtinctionem agnoſcit, cum ait c. 6. *Sunt Galliae cum Aquitania et Brittaniis provinciae ſeptemdecim.* et Auſonius in Arelate v. 8.

populosque alios et moenia ditas:
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.

et Maximus Aug. in Epiſtola ad Valentinianum Iuniorem, relata a Baronio anno Chr. 387. Denique Sulpicius Severus in lib. 3. de vita Martini: *Sed dum cogito me hominem Gallum inter Aquitanos verba facturum, etc.* et in lib. 2. Hiſtoriae ſacrae: *Sed noſtris, id eſt, Aquitanis, Gallis, Britannis indecens viſum eſt, etc.* Apparet igitur Galliae et Aquitaniae nomen modo ſtrictius, modo latius ſumi. Ceterum miror, a Marcellino unicam provinciam Aquitanicam poni: quippe cum Rufus Feſtus qui ante eum ſcripſit, duas iamtum Aquitanias agnoſcat c. 6. VALES.

Aquitania] Fines ipſe Ammianus ſatis clare determinat. — *Burdegala* (Bourdeaux) *Arverni* (Auvergne et ibi Clermont) *Santones* (Saintes) *Pictavi* (Poitiers). W.

14. *Novem populi*] Aquitania ſenſu ſtrictiori, inter Garumnam et Pyrenaeos. Populos novem, unde nomen traxerit provincia, ignorat Mannertus (p. 39.) ideoque et ego. — *Auſci* (Auch) Weſſeling p. 550. *Vaſatae* (Bazas) Mannert p. 120. W.

Narbonenſis] Ammianus nonniſi unam habet, alii primam et ſecundam nominant, quae comprehendunt provincias Languedoc,

Digitized by Google

Rouſſillon, Provence. Alpium orientalium partem urbesque ad Rhodanum ſitas, Maſſilia tamen excepta. Mannert p. 38. — *Eluſa* v. Weſſeling. v. 550. Reineſius adſcripſit: „Qui ſic legunt, errorem adfingunt Ammiano. Eluſa non eſt in Narbonenſi, ſed in Novempopulana." Mannertus p. 64. reponi iubet *Nemauſum*, quum tam celebris urbs praeteriri non potuerit, Eluſa vero ad hanc provinciam non pertineat. *Narbona* (Narbonne) *Toloſa* (Toulouſe). W.

In Narbonenſi cluſa eſt Narbona et Toloſa] Placet ex emendatione viri diligentiſſimi Hieronymi Suritae ita legere: *In Narbonenſi Eluſa eſt et Narbona et Toloſa.* Eluſae mentio in Itinerario Burdigal. et apud Cl. Claudian. qui ex ea nefandiſſimum illum Rufinum eunuchum (v. Hadr. Valeſ. Praefat. p. LXVII. W.) originem duxiſſe putat. Sever. Sulpic. Hiſtor. ſacrae lib. 2. *Iter eis praeter interiorem Aquitaniam fuit; ubi tum ab imperitis magnifice ſuſcepti, ſparſere perfidiae ſemina: maximeque Eluſanam plebem, ſane tum bonam et religioni ſtudentem, pravis praedicationibus pervertere.* *Vide Scalig. Auſonian. Lect. lib. 7. cap. 7. Sirmond. ad Sidon. p. 123.* LINDENBR.

In Narbonenſi cluſa eſt Narbona.] Editio Romana habet, *cluſa et Narbona et Toloſa et principatum urb. tenent.* Primus Sigism. Gelenius vulgatam lectionem commentus eſt. Sed non dubito, quin ita ſcripſerit Marcellinus, prout in Regio codice [et Colbertino,] et in Auguſtana Editione ſcriptum reperi: *in Narbonenſi Eluſa et Narbona et Toloſa princip. etc.* quomodo etiam in Valentino codice Mſ. exaratum fuiſſe vir Cl. Antonius Loiſellus ad oram libri ſui adnotaverat. In Tabula quoque Itineraria Peutingerorum *Cluſa* legitur pro *Eluſa*, eodem errore. Scio quidem Eluſam fuiſſe in Novempopulania, olim etiam metropolim, mediam inter Auſcos et Vaſatas, ut docent Notitia provinciarum Galliae, et Burdigalenſe Itinerarium. Sed nihilominus ita hic ſcriptum fuiſſe, tot codicum teſtimoniis non poſſum non credere; et Marcellinum in hoc lapſum eſſe facile concedam. VALES.

Vienneńſis.] Occidentalis Sapaudia, Delphinatus, Avenio, *Arelate* (Arles) *Maſſilia* (Marſeille) *Vienna* (Guienne) *Valentia* (Valence). W.

Maſſilia iungitur, cuius ſocietate et viribus in diſcriminibus arduis fultam aliquoties legimus Romam] Strabo lib. III. de Maſſilienſ. Ῥωμαίους ἐκτήσαντο φίλους, καὶ πολλὰ καὶ αὐτοὶ χρήσιμοι κατέστησαν ἐκείνοις, κἀκεῖνοι προσελάβοντο τῆς αὐξήσεως αὐτῶν. Ideo Vell. Patercul. lib. II. 15. *Maſſiliam fide meliorem, quam conſilio prudentiorem* vocat. *Cicero Philipp. 13. c. 15. *Romanae Reip. ſemper fuiſſe amiciſſimam.* Lucan. lib. 3. v. 308.

Semper in externis populo communia veſtro
Maſſiliam bellis teſtatur fata tuliſſe,
Comprenſa eſt Latiis quaecumque annalibus aetas.

Civitatem fidiſſimam atque amiciſſimam, Flor. lib. II. cap. 2. *Foederatam civitatem*, Plin. lib. III. cap. 4. appellat. LINDENBR. *Fultam* praeſertim in bello Punico ſecundo. De origine foederis illius firmiſſimi v. Iuſtin. XLIII, 3. et Mannert p. 75. ſſ. W.

15. *Salluvii ſunt.*] Quos Saluvios vocat Prologus libri 60. Titi Livii, Strabo σάλυες, Ptolemaeus σάλυκες, corrupte ut videtur. In Regio exemplari *Saluvii* dicuntur. VALES.

Digitized by Google

Sallavii] rectius *Salyes*, Livio Epit. 61. a Druentia usque ad mare habitaverunt. *Nicaea* (Nice) *Antipolis* (Antibes) *Insulae Stoechades* hodie Porquerolles — Porto-Cros et du Levant, et duae minores: Ribaudas et Bagueaux. Mannert p. 99. W.

16. *A Poeninis Alpibus*] haud procul a fontibus Istri et Rheni. *Proprio agmine* (cf. XV, 4, 4.) *ripas occultat* iustum flumen esse incipit, ita tamen, ut inter montes fluens non conspicatur. *Paludi Lemanno* (Genfer-See) — *Nusquam aquis miscetur externis*, non suis, quod ita positum, verum non est, licet prisci omnes in eo consentiant. Ex ea tamen parte, ubi primum in lacum Lemanum incidit, aquae eius satis diu integrae discerni possunt. Mannert p. 66. W.

Summitates undae praeterlabens, quaeritans exitus.] Cum in omnibus scriptis exemplaribus, Regio, Vaticano ac Florentino, adeoque in Editione Rom. legeretur, *praeterlabens segniores*; non sum veritus sic emendare: *Summitates undae praeterlabens segnioris*. Sic supra de Rheno in Constantiensem lacum immeante dixit *Et undarum quietem permeans pigram, etc.* Mox pro *quaeritans exitus*, in Editione Romana excusum erat, *eritans exitus*, quemadmodum etiam in uno e Vaticanis codicibus sequioris notae. Sed in vetustissimo codice Vaticano legitur, *entans exitus*, *i* litera inter *n* ac *t* suprapicta. In exemplari Regio reperi, *eruptans exitus*. Unde quis coniicere possit, legendum esse *scrupans exitus*, aut sane, *tentans exitus*. VALES.

17. *Per densa paludium fertur et Sequanos.*] Nihil hac coniectura Castelli excogitari potuit infelicius aut ineptius. Nam cum in Editione Romana legisset, *per pensa paudium fertur, etc.* quemadmodum etiam in Mss. Regio, *Tolosano,* [Colbertino,] et Vaticano legitur, nec quid haec sibi vellent intelligeret, suo more interpolavit. Ego vero primum coniectura ductus ex lectionis scriptae vestigiis, emendavi, *per Sapaudiam fertur et Sequanos*. Deinde vero cum eam coniecturam a clarissimis et doctissimis viris lac. Sirmundo et Nicolao Rigaltio, quibus eam communicaveram, valde probari intellexissem, non dubitavi eam in textu ipso restituere, explosa illa Castelli παραδιορθώσει. Neque ambigo lectores, qui rem attente perpenderint, tantorum virorum auctoritati libenter accessuros. Etenim Sapaudia olim dicta est tractus ille Galliae Riparensis, quem olim Allobroges habuere: in eaque Ebrudunum et Cularonem, quae nunc Gratianopolis dicitur, ponit Imperii Notitia. Eadem postea Burgundionibus data est cum indigenis dividenda anno XX. Theodosii, ut scribit Prosper in Chronico. Maior difficultas est in Sequanis, per quos ferri Rhodanum ait Marcellinus, postquam e lacu Lemano erupit. HENR. VALES.

[Immo nulla heic est difficultas. Recte ait Ammianus Marcellinus Rhodanum, etiam postquam Lemanum exiit, *per Sapaudiam et Sequanos ferri*, id est, inter Sapaudiam et provinciam Maximam Sequanorum fluere. Quippe tum Rhodanus sinistra ripa Sapaudiam, dextra Sequanos stringit, videlicet Brexiam, in qua est Belica vel Bellica civitas cum Sessello, Vesontioni metropoli Sequanorum hodieque subiecta: sicuti docui in Notitia Galliarum pag. 79. et 475.] HADR. VALES.

[*Ararim inter Germaniam* I. *fluentem.*] Cluverius in libro 2. de Germania mendosum hunc locum esse suspicatur. Quomodo enim dicere potuit Marcellinus, *Ararim inter Germaniam primam*

fluere, ac non potius per Germaniam? Reſcribit igitur Cluverius, *inter Germaniam* 1, *fluentem et Sequanos*. Sed ne ſic quidem errore vacabit Marcellinus. Quippe Arar inter Lugdunenſem primam et Maximam Sequanorum fluit, Sequanosque a Lingonibus et Aeduis provinciae Lugdunenſis primae populis dividit. Sed forte deceptus eſt Marcellinus a paſtore, apud Virgilium Ararim in Germania ponente Ecloga 1. ut docui in Notitia Galliarum in pag. 34.] HADR. VALES.

Ararim, quem Sauconnam appellant] (Saone) Mannert p. 69. *Suum in nomen adſciſcit* in alveum ſuum recipit prope Lugdunum, W

Qui locus exordium eſt Galliarum. Exindeque non millenis paſſ.] A Lugduno quod eſt ad confluentes Rhodani et Araris, leugis itinera, non milliaribus metiri incipiebant. Unde in Itinerario Antonini poſt Lugdunum leugae coniunctim cum milliaribus ad intervalla notanda ponuntur. Et in Tabula Itineraria Peutingerorum id ſic notatum eſt: *Lugdunum caput Galliarum: Usque hic leugas.* Eſt autem id vocabulum mere Gallicum, 1500. paſſuum ſpatium ſignificans, teſte Iordane et aliis. Heſychius, λεύγη, inquit, μέτρον τι γαλατικόν. VALES.

Non millenis paſſibus, ſed leugis itinera metiuntur.] Viarum diſtantiae pro ſitu gentium aliis atque aliis nominibus appellantur. Et leucarum Gallicarum mentio iterum lib. XVI. 12, 8. apud Iordanem et alios: itaque lubet tantum D. Hieronymi locum adſcribere cap. 3. in Ioel. *In Nilo flumine ſive in rivis eius ſolent naves funibus trahere, certa habentes ſpatia, quae appellant funiculos, ut labori defeſſorum recentia trahentium colla ſuccedant. Nec mirum ſi unaquaeque gens certa viarum ſpatia ſuis appellet nominibus, cum et Latini mille paſſus, et Galli leucas, et Perſae paraſangas, et raſtas univerſa Germania, atque in ſingulis nominibus diverſa menſura ſit.* Addi his poſſunt et *dextri*: ſic enim dicuntur paſſus menſurandi apud quosdam, ut Papias interpretatur. Quam vocem apud Florentium reperi in Actis Mſſ. martyrii B. Felicis: *A loco illo usque ad caſtrum Toringum habentur dextri ducenti.* Ceterum leugae vox etiamnunc Gallis atque Hiſpanis in uſu eſt. *Raſta* autem Germanorum plane Lazorum reſpondet ἀναπαύλαις: de quibus Agathias de bellis Inſtiniani Imp. lib. II. pag. 55. *Moſcovitae non per miliaria, ſed per *verſt* computant, quae pars quarta miliaris Germanici, ut Michevvs notat in Deſcriptione Sarmatiae lib. 2. cap. 1.* Reliquae viarum dimenſiones iam ab aliis explicatae ſunt. LINDENBR. Cf. omnino Weſſeling ad Itinerar. p. 251. et 547. atque inprimis Heringae Obſſ. p. 36. ſſ. W.

18. *Concorporatur*] XXII, 8. miſcet, exonerat ſe, effunditur. W.

Per patulum ſinum quem vocant Ad Gradus.] Quia ſcilicet plures erant gradus in eo ſinu, per quos adſcenſio et exſcenſio fiebat in naves. Ac Gradus quidem Maſſilitanorum, qui unus erat ex illis gradibus, et quidem, ut credere eſt, notiſſimus, mentio fit in Itinerario Antonini. Sed praeter hunc multi alii erant, quorum nomen etiamnum manet, ut videre eſt in Tabulis Geographicis. Gradum eo ſenſu ſumpſit Valerius Max. lib. 3. cap. 6. *P. Scipio*, inquit, *cum in Sicilia augendo exercitui, traiiciendoque in Africam opportunum quaereret gradum.* Poſteriores Graeci κλίμακα

ſcalam Latino vocabulo dixerunt, ut eſt in Chronico Alexandrino et in Deſcriptione urbis Conſtantinop. Ceterum non tacendum eſt, hanc adnotationem debere me ſuggeſtioni fratris mei Hadriani Valeſii, quod quidem libenti animo profiteor. Inde etiam dicta videtur Gradus inſula et urbs Venetiae. HENR. VALES. [Cauſam nominis eius ſinus, numerum et nomina vetera ac nova Graduum ad oſtia Rhodani, et quid ſit Gradus, diſce ex Notitia mea Galliarum pag. 475.] HADR. VALES.

Ad Gradus] Anton. Aug. (p. 507. Weſſeling.) *A Foſſis Ad Gradum. — — A Gradu per fluvium Rhodanum Arelàtum.* LINDENBR. Hodie *Gras.* W.

CAPVT XII.

1. *Celſioris ſtaturae, et candidi paene Galli.*] Diodor. Sicul. lib. v. c. 28. Οἱ γαλάται τοῖς μὲν σώμασιν εἰσιν εὐμήκεις, ταῖς δὲ σαρξὶ κἀθυγροι καὶ λευκοί. De iisdem Livius lib. XXXVIII. c. 21. *Sunt ſuſa et candida corpora, ut quae numquam niſi in pugna nudentur.* Id quod non de Gallis tantum, ſed de Germanis quoque in univerſum intelligendum: ὡς ἂν γνησίοις τοῖς Γαλάταις, οἷς ἐοίκασιν ἐν μορφαῖς, καὶ βίοις, καὶ ἤθεσι· πλεονάζοντες μόνον ἀγριότητι, μεγέθει καὶ ξανθότητι. Euſtath. in illum Dionyſ. verſ. Λευκά τε φῦλα νέμονται. *Lucanus lib. 10. v. 128.

— — — tam flavos gerit altera crineis,
Ut nullas Rheni Caeſar ſe dicat in arvis
*Tam rutilas vidiſſe comas.**

Vide Petron. et Adamant. LINDENBR.

Sublatius inſoleſcentes] ſuperbia nimis intumeſcentes. Ern. — *adhibita* ſocia *ulnas admiſtis calcibus* πὺξ καὶ λάξ. W.

Emittere coeperit pugnos, ut catapultas tortilibus nervis excuſſas.] Elegans imitatio Plautina in Captivis Act. IV. Sc. 2. v. 15.

Ne quis in hac platea negotii conferat quidquam ſui:
Nam meus eſt balliſta pugnus, cubitus catapulta eſt,
Humerus aries: tum genu ut quemque icero, ad terram dabo. LINDENBR.

2. *Nec in tractibus illis, maximeque apud Aquitaniam, poterit aliq. vid. — fruſtis ſqualere panu.*] Φιλοκόσμους Gallos eſſe Strabo ait lib. IV. (p. 60. Tzſchuck.) χρυσοφοροῦσί τε γὰρ περὶ μὲν τοῖς τραχήλοις στρεπτὰ ἔχοντες, περὶ δὲ τοῖς βραχίοσι καὶ τοῖς καρποῖς ψέλλια, καὶ τὰς ἐσθῆτας βαπτὰς φοροῦσι καὶ χρυσοπάστους οἱ ἐν ἀξιώματι. LINDENBR.

Ut alibi] in Italia. W.

3. *Munus Martium pertimeſcens pollicem ſibi praecidit.*] Chir. Fortunat. *Rhetor. lib 1. p. 40.* *Decem milites belli tempore pollices ſibi amputarunt.* *Rei ſunt laeſae Reipubl.* Quod ipſi quoque parentes, teneriore affectu moti, in liberis ſuis factitare ſoliti, ne dubio illos Marti exponerent. Menander L. 3. ff. de re milit. *Eum qui filium debilitavit, delectu per bellum indicto, ut inhabilis militiae ſit, praeceptum D. Traiani deportavit.* Rufus in LL. militarib. §. 47. Εἰ δέ τις τὸν υἱὸν ἐν καιρῷ πολέμου ἀχρειώσει, ἵν' ἀνεπιτήδειος εὑρεθῇ πρὸς τὴν στρατείαν, ἐξορίζεται. Auguſtus Imp. Equitem Romanum, quod duobus filiis adoleſcentibus, cauſa detrectandi *militaris* ſacramenti,

pollices amputaſſet, ipſum bonaque ſubiecit haſtae. Sueton. in Auguſt. c. 24. Mentio porro huius indevotionis in L. 4. 5. 10. C. Theod. de Tironib. Truncabant vero pollices ſibi meticuloſi, ne ad nomen reſpondere, cum haſtas ex uſu vibrare nequirent, cogerentur. Itaque Iuſtinianum Imp. ſeditioſis quibusdam Conſtantinopolim concitantibus ideo pollices abſcidiſſe facile apparet, ut eos armis movendis inhabiles redderet. Landulf. Sag. in Hiſtor. Miſcel. lib. XVI. Velut iam olim Philocles auctor fuerat Athenienſib. uti bello captis amputarent τῆς χειρὸς δάκτυλον τῆς δεξιᾶς, ἵνα δόρυ μὲν βαστάζειν μὴ δύνωνται, κώπην δὲ ἐλαύνειν δύνωνται. Plutarch. in Lyſandro, Aelian. Variar. lib. II. cap. IX. LINDENBR.

Quos localiter Murcos appellant.] In Editione Romana ac Mſ. Regio, *Vatic. Toloſ.* [et Colbert.] ſcriptum reperi, *localiter*: quod equidem vulgatae lectioni, quae ex Caſtelli coniectura nata eſt, praetulerim. Sic enim Marcellinus in fine lib. 19. c. 12. § 3. *Hic*, inquit, *Beſae Dei localiter appellati oraculum quondam futura pandebat.* Porro *Murcus* vox Latina videtur eſſe, non Gallica: idque indicat Marcellinus, cum ait, in Italia multos ſibi pollicem praecidere ſolitos, quos localiter appellant Murcos. Ab eadem origine Murcidum dixit Pomponius et Plautus, id eſt, defidem et ignavum, ut Feſtus explicat, et Auguſtinus in lib. 4. de Civitate Dei. VALES. *Localiter* ego in textu exhibendum putavi. W.

Ioculariter Murcos appellant.] Liutprandus in Hiſtor. PP. in Innocent. *De indulgentia Clericorum querimoniam facienti, cum aliquos murcos, aliquos digamos habere diceret, reſpondit, illum qui volens partem digiti ſui abſciderit, iuxta canones non poſſe admitti ad Clerum.* Gloſſ. Lat. *Murcinarius, mutilus.* Germani in quibusdam provinciis vocem retinent, licet alio nunc fere ſignificatu. Et quos Itali ac Galli *Poltrones* vocant, ab hac pollicum truncatione nomen invenere. *Murcare, id eſt, mutilare, in Chronico Sangall. p. 391. Ab eadem origine *Murcia* ſegnium Dea, apud Arnob. lib. 2. appellata videtur.* LINDENBR. Murcis poenae ſemper propoſitae graves. v. Sueton. Aug. c. 27. Cod. Theodoſ. Lib. VII. Tit. 13. 4. 10. Tit. XXII, 1. 2. et ibi not. Apud nos ad ergaſtula ſolent iidem damnari. De toto loco dignus eſt, qui conferatur, Menagius in Amoenitatt. iuris civilis edit. Frf. et Lipſ. 1738. p. 12 ſſ. W.

4. *Vini avidum genus, affectans ad vini ſimilitudinem multiplices potus.*] Diodor. Sicul. lib. V. 25. Διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ ψύχους διαφθειρομένης τῆς κατὰ τὸν ἀέρα κράσεως, οὔτε οἶνον, οὔτε ἔλαιον φέρει· διόπερ τῶν Γαλατῶν οἱ τούτων τῶν καρπῶν στερισκόμενοι πόμα κατασκευάζουσιν ἐκ τῆς κριθῆς, τὸ προσαγορευόμενον ζῦθον, καὶ τὰ κηρία πλύνοντες, τῷ τούτων ἀποπλύματι χρῶνται. Κάτοινοι δὲ ὄντες καθ' ὑπερβολὴν τὸν εἰσαγόμενον ὑπὸ τῶν ἐμπόρων οἶνον ἄκρατον ἐμφοροῦνται, καὶ διὰ τὴν ἐπιθυμίαν λάβρῳ χρώμενοι τῷ ποτῷ, καὶ μεθυσθέντες, εἰς ὕπνον ἢ μανιώδεις διαθέσεις τρέπονται. Non autem Galli tantum, ſed fere omnes populi, qui vite carent, ex frumento conficere ſolent quod bibant, vel pomorum ſucco: aut favos decoquunt, aut palmarum fructus exprimunt in liquorem, coctisve frugibus aquam pinguius colorant, ut inquit D. Hieronym. part. 3. Epiſt. 58. D. Baſilius lib. de Ebrietate, et Caſſian. Baſſus de Agricult. lib. VII. c. 34. apud barbaros potiſſimum in uſu eſſe ſcribit, ἀπὸ τοῦ σίτου καὶ

Digitized by Google

τῶν κριθῶν γινόμενα πόματα. Plin. lib. XIV. cap. XXII. *Eſt et Occidentis populis ſua ebrietas: fruge madida pluribus modis per Gallias Hiſpaniasque nominibus aliis, ſed ratione eadem. Hiſpaniae iam et vetuſtatem ferre ea genera docuerunt. Aegyptus quoque e fruge ſibi potus ſimiles excogitavit, nullaque in parte mundi ceſſat ebrietas.* Ubi quod de Aegyptiis ait, Herodotus quoque confirmat lib. II, 77. οἶνῳ δὲ ἐκ κριθέων πεποιημένῳ διαχρέονται. Οὐ γάρ σφι εἰσὶ ἐν τῇ χώρῃ ἄμπελοι. De Hiſpanis Florus, Oroſius, alii. LINDENBR.

Vini avidum — potus] Hoc de Gallia, quam Transalpinam nominabant Romani, et de antiquioribus intelligendum eſt temporibus, ubi Gallia ob ſilvas immenſas et paludes vino procreando parum commoda erat. Vini cultura in Gallia Transalpina Imperatoris demum Probi aetate fuit conceſſa. v. Flav. Vopiscum in Probo c. 18. W.

Furoris voluntariam ſpeciem.] Ambroſ. de Helia cap. XIV. *Quis tale miſcuit furoris poculum? quis tantum infudi mentibus venenum? Periclitatur homo actum eſſe de corpore, et ipſe ſibi reus eſt inſaniae voluntariae.* Alia in hanc ſententiam iam alibi congeſſimus. LINDENBR.

Ebrietate, quam furoris voluntariam ſpeciem eſſe.] Eamdem ſententiam Graece expreſſit Iſidorus Peluſiota in Epiſtola 203. libri I. cum αὐθαίρετον μανίαν appellat ebrietatem. *Nec alio ſenſu Iohannes Chryſoſtomus in Sermone I. ad populum Antiochenſem, et in Homilia 29. in Geneſin, ebrietatem vocat δαίμονα αὐθαίρετον. Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, ebrium eſſe daemoniacum voluntarium. Idem in Homilia LVIII. in Matthaeum ebrios nihil differre ab daemoniacis ait: ſed daemoniacos quidem miſeratione omnium dignos, ebrios vero cunctis odioſos eſſe, ὅτι αὐθαίρετον ἐπισπάζονται μανίαν. Et Homilia 28. in Epiſtolam Pauli ad Romanos aſſerit, peccatum generaliter eſſe ſpontaneum furorem, aut daemonem voluntarium; item in Sermone, Quod nemo regitur niſi a ſeipſo, pag. 580. VALES.

defendens Fonteium Tullius.] Haec Ciceronis oratio nonniſi manca ad nos pervenit, et laudata ab Ammiano verba ad lacunam pertinent poſt caput 5. obviam. Hoc ſine dubio voluit Fonteius: Gallos, meri antea potatores, quique vinum aqua dilutum ut venenum abhorruiſſent, nunc aquam tamen adfuſuros, indeque lucraturos eſſe hoc, ut placidiores, minus rixoſi, ſanioris-que mentis compotes eſſent. W.

5. *Paulatim levius odere ſub Imperium venire Rom.*] Mſ. Flor. *levis odore ſub.* Veroſimile eſt Ammian. ſcripſiſſe: *Paulatim levi ſudore* (Sic et Salmaſ. ad Solin. 26. W.) *ſub Imp. venere Rom.* itaque ſequitur, *praeliis parvis quaſſatae.* Et frequens haec locutio, *Martius ſudor, belli ſudor.* Valentinian. et Valens L. 7. C. Theod. de luſtral. conl. *Sudore bellandi ſtipendiorum gradus usque ad Protectores meruerunt.* Capitolin. in Maximin. *Sedecim lixas uno ſudore devicit.* LINDENBR.

Paulatim levius odere.] Coniecturam Lindenbrogii confirmat codex Regius, in quo diſtincte ſcriptum inveni, *paullatim levi ſudore:* *ut et in Toloſano.* Unde bonitatem eius codicis agnoſcere licet, quae et aliis multis, iisque illuſtribus argumentis teſtata eſt. [In Colbertino legi, *levi ſodore*, id eſt, *ſudore.*] VALES.

Primo tentatae per Fulvium.] Livii Epitom. LX. LXI. LIND.

Tentatae per Fulvium.] M. Fulvius Flaccus is dictus eſt, M. Plautii Hypſaei in Conſulatu collega (A. U. 629. W.), qui de Gallis triumphavit, ut eſt in Prologo 60. libri Titi Livii, apud Velleium in lib. 2. c. 6. Plutarchum in Gracchis. Sextius vero, quem ſecundum nominat Marcellinus, eſt C. Sextius Calvinus, qui cum C. Caſſio Longino Conſul fuit (A. U. 630. W.): de quo Srabo in lib. 4. Velleius in 1. 15. et Prologus 61. Titi Livii De Quinto Fabio Maximo Allobrogico (A. U. 632. W.) loquitur Caeſar in lib. 1. 45. Appianus in Celtico, (p. 73. Schweigh.) aliique. Conſule Faſtos Sigonii. VALES. Qui recte percepiſſe mentem Ammiani in eo, quod de Fabii cognomento ſcribit, quum anno XXXVI. huius ſaeculi iam oſtenderet; ſane ſerum eſt fere L annis poſt incuſare Carrionis ἀβλεψίαν, haeſitantis in cognomine Maximi: utique citari non debuit, ac ſi Ammianus ſcripſiſſet *cum* vel *cui negotii plenior effectus*, quod ex nullo codice affers, ὦ φιλότης. GRON.

Fabio Maximo Allobroges devicti agnomen non *Maximi*, ſed *Allobrogici* dedere. v. Perizonii Animadv. hiſtor. p. 65. ed. Harles. W.

6. *Salluſtio auctore.*] Fragmentum Salluſtii exſtat apud Mar. Victorin. Commentat. in Ciceron. de Invent. lib. 1. *Res Romana plurimum imperio valuit Ser. Sulpicio et M. Marcello Coſſ. omni Gallia cis Rhenum atque inter mare noſtrum atque Oceanum, niſi qua a paludibus invia fuit, perdomita.* LINDENBR. Cf. Crenii Animadv. Philol. hiſt. T. 9. p. 213. W.

Poſt decennalis belli mutuas clades.] Ruf. Feſt. in Breviario c. 6. *C. Caeſar cum decem legionibus, quae trecena milia militum Italorum habuerunt, per annos octo ab Alpibus ad Rhenum usque Gallias ſubegit. Cum barbaris ultra Rhenum poſitis conflixit, in Britanniam tranſivit, decem annis Gallias et Britannias tributarias fecit.* LINDENBR.

Subegit Caeſar.] Reſpexit ad verſum vulgo iactatum, apud Sueton. lib. 1. 49. *Gallias Caeſar ſubegit, Nicomedes Caeſarem.* LINDENBR.

CAPVT XIII.

1. *Domitiano crudeli morte conſumto*] XIV, 7. W.

Muſonianus] Is eſt Arianus, cuius meminit Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios, ubi ait Euſebianos Sardicenſe ad Concilium venientes, ſecum adduxiſſe Comitem Muſonianum, Heſychiumque Caſtrenſem: de eodem loquitur in Apologia ad Conſtantium. Idem poſtea Proconſul Achaiae a Conſtantio factus eſt, exſtincta iam Magnentii factione: ut ſcribit Libanius in Orat. de vita ſua: ubi etiam eius πραότητα et χρηστότητα commendat, quemadmodum Marcellinus noſter. Eumdem denique Praefectum Praet. Orientis fuiſſe teſtatur his verbis: πρότερον δὲ ὢν ἀφιγμένος ἀρχὴν ἔχων ἡ τῶν ἄλλων ἄρχει στρατήγιος. Fuit autem domo Antiochenus, teſte eodem Libanio in Epiſtola 384. et 451. qui quidem ſemper eum Strategium nominat priſtino nomine. Sunt ad eum ſcriptae lex 14. Cod Theod. de navicularis, et lex 5. de curſu publico, Conſtantio Aug. VII. et Conſtantio Caeſare Coſſ. VALES.

Digitized by Google

2. *Sectas Manichaeorum et similium.*] De Manichaeorum haereſi copioſe Euſeb. Pamph. Eccleſ. Hiſtor. lib. VII. cap. XXV. Socr. lib. I. cap. XVII. Theodoret. in Epitom. Haereſiar. lib. I. cap. ult. *Cyrill. Hieroſol. Catecheſ. 6.* Philaſtrius Epiſc. in lib. de Haereſib. Petrus Siculus in Hiſtor. p. 42. Suidas in voce Μάνης, et Titulus Codicis de Manichaeis. LINDENBR.

Interpres idoneus] qui controverſiarum illius aetatis tricas optime expedire poſſet. W.

Lucrandi aviditate fordeſcens] Libanius tamen laudis non minus, quam pecuniae cupidum fuiſſe dicit. W.

In quaeſtionibus ſuper morte Theophili.] Libanius in Oratione ad Theodoſ. de ſeditione Antiochena, Conſtantii in caſtigandis civitatum ſeditionibus clementiam valde laudat: aitque eum Theophili Conſularis caedem graviter et moleſte tuliſſe: Strategio tamen Praefecto quem ad puniendos tumultus auctores miſerat, mandaſſe ut id facinus quam fieri poſſet mitiſſime vindicaret: cuius mandatis Praefectum paruiſſe ſubiungit. Sed Iulianus in Miſopogone ſub finem inclementius animadverſum innuit his verbis: δίκην δ' ἀποτίνων αὖθις ὑπὲρ τούτων ὧν ὀργιζόμενοι δικαίως ἔπραξαν, οὐκέτι μετρίως. VALES.

Theophili — impetu plebis promiſcuae diſcerpti,] de quo vide XIV, 7. Pro *promiſcuae* Ruhnken. ad Rutil. Lupum p. 19. e Cod. Vaticano reponi iubet *promiſcae*. coll. XX, 6. ut *promiſce* pro *promiſcue*. cf. et I. Fr. Gronovium ad Praef. Gellii p. 2. W.

Pro Magiſtro equitum,] Urſicino. *agente etiam tum in Galliis.* cf. XVI, 2. et 10. *militem regens* Comes Vicarius, XIV, 11. ubi de eodem Proſpero ſermo eſt. W.

Ut ait Comicus, arte deſp. furt. rapiens propalam.] Intelligit Plauti locum in Epidico Act. I. Sc. I. v. 10. ubi Terpſio ait:

Minus iam furtificus ſum quam antehac.
Ep. Quid ita? Terp. Rapio propalam.

Eadem venuſtate dicit Cicero in Piſonem c. 27. *Olim furunculus, nunc vero etiam rapax.* Sed ad Marcellini mentem magis appoſite Plutarchus in Ciceronis Vita: ἐν ᾧ καιρῷ τῆς Φιλοπλουτίας ἀκμαζούσης καὶ τῶν πεμπομένων στρατηγῶν καὶ ἡγεμόνων, ὡς τοῦ κλέπτειν ἀγεννοῦς ὄντος, ἐπὶ τὸ ἁρπάζειν τρεπομένων, οὐ τὸ λαμβάνειν ἐδόκει δεινὸν, ἀλλ' ὁ μετρίως τοῦτο ποιῶν ἠγαπᾶτο. Id eſt: *Quo tempore vigente avaritia, cum Praetores ac Proconſules qui in provincias mittebantur, prorſus quaſi furari puſilli animi foret, ad rapiendum incumberent; non videbatur grave eſſe accipere: ſed qui id moderate faceret, laudabatur.* VALES.

[4. *Ad colligendas obeuntium exuvias occupatis.*] Editio Romana, et Codices Mſſ. Regius, Toloſanus, ac Colbertinus habent, *obedientium exuvias*, optime. *Obedientes* appellavit Marcellinus Romanos, et Imperio Romano ſubiectos. Sic in lib. XXI. c. 12. §. 25. de Iuliano Aug. loquitur: *Tunc ut ſecuritatem trepidis rebus afferret, et obedientium nutriret fiduciam*, etc. (Cf. etiam XXX, 5, 6. et 8, 14. W.) Vult igitur dicere Marcellinus, Duces Romanos in Oriente magis de ſpoliandis Romanis popularibus ſuis, quam de reprimendis Perſis tum fuiſſe ſollicitos.] VALES.

Digitized by Google

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XVI. C. I.

1. *In collegium faſtorum a Conſule VIII. Auguſto adſcitus*] Infrequens locutio, et Romanis auribus delicatioribus inuſitata: unde foede lapſi ſunt, qui dum eam non intelligebant, corrigere conati ſunt. Vocat autem Ammianus *collegium faſtorum*, collegium Conſulum, quorum nomina faſtis inferebantur, unde etiam faſti Conſulares appellantur: quales Capitolini illi ſunt, ante annos aliquammultos reperti, et Siculi, nec non etiam quos Caſſiodorus Senator urbis Romae conſcripſit. Pari modo idem Ammian. dixit, *in collegium trabeae adſciſci*. Lib. XXIII. c. 1. §. 1. *Iuliano vero iam ter Conſule, adſcito in collegium trabeae Salluſtio.* Lib. XXX. c. 3. §. 1. *Gratiano adſcito in trabeae ſocietatem Equitio Conſule.* LINDENBR. Addo XXV, 10, 11. W.

Vigore genuino] innato ſibi et proprio, XVI, 5, 13. XVII. 5, 2. et ſaepius. Ea ſignificatione uſurpare etiam ſolet Ammianus voc. *nativus*. W.

Si adfuiſſet ſtatu tandem ſecundo.] Vix commodum ſenſum eruo; fortaſſe librariorum incuria excidit *Fortuna;* quod coniici poſſit ex gemino loco XIX, 6, 1. *adſpiravit auram quandam ſalutis fortuna.* W.

2. *Res magnae, quas per Gallias virtute felicitateque correxit.*] Quid? correxit res magnas? immo vero Gallias magis correxiſſe, in meliorem ſtatum redegiſſe poſſit videri. Sed nihil mutandum: Ammianus enim Graecum κατορθοῦν in animo habuit, quod eſt recte atque feliciter aliquid agere. cf. XXV, 4, 25. et XXX, 7, 7. W.

Singula ſerie etc.] An non dedit auctor *ſingulas?* Certe cap. 5. ubi ait ſimiliter, ſuo quaeque loco ſingula demonſtrabuntur, praemiſerat neutrum. ORON.

3. *Falſitas arguta*] ſi quis in hiſtoria ſcribenda ingenii magis atque ornatae dictionis laudem ſectatur. W.

Ad laudativam paene materiam] genus demonſtrativum, uti Rhetores dicere ſolebant. Cf. de Iuliani moribus XXV, 4. et Heynii Proluſ. p. CXXX. W.

4. *Veſpaſiani filius.*] Haec uncinis incluſi ut ab Ammiano vix profecta. W.

Bellorum glorioſis curſibus Traiani ſimillimus] Ita de Claudio Imp. Trebellius Poll. c. 1. *Quid in illo non mirabile? quid non conſpicuum? quid non triumphalibus, vetuſtiſſimis praeferendum? in quo Traiani virtus, Antonini pietas, Augu-*

Digitized by Google

sti moderatio, et magnorum Principum bona sic fuerunt. LINDENBR.

Clemens ut Antoninus] Antoninus cognomine Pius, moribus clemens, ac tantae bonitatis, ut haud dubie fine exemplo vixerit. Aurel. Victor et Capitolin. LINDENBR.

Rectae perfectaeque rationis indagine] h. e. philosophiae studio. W.

Congruens Marco, ad cuius aemulationem actus suos effingebat] Eutrop. lib. x. 16. (8.) et Landulf. Sagax in Histor. Miscell. *Marco Antonino non absimilis,* (Iulianus) *quem etiam aemulari studebat.* Sic fere semper sibi aliquem Principes proponunt, ad cuius aemulationem mores suos effingant. De Alexand. Severo Lamprid. c. 30. *Legit et vitam Alexandri,* (Magni) *quem praecipue imitatus est, etsi in eo contemnebat ebrietatem.* De Constantio Ammian. lib. xv. c. 1. §. 3. *Ad aemulationem civilium Principum vitam formare moresque suos diligentia laborabat enixa.* Sic Antonin. Caracalla Alexandrum Magn. eiusque gesta semper loquebatur; Tiberium et Syllam in conventu plerumque laudabat. Nec alias fabulas Pescennius Niger umquam habuit, nisi de Hannibale ceterisque talibus, ut Spartian. scribit c. 11. Atque hoc est, quod Lucillium monet Seneca Epist. xi. *Aliquis vir bonus nobis eligendus est, et semper ante oculos habendus, ut sic tamquam illo spectante vivamus, et omnia tamquam illo vidente faciamus. — Elige itaque Catonem: si hic videtur tibi rigidus, elige remissioris animi virum Laelium, elige eum cuius tibi placuit et vita et oratio; et ipsius animum ante te ferens et vultus, semper tibi ostende vel custodem, vel exemplum.* Bono itaque publico Plutarchus, Aemil. Probus, Aurel. Victor, et ex recentioribus nonnulli vitas magnorum virorum edidere, ut semper in numerato sit, quod eligere et imitari possimus. LINDENBR.

Marco, ad cuius aemulationem.] Cui magis hac potissimum de re credi par est quam Iuliano ipsi? Is igitur in Epistola ad Themistium (p. 253. Spanh.) sibi cum Alexandro Macedone et Marco Aurelio certamen quoddam virtutis et gloriae ait esse susceptum: καί μοι πάλαι μὲν οἰομένῳ πρός τε τὸν Ἀλέξανδρον καὶ τὸν Μάρκον, καὶ εἴ τις ἄλλος γέγονεν ἀρετῇ διαφέρων, εἶναι τὴν ἅμιλλαν, φρίκη τις προσήει μὴ τοῦ μὲν ἀπολείπεσθαι τῆς ἀνδρείας δόξῃ, τοῦ δὲ τῆς τελείας ἀρετῆς οὐδὲ ἐπ' ὀλίγον ἀφίκωμαι. VALES.

5. *Tulliana auctoritas.*] Respexit sine dubio ad Ciceron. de Oratore Lib. III. c. 46. ubi eadem fere leguntur. W.

Ut Erechtheus in secessu Minervae nutritus.] Hic est qui vulgo Erichthonius dicitur a Mythologis: quem Homerus in Catalogo Erechtheum appellat his versibus (v. 547.)

Δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήνορος, ὃν ποτ' Ἀθήνη
Θρέψε Διὸς θυγάτηρ, τέκε δὲ ζείδωρος ἄρουρα,
Καδδ' ἐν Ἀθήνῃσ' εἶσεν ἑῷ ἐνὶ πίονι νηῷ.

Hunc Minerva occultatum in cista cum geminis serpentibus Cecropis filiabus commendaverat: unde mos manavit, ut omnes eius posteri alerentur in cunis, quae auro ductos angues haberent appositos, quemadmodum scribit Euripides in Ione sub initium. Eidem Erechtheo templum fuit Athenis in arce positum, cuius meminit Herodotus in 8. lib. ubi et serpentes illi erant duo

cuſtodes arcis, quibus mellita quotidie apponebatur placenta, ut notat Heſychius ad illa verba ex Ariſtoph. Lyſiſtrata, οἰκουρὸν ὄφιν. Ab hoc Erechtheo diſtinguendus alter Erechtheus Pandionis filius, Erichthonii ſeu Erechthei prioris nepos: a quo denominatos Ἐρεχθείδας tribules ſcribit Pauſanias et Demoſthenes ἐν ἐπιταφίῳ λόγῳ. VALES.

Erichtheus in ſeceſſu] Logiſtorici Erichthonium vocant. Apollod. Biblioth. lib. III. c. 14. (ubi vid. Heynius p. 833. ſqq. W.) Hygin. fabul. CLXVI. Fulgent. Mythol. lib. II. Placid. Lactant. in Stat. lib. II. LINDENBR. Conf. etiam Ovid. Metam. II, 555. ſqq. et Hermann. Mythol. B. 3. S. 309. W.

Germania] Ab hac diſcernit Ammianus Rheni *meatus*, i. e. Alamannos, recte. Cf. inprimis Trivorium p. 77. 81. ſeqq. *Rigentem* vocat Rhenum ob frigidum olim Germaniae coelum. Pariter *pruinae* iunguntur et *Rhenus* XXV, 4, 13. W.

CAPVT II.

1. *Agens negotioſam hiemem*] Cf. omnino Ritter. ad Guthrium T. V. Sect. 3. p. 575. ſ. *Militum* iuniorum. Opponuntur enim veterani. W.

Veteranos concurſatione perv. defendiſſe.] Narrat id quoque Libanius in Orat. funebri pag. 271. (Reisk. I. p. 536.) καί τινα καὶ νυκτερινὴν ἐπιδρομὴν νεανίσκων ἀπεκρούσαντο πολλῶν γέροντες ὀλίγοι γήρᾳ τῶν ὅπλων ἀφειμένοι· quod facinus cum Myronidis Athen. victoria confert. VALES.

Solet abrupta ſaepe diſcrimina ſalutis ultima deſperatio propulſare] Militare praeceptum eſt, cum deſperatis arma non conſerenda: ubi enim evadendi ſpes nulla, ibi ignaviam quoque metus acuit, et de neceſſitate virtutem facit. In bello Crotonienſium contra Locrenſes, hi quod longe maiore numero militum vincebantur: *Omiſſa ſpe victoriae* (inquit Trog. Pomp. lib. XX. c. 3.) *in deſtinatam mortem conſpirant, tantusque ardor ex deſperatione ſingulos cepit, ut victores ſe putarent, ſi non inulti morerentur. Sed dum honeſte mori quaerunt, feliciter vicerunt. Nec alia cauſa victoriae fuit, quam quod deſperaverunt.* Vide Fl. Veget. de Re milit. lib. III. cap. 21. lib. IV. cap. 25. *Comm. ad Ligurin. p. 190, 191.* LINDENBR. *Abrupta*, periculoſiſſima. Sic ſaepe Ammianus, aliique optimae notae ſcriptores. v. Ruhnken. ad Vellei. Paterc. II, 2. p. 79. W. Graeci hic adhibent voc. ἀπότομος. ERF.

Adulatione ancillari] ſervili, ſordida. cf. XXVI, 6, 16. nam ancillarum et ancillularum nomine infamabantur adulatores ſordidi, inprimis in ambiendis honoribus. v. interpretes ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 360. laudante Erneſti, qui et recte *amoenitatem* exponit: cultum amoeniorem, vitamque luxurioſam. W.

Octavo Kal. Iulias.] Ita iuſſerat Conſtantius Auguſtus teſte Iuliano in Epiſtola ad ordinem et populum Athenienſem (p. 277. Spanh.) his verbis: τούτων δὲ οὐ πολὺν τρόπον γενομένων, περὶ τὰς τροπὰς τὰς θερινὰς ἐπιτρέπει μοι βαδίζειν εἰς τὰ στρατόπεδα, ὄχημα καὶ τὴν εἰκόνα περιοίσοντι τὴν ἑαυτοῦ. Id eſt: *His ad eum quem*

Digitized by Google

quem dixi modum perfectis, circa aestivum solstitium proficiscendi ad Gallicanos exercitus facultatem mihi concedit, habitum et imaginem ipsius circumlaturo. Nec assentiri possum doctissimo Interpreti, qui pro aestivo solstitio hibernum legendum affirmat. Etenim hic locus Iuliani non de eo intelligendus est anno, sub cuius exitum Iulianus in Gallias est missus: sed de anno subsequente, quo primum iniit Consulatum cum Constantio: qui fuit annus Christi 356. Ab aestivo solstitio Gallicani milites in expeditionem proficisci solebant, ut docet Marcellinus noster in lib. 17. c. 8. §. 1. his verbis: *Opperiensque Iulium mensem, unde sumunt Gallicani procinctus exordia.* Et Iulianus in Epist. citata: καὶ στρατεύω μὲν ἀκμάζοντος τοῦ σίτου. Denique Cassiodorus in lib. 1. Ep. 24. Paene omiseram, in superiore Iuliani loco pro ὄχημα legendum esse σχῆμα. VALES.

Velut dux diuturnus.] Nove dixit *diuturnum ducem*, id est, usu castrensis negotii diuturno firmatum, ut loquitur lib. XXX. c. 7. §. 11. Sic *diuturnior*, id est, senior. Inf. lib. XXIII. c. 1. §. 6. *E Sacerdotum consortio quidam ceteris diuturnior nullo pulsante repente concidit.* LINDENBR.

3. *Aliis per Arboro sam.*] Ita quidem primus edidit Castellus: sed in Editione Rom. atque in codice Regio [et Colbertino] legitur, *per Arbor* .... quod equidem retinere satius esse duxi, quam Castelli somnium lectori obtrudere. VALES. Cf. Pithoei Advers. II, 1. p. 75. ff. W.

Quibusdam per sedes Leucorum.] Huius lectionis auctor est Gelenius. Nam Castellus ediderat hoc modo: *Quibusdam de lacu et corbitis iri debere firmantibus;* foede prorsus ac monstrose. In Editione Romana sic legebatur: *Quibusdam de lauc. et orairi debere firm.* At codex Regius [et Colbertinus] veram nobis scripturam conservavit huiusmodi: *Quibusdam per Sedelauco et Cora iri debere firmantibus.* Nam ab Augustoduno Autiliodorum petentibus per Sedelaucum iter est, ut patet ex Antonini Itinerario (p. 360. ed. Wesseling.) sic:

Augustoduno millia plus minus 33. *leugae* 22.
Sidoloucum m. p. m. 27. *leugae* 18.
Aballone m. p. m. 24. *leugae* 16.
Autisiodorum m. p. m. 33. *leugae* 22.

Ita enim eum Antonini locum restituimus, cum vulgatae Editiones pro leugis legiones ubique praeferant contra scriptorum codicum auctoritatem: quod Hieronymi Suritae commentum est. In Tabula quoque Peutingerorum eadem leugarum spatia notata sunt hoc modo. *Autessioduro* 22. *Aballo* 16. *Sidoloco* 18. *Augustodunum* 29. In Epistola Amulonis Lugdun. Episcopi ad Theodboldum Sedelocus dicitur: manetque hodie nomen *Saulieu.* De Cora autem maior difficultas est. In Notitia quidem Imperii legitur *Praefectus Sarmatarum Gentilium a Chora Parisios usque.* Sed non dubito, quin Marcellinus Coram fluvium intelligat, qui est inter Augustodunum et Autisiodorum. Certe Ionas in Vita S. Columbani capite 22. Choram fluvium in eodem itinere commemorat. *Per urbem* (inquit) *Bisontionum Augustudunumque ad Avallonem castrum pervenit: deinde ad Choram fluvium properans, etc. exin Autissiodorum properavit.* Aimoinus Monachus in libro de translatione et miraculis Aurelii,

Digitized by Google

Georgii et Nataliae, pagum ibidem fuiſſe teſtatur, de nomine fluvii ita appellatum, his verbis: *In Eccleſia pagi Autiſiodorenſis Cora nuncupati cum fuiſſent ſancti Martyres Altario impoſiti, etc.* HENR. VALES.

[De Chora fluvio, et de Chora vico ei appoſito fratrem meum pridem monui: de eorum ſitu et nomine primus multa obſervavi, quae Notitiae Galliarum inſerui. Sed omnino Marcellinus ſupra Chorae nomine vicum deſignare voluit, non fluvium. HADR. VALES.]

Sedelaucum eſt *Saulieu*, *Cora* vero vicus prope Autoſidorum (Auxerre). W.

5 * *Et Balliſtariis.*] Lipſius in lib. 3. Poliorcetici funditores fuiſſe putat, aut fundibularios. Sane in Gloſſis vett. *Baliſtarii*, σφενδονῆται exponuntur; et a Vegetio in lib. 2. cap. 2. inter levem armaturam recenſentur, et a funditoribus diſtinguuntur. Sed heic *Balliſtarii* nomen eſt numeri militaris. Eorum mentio fit in Notitia Imperii Rom. ſub Duce Mogontiacenſi.* HENR. VALES. Equidem h. l. ubi de obſidione urbis ſermo non eſt, funditores cum Lipſio intellexerim. W.

6. *Tricaſſinos* (Troyes) Weſſel. ad Itiner. p. 361. — *ampliores*, numeroſiores — *pavore traditos*, qui paventes ſe ipſi tradiderant. W.

8. *Remos* (Rheims). W.

Exercitum Veſuntii iuſſerat opperiri.] Hanc ſcripturam excogitavit P. Caſtellus, cum in Editione Rom. legeretur, *exercitum vehentem iuſſerat opperiri.* Sed in MSS. Regio ac Florentino, et in Editione Baſilienſi, inter *vehentem*, et *iuſſerat*, aliquantulum interiectum eſt ſpatii. Equidem vulgatam lectionem prorſus ferre non poſſum, cum Marcellini ſententiae repugnet. Neque enim Veſuntii, ſed Remis milites in unum coacti Caeſarem exſpectare erant iuſſi, ut per Decem-pagos (quod opidum eſt in agro Mettenſi, 30. millibus diſtans a Mettis, teſte Paulo Warnefrido de Mettenſibus Epiſcopis) proficiſceretur adverſus Alamannos. Cui conſilio quid magis contrarium eſt, quam Veſuntii milites Imperatorem opperiri? Adde quod ſaltem Veſuntione diceret, non Veſuntii: ſic enim Caeſar, et Xiphilinus in Nerone, et Antoninus eam appellant in Itinerario. Ammianus in lib. ſuperiore Biſontios vocat, in lib. 20, 10, 3. *Beſantionem.* Sed ut coniecturam meam proponam, ſic fere a Marcellino ſcriptum puto: *Ubi in unum congregatum exercitum vehentem menſis* (in menſem? W.) *cibaria iuſſerat opperiri praeſentiam ſuam.* VALES. Quidni brevius et ad modulum ſpatii relicti: *vehentem commeatus?* W.

9. *Per Decem-pagos Alamannam aggredi.*] Antonin. in Itinerar. *Iter de Pannoniis in Gallias per mediterranea loca, id eſt, a Sirmio per Soppianas, Treveros usque. Tabernas, Decem-pagos, Divodorum.* Tabula Itiner. *Tabernis, Ponteſaravi, Ad Decem-pagos, Ad Duodecimum.* LINDENBR. *Per Decem pagos* (Dieuſe) prope Metas (Metz) et Sarburg. Mannert p. 186. W.

10. *Humectus dies et decolor*] pluviis et nebulis foedus. W.

Legiones duas arma cogentes.] Sic Latini vocant quos Graeci ὑπαγοὺς et ὀπισθοφύλακας. Et ſic loquitur ſaepiſſime Marcel-

linus. Livius lib. 37. c. 29. *Ita et explicuere ordinem primae in conſpectu Praetoris, et coactum agmen ab Rhodiis eſt.* VALES. Si modo Ammianus eo ſenſu voluerit dicere *arma cogere*, quo Livius *agmen cogere*. Utique longe alio ſenſu ſic loquitur libro XX. cap. 8. §. 1. *arma quoque et tirocinia cogens, legionesque augens.* Iſto autem ſenſu uſurpat *agmina cogere* in libro XXIV. c. 1. §. 2. praeferens pluralem, ubi antiquiores ſingularem, etſi eadem loquutio iterum occurrat libro XXV. c. 3. §. 2. et XXVIII. c. 4. §. 8. non ſine ſuſpicione vitii, ut probabiliter diſputat pater in cap. XIX. Obſervationum ad Eccleſiaſticos ſcriptores. GRON. Livii locus a Valeſio citatus Erneſtio non videtur commode huc facere, quoniam ibi de claſſe ſit ſermo. Equidem etſi non infitior apud alios magis in uſu eſſe *agmen cogere*, nihil tamen mutandum exiſtimo, maxime ob XXV, 3, 2. *invaſa ſubito terga poneverſus arma cogentium.* W.

12. *Brocomagum*] (Brumat) *Tabernas* (Rhein-Zabern) *Saliſonem* (Selz) *Nemetas* alias Noviomagus, hodie Speyer. *et Iangionas*, alias *Borbetomagus*, hodie Worms. v. ad XV, 11, 8. W.

* *Tabernas.*] Tabernas Rhenanas heic intelligi aſſerit Cluverius in libri 2. de antiqua Germania capite 12. Cui non accedo. Nam cum Ammianus heic ſingula opida ſuo ordine recenſeat, ſi Tabernas ad Rhenum ſitas dicere voluiſſet, Saliſoni profecto eas poſtpoſuiſſet. Quod cum ille non fecerit, ſed ante Saliſonem poſuerit, apparet eum Tabernas Alſaticas intellexiſſe. Opinionem noſtram confirmat Iulianus in epiſtola ad Senatum populumque Athenienſem pag. 512. ad quem locum vide quae notavit Dionyſius Petavius. HENR. VALES.* [Tabernas numero tres fuiſſe, alias ad Rhenum flumen, alias in Aleſatia inferiore prope Pontem Saravi, tertias flumen Navam inter ac Nivomagum Moſellanum, docui nuper in Notitia Galliarum pag. 542. HADR. VALES.]

Nam ipſa oppida, ut circumdata retibus luſtra declinant.] Libanius in Oratione Conſulari ad Iulianum 45. urbes a barbaris captas eſſe dicit: quarum agros barbari arabant, cum ipſa opida diruiſſent. Idem ſcribit Iulianus in Epiſt. ad Athenienſes (p. 278. Spanh.): πολλῶν πάνυ Γερμανῶν περὶ τὰς πεποριθημένας ἐν Κελτοῖς πόλεις ἀδεῶς κατοικούντων· πέντε που καὶ τεσσαράκοντά ἐστι τείχη δίχα τῶν πύργων, etc. Zoſimus initio lib. 3. quadraginta tantum ponit urbes, ad Rhenum ſitas, quas Alamanni, et Franci et Saxones everterant. Huiusce porro Galliarum vaſtationis cauſam Libanius in Oratione funebri confert in Conſtantium: qui, ut Magnentium tyrannum diſtineret, datis ad barbaros litteris ultro erat adhortatus, ut Rom. limitem irrumperent: quod et Zoſimus in lib. 2. et Socrates Sozomenusque confirmant. IDEM.

Ut circumdata retibus luſtra.] Quis hanc ſcripturam vel ſuſpicetur de vitio? Eam tamen ut vitioſam et a Mar. Accurſio primum fabricatam audacter expunxi, (v. Gronov. Praef. p. XXII. W.) reſtituta MSS. codicum omnium lectione, quam Editio quoque Romana ſervaverat. Confirmatur autem haec ſcriptura ſimili quoque loco, qui eſt in lib. 31. c. 2. §. 4. de Hunnis: *Aedificiis nullis umquam tecti: ſed haec velut ab uſu communi diſcreta ſepulcra declinant.* Eadem ſententia Carolus IX. Francorum Rex, cum eſſet ſuopte ingenio actuoſus, nec morari ſub tecto eodem diutius poſſet, dicere ſolebat aedes ſepulcra eſſe vivorum hominum, ut in eius Vita proditum eſt a P. Maſone. IDEM.

Luſtra reſtitui maluit Dorvillius ad Charitonem p. 465. Lipſ. ob adiecta retia. Sed ferri poteſt altera lectio, ſi feras cadavera ſectantes Ammianus in mente habuerit. Inprimis vero rem conficit locus geminus a Valeſio excitatus. W.

Brotomagum occupavit.] In Itinerario Antonini Brocomagus dicitur. Unde Marcellini noſtri locum corrigendum eſſe monuerat Hieronymus Surita, praeſertim cum a Ptolemaeo Βρευκόμαγος nominetur in Triboccis. Sed et vetus Peutingerorum Tabula Brocomacum eam appellat. Poſtremo, ne ſcrupulus quisquam ſuperſit, ita diſtincte in exemplari Regio ſcriptum reperi: *Primam ex iis Brocomagum occupavit.* Tametſi paullo ſuperius in eo ſcriptum ſit: *Brotomago, Tabernas, Saliſone, etc.* *Nunc *Brumas* dicitur, et eſt ad Sornum fluv. ſita.* VALES.

CAPVT III.

1. *Exciſam: nec civitas ulla viſitur, nec caſtellum.*] Culpam transferunt Libanius et Zoſimus in ipſum Conſtantium, qui, ut Magnentium diſtineret, barbaros, ut limitem Romanorum irrumperent, inſtigaverit. W.

Rigodulum oppidum eſt.] Legendum ut eſt in Mſ. *Rigomagum oppid.* Tabula antiqua Itineraria: *Confluentes, Antunnaco, Rigomagus, Bonnae.* LINDENBR. *Rigomagum* (Rheinmagen). W.

Propè Coloniam turris.] Reineſius adſcripſit: „De turri prope Coloniam nihil uſpiam legitur. Quia autem Conſtantinus Imp. ex adverſo Coloniae in citeriore ripa, ſc. terra Francorum, Divitenſe munimentum hodieque Duitſch (Deuz? W.) dictum erexit ad impediendas Francorum in Galliam irruptiones, cogitandum eſt, an id munimentum vocabulo turris ſignificare voluerit Ammianus, an, quod mihi videtur verius, nomen ſit corruptum et legendum *Tuitis* vel *Duitis, Divitis*, unde Divitenſes et Duitenſes inde lecti vel ibi excubantes numeri.“ W.

Interim] ad tempus. W.

3. *Senonas*] (Sens). *Scindebatur in multiplices curas*, translatio nimis quaeſita. Alias diſtrahi. *Qui a ſolitis deſcivere praeſidiis, reducerentur ad loca ſuſpecta*, ut milites in urbes, quibus antea praeſidio fuiſſent, quamquam crebris hoſtium incurſionibus expoſitas, redirent. W.

CAPVT IV.

1. *Scutarios-Gentiles.*] Vtrique in ſchoiis palatinis fuere. v. Ind. II. *ut commodius veſcerentur*, ſuſtentarentur, vitae neceſſitatis praeberentur. W.

2. *Intuta*] ruinoſa. *propugnacula* turres. et *pinnas* non ita altas muri loricas. v. XIV, 2, 18. *ira exundante ſubſtridens* in talibus ſibi placet Ammianus, mihi non item, cui diſtorta oris lineamenta Iulianum mitem atque philoſophum haud ſatis decere videntur. W.

3. *Indignitati rerum*] Erneſti exponit per iniquam fortunam, ego vero maius aliquid ſubeſſe putaverim, Iulianum nempe ab ipſo Conſtantio et ducibus reliquis indigne habitum; idque firmatur ſtatim ſequente *Marcelli magiſtri equitum* (v. infra c. 7. 8.) exemplo. W.

Marcellus Mag. equitum.] Hunc quaſi cuſtodem Iuliano appoſuerat Conſtantius una cum Salluſtio, eisque belli totius adminiſtrationem commiſerat, ſolo Caeſaris titulo penes Iulianum manente; ut narrat Zoſimus in lib. 3. c. 2. et Eunapius apud Suidam in ἐξιστάμενος his verbis: ὁ γοῦν Μάρκελλος κύριος ἦν τῶν πραγμάτων, ὀνόματος μόνου καὶ σχήματος τῷ Ἰουλιανῷ ἐξιστάμενος, τὴν δὲ ἀληθεστέραν αὐτὸς ἀρχὴν μεταχειριζόμενος. Et in v. Σαλούστιος. Hanc Conſtantii calliditatem tangit Libanius in Oratione funebri Iuliani pag. 271. et in Oratione Conſulari. VALES.

Etiamſi civitas absque Principe vexaretur] h. e. etiamſi Caeſar in obſeſſa civitate non eſſet periclitatus. W.

4. *Efficaciſſimus*] induſtrius, rei ſuae intentus. cf. XXVII. 8. *efficaciae impetrabilis* rex. XIV, 8. W.

[*Terrae ſaepe vaſtatae ex. quaedam victui congrua ſuggerebant.*] In codice Colbertino legitur, *terrae ſaepe vaſtitatae exigua quaedam victui congrua adgerebant*: quomodo haud dubie ſcripſit Marcellinus. P. Pithoeus certe ad oram Ammiani ſui notavit quoque ſcriptum eſſe *vaſtitatae* in codice Valentino, uti et *populitatae* legitur in Digeſtis, pro ſaepe populatae.] VALES. *Vaſtatae* ſatis eſſe videri poſſit ob adiectum *ſaepe*. Sed occurrit iterum XXVI, 5, 9. vox Ammiano ſoli uſurpata, quem pleonasmi vitio liberabis, ſi *ſaepe* de tempore, *vaſtitatis* de diritate mecum accipias. W.

CAPVT V.

1. *Temperantiam ſibi ipſi indixit.*] Iulianus ipſe in Miſopog. (p. 340. Spanh.) δεινὴ δέ τις ἐκ παιδαρίου με καὶ ἀνόητος ἀπάτη προλαβοῦσα τῇ γαστρὶ πόλεμον ἔστησεν. Οὐ γὰρ ἐπιτρέπω πολλῶν ἐμπίμπλασθαι σιτίων αὐτῇ. LINDENBR.

Adſtrictus ſumtuariis legibus.] De ſumtuariis ſive cenſoriis legibus Plin. lib. VIII. cap. 51. lib. X. cap. 2. A. Gellius lib. II. cap. 24. *Tertullianus Apolog. cap. 6.* IDEM.

Ex Rhetris Lycurgi et axonibus.] Ῥήτρα proprie dicta eſt reſponſio Apollinis Delphici, quae Lycurgo conſulenti de Senatoribus, et de populi in concionibus poteſtate data eſt. Eaque a Plutarcho refertur in Lycurgi vita. Generaliter tamen omnes a Lycurgo latae leges (non ſcriptae tamen, W.) ῥῆτραι videntur dictae; ut innuit Plutarchus in Laconicis Apophth. et in dialogo de oraculis Pythiae. De Solonis axonibus notior res eſt, quam ut monere opus ſit. Illud tamen non ſilendum eſt, in codice Regio, [et Colbertino,] et in Editione Rom. ac Baſilienſi legi, *ex rhetris Lycurgi, id eſt axibus.* VALES.

Rhetris Lycurgi et axonibus.] Sic verius puto, quam ut vulgo legitur, *retris Lycurgi, id eſt axonibus.* Rhetrae vocantur

Lycurgi leges, Axones Solonis. Suid. Παρὰ Λακεδαιμονίοις ῥήτρα Λυκούργου, νόμος ὡς ἐκ χρησμοῦ τιθέμενος. Idem: Ἄξονες, οὕτως ἐκάλεσαν Ἀθηναῖοι τοὺς Σόλωνος νόμους, διὰ τὸ ἐγγραφῆναι αὐτοὺς (sc. βουστροφηδὸν W.) ἐν ξυλίνοις ἄξοσι. Vide Valer. Harpocrat. Magni Etymolog. Scholiast. Apollon. lib. IV. tmemate 24. LINDENBR. v. Gronov. Praef. p. XXVI. Equidem vereor, ut *Lycurgi* ex gloſſa ſit additum. Plura de rhetris et axonibus ſ. axibus, quod ſincerius videtur Gesnero in Theſ. v. Axis) ſi quis forte deſideret, is adeat Potteri Archaeol. Graecam P. I. p. 403. Rambach. W.

Romam translatas] Perizon. ad Aelian. 3, 34. vide Fr. Platnerum de legibus Romanorum ſumtuariis Lipſ. 751. W.

Seneſcentes paulatim reparavit Sylla Dictator.] A. Gell. lib. II. cap. 24. Tentarunt quoque idipſum Pompeius et Craſſus Coſſ. ſed frustra: et cauſam addit Dio lib. XXXIX. c. 37. quod et obſtaret ὁ Φλαυίλωτος Hortenſius, et quod ipſi ἐς πᾶν καὶ τρυφῆς καὶ ἀβρότητος προκεχωρηκότες. LINDENBR. Ob oculos habuiſſe, ut ſaepe, ita et hic videtur Ammianus Gellium II, 24. nam quae illi ſunt *ſeneſcentes*, eas hic *ſitu atque ſenio obliteratas* vocat. W.

Ex praedictis Democriti.] Cuius ſumma laudatur ab antiquis frugalitas, quod et agros et paterna bona reliquerit lautiſſima, ut divinae ſapientiae ſe totum daret. Diogen. Laërt. in eius Vita IX, 34. Cicer. Tuſcul. V, 39. Val. Max. lib. VIII. cap. 7. LINDENBR.

Ex praedictis] Poſſis proprie ſumere de iis, quae ante eum dicta eſſent, quas legere meminiſſet; melius tamen exponas per *praecepta, placita*. Sic apud Livium 23, 19. eſt *praedictum dictatoris* pro imperio d., monente Erneſtio. W.

2. *Tuſculanus Cato, cui cogn. Cenſorii caſtior vita indidit.*] M. Porcius Cato, ortus Tuſculo municipio, ad ſummos honores virtute ſua aditum ſibi patefecit: Cenſuram quoque geſſit, qui honorum omnium apex tum habebatur. Unde Cenſorius cognominatus. Non enim aſſentior Marcellino, qui a caſtitate et ſanctitate vitae id ei cognomentum inditum eſſe pronuntiat. Fefellit Marcellinum, quod ſua aetate *Cenſorios* dici audiebat homines qui caſtius viverent. Sic Pollio in Valeriano et in Cenſorino, et Marcellinus ipſe in lib. 25. c. 4. §. 7. de Iuliano Principe: *Cenſoriis moribus*. VALES. Pariter *Cenſorio vigore* XVIII, 1, 4. W.

Cultus: magna, inquit, cura tibi.] Sic corruperat hunc locum P. Caſtellus, cum in Editione Romana legeretur: *Cui cogn. Cenſorii caſtior vitae indidit cultus. Magna*, inquit, *cura tibi*. Neque aliter codex Regius, [et Colbertinus,] et Editio Auguſtana, niſi quod ſcriptum habent: *Magna*, inquit, *cura cibi, etc.* Eleganter: hic enim non de cultu ac veſtitu, ſed de cibis loquitur Marcellinus. VALES. Voce *cultus* interdum ad periphraſin utitur Ammianus: ſic XXX, 9, 2. *pudicitiae cultus* pro pudicitia. W.

3. *Cum legeret libellum adſidue.*] Libellum pro epiſtola ponit, qua Conſtantius Imp. annonas et ſalaria tam Iuliano Caeſari, quam palatio eius conſtituerat. Similes Imperatorum epiſtolas refert Pollio in Claudio c. 14. Vopiſcus in Aureliano c. 9. et 13. ac Probo c. 5. Ne quis autem miretur libellum hic pro epiſtola ſumi, cum apud Suidam in Lexico legatur, *βιβλίον. ἐπιστο-*

λή: et Themiſtius in Orat. 14. βιβλίον appellet epiſtolam Conſtantii ad Senatum. Denique Marcellinus noſter in lib. xx. cap. 9. *volumen edicti* dicit, *et Rufinus in lib. 8. cap. 5. *librum legis.** VALES. *Libellum* Valeſ. interpretatur epiſtolam. Nil opus; eſt ſcida, ſchedula. — *Ut privignum* vitricus aliquis *ad ſtudia* Athenis proſequenda. Sic *in ſtudia Apolloniam* ap. Vellei. Paterc. II, 59. ubi vid. Ruhnken. W.

Phaſianum, vulvam, ſumen.] Ex LL. cenſoriis, Plin. lib. 8. cap. 51. *Interdicta cenis abdomina, glandia, teſticuli, vulvae, ſincipita verrina.* *Tertull. Apologetici cap. 6. *Quoniam illae leges abierunt, ſumtum et ambitionem comprimentes, quae centum aera non amplius in cenam ſubſcribi iubebant; nec amplius quam* UNAM *inferri* GALLINAM, *et eam non ſaginatam.** LINDENBR. *Phaſianum* notam avem, a Phaſi dictam, flumine Colchidis, unde primum in Graeciam migravit, et in deliciis habita eſt. Sobrii tamen principes vel plane ea abſtinebant, ut Iulianus, vel ſolis diebus feſtis ſibi apponebant, ut Alexander Severus et Tacitus. v. Caſaubonus ad Scriptt. H. A. T. I. p. 565. ed. Hack. W.

Exigi] anquiri *vetuit* ſc. Iulianus *et inferri*, apponi. Haud recte cepiſſe mentem Ammiani videtur Gibbonus T. IV. p. 288. nam in Conſtantii libello exquiſitiores iſti cibi profecto non erant permiſſi, ſed rei culinariae magiſtri, ſpreta Auguſti ſchedula Caeſaris gratiam inire cupientes, quae ſuaviora ad palatum eſſent, indagabant. W.

Munificis militis vili et furtuito cibo contentus.] Munifices dicuntur milites gregarii, qui munia facere coguntur, et diſtinguuntur a Principalibus qui privilegiis muniuntur, et immunes ſunt, teſte Vegetio in lib. 2. VALES. *Munifici gregario* iunxit Noſter XXV, 2, 2. W.

Vilis cibus et fortuitus] Uno verbo Gr. τυχών. W.

4. *Ille namque aenea concha ſuppoſita.*] De Ariſtotele idem ſcribit Diogenes L. V. p. 310. ed. Steph. ὁπότε κοιμῷτο σφαῖραν χαλκῆν βάλλεσθαι αὐτῷ εἰς τὴν χεῖρα, λεκάνης ὑποκειμένης, ἵν' ἐκπεσούσης τῆς σφαίρας εἰς τὴν λεκάνην, ὑπὸ τοῦ ψόφου ἐξέγροιτο. *De Lycurgo Plutarchus in eius Vita. De Ulpio Marcello Dio in Vita Commodi 72, 8. Suidas in Μάρκελλος.* LINDENBR.

Aenea concha.] Gloſſ. *Concha*, κόγχη. In vett. Colloquiis: Ἔνεγκε ὕδωρ πρὸς χεῖρα κόγχῃ. *Adfer aquam manibus concha.* *Paul. I. C. lib. III. Tit. VII. de uſufructu: *Argento potorio legato, omnia quae ad poculorum ſpeciem comparata ſunt, debebuntur, velut paterae, calices, ſcyphi, urceoli, oenophoria, et conchae.* Scholiaſt. Iuven. *Conchae, in quibus pedes lavabant.* Marcellus Empir. p. 956. *Concham aeream de melle albo ab intus perunge totam.** Anaſtaſ. in Vitis P. P. *Concha aurochalca. Lacus et conchas triantas, cum columnis porphyreticis. Concham ac ſpongiam pro nocturnis diligentiis.* Acta MSS. Martyrii D. Claudii Nicoſtrati: *Cavare conchas, pegas et lacus cum ſigillis et cantharis:* et alibi in iisdem Actis, et Gregor. Turonenſ. de Miraculis lib. I. cap. 5. 12. 31. LINDENBR.

Vigorem] v. Hadr. Valeſ. in Praef. p. LIV. — *Sopor infuſus.* Sollemne inprimis poëtis eſt, in ſomno deſcribendo vocabulis ut

Digitized by Google

ab *humoribus* deſumtis. Vide, ſi tanti eſt, quae notavimus ad Valer. Flacc. IV, 16. W.

5. *Ex plumis et ſtragulis ſericis.*] Iam id quoque inter luxuriae notas poſuere frugalioris vitae magiſtri. Plin. Hiſtor. Natur. lib. X. cap. 22. de pluma ganzarum Germanicarum loquens, ſic ait: *Eoque deliciae proceſſere,* (apud Romanos) *ut ſine hoc inſtrumento durare iam ne virorum quidem cervices poſſint.* Apul. Mileſ. X. (p. 844. edit. in uſ. Delph.) *Lectus diſternebatur Indica teſtudine pellucidus, plumea congerie tumidus, veſte ſerica floridus.* Accubita haec Graeci poſteriores κηνοπλούματα vocarunt: nam et πλούμη illis eſt *pluma.* D. Chryſoſtomus in Homil. de Decollat. Iohann. Μαλακὰ κηνοπλούματα ἐκλύοντα καὶ χαυνοῦντα τῶν ἀνδρογύνων τὰ σώματα. Zeno Veronenſ. eleganter dixit *plumeum ſepulcrum.* Orat. de ſpiritu et corp. pag. 367. *Reſtabilis tori plumeo ſepulcro ſuperba.* LINDENBR.

Sericis] non e bombyce confectis, ſeiden, ſed ex arborum apud Seras, unde nomen, lanugine (baumwollen) cf. inprimis infra XXIII, 6, 67. XXVIII, 4, 18. *Ambiguo fulgore,* quia verſicolores ſunt. Reineſius: ut peculiarem nullum colorem poſſes dignoſcere. W.

Sed ex tapete et ΣΙΣΥΡΑ.] Tapetem hoc in loco Marcellinus plumis opponit: ſilurnam vero ſtragulis ſericis diverſicoloribus. Huiusmodi erant militum lecti. Stramentum et algam colligabant; ſuper iis tapetem ponebant villoſum, ut docet Varro in lib. 4. de lingua Lat. (p. 39. ed. Scaligeri) et Plinius in lib. 8. Qui lecti a Graecis dicebantur χαμεῦναι et στιβάδες: unde adagium στιβάδες Φορμίωνος apud Suidam. *Plutarchus c. 37. de Camillo, in caſtris cubante: ἀλλ' ἀναθορὼν ἐκ τῆς στιβάδος. Xenophon in lib. VII, 1, 5. VII, 2, 22. rerum Graecarum.* Et ob hanc cauſam Syneſius in Orat. de regno milites χαμευνοῦντας appellat. Ovidius in lib. I, 9. 7. Amorum, ubi militiam amantum cum armata comparat:

Pervigilant ambo: terra requieſcit uterque.

De hac porro Iuliani humicubitione Mamertinus in Gratiarum actione c. 11. ſic loquitur: *Neque enim comparandae ſunt picturatae marmorum cruſtae, et ſolido auro tecta laquearia ei, qui maiorem anni partem in nuda humo cubet, et caelo tantum tegatur.* Et Iulianus ipſe de ſe in Antiochico (p. 340. Spanh.) τὰ δὲ ἔνδον, ἄργυπνοι νύκτες ἐν στιβάδι, καὶ τροφὴ παντὸς ἥττων κόρου μικρὸν ἦθος ποιεῖ. Denique Libanius in Oratione funebri, (Reisk. I. p. 613.) de Iuliano loquens letaliter vulnerato, κομίζεσθαι πρὸς τὴν σκηνὴν καὶ τὴν μαλακὴν εὐνὴν, τὴν λεοντῆν καὶ τὸν Φορυτόν· αὕτη γὰρ ἡ κείνου στρωμνή. Id eſt: *Defertur ad tabernaculum et mollem lectum: pellem ſcilicet leoninam et ſtoream. hoc enim ſtratum erat illius.* Poſtremo Marcellinus noſter in lib. 25. c. 2. §. 4. *Relictoque humi ſtrato cubili, adulta iam excitus nocte, etc.* VALES.

Ex tapete et σισύρᾳ.] Iulianus in Miſopog. de ſeipſo: (p. 340. Spanh.) ἄγρυπνοι νύκτες ἐν στιβάδι. Ceterum τῶν σισυρῶν crebra mentio apud veteres. Herodot. lib. VII. Κάσπιοι σισύρας ἐνδεδυκότες. Dio Chryſoſtom. Orat. XXXV. (Reisk. II. p. 167.) Ταῖς δὲ κεφαλαῖς πλέκομεν σισύρας καὶ πίλους. Ariſtophan. in Ἐκκλησιάζ. v. 835. Κλίναι τε σισυρῶν καὶ δαπίδων νενασμέναι. Differunt autem

δαπίδες et ſiſyrae. Δαπίδες ψιλαὶ ſunt καὶ μὴ μαλλωταὶ, quibus in lectis utebantur. Plutarch. in Alexand. c. 52. Ἐκεῖ μὲν ἐν τρίβωνι διεχείμαζες, ἐνταῦθα δὲ τρεῖς ἐπιβεβλημένος δαπίδας κατάχεισαι. Siſyra vero villoſa eſt καὶ μαλλωτή. *Vide Primaſ.* Melotae vox apud Hieronym. Epiſt. 65. *Tanta erat deformitas in melotis.* Heſych. Μηλωτὴ διφθέρα. Ulpian. *pellem lanatam* vocat, L. 70. §. 8. ff. de legat. 3. Gloſſar. vet. *Pellis lanata*, μηλωτή, ἀρναχίς. De ſiſyra iam Ariſtophanis locum laudavimus: eius et hic eſt in Nubib. v. 10. ἐν πίντε σισύραις ἐγκεκορδυλημένος. Idem in Ranis: ubi Scholiaſt. copioſe hanc vocem interpretans addit, ἔνιοι καὶ σισύρα, σισύρνα. Plane ad Ammiani mentem. Ita eam profert Theophyl. Simocat. lib. VII. σισύρναν ἐξ ἐρίου. Eamdem quoque *ſyram* dictam apud eumdem Schol. Ariſtoph. in Nubib. reperitur. Atque ita in Mſ. cod. Ammian. legitur, *ex tapete et ſyra.* Moſchop. περὶ σχεδ. etiam *gunam* vocat: σισύρα, ἡ γοῦνα. διφθέρα, ἡ γοῦνα. Μηλωτὴ, ἡ παρὰ τοῖς κοινοῖς γοῦνα. *Diſtincte de his ſingulis Tzetzes in Lycophronem: Σισυρνοδύται καρκῖνοι — διαφέρει σίσυς, σισύρα, καὶ σισύρνα. Σίσυς μὲν γὰρ λέγεται πᾶν εὐτελὲς ἱμάτιον — σισύρα δὲ, τὸ ἐκ δέρματος ἔντριχον, ὅπερ καὶ γοῦναν καλοῦσιν, ἢ τὸ ἁπλῶς ἐξ ἐρίου ἱμάτιον· σισύρνα δὲ τὸ ἄτριχον δερμάτιον*, p. 105.* Atque haec de ſiſyra et ſiſurna in praeſentiarum dicta ſunto. LINDENBR. Ea laudat Oct. Ferrarius parte ſecunda rei veſtiariae lib. III. cap. 9. GRON.

Σισύρᾳ] Pelles erant villoſae, animalibus vel feris vel cicuribus detractae. Plura qui cupit, conſulat interpretes ad Herodotum IV, 109. Valckenar. ad Ammonium p. 205. et Ruhnkenium ad Timaeum p. 231. ed. ſec. W.

Vulgaris ſimplicitas ſiſurnam app.] Grammatici tamen, plerumque nimis ſcrupuloſi, σισύραν et σίσυρναν diſtinguunt. Nam σισύραν quidem pellem eſſe dicunt: σίσυρναν vero tunicam ex pellibus caprinis conſarcinatam; ut videre eſt apud Heſychium et Ammonium: et ſcholiaſtes Lycophronis σίσυν, et σισύραν, ac σίσυρναν differre ſcribit: ac σίσυν eſſe quodvis vile amiculum; σισύραν vero gunam, ſeu amiculum e pelle villoſa; σίσυρναν denique pellem absque villis. Sed hanc Grammaticorum diſtinctionem ſaepe auctores negligunt. Certe Polyaenus in lib. ult. c. 16. σισύραν γαλατικὴν dixit ſagum Gallicum, ubi de Scipione loquitur. Porro ſiſurnam veteres Latini appellabant Segeſtre, ut docet Varro in lib. citato. VALES.

Mundi velociorem ſenſum] animam quaſi mundi, qui maximam vim habeat ad actiones mortalium. *Motumque mentium ſuſcitantem* cui Iulianus ipſe acceptum referebat, quidquid praeclare agere ſibi videretur, quemque ut genium ſibi proprium venerabatur, quod ex quibusdam Iuliani ipſius locis monſtrat Spanhemius ad Iuliani Caeſarum ed. Francogall. p. 283. *In tanto rerum defectu* in tantis reipublicae neceſſitatibus. W.

Exploranter curabat.] Cum in Mſ. Florentino Lindenbrogius ſic legi monuiſſet, *exploranter ei p. m. curabat*, conieceram ita a Marcellino ſcriptum fuiſſe, *explorate Remp. curabat.* Dixit enim Marcellinus Iulianum Caeſarem tripertita habuiſſe noctis officia: quietis ſcilicet, Reipublicae, et Muſarum: quod etiam repetit in lib. 25. c. 4. hisce verbis: *Ubi vero exigua dormiendi quiete recreaſſet corpus laboribus induratum, expergefactus explorabat per ſemetipſum vigiliarum vices et ſtationum, poſt haec*

Digitized by Google

ſerias ad artes confugiens doctrinarum. Senſum itaque coniectura aſſecutus fueram. Sed cum in Regio codice longe optimo ſcriptum offendiſſem ſic, *exploranter eip. munera curabat*, et ſupraſcriptum eadem manu, *explorate rei*; non ſum veritus praeeunte eius libri auctoritate locum hunc emendare. *Acceſſit poſtea codicis Toloſ. ſuffragium.* In libro quoque Ant. Loiſelli ad oram ſcriptum erat, *explorate*, ex codice Valentino. [In codice Colbertino, *exploranter ei p̃. m. curabat.* Ita etiam P. Pithoeus ad oram Ammiani ſui adnotavit.] VALES.

6. *Procudendum*] acuendum. cf. XV, 2, 8. *rerum principalium* quae primas tenent, philoſophiae. W.

7. *Effecte pleneque*] perfecte et ita, ut omnes philoſophiae partes animo complecteretur. Cf. XXII, 8, 6. W.

Poeticam mediocriter.] Nonniſi tria ſuperſunt eius epigrammata, quae iuveniuntur in Anthologia Iacobſ. T. III. p. 111. et Animadv. Vol. II. P. III. p. 188. Ceterum totus locus non ſatis placet, quandoquidem verbum *deſpexit* ad *poeticam* et *rhetoricam* referri ob interpoſitam vocula *mediocriter* nullo modo poſſe videtur. Cui incommodo ut medelam afferrem, vernaculae Ammiani olim editae interpretationi adſperſeram notulam, et verbum *amavit* excidiſſe credideram, quod praecedentis vocabuli literis finalibus et ſequente VT facile potuit abſorberi. Nec nunc poenitet me coniecturae ideoque recepi in contextum. W. Equidem pro tempore finito malim participium. ERF.

Orationum epiſtolarumque.] Ex Iuliani ſcriptis ad noſtram memoriam pervenere Caeſares, Περὶ βασιλείας, Εἰς τὸν βασιλέα ἥλιον, Miſopogon et Epiſtolae. Alias eius vigilias recenſet Suid. in Iuliano. LINDENBR.

Latine quoque differendi.] Emendavi ex coniectura, *differenti*, quia ſenſus omnino ita poſtulabat. Vide Libanium pag. 248. VALES.

8. *Cyrum Regem et Simonidem, etc.*] Aelian. de Animalib. lib. VI. cap. 10. Plin. lib. VII. cap. 24. Cicer. Tuſcul. lib. I. c. 24. *de Oratore lib. 2, 2.* Chirius Fortunat. lib. III. *Artem memoriae quis primus oſtendit? Simonides. Ex Simonidis facto de convivio quid aſſumimus? Iuvari memoriam ſignatis animo ſedibus.* Vide Solin. pag. 21. Marcianum Capell. lib. 5. cap. de Memoria.* LINDENBR.

Cyrum Regem] (maiorem) qui, uti Plin. H. N. VII, 24. ait, omnium militum ſuorum nomina reddidit. Ita plures ſcriptores Romani. Xenophon tamen Cyrop. Lib. V. c. 3. §. 47. nomina tantum τῶν ὑπ' αὐτὸν ἡγεμόνων eum tenuiſſe refert. *Simonidem*, qui, cum magna convivarum multitudo domo collapſa ita eſſet oppreſſa atque comminuta, ut ipſa oris lineamenta confuſa eſſent, ex locis tamen, ubi ſinguli ad menſam ſediſſent, ſepeliendos propinquis tradidit. Plura vide apud Quinctilianum XI, 2. W.

Hippiam Eleum.] Hic artem memoriae quamdam excogitaſſe dicitur a Xenophonte in Convivio, et a Platone in Hippia minore (T. III. Bip. p. 209.): ubi Socrates vanam circumforanei Sophiſtae περιεργίαν deridens, ſic ait: καίτοι τό γε μνημονικὸν ἐπελαθόμην σου, ὡς ἔοικε, τέχνημα, ἐν ᾧ σὺ οἴῃ λαμπρότατος εἶναι. Idem tradit Philoſtratus in Hippia. De Simonidis autem excellenti memoria Quintilianus in lib. XI, 2. accurate tractat; ſuam-

que ipſemet memoriam diſticho teſtatus eſt, quod refert Ariſtides *περὶ τοῦ παραφθέγματος*.

Μνήμῃ δ' οὕτινα φημὶ Σιμωνίδῃ ἰσοφαρίζειν
Ὀγδωκονταετεῖ παιδὶ Λεωπρέπεος.

Et in Marmoribus Arundellianis de eo ſic ſcribitur: Ἀφ' οὗ Σιμωνίδης ὁ Λεωπρέπους, ὁ Κεῖος, ὁ τὸ μνημονικὸν εὑρὼν, ἐνίκησεν Ἀθήνησιν διδάσκων. VALES.

Epotis quibusdam remediis] Haec unde reſciverit Ammianus, equidem non magis ſcire me fateor, quam quid memoriae dolium ſibi velit, cuius fortaſſe vietor ipſe eſt. W.

Memoriae dolium.] Videtur alludere ad dolium Pandorae, de quo Heſiodus Ἔργ. v. 98. LINDENBR.

10. *Artemque modulatius incedendi per pyrricham.*] Inter exercitationes militares fuit olim pyrricha, quam *χορείαν ἐν τοῖς ὅπλοις* Iulianus appellat in Orat. 1. ad Conſtantium. Aliter etiam dicebatur armatura, ut ad lib. 14. notavi. Armatura enim generaliter quidem vocatur omnis armorum exercitatio: unde et Semiarmatura dicebatur dimidiata quaedam proluſio. Gloſſae Iuris: *σημίζιον. ἥμισυ μέρος· ὅθεν σημιζιάνεια ἁρματοῦρα ἡ ἡμίσεια μελέτη τῶν ὅπλων.* Proprie tamen et ſpecialiter ſic dicta eſt pyrricha. Unde cum Vegetius in lib. 2. cap. 23. armaturam feſtis diebus exhibitam eſſe dicit in Circo, de pyrricha id accipiendum eſt. Sic enim Hadrianus, referente Spartiano c. 19. *militares pyrrichas populo frequenter exhibuit.* Ad quem Spartiani locum Caſaubonus notat, *militares* ſuperflue additum eſſe. Sed pace eius, dixerim, aliter ſe habet. Nam militares pyrrichae in eo loco ſunt militum pyrrichae, quas milites armati ſaltabant: ita dictae ad diſtinctionem aliarum, quas pueri ac puellae e Graecia, aut ex Aſia in theatro ſaltabant, de quibus Suetonius, Dio, et vetus Epigramma, quod Vir Cl. Salmaſius protulit ad dictum Spartiani locum; vel quas damnati coram populo ſaltabant, in veſte purpurea ſtatim arſuri. de quibus loquitur *Iuriſconſultus* in lege 8. §. 9. D. de poenis. *Quicumque*, inquit, *in ludum venatorium fuerint damnati, magis eſt, ut hi quoque ſervi efficiantur. Hoc enim diſtant a ceteris, quod inſtituuntur venatores, aut pyrricharii, aut in aliam quam voluptatem, geſticulandi, aut aliter ſe movendi gratia.* Et Plutarchus in lib. de ſera numinis vindicta (p. 34. Wyttenb.): *ἀλλ' οὐδὲ ἔνιοι διαφέρουσι παιδαρίων, ἃ τοὺς κακούργους ἐν τοῖς θεάτροις θεώμενα πολλάκις ἐν χιτῶσι διαχρύσοις καὶ χλαμυδίοις ἀλουργοῖς ἐστεφανωμένους καὶ πυρριχίζοντας, ἄγαται καὶ τέθηπεν ὡς μακαρίους, ἄχρις οὗ κεντούμενοι, καὶ μαστιγούμενοι, καὶ πῦρ ἀνιέντες ἀπὸ τῆς ἀνθινῆς ἐκείνης ἐσθῆτος ὀφθῶσι. Sed nonnulli plane ſimiles ſunt pueris, qui ſaepenumero in theatris cum vident noxios tunicis auratis, et purpureis veſtibus amictos, et coronatos pyrricham ſaltantes, mirantur ut beatos: donec illos compungi, et flagellis caedi, et ex florida illa veſte flammam emittere videant.* VALES.

Modulatius incedendi per pyrricham.] Militaris pyrricha, quam Troiam vocant, inventa atque ſic dicta fuit a Pyrrho Achillis filio, vel a Pyrricho Cretenſi ſive Lacedaemone: mire enim hic variant Athenaeus lib. XIV. p. 630. E. Proclus in Chreſtomat. Iul. Solinus cap. XVII. Marius Plotius lib. de Metris, Diomedes Grammat. lib. III. (p. 472. Putſch.) Cauſa cur inſtituta haec fuit: uti

iuvenes bellicis ſudoribus per huiusmodi ſimulacra indurati, redderentur ad arma habiliores. Ideo Lacedaemoniorum pueri quinquennes et hanc, et τὰ ἐμβατήρια μέλη addiſcebant, quo modulatius, ut loquitur Ammianus, incederent. Athenaeus lib. I. p. 14. D. 22. B. et XIV. p. 631. F. Dio Chryſoſt. Orat. II. de regno. Marius Victorinus de Metris lib. 2. p. 102. *Embaterion dicitur, quod eſt proprium carmen Lacedaemoniorum. Id in praeliis ad incentivum virium per tibias canunt, incedentes ad pedem ante pugnae initium.* Eoque exercitio Narſes quoque milites ſuos confirmabat: de quo Agathias Hiſtor. Iuſtinian. lib. II. Ναρσῆς δὲ ἐξασκεῖν γε ἐπὶ πλεῖον αὐτοὺς (στρατιώτας) ἐκέλευσε τὰ πολέμια, καὶ ἐπεῤῥώννυε τὸν θυμὸν ταῖς καθ' ἡμέραν μελέταις, τροχάζειν τε ἀναγκάζων, καὶ ὑπὲρ τῶν ἵππων ἐν κόσμῳ ἀναπάλλεσθαι, ἔς τε πυῤῥίχην τινὰ ἐνόπλιον περιδινεῖσθαι, καὶ θαμεῖ τῇ σάλπιγγι καταβομβεῖσθαι τὸ ἐνυάλιον ἐπηχούσῃ. A Martio poſtea pulvere in theatri arenam pyrrichae traductae. Spartian. in Hadriano c. 19. *Militares pyrrichas populo frequenter exhibuit.* Dio Caſſ. in Claudio, lib. LX. c. 23. Πυῤῥίχην τε Ἀσιανοὶ παῖδες μετάπεμπτοι ὠρχήσαντο. Quo etiam referenda ſunt, quae de Troiae luſu leguntur apud eumdem lib. 43, 23. 48, 20. 51, 22. Tacit. Annal. lib. XI. c. 11. Sueton. in libro de Luſu pueror. apud Servium ad v. Aeneid. 113. Unde Marcian. Capella lib. IX. (poſt med. p. 328. et 33. Grot.) *Pyrrichus, id eſt proceleusmaticus, quin hic aſſiduus vel in certamine, vel in ludo quodam puerili.* Cuius luſus forma ac modus ſatis ſuperque percipi poteſt ex Apul. Mileſ. X. (p. 253, 18. Elmenh.) Cl. Claud. Panegyr. in VI. Conſulat. Honorii: cuius haec verba ſunt v. 621. ſſ.

Hic et belligeros exercuit area luſus,
Armatos hic ſaepe choros, certaque vagandi
Textas lege fugas, inconfuſosque recurſus,
Et pulchras errorum artes, iucundaque Martis
Cernimus, inſonuit cum verbere ſigna magiſter.
Mutatosque edunt pariter tunc pectora motus,
In latus alliſis clypeis: vel rurſus in altum
Vibratis, grave parma ſonat, mucronis acutum
Murmur; et umbonum pulſu modulante reſultans
Ferreus alterno concentus plauditur enſe. LINDENBR.

Omnium optime de pyrrhicha egiſſe dicitur *le Beau* in Memoires de l'Academie des Inſcriptions T. XXXV. p. 262. W.

Concinentibus diſceret fiſtulis.] Pyrrichae ad ſignum tubae committi ac finiri ſolebant, ut docet Apuleius in lib. X. (p. 253. 22. Elmenh.) et Vegetius in lib. 2. cap. 22. Virgilius in lib. 5. 113.

At tuba commiſſos medio canit aggere ludos.

Ubi Servius notat: *Sane iſtae ſunt proluſiones bellorum; unde etiam ad tubam geruntur.* Et in dialogo Hadriani et Epicteti tuba dicitur arenae admonitio, ſcenae commiſſio. Videntur tamen tubis additae eſſe fiſtulae in pyrrichae ſaltatione, atque etiam tibiae: quod praeter hunc Marcellini locum oſtendit alter in lib. 18. c. 7. §. 7. de Sabiniano: *Militari pyrricha ſonantibus modulis pro hiſtrionicis geſtibus in ſilentio ſummo delectabatur.* et vetus Epigramma de pyrricha:

Nam remeare iubent organa blanda pares. VALES.

Digitized by Google

Clitellae bovi.] Proverbialis ſermo. Cicero ad Attic. lib. v. Epiſt. xv. *Clitellae bovi impoſitae, Cillane, non eſt noſtrum onus.* Qui locus corrupte ſic hactenus legitur: reſtituendus autem ut in Ammiano habebatur: *Clitellae bovi imp. plane non eſt noſtr. onus.* Vide Quintilian. lib. v. cap. xi. LINDENBR.

11. *Expanſa chlamyde.*] Is erat habitus Agentum in rebus, ut docet Libanius in Apologia adverſus eos, qui ſuam docendi methodum accuſabant (Reisk. T. III. p. 438.): ἀναξυρὶς καὶ ζωστὴρ ὁ τῶν διακονούντων ταῖς βασιλέως ἐπιστολαῖς, ἃς ἐκ βασιλείων ἀνάγκη φέρεσθαι πανταχοῦ τῆς γῆς. Id eſt: *Bracae et balteus eorum qui Principis epiſtolis miniſtrant, quas ex Palatio per orbem terrarum ferri neceſſe eſt.* Agentes in rebus intelligit, ad quorum militiam utpote quaeſtuoſam, plerosque ſua aetate depoſito philoſophico pallio adſpiraſſe ſcribit. Idem in Orat. contra Florentium, pag. 426. (Reisk. T. II. p. 472.) χλαμύδας καὶ ἀναξυρίδας tribuit militantibus. Et Paulinus in Carmine ad Licentium, in palatio militantes chlamydem et balteum geſtaſſe dicit, quemadmodum et Hieronymus de obitu Nepotiani. VALES.

Quod non ſit morte multatus] quae poena, una cum publicatione bonorum, virginum raptoribus erat praeſtituta. Vide l. 5. §. fin. D. ad legem Iuliam de vi public. I, 54. W.

12. *Hactenus incuſent iura clementiam.*] Hunc locum ſic legendum et interpungendum puto: *Reſponderat hactenus: Incuſent iura clementiam, etc.* Ita enim in lib. 30. cap. 5. *Quibus ſaepe eadem iterantibus, hactenus perpenſa deliberatione reſpondit:* *et lib. 24. cap. 2.* VALES. *Incuſent iura clementiam* dicant homines me clementiorem eſſe iuſto, migrare leges, ut clemens habear, *ſed Imperatorem mitiſſimi animi legibus,* hanc ſibi legem ſcribere ipſum, ut non poteſtate, ſed miti animo *praeſtare* aliis videatur. W.

14. *Exceptis victoribus*] „i. e. quum victori ſibi hoſtes ſeſe ſubieciſſent. Sic Tacitus Hiſt. 2, 52." Erneſt. nimis, ut videtur, artificioſe. — *Cadentes ſaepe incolumi contumacia* qui, quamquam ſaepius devicti, nihil tamen a pertinacia remiſerunt. W.

Pro capitibus ſingulis tributi nomine.] Imitatus videtur Iulianus in tributario onere adlevando optimum Principem Alex. Sever. de quo Lamprid. c. 39. *Vectigalia publica ita contraxit, ut qui decem aureos ſub Heliogabalo praeſtiterant, tertiam partem auri praeſtarent.* Et *tributum pro capitibus* dixit, ut Arcadius in lib. 18. §. 8. de muneribus, *Pecuniam pro capitibus.* Gloſſ. *Tributum capitulare,* ἐπὶ κεφαλαίου φόρος. Alii *cenſum capitis* vocant: Graeci κεφαλιτιόνα, ut in Conſtitutione Graeca Βασιλικῶν lib. LVI. quae prima eſſe debet Cod. de ann. et trib. Xiphilinus κεφαληνίαν, in Hadriano: χρήματά τε πολλὰ, καὶ σῖτον ἐτήσιον, τήν τε κεφαληνίαν ὅλην. Atque ita de nomine quidem conſtat, ſed indictionis ratio intricatior: quam tamen explicare conati ſunt VV. Cll. Barn. Briſſon. Explicationum quae ad Ius pertinent verbor. lib. III. et Iuſt. Lipſius in Admirand. lib. II. cap. 2. et 3. Sed quam bene, nunc non diſputo; et res eſt alterius atque maioris tractationis, quam ut hic expediri poſſit. LINDENBR.

Pro capitibus ſingulis tributi nomine.] Ea pecunia pro capitibus dicitur ab Arcadio in lege 18. de muneribus, itemque ca-

Digitized by Google

pitatio: quam ſolvebant plebeii tantum; Honorati vero et Decuriones ab hac praeſtatione erant immunes, ut docet lex 2. de Protoſtalia, lex 36. de Decurionibus, in Codice Theod. Quinetiam in Orientalibus provinciis plebs urbana a capitatione erat immunis: et ruſticana plebs ſola pro capitatione ſua conveniebatur, ut eſt in lege 2. Cod. Th. de cenſu. Hinc lucem accipit Tertulliani locus in Apologetico. *Sed enim*, inquit, *agri tributo onuſti viliores: hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora.* Soli enim plebeii ac viles capitis tributum pendebant, non pro ſuis duntaxat capitibus, ſed etiam pro uxoribus et adultis liberis, ut docet lex 4. et 6. Cod. Th. de cenſu et adſcript. et lex 4. de excuſatione artificum, Cod. eodem. Auctor Panegyrici Flavienſium *nomine* Conſtantino dicti (p. 220. edit. le Baune), *Certe*, inquit, *et nunc liberi parentes ſuos cariores habent, et mariti uxores non gravate tuentur, et parentes adultorum non poenitet filiorum, quorum onera ſibi remiſſa laetantur.* Adde legem x. in Cod. Iuſt. de agricolis etcenſitis. Ceterum non diſſimulandum eſt in Mſſ. Regio et Fauchetiano, [Vaticano et Colbertino ac Valentino] et in Editione Romana legi, *pro capitulis ſingulis.* In Regio tamen exemplari ſupraſcripta eſt vulgata lectio. VALES Et hanc ſcriptam lectionem defenſam eſſe ab eruditiſſimo Iureto in notis ad Symmachum lib. IX. epiſt. 10 miror aut ignorari ab Valeſiis aut pro nihilo praetermitti. GRON.

Vicenos quinos aureos.] Si, quod Valeſius affert, hanc capitationem ſoli plebeii ſolvebant, vix a me impetrare poſſum, ut miſeros illos homines credam tam iniuſte habitos, ut ultra centum noſtrae monetae imperiales pendere debuerint. Erat igitur, ubi mitius tractari Gallos putarem, ſi pro *aureis* ponas *denarios*, quorum quinque et viginti conficiebant aureum; ſed nunc nihil muto. Nimis exigua fuiſſet iſta exactio viginti quinque denariorum, quatuor circiter noſtris Imperialibus aequalium, praeſertim ſi non pro ſuis tantum capitibus, verum etiam pro uxoribus et adultis liberis ſolverent. Nec deſunt exempla Verris et aliorum eius ſimilium, qui provincias ſociorum adeo ſuae curae traditorum exſugere ſolebant ideoque repetundarum arceſſebantur. De valore aurei, qui non ſemper idem fuit, vide, ut alios taceam, I. F. Gronovium de pecunia vet. IV. 13. et Gibbonum T. IV. p. 138. ſ. W.

15. *Ne per indulgentias rei trib. concederet reliqua.*] Mos fuit Principibus Romanis, ut tributorum reliqua ſubditis indulgerent: idque non ſemel, ſed iterum ac ſaepius ſinguli factitabant, ne inopes provinciales qui ſolvendo non erant, perpetuo metu cruciarentur: neve ſuſceptoribus occaſio daretur adverſus eos qui ſolverant, calumnias ſtruendi, ut ſcribit Procopius in Anecdotis pag. 100. quae Indulgentiae dicebantur. Gloſſae veteres: *θεῖα δωρεά, indulgentia.* Auſonius in Gratiarum actione ad Gratianum (p. 549. ed. Floridi): *Indulgentias ſaeculares per ſingula horarum momenta multiplicas: vel illud cuiusmodi eſt de condonatis reſiduis tributorum?* VALES.

Per indulgentias quas appellant.] Gloſſar. Συγχώρησις, *Concedentia, Conceſſio, Indulgentia, Remiſſio:* ut in Cod. Theod. Lib. XI. Tit. 28. de indulgentiis reliquorum, et Iuſtiniani Imp. Novella ρμη. περὶ συγχωρήσεως λοιπάδων δημοσίων. Aliud eſt *Relevatio:* ut *relevatio rei tributariae*, κουφισμὸς τῶν δημοσίων, in Panegyr. Flavienſ. et Auſon. ad Gratian. *Relevatio canonis, iugationis*, L. 5. C. Theod. de conlat. donat. vel relevatar. poſſeſſion.

Digitized by Google

Indulgentiae ſunt τοῦ προλαβόντος χρόνου. *Relevationes* vero τῆς εἰσελευσομένης ἐπινεμήσεως. LINDENBR. *Quas appellant.* Hoc adiectum, monente Meurſio in Auctario philol. p. 174. quod iſtiud verbum hac ſignificatione Ammiani demum aetate in uſu eſſe coeperit. W.

Concederet reliqua.] Rei tributariae locutio, ut in Panegyr. Flavienſ. *Quinque annorum nobis reliqua remiſiſti.* Graecis λοιπάδες. Theophil. Inſtit. Tit. de legat. §. 10. τὰς λοιπάδας καταβάλλειν, Iuſtinianus dixerat, *reliqua inferre.* Ammian. lib. XXXI. c. 14. §. 2. *In requirendis reliquorum debitis non moleſtus.* Gloſſar. Λοιπαδάριον, ἔκθεσις λοιπάδος, *reliquarium:* eam enim veriorem lectionem cenſeo prae illa, quae in vulg. *reliquiarium.* Inde *reliquatio,* λοιπογραφία. Tertull. de Anima cap. 56. *Donec reliquatio compleatur aetatis.* Et *reliquatores vectigalium* apud Paulum l. C. L. 9. §. 2. ff. de publican. *Reliquatrix debitorum,* Tertull. de Anima cap. XXXV. LINDENBR.

Se aliquid locupletibus additurum] ſe ſolis gratificaturum divitibus, qui indulgentiis iſtis abuti ſoliti minus quam poſſent ac deberent, ſolverent. W.

Cum conſtet ubique pauperes inter ipſa dictorum exordia ſolvere.] Gravis hac de re querela Salviani Maſſilienſ. de Gubernat. Dei lib. V. (p. 94. ed. Brem. 1688.) *Sicut ſunt in aggravatione primi pauperes, ita in relevatione poſtremi. Siquando enim, ut nuper factum eſt, defectis urbibus minuendas in aliquo tributarias functiones poteſtates ſummae exiſtimaverunt, illico remedium cunctis datum ſoli inter ſe divites partiuntur. Quis tunc pauperum meminit? quis ad communionem beneficii humiles et egeſtoſos vocat? quis eum qui primus eſt ſemper in ſarcina, vel ultimo eſſe loco patitur in medela? Et quid plura? Tributarii omnino pauperes non putantur, niſi cum his tributi cumulus imponitur. Extra numerum autem tributariorum ſunt, cum remedia dividuntur.* Huc ſpectant Impp. Theodoſ. et Valentin. verba, Novell. Conſtit. XXI. *Neque ultra valebit perpetuitas eorum manere, paucis atque defeſſis impoſita ſarcina, quam potior detrectat, locupletior recuſat, et validiore recedente ſolus agnoſcit infirmior.* LINDENBR.

Pauperes ubique inter ipſa dictorum exordia.] Idem queritur Salvianus in lib. 4. de Gubernatione Dei, (p. 63.) his verbis: *Ecce enim remedia pridem nonnullis urbibus data quid aliud egerunt, quam ut divites cunctos immunes redderent, miſerorum tributa cumularent? etc.* Quibus iungi poteſt alter eiusdem Salviani locus ex lib. 5. quem affert Lindenbrogius. Notum porro eſt tributa fiſcalia per anni curriculum tripertita penſione inferri conſueſſe, ut eſt in lege 15. et 16. Cod. Th. de annona et tributis. [Petrus Pithoeus ad oram libri ſui adnotavit, forte *Indictorum* legendum eſſe: quod et mihi antea in mentem venerat. Indicta autem pro Indictionibus poſuit Ammianus.] VALES.

Dictorum exordia.] *Dicta* ſunt, quae lib. XXV. c. 4. §. 15. *tributorum indicta.* Maiorian. Imp. Novell. IV. *In remediandis attenuatur indictis. Indictiones* apud Paul. I. C. L. 28. ff. de uſu et uſufr. *Fundo indictiones temporariae indictae ſunt.* Fulgent. Mytholog. lib. 1. *Nova indictionum ac momentanea genera:* et *Condicta* apud eumdem: *Pactoli ipſius fluenta condictis frequentibus deficcaſſent.* LINDENBR. *Dictum* apud Livium etiam pro *edictum,* i. imperium occurrit monente Erneſt. W.

Digitized by Google

Sine laxamento] dilatione. Laxamentum (ad modicum tempus vox in hac re ICtis ſollemnis. Vide Emundi Merillii Obſervatt. p. 57. ed. Neap. 1720. et Vicat Vocabular. iuris utriusque h. v. W.

16. *Barbarica*] Alamannorum. W.

17. *Utqué beſtiae cet.*] Comparatio haud inepta. Uti beſtiae cuſtodum negligentia rapinae adſueti, appoſitis adeo fortioribus *abſceſſerunt* (abſcedere ſolent, Graeco more) — ſed *tumeſcentes* efferati *inedia* cet. ſic igitur et Alamanni, qui cum ſub Imperatoribus ante Iulianum multa feciſſent licenter, ipſo Iuliano, quamquam vigilantiore, regnante, nihil a rapina remitterent, *interdum antequam contingerent, oppetebant*, quamquam nulla ſpes eſſet obtinendi, cupidinem tamen ſatis aperte prae ſe ferrent. W.

CAPVT VI.

1. *Arbetionem*] gregarium antea militem, deinde Magiſtrum equitum. v. et XIV, 11. XV, 2. W.

Decora cultus Imperatorii praeſtruxiſſe] omnia, quae ad ſplendorem Principum faciant, praeparaſſe. *immania* Adverbial. uti Graeci. W.

2. *Specialiter.*] Aurea, quam vocant, aetas ignorat, eſt tamen apud Quintilianum. W.

Ex-Medico Scutariorum.] Singulae Legiones ac Scholae ſuos Medicos habuere. Sic Medici II. Legionis Adiutricis mentio fit in Codice Iuſt. lege 1. de Profeſſoribus et Medicis: et in veteri Inſcriptione memoratur MEDICUS. COHORTIS. V. PR. Plura vide in Theſauro Goltzii, et Inſcriptionibus Gruteri. VALES.

Nitentium rerum Centurionem ſub Magnentio Romae provectum.] Optime ita in Mſ. ut in Notitia Imperii: *Sub diſpoſitione viri Illuſtris PR. Urb. Tribunus rerum nitentium.* Magno in lib. Notar. C. R. N. *Comes rerum nitentium.* LINDENBR.

Nitentium rerum Centurionem.] Sic diſerte ſcriptum Romana habet Editio et Auguſtana, ut de Regio codice nihil dicam. Centurio autem rerum nitentium is dicebatur, qui ſignorum ac ſtatuarum ex aere ac marmore in Urbe curam gerebat: noctuque cum militibus obſervabat, ne quis ea confringeret aut mutilaret. Pro Centurione poſtea Tribunus rerum nitentium factus eſt, eratque ſub diſpoſitione Praefecti Urbis, ut eſt in Imperii Notitia. Tandemque pro Tribuno Comes huic officio praefectus, ut praeter Magnonem a Lindenbrogio citatum docet Calliodorus in lib. 7. Ep. 13. quae eſt formula Comitivae rerum nitentium urbis Romae: ubi inter cetera id legitur: *Iuſte tales perſequitur publicus dolor, qui decorem veterum foedant detruncatione membrorum: faciuntque illa in monumentis publicis quae debent pati.* VALES.

Adelphium Urbi Praefectum.] Clodius Adelphius is dicebatur, qui Praefectus Urbi fuit poſt Conſulatum Sergii et Nigriniani, anno Domini 351. ut docet fragmentum vetus Faſtorum, quod primus

Digitized by Google

primus edidit Cuſpinianus: *Magnentio et Gaiſone Coſſ.* VII. *Idus Iunias Clodius Adelphius Praef. Urbi.* XV. *Cal. Ianuarias Valerius Proculus Praef. Urbi.* VALES. v. Corſinus de Praef. Urb. p. 209. W.

3. *Neceſſariis negotio*] ad negotium, inquiſitionem. *tentis* dilatis, procraſtinatis. W.

Tamquam per ſatiram.] *Vide Caſaub. de Satirica Graecor. etc. lib. 2. cap. 4. p. 318. 319. et ſeqq. Lactant. lib. 1. cap. 21. *Peſcennius Feſtus in libris Hiſtoriarum per ſatiram refert.** Unice huic loco explicando faciunt, quae ſcribit Diomed. lib. III. p. 483. Putſch. *Lege Satira, quae uno rogatu multa ſimul comprehendit, cuius legis Lucillius meminit lib. 1. Per ſatiram Aedilem factum,* et quae ſequuntur. Chariſ. Soſipat. lib. II. p. 175. Putſch. *παυδέκτην vocant: nam omnia in ſe capit quaſi collata per ſatiram, conceſſa ſibi rerum varia poteſtate.* LINDENBR.

Tamquam per ſatyram.] Id eſt, tumultuarie et confuſe. Sic Eumenius in Gratiarum actione ad Conſtantinum c. 11. *Separate*, inquit, *itaque dicam: neque enim quaſi per ſatyram confundenda ſunt tanta beneficia.* VALES. Reliqui libens viro ſummo manum, prout eam chartae commiſit. Sed nimis perſpicue demonſtrata eſt origo huius loquutionis, ut veteres ita non ſcripſiſſe arbitremur, atque adeo nec Ammianum, ex quo literam Graecam delevi. Quis vero notam Lindenbrogii ita correxerit, ignoro, quum in Hamburgenſi editione pateat y et quidem ubique. GRON. Satura proprie lanx erat, in qua poma ſine ordine, et promiſcue apponerentur. Hoc deinde translatum ad leges: lex ſatura enim dicta, quae de pluribus rebus ſimul loquatur, ſive, ut Diomedes ait, quae uno rogatu multa ſimul comprehendat. Plura vide ap. Gesnerum Theſ. h. v. Hoc loco igitur, uti recte exponit Valeſius, eſt: confuſe et tumultuarie. W.

Velut aulaeo depoſito] Iuvenal. Satir. VI. 67.

— — quoties aulaea recondita ceſſant,
Et vacuo clauſoque ſonant ſora ſola theatro.

De aulaeis theatralibus vide Donati Prolegomena in Terent. et quae ibi porro notata. LINDENBR.

CAPVT VII.

1. *Adlapſorum ore.*] Haud facile dixeris, ſcriptumne fuerit, *adlapſorum ore*, vel *adlapſo rumore*, adeo confuſa lineamenta erant. LINDENBR.

Marcellum auxilium non tuliſſe.] Vide ſupra c. 4. *In larem*, Sordicam, v. c. 8. W.

2. *Cum motu quodam corporis*] ut ipſe quaſi ſurſum volare velle videretur. W.

3. *Magiſtro enim armorum.*] Marcellum Magiſtrum militum intelligit. Sic ſupra in lib. 15. c. 5. §. 36. *Interrogato Remigio etiamtum Rationario apparitionis armorum Magiſtri:* et alibi ſaepe. Calliodorus etiam in lib. 6. Hiſt. trip. cap. 1. et lib. 10. cap. 24. quos στρατηγοὺς Socrates ac Sozomenus dixerant, *Ma-*

giſtros interpretatur *armorum*. Haec autem dignitas a Conſtantino Maximo primum inſtituta eſt: qui teſte Zoſimo in lib. 2. c. 33. duos Magiſtros militum creavit, alterum peditum, equitum alterum: quem numerum poſtea filii eius auxere. Quatuor enim Magiſtros militum eodem tempore Marcellinus memorat in hoc libro: Arbetionem in Praeſenti conſtitutum c. 6. Urſicinum per Orientem c. 10. Severum in Galliis ſucceſſorem Marcelli c. 10. Barbationem denique Silvano ſuffectum c. 11. Sed Theodoſius Aug. quinque et amplius Magiſtros militiae conſtituit: quo facto Rempub. annonis gravavit, ut ei ſemper infeſtus obiicit Zoſimus in lib. 4. c. 27. Et hic quidem eos ſemper στρατηλάτας, aut στρατηγοὺς appellat. Recteque in veteribus Gloſſis στρατηλάτης vertitur Magiſter militum. Sic apud Baſilium in Epiſtolis, οὐίκτορι στρατηλάτῃ; in Epiſtolis Gregorii Nazianzeni, μοδαρίῳ στρατηλάτῃ. Et in Actis Pauli Conſtantinopolit. apud Photium Hermogenes στρατηλάτης dicitur, et alibi ſexcentis in locis, in quibus Latine vertendis omnes paene Interpretes labi ſolent. Eunapius in vita Aedeſii p. 53. Commel. στρατοπεδάρχας vocat, et in Proaereſio p. 157. his verbis: ὁ δὲ Κώνστας καὶ ταῦτα ἔδωκε, καὶ τὸ μέγιστον τῶν ἀξιωμάτων στρατοπεδάρχην ἐπιτρέψας καλεῖσθαι, etc. ubi *caſtrorum Praefectum* male vertit Had. Iunius. Sic et Ioſippus (quem vulgo Hegeſippum vocant, cum ſit Ioſippus, ab S. Ambroſio verſus in Latinum ſermonem) lib. 1. de excidio urbis Hier. cap. 41. *Miſſoque*, ait, *Volumnio militiae Magiſtro, et Olympio*: quod Ioſippus in lib. 1. Graece dixerat: πέμπει οὐολόμνιόν τε στρατοπεδάρχην καὶ τὸν φίλον Ὀλύμπιον. Ceterum quod dixi, Magiſtros militum a Conſtantino Magno primum inſtitutos, refelli videtur ex eo quod Modeſtus de vocabulis rei militaris ad Tacitum Auguſtum qui Conſtantinum anteceſſit, eorum meminit: et quod Hieronymus in Chronico, ac Iordanes de ſucceſſione regnorum, Saturninum qui regnante Probo arripuit Imperium, *Magiſtrum militum* vocant. Sed Modeſtum quidem, quisquis ſit, (nam ſuppoſiticium eſſe equidem ſuſpicor) poſt Conſtantinum ſcripſiſſe non dubito, cum et *Comitivam ordinis primi* memoret, et nihil aliud ſit quam exſcriptor Vegetii. Hieronymum autem ex more aetatis ſuae locutum eſſe palam eſt, quippe qui Veſpaſianum *Magiſtrum militiae* in eodem Chronico appellet, quem Legatum dicere debuerat, ſi proprie et convenienter aetati Veſpaſiani loqui voluiſſet. Idem de Hegeſippo, ſeu potius Ioſippo ſupra citato ſentiendum eſt. Certe Vegetius in lib. 2. de re militari, recte notavit in locum Legatorum Caeſaris viros illuſtres Magiſtros militum ſucceſſiſſe. Idem de Vopiſco quoque cenſeo, qui in Aureliano c. 18. Magiſtros equitum commemorat. *Equites*, ait, *omnes ſub Claudio Aurelianus gubernaverat, cum offenſam Magiſtri eorum incurriſſent, quod temere Claudio non iubente pugnaſſent.* VALES.

Adparitorem fidum.] Miniſtrum in adminiſtranda republica obedientiſſimum, XIV, 11, 10. *Auctori ſuo* cui Caeſaris dignitatem deberet. v. XIV, 1, 1. XXI, 10, 7. XXV, 8, 11. Spartian. Hadrian. c. 10. W.

4. *Si*] etiamſi, ut interdum εἰ apud Graecos. W.

Deſciviſſe arguerentur.] Ita exhibet Valeſiana prior, et Lindenbrogiana, aliaeque anteriores; unde peccaverunt Pariſini, qui in nuperrima ediderunt *arguebantur*, contra ſenſum, et mutavi. GRON.

Carptim praecipua.] Hoc in loco codex Regius vocem inſerit neceſſariam, ut arbitror: *Carptim eius praecipua*, id eſt, dotes atque virtutes: ut in lib. 14. c. 6. §. 25. *equorumque praecipua vel delicta ſcrutantes.* Et paullo poſt in hoc libro (c. 7. §. 8.) *Inter praecipua enim quae eorum quisque ſtudio poſſederat vel ingenio:* et alibi ſaepius. VALES.

5. *Abſtractis geminis.*] Sic reſtitui, auctoritatem ſecutus Editionis Romanae *et codicis Toloſ.* [ac Colbert.] Geminos autem vocat teſtes, more Graecorum, qui διδύμους nominant. Sed et Solinus c. XIII. ita appellat, cum de fibro dicit: *Ne captus proſit, ipſe geminos ſuos devorat.* VALES. In antiquioribus editionibus fuit *abſtractus*, Salmaſ. ad Solin. p. 132. W.

Ubi paullatim arte curaque.] Hanc ſcripturam commentus eſt P. Caſtellus, cum in Editione Rom. excuſum eſſet hoc modo: *Ubi paullatim.... aculeſ..... irationem recte vivendi, etc.* nec ab Editione Romana quidquam diſcrepat codex Regius et Florentinus, [Toloſanus item ac Colbertinus.] Itaque ſcriptae lectionis veſtigiis inſiſtens, ſic a Marcellino ſcriptum fuiſſe exiſtimavi: *Ubi paullatim adoleſcens rationem recte vivendi ſollertiamque oſtendebat:* qua coniectura equidem nihil certius eſſe duco. Dixit enim Marcellinus ea quae Eutherius etiamtum parvulus tulit tum ſubiicit de eodem adoleſcente: deinde ea ſubiicit quae *ex adulto*, id eſt, virilem ingreſſus aetatem factitavit in aula Conſtantis Auguſti. VALES.

Ex adulto ſpectaſſet, pluraque tamquam maturum.] Et hic locus a Caſtello inquinatus eſt, quem nos, quod praeſiſcine dictum ſit, priſtino nitori reſtituimus. In Rom. Editione legitur, *ex adulto..... tamquam maturum.* In Regio autem codice [ac Colbertino,] *tamque maturum.* Ergo unius litterae mutatione ſic locum emendavi: *Quem ſi Conſtans Imperator olim ex adulto iamque maturum audiret, honeſta ſuadentem et recta; nulla vel venia certe digna peccaſſet.* Ex quibus patet, Eutherium Cubicularium fuiſſe Conſtantis. VALES. *Ex adulto iamque maturum* qui exacta adoleſcentia ad virilem aetatem pervenerat. cf. Ruhnken. ad Vell. Paterc. II, 99. *Audiret* audiviſſet. W.

Venia certe digna peccaſſet.] Male audierat Conſtans ob pueros cubicularios nimis comptos cultosque, ut teſtatur Aurelius Victor c. 41. his verbis: *Quarum gentium obſides pretio quaeſitos, pueros venuſtiores, quod cultius habuerat, libidine eiusmodi arſiſſe pro certo habetur.* et Zoſimus in lib. 2. c. 42. cuius verba non pigebit adſcribere, ut obiter emendentur. Βαρβάρους γὰρ εὐπροσώπους ὠνούμενος καὶ ἔχων ἐν ὁμήρων τάξει παρ' ἑαυτῷ, πάντα δὲ πράττειν ἐφιεὶς κατὰ τῶν ὑπηκόων αὐτοῖς οἷα τὸ ὁρᾷν ἐπιδιδοῦσιν αὐτῷ πρὸς διαφθοράν, etc. lege meo periculo, οἷα τὴν ὥραν ἐπιδιδοῦσιν, etc. Id eſt: *Barbaros enim pretio quaeſitos, obſides iuxta ſe habens, eisdemque in provinciales impune graſſandi licentiam tribuens, quippe qui florem aetatis ſibi polluendum darent.* Denique Zonaras, qui in Conſtantini filiorum hiſtoria ſolito diligentior fuit, haec de Conſtante narrat (XIII, 6.) eum ſupra modum venationi deditum fuiſſe: ac per ſpeciem venationis ſolitum ſe in ſilvas abdere una cum formoſis adoleſcentibus, quos undique conquiſitos cultosque elegantiſſime, in deliciis habebat. Eoque diutius in ſilvis morabatur, quo modeſtiorum hominum congreſſum effugeret. Vexabatur autem adlidue articulari

Digitized by Google

morbo, quem ex immoderatis libidinibus vitaeque intemperantia contraxerat. VALES.

6. *Asiaticis coalitum moribus, ideoque levem*] Asiam hic capio, quae scilicet Graeciae quamproximo conterminat: levitas enim Graecis tribuitur, luxuria vero Asianis. Iul. Firmic. Astron. lib. 1. cap. 1. *Cur quaedam gentes sunt sic formatae, ut propria sint morum quodammodo unitate perspicuae? Scythae soli immani feritatis crudelitate grassantur, Itali sunt regali semper nobilitate praefulgidi, Galli stolidi, leves Graeci, Afri subdoli, avari Syri, acuti Siculi, luxuriosi semper Asiani et voluptatibus occupati.* Vid. eumdem lib. 1. cap. 4. Cicero pro Muraena c. 5. *Etsi habet Asia suspicionem luxuriae quamdam, non Asiam nunquam vidisse, sed in Asia continenter vixisse laudandum est.* *Tertull. de Anima cap. 20. *Thebis hebetes et brutos nasci relatum est, Athenis sapiendi dicendique acutissimos, ubi penes Colytum pueri mense citius eloquuntur. procace lingua Comici Phrygas timidos illudunt; Sallustius vanos Mauros, et feroces Dalmatas pulsat; mendaces Cretas etiam Apostolus inurit.** LINDENBR.

In primis consistens] Legendum videtur, *inprimis constans.* Ait enim Marcellinus: *Semper sobrius et inprimis constans, ita fidem continentiamque virtutes coluit amplas, etc.* Itaque ut sobrius ad continentiam refertur; constans referri debet ad fidem. VALES. Modo non illo ipso sensu Ammianus dixerit consistentem, ex imitatione veteris Latinitatis, ubi nunc *mente*, nunc *animo consistere* apud optimos scriptores occurrit. Certe quum Henricus hanc tantum ut coniecturam proposuerit in notis primae editionis, non sustinens in contextu aliquid temere mutare, quippe retenta illic lectione veteri *consistens;* iuvenile hoc et anceps Parisiensium novellorum, qui Henricianum *constans* contra omnes scriptos adoptaverunt, nequaquam probaverim. GRON.

8. *Antiquitatem replicando*] Historicos priscos evolvens. W.

Aut feritate contentior] Ernest. exponit intentior, nec melius ego scio; est ergo proclivior ad crudelitatem. W.

Vel diligentibus nimium blandus.] Huius scripturae auctor est Gelenius. Nam in anterioribus Editionibus perinde ut in codice Regio ac Florentino legebatur, *vel ligendimus,* [in Colbert. *vel igendimus.*] Ego vero non dubito, quin locus sic legendus sit: *Vel clientibus nimium blandus, aut potentiae fastu superbior.* VALES. *Diligentibus,* amicis; praeplacet tamen, quod Valesius suadet, *clientibus.* W. Mihi in mentem venit *regentibus,* i. e. principibus, ut ap. Claudian. de IV. consul. Honor. 301. et de laud. Stilich. I, 168. ERF.

Ex omni latere] Omnibus partibus consideratum. W.

9. *Scrupulosus lector*] Qui ne minutissima quidem negligit. W.

Menophilum] Nondum invenire potui alium historicum, qui eadem narret. — *Hoc monitu,* me monente. W.

10. *Nomine Dripetinam*] Vulg. *Direptin.* sed Mss. lectionem quam sequimur, confirmat Val. Max. lib. 1. cap. 8. LINDENBR.

Drypetinam] Melius scriberetur meo quidem iudicio, *Drypetin.* Sic vocata est et Darii filia, quam Alexander Hephaestioni uxorem dedit, teste Diodoro Siculo et Arriano. VALES. Ea-

Digitized by Google

dem ambiguitas, quae ſedere putatur in altera Aſiatica foemina, quae vulgo Amaſtris dici ſolet, ſed quam Arrianus libro VII. c. 4. vocavit *Amaſtrinem*, ut notavit Freinshemius ad Curtium x, 3. 12, et ulterius procedens auctor verboſarum nuper diſſertationum de uſu et praeſtantia numiſmatum pag. 464. corruptum in Arriano cenſet nomen, Ἄμαστριν, non ut ibi legitur Ἀμαστρινὴν citans. Sed praeter omnes codices, qui conſentiunt in vulgatum, facile ea appellatio tueri locum ſuum poteſt, quum pro terminatione per *ις* appareat nonnullos amaviſſe *ινη*, ut Νηρηὶς, Νηρηΐνη, Αἰήτις, Αἰητιὰς, Αἰητίνη; utique et Eleuſin, et Eleuſine. Utique et Callimachus eam formam ſequi maluit, dum ab eo Hecate κατ' ἀντίφρασιν διὰ τὸ μὴ εὔκολος οὖσα fuit vocata εὐκολίνη, non εὐκολίς? Quidni ſic potuit mulier multis appellata Ἄμαστρις, ab Arriano, alterum ſequuto et certum tamen auctorem, Ἀμαστρινὴ nominari, praeſertim quum ea formatio illic obtinuerit, ut docet Barſine. GRON.

Drypetinam vexatam aſperitate morborum.] Huius Drypetinae meminit Val. Max. I, 8. extern. 13. „Laodice regina nata, „duplici ordine dentium deformi admodum, comes fugae patris „a Pompeio devicti fuit." W.

In caſtello Sinhorto.] Regius codex habet, *Synorio*, rectius. Scribit enim in lib. 12. Strabo Mithridatem 75 caſtella in minore Armenia extruxiſſe, in quibus gazam ſuam conderet: et ex his nobiliſſimum fuiſſe Synoria, quod quia in confinio maioris ac minoris Armeniae ſitum erat, Theophanes in hiſtoriis συνορίαν vocavit: τούτων δ' ἦν ἀξιολογώτατα ταῦτα, Ὕδαρα καὶ Βαργοιδάριζα καὶ Συνώρια ἐπιπεφυκὸς τοῖς ὁρίοις τῆς μεγάλης Ἀρμενίας χωρίον. διόπερ Θεοφάνης Συνορίαν παρωνόμασε. Hoc idem caſtellum Σινόρηγα Φρούριον appellare videtur Appianus in Mithridatico, ubi theſauros Regios conditos fuiſſe prodit. Apud Plutarchum in Pompeio ἰνώρα ſcribitur mendoſe. VALES.

Manlio Priſco Imperatoris legato.] In Regio Codice *et Vaticano* ſcriptum reperi *Mallio*; [*Manlio* in Colbertino;] *in Toloſano *Manilio.** VALES.

CAPVT VIII.

1. *Superato, ut dixi, Marcello, everſaque Serdica, unde oriebatur.*] Mſ. *everſoque Serdicani.* Proclive eſt veram lectionem invenire: dubio procul enim ſcripſit Ammian. *reverſoque Serdicam.* Marcellum enim hunc equitum Magiſtrum, ob id, quod Iuliano malis obſidionalibus periclitanti ſuppetias non tuliſſet, ſacramento ſolutum atque in larem abire iuſſum, Serdicam (quae genitalis illi patria) iam rediiſſe notat. LINDENBR. *Superato*, mendacii convicto et dimiſſo c. 7. W.

In caſtris] aula omnino, al. comitatu. *Nefanda perpetrabantur.* Cf. XXIX, 2. W.

2. *Super occentu ſoricis vel occurſu muſtelae*] Vid. Plin. lib. VIII. cap. 57. et quae ad Terent. notata. LINDENBR.

Similis ſigni gratia conſuluiſſet quemquam peritum.] Huc referendae ſunt leges 4. et 5. Cod. Th. de math. et maleficis,

Digitized by Google

latae Constantio IX. et Iuliano II. Coss. *Nemo*, inquit, *haruspicem consulat aut mathematicum, nemo hariolum, etc.* VALES.

Incantamentum ad leniendum adhibuisset dolorem] Incantationis huius exempla leguntur in libb. Rei Rusticae apud Catonem, cap. CLX. Varronem lib. I. cap. 2. Marcell. Empir. de Medic. cap. XV. Sed revera horrendum carmen est, quod ad podagrae dolorem recitat Alex. Trall. lib. XI. Ὁρκίζω σε τὸ ὄνομα τὸ μέγα Ἰαὼθ, Σαβαὼθ, ὁ Θεὸς ὁ στηρίξας τὴν γῆν, καὶ στήσας τὴν θάλασσαν ῥεόντων ποταμῶν πλεονάζων, ὁ ξηράνας τὴν τοῦ Λῶθ γυναῖκα, καὶ ποιήσας αὐτὴν ἁλατίνην, λάβε τὸ πνεῦμα τῆς μητρός σου γῆς, καὶ τὴν δύναμιν αὐτῆς, καὶ ξήρανον τὸ ῥεῦμα τῶν ποδῶν ἢ τῶν χειρῶν τοῦδε ἢ τῆσδε. Tale illud Marcelli Empirici cap. XXI. ad corci dolorem: *Cave corcu ne mergito cantorem, utos, utos, utos, praeparabo tibi vinum leve, libidinem; discede a nonita, in nomine Dei Iacob, in nomine Dei Sabaoth.* Id enim est, quod Origenes scribit contra Celsum: Εὑρίσκεται ἐν τοῖς μαγικοῖς συγγράμμασιν πολλαχοῦ ἡ τοιαύτη τοῦ θεοῦ ἐπίκλησις, καὶ παράληψις τοῦ Θεοῦ ὀνόματος, ὡς οἰκείου τοῖς ἀνδράσιν τούτοις, (Abraham, Isaac, Iacob) εἰς τὰ κατὰ τῶν δαιμόνων. Idem: πολλοὶ τῶν ἐπᾳδόντων δαίμονας χρῶνται ἐν τοῖς λόγοις αὐτῶν, τῷ Ο ΘΕΟΣ ΑΒΡΑΑΜ, etc. Cuius superstitionis etiam Nicephorus meminit in Synesii lib. de Insomniis. Propterea gravissima oratione reprehendit D. Chrysostomus Antiochenos, in quorum civitate haec talia passim perpetrabantur: *Christiana est mulier quae haec incantat, et nihil aliud quam DEI nomen loquitur. Quare eam magis odi, quod DEI nomine usa est: quod cum dicat se esse Christianam, ea quae sunt gentilium, ostentet.* Homil. XXI. p. 275. Edit. Graec. Certe ingentis impietatis est, eiusmodi anilibus τερθρείαις sacrosanctum Dei nomen violare. Ideoque ab antiquis Ecclesiae Patribus et Impp. Christianissimis atrocissimae poenae in talium facinorum reos constitutae sunt, can. LXI. Synod. VI. in Trull. Cod. Iustin. Tit. de mal. et mathem. LINDENBR. Cf. XXIX, 2, 3. et Scipion. Gentilem ad Apuleium 205. W.

Quod medicinae quoque admittit auctoritas.] Nam veteres medici, ut verbis utar Apuleii in Apologia, etiam carmina remedia vulnerum norant. W.

Poenaliter interibat.] Poenali morte mulctatus XIV, 9, 6. W.

3. *Per id tempus fertur fuisse virum quemdam.*] Agrestis et barbara locutio, mirum ni a Castello conficta esset. In Editione certe Rom. legebatur: *Per id tempus fer . . . . . quemdam nomine Danum uxor, etc.* Regius autem codex [et Colbertinus] ac Tolosanus scriptum sic habent, *fer . . . . . num quemdam, etc.* ut Editio Romana. VALES. Temerarium esset locum velle restituere. Fortasse tamen liceat coniicere, pro *fer . .* legendum esse *fere* vel *ferme*, deinde vero excidisse nomen vel dignitatis, vel nomen homini proprium. Posterius malim, et post *nomine* comma, pro *Danum* autem *Dacum* reponam, referamque ad hominis patriam propterea, quod raptae e Diocletiani sepulcro purpurae arguebatur. Id enim aptius a Daco, quam Dano fieri potuit. W.

Terrore tenus] ut terreret. W.

Digitized by Google

Reum non libet accuſare, indefenſum Ruſinus eluſerat.] Magna audacia hic graſſatus eſt P. Caſtellus. Cum enim in Editione Rom. ſcriptum eſſet: *Uxòr rerum levium incuſarat..... certum an incertum indenſotam Ruſinus ſubſeda;* ipſe omnia pro arbitrio invertens ſic edidit: *Rerum levium incuſarat: certum an incertum, reum non libet affirmare, indefenſum, etc.* Non igitur ſine cauſa aliquot voces ab eo perperam intruſas expunxi. Quod ſi quis fortaſſe coniecturam de hoc loco noſtram ſcire deſiderat, ſic fere a Marcellino ſcriptum putamus: *Uxor rerum levium incuſarat: quem incertum unde infenſo animo Ruſinus ſubſidebat.* VALES.

Gaudentium agentem in rebus.] Gloſſ. vett. *Agens in rebus*, Μαγιστριανός. Malch. in Eclog. Legationum p. 64. προπέμπει τῶν ἱππέων τῶν βασιλείων τινὰς, οὓς μαγιστριανοὺς καλοῦσι. Gloſſarium Nomic. Μαγιστριανὸς, μανδάτωρ. Metaphraſtes in Actis Porphyrii Martyris: Ἰλάριος τὶς σουβαδιουβᾶ τοῦ μαγιστριανοῦ. Mentio huius dignitatis in Conſtitutionibus Impp. Collatione Carthagin. Notitia Imperii, aliisque eius ſaeculi ſcriptis frequens. LINDENBR.

Retuliſſe in Praefectum Apparitionis.] Hic locus non uno mendo laborat, quem nos praeeuntibus MSS. codicibus ita legendum eſſe affirmamus: (*Quo indicante quaedam cognita per Gaudentium Agentem in rebus Conſularem Pann. tunc Africanum cum convivis retulimus interfectum:*) *Apparitionis Praefecturae Praetorianae tunc etiam Princeps ob devotionem.* Quae emendatio confirmatur ex ipſo Marcellino. Nam in lib. 15. ubi totam hanc hiſtoriam fuſius narrat, ſic ſcribit c. 3. §. 8. *E quorum numero Gaudentius Agens in rebus rem ut ſeriam detulerat ad Ruſinum Apparitionis Praefecturae Praet. tunc Principem.* Neque tamen eo in loco Africanus dicitur interfectus: quin potius ſignificare videtur, poſt diuturnam cuſtodiam tandem abſolutum eſſe cum reliquis conſciis. Nihilominus ſtat emendatio noſtra, quam ex veſtigiis ſcriptorum codicum odorati ſumus. Sic enim habent codices omnes: *Retuliſſent effectum Apparitionis, etc.* VALES.

Apparitionis Praefecturae Praet. tum etiam Princeps.] Notum eſt in omni Officio ſeu Apparitione aliquem primum fuiſſe, qui *Princeps Officii* dicebatur. Conſtantius in lib. 1. de vita S. Germani Autiſiodorenſis Epiſcopi. *Erat*, inquit, *eo tempore vir quidam bonis moribus, Ianuarius nomine. Qui cum Princeps Praeſidali militaret officio, exactos a provincialibus ſolidos ad Iudicem* (id eſt, ad Praeſidem) *deferebat.* De his Principibus intelligendus eſt Suidas, quum ait: Πρίγκιψ ὁ ἔξαρχος τῆς τάξεως παρὰ Ῥωμαίοις. Sic in militia etiam armata erant quidam Principes, qui et *principia legionis* dicebantur. Optatus in lib. 2. *Erat ibi filius ſine patre, tiro ſine Principe, diſcipulus ſine magiſtro.* Ergo etiam in Officio ſeu Apparitione Praefecti Praet. quidam erat Princeps, ut ex Notitia quoque Imperii conſtat: qui vir Devotiſſimus dicebatur, teſte Symmacho in lib. x. epiſt. 36. Hi ſtipendiorum ordine paullatim in eum locum promovebantur, et lucra atque emolumenta multo maiora capiebant quam ceteri: exactoque biennio ut plurimum decedebant, ac ſequentibus locum dabant. Quare ut novum in Rufino notat id Marcellinus, quod tamdiu Princeps eſſet, idque ob devotum ac dicatum Im-

peratori animum praemii loco conſecutum eſſe ſignificat, ut ſupra in lib. 15. c. 3. de Gaudentio. Porro Princeps Apparitionis Praef. Praet. erat e Schola Agentum in rebus, ut docet Calliodorus in lib. 6. Var. in formula Magiſteriae dignitatis, et in lib. xi. epiſt. 35. quae eſt delegatoria, data Principi Apparitionis Praef. Praetorianae. Sed et Principes officii omnium fere Magiſtratuum, ex eadem Schola Agentum in rebus ſumebantur, ut ex Notitia Imperii colligitur, et ex Codice Theod. tit. de Principibus Agentum in rebus. Specialiter tamen Princeps officii Praef. Praet. utpote omnium primus, Princeps Agentum in rebus dicebatur: qui quoniam ex alio officio, puta Magiſtri Officiorum, ad eum locum veniebat, ideo Caſſiodorus in lib. xi. ubi promotiones omnium Officialium facit, Principem ipſum omiſit. Neque enim audiendus eſt vir doctiſſimus (Salmaſius ad Gallienos cap. 17.), qui in Notis ad Hiſtoriam Aug. affirmat eum, quem Calliodorus ibi *Primiſcrinium* vocat, eſſe Principem. Atqui Calliodorus *Primiſcrinium* poſt Cornicularium ponit: Princeps vero Cornicularium anteibat, ut docet Notitia Imperii, et lex 4. et 5 Cod. Theod. de iis qui adminiſtrantibus Ex his patet, cur Gaudentius Agens in rebus ſermonem illum convivarum Africani retuliſſe dicitur ad Ruſinum Apparitionis Praet. Principem. Erant quippe ambo ex eadem Schola. Corippus in Panegyri ad Anaſtaſium Magiſtrum Officiorum, idem ſe officium geſſiſſe dicit v. 47

Summe Magiſtrorum, ſub cuius nomine geſto
Principis officium.

Erat ergo Corippus e Schola Agentum in rebus quae ſub diſpoſitione Magiſtri Officiorum fuit. Libanius initio Orat. ad Euſtathium de honoribus κορυφαῖον τῆς στρατιᾶς appellat Principem officii. *Baſilius in lib. 2. de Thecla cap. 14. Κάστωρ τὴν ἐπάρχοις ὑπηρετουμένην διέπων στρατιάν: et Geſta purgationis Caeciliani pag. 28.* Recte autem Aſconius in 3. Verr. notat haec nomina, Princeps, Commentarienſis, et Cornicularius, de legionaria militia ſumpta eſſe. VALES.

4. *Bis ut loquebantur iactantius.*] Exiſtimavi hunc locum ſic legendum eſſe minima mutatione: *Is, ut loquebatur iactantius, etc.* plano iam ſenſu, qui antea erat nullus! VALES.

Verſabilem] cereum ad vitia. W.

Velamen purpureum a Diocletiani ſepulcro.] Solebant priſci funera non ſolum κειρίαις involvere, verum toga quoque vel pallio amicire, et feretrum velamento obtegere. Apul. Flor. 1. 4. *Animadverteret - - togam quoque parari et voto, et funeri: item pallio cadavera operiri.* Ammian. lib. xxviii. c. 4. §. 8. *Fulgentes ſericis indumentis, ut ducendos ad mortem.* D. Hieronym. Epiſt. 116. part. 3. de Obitu Blaeſillae: *Ex more parantur exſequiae, et nobilium ordine praeeunte aureum feretro velamen obtenditur.* Idem in Vita Pauli: *Cur mortuos veſtros auratis obvolvitis veſtibus?* Prudent. Cathemer. 49.

Candore nitentia claro
Praetendere lintea mos eſt.

*Tertull. de Habitu mulier. cap. 1. cum de mulierum ſuperbo veſtitu egiſſet, hoc epiphonemate concludit: *Omnia iſta damnatae et mortuae mulieris impedimenta ſunt, quaſi ad pompam funeris conſtituta.** Huc pertinent quae Ulpian. ſcribit L. 14. §. 4. ff. de relig. et ſumtib. *Si quid in marmor vel veſtem col-*

Digitized by Google

locandam factum sit. Paulus I. C. L. 19. ff. de in rem verso. *Togam emit — dedicavit eam in funus.* L. fin. §. 2. ff. de aur. arg. Livius lib. 34. Iuvenal. Satyr. III. *Vide Forner. Quotid. lib. 3. c. 18.* Quae quidem vestes et velamenta una cum ipso cadavere sepeliebantur, vel ornamenti loco appendebantur: quod multis indicat Isidor. Peluſiota lib. 2. Epist. CLXVI. Unde apud Chirium Fortunat. Scius violati sepulcri accusatus, quod commendatam sibi chlamydem ab ephebo in monumentum maiorum eius posuisset, hac exceptione utitur, sepulcrum a se non tantum non esse violatum, verum ornatum quoque. De hisce velamentis praeclare D. Ambros. lib. de Nabuthe cap. 1. *Quis discernat species mortuorum? Redoperi terram, et, si potes, divitem deprehende. Eruderato paulo post tumulum, et, si cognoscis egentem, argue. Nisi forte hoc solum, quod cum divite plura pereunt. Sericae vestes, et auro intexta velamina, quibus divitis corpus ambitur, damna viventium, non subsidia defunctorum sunt.* Ex his ergo cognosci potest, quale fuerit velamen, quod a Diocletiani sepulcro abstulisse insimulatus fuit Danus, gemini criminis reus, religionis puta laesae, (L. 3. §. 7. ff. sepulcr. viol. Sopater in Aphthon.) et imminutae maiestatis: quippe qui purpuram pollidebat, quam privato nemini licitum erat habere. Vide quae notata ad lib. XV. cap. V. LINDENBR.

A Diocletiani sepulcro.] Quod erat haud procul Salonis in castro Aspalatho. (Spalatro. W.) Hieronymus in Chronico: *Diocletianus*, inquit, *haud procul a Salonis in villa sua Aspalatho moritur.* Unde fornices illos et cameras subterraneas eleganti opere structas Aspalathi, quas describit Constantinus Porphyrog. in cap. 29. de administrando Imperio, paene adducor ut credam sepulcrum ipsum fuisse Diocletiani. Huic uni post homines natos contigisse ait Eutropius, ut, cum privatus obiisset, inter Divos tamen referretur. Sane velamen purpureum in eius sepulcro positum, cuius hic meminit Marcellinus, consecrationis certissimum indicium est. VALES.

5. *Spe potiorum*] ut altius adscenderet. W.

Mavortius vir sublimis constantiae.] Is, ut opinor, est Mavortius Lollianus, cui Iulius Firmicus Astronomicorum libros dicavit: et in lib. 8. cap. 15. severitatis merito ordinarii Consulatus insignia consecutum esse dicit. (v. Tillemont T. IV. p. 539. W.) Consul fuit cum Arbaethione. Idem Praefectus Urbi fuerat Constantio III. et Constante II. Coss. Fuit autem Praefectus Praet. per Italiam eodem anno quo Consul, ut est in lege 25. Cod. Theod. de appellat. VALES. Conf. Corsinus de Praef. Urbis p. 200 — 202. W.

6. *Ad arbitrium temporum*] ex more illius temporis. — *In abrupto necessitatis*, summo periculo coacta. Conf. XVIII, 7. XXX, 1. W.

Legibus contemptis multa ultro citroque discussa.] Alia omnia habet codex Regius, *Tolosanus,* [et Colbertinus,] Editioque Romana, *legibus contemptis;* deinde post lacunam dimidiatae lineae sequitur, *ordo et iustitia.* In codice autem Regio, *Tolosano,* [et Colbertino] legitur, *ordes et iustitia*, et superscriptum est eadem manu, *concordes*, ex coniectura exscriptoris, ut patet. Ego vero sic fere a Marcellino scriptum esse divinabam:

Digitized by Google

Tandemque legibus contemplatis, velut ipſa dictante iuſtitia, ambos ſententia damnavere letali. Ut loquitur Marcellinus in lib. 22. cap. 6. et *libro 26. cap. 9.* VALES.

8. *Linteorum toralium par.*] Latini lectum a toro diſtinguunt: lectum enim proprie vocant opus illud e ligno, aliave nobiliori materia, cui torum imponebant. Ovidius in 8. Metam. 655.

— — — in medio torus eſt de mollibus ulvis,
Impoſitus lecto.

Ac viliorum quidem hominum tori e ſtramento erant, aut ulva paluſtri probe conciſa: cuiusmodi etiam in caſtris tori militum fuere, teſte Plinio in lib. 8. Nobiliorum vero ex tomento Lingonico, aut pluma. Eosdem toros ſtragulis ſternebant, deinde lodices ſuperponebant, ne ſtragula ſerica macularentur. Martialis in lib. 14. in Epigrammate, cui lemma *Lodices*, 148.

Nudo ſtragula ne toro paterent,
Iuncta nos tibi venimus ſorores.

Quod ergo in lectis cubitoriis erant lodices, idem in tricliniaribus videntur fuiſſe toralia: quae περίκλινα et περίκλιτρα vertuntur in veteribus Gloſſis. Haec toralia ex lino fuiſſe, praeter Marcellinum in hoc loco, docet Pollio in Claudio: ubi accubitalia Cypria duo memorat, id eſt, toralia e lino Cyprio. Eadem purpurea fuiſſe teſtatur ſcriptor noſter, et Martialis in lib. xi. 57.

Conſtringatque tuos purpura picta toros.

VALES. Cf. Caſaub. ad ſcriptt. Hiſt. Aug. T. i. p. 950. et 972. et Ferrarium de re veſtiaria L. iii. p. 215. Clavos iſtos ita apte concinnaverant menſae miniſtri, *ut ſibi viciſſim cohaererent:* ut duo clavi non niſi unus eſſe viderentur. W.

Menſamque operimentis paribus tectam.] Duobus ſcilicet clavis purpureis. Veterum enim mantelia purpura et cocco clavata erant, itemque auroclavata, et aurea in Principum uſum, ut docet Lampridius in Alex. Severo, Pollio in Gallieno. Mappae quoque clavatae erant. Unde Petronius laticlaviam Trimalcionis mappam deſcribit fimbriis hinc atque illinc pendentibus. Menſam igitur hoc in loco intelligimus mantelibus ſtratam lineis laticlaviis, perinde atque torus duobus toralibus lineis laticlaviis erat ſtratus. VALES.

Principalesque res] Hunc locum ſic legendum eſſe arbitror: *Intrinſecus ſtructuram omnem ut amictus adornaverat principales quaerens, patrimonium dives evertit:* et ita neceſſario ſenſus poſtulat. Nam cum malitioſus delator rapuiſſet e menſa duos illos purpurae clavos, progreſſus in publicum anteriorem chlamydis Imper. partem eſſe ſtrepebat. Totam itaque domum ſcrutari coepit, ut regale indumentum, quod in ea domo integrum latere affirmaverat, reperiret: et re ad iudicem, ut credere eſt, delata, infelicem domum pervertit. VALES. Commodum omnino haec ſenſum praebent. Fortaſſe tamen et alius erui poſſit, ſi *ſtructuram* non de *domo*, ſed de *chlamyde* ipſa accipias. Nempe clavos illos duplices veterator ille in eam formam, quam *anterior chlamydis* Imperatoriae pars habere ſolebat, complicatos primum *utraque manu* ſuſtulit, deinde vero *intrinſecus*, (quod opponi videtur anteriori parti) pectori admovit, in quo et reliquo corpore

clavorum lacinias *ut amictus principales ſtruxit atque adornavit*, hacque geſticulatione effecit, ut ſervati imperatorii indumenti ſuſpecta familia bonis omnibus exueretur. Sic omnia ſatis recte fluere videntur, nec tamen mihi ipſe ſatisfacio, qui vocis *quaerens* nullam rationem habuerim. W.

9. *Inferentes veſp. lumina pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu.*] Moris antiqui fuit exclamare ac plaudere, cum in convivium lumen afferretur. Varro in lib. 5. (p. 44. edit. Scalig.) de lingua Lat. citatus a Lindenbrogio, ait Graecos ad eiusmodi religionem, cum lumen adfertur, dicere ſolere, Φῶς ἀγαθόν. Sed et Themiſtius apud Stobaeum in Sermone 274. eius moris meminit: καὶ Φῶς ἐπεισενεχθὲν ἐξαίφνης συμποσίῳ θόρυβον καὶ κρότον ὑφ' ἡδονῆς ἐποίησεν. Atque eo referre ſoleo Virgilii verſus in 1. Aeneid. v. 723.

Poſtquam prima quies epulis menſaeque remotae,
Crateras magnos ſtatuunt, et vina coronant.
Fit ſtrepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incenſi.

In quibus verſibus eſt ὕστερον πρότερον. Lychnis enim accenſis tum demum conſecutus eſt clamor. Sequitur poſtea:

tum facta ſilentia tectis.

Ad quem locum ſic notat Servius: *Mos erat apud veteres, ut lumine incenſo ſilentium praeberetur, ut optativam ſibi laudem loquendo nullus averteret. Apud Romanos etiam cena edita ſublatisque menſis primis, ſilentium fieri ſolebat, quoad ea quae de cena libata fuerant, ad focum ferrentur, et in ignem darentur, ac puer Deos propitios nuntiaſſet; ut Diis honos haberetur: qui mos cum interceſſit inter cenandum, Graeci quoque θεῶν παρουσίαν dicunt.* Sed tamen non aſſentior Servio: neque enim explicat, quam ob cauſam repente in convivio ſtrepitus et clamor eſt excitatus. Planeque perſuaſum habeo, Virgilium ad eum quem dixi morem alludere. Hodie etiam in plerisque Galliae opidis, cum lumen infertur, *Benedictum ſit lumen*, exclamare mos eſt. VALES.

Vincamus . . . . . ſolenne.] Similis mos Graecorum, qui illato lumine ΦΩC ΑΓΑΘΟΝ clamare ſolebant. Varro de Ling. Lat. lib. v. LINDENBR. Adſcripſit idem exemplari, quod eſt Hamburgi. [Nihil deeſſe putat Loiſel. et τὸ *ſolemne* interpretatur id quod erat ſolemne, ſcilicet illato lumine dicere Vincamus. Druſius Obſerv. l. 15 c. 4. ſe in quodam libro reperiſſe ait, *pueros exclamaſſe audiſſet ex uſu* Νείκατα, *interpretatus delevit nobilem domum.* Vid. Lipſii Saturn. 1. 18 p. 73.] GRON.

Vincamus perun . . . . . ſollemne interpr.] In Mſſ. omnibus, Regio ſcilicet, Vatic. et Florentino [ac Colbertino,] itemque in Editione Auguſtana legitur hoc modo: *Vincamus perun . . . . . lemne . . . . . interpretatum atrociter, etc.* Lipſius in lib. 1. Saturn. cap. ult. emendat: *Vivamus, pereundum eſt.* Sane in conviviis acclamari ſolitum, *Vivas*, et *Vivamus*, docet Dio in Commodo LXXII, 18. Cum enim Commodus in amphitheatro fatigatus frigidam biberet, ait repente omnes illud in conviviis acclamari ſolitum, *Vivas*, ſuccłamaſſe: τοῦτο δὲ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι ζήσειας ἐξεβοήσαμεν. Idem teſtatur Nilus

in Epiſtola quadam.* VALES. Ego vero in eam opinionem incidi, ut legendum fortaſſe putarem: *VincamVS VESPerum.* Sed neque hoc commento quidquam proficitur ad difficultatem loci removendam. Nam nihil equidem video, quod perſonam Conſtantii, vel temporum *perverſitatem* tangere videatur, quodque Agens in rebus, cum *ſollemne* more ubique receptum eſſet, in malam partem interpretari potuerit. W.

10. *Se ferirl*] peti ſe, inſidias ſibi ſtrui, *ſperabat* metuebat, cf. ad XIV, 7. et infra c. 12. W.

Dionyſius Tyrannus.] Cicero Tuſculan. v. 20. Officior. II. cap. 3. Valer. Max. lib. IX. cap. 13. Diodor. Sicul. lib. XX. p. 767. LINDENBR.

Tonſtrices docuit filias] Mire dictum pro, filias docuit artem barbam radendi. W.

Alta foſſa.] Daviſ. ad Cicer. Tuſcul. V, 20. malit *lata,* quam vocem in eadem narratione et Cicero habet, et Valerius Maximus. W.

Axiculos] Trabes minores, ligna transverſaria, quibus maioſes continerentur. W.

11. *Buccinae malorum civilium*] Ad Ciceronis tubam belli civilis efformatae. W.

Damnatorum petita bona.] Petita ſcilicet a Principe. Vide titulum in Codice Theod. de petitis et ultro datis. VALES.

Adcorporarent] Hoc vero minime Ciceronianum. W.

Eſſetque materia per vicinitates eorum late graſſandi.] Duplex huius loci ſenſus afferri poteſt: primo ut dicatur, potentes in regia idcirco Conſtantium ad caedes et ſupplicia incitaſſe, ut ipſi caeſorum bona impetrarent, ſuppeteretque ipſis materia graſſandi in vicinos ſuos, quorum praedia ſuis adiungere cupiebant. Alter ſenſus eſſe poteſt huiusmodi, ut eſſet materia ſicariis ac latronibus, ſervisque quos divites illi in ergaſtulis habebant, per eorum latifundia graſſandi. VALES. Placet prior explicatio. W.

Proximorum fauces.] Ita Marcellinus vocare ſolet Imperatoris amicos et comites: quos Graeci τοὺς συνόντας, Dio, Eunapius et Zoſimus eleganti vocabulo παραδυναστεύοντας amant dicere: Macedones vero ἑταίρους, ut praeter ceteros docet Iſocrates in Philippo. Sic Tacitus Annal. 4, 26. Nervam *continuum Principis* et *proximum amicorum* vocat: et in lib. 13. c. 13. *Et proximi,* inquit, *amicorum mutuebant orabantque caveri inſidias mulieris:* et alibi ſaepe. [Q. Curtius in lib. X. c. 3. §. 12. etiam *proximos amicorum* vocat. Haec enim ibi ſunt verba Alexandri Magni ad Perſas milites: *Proximisque amicorum auctor fui, ex captivis generandi liberos.*] Sed diſtinctius Sulpicius Severus in lib. 2. Hiſt. ſacrae: *Quod ubi,* ait, *Danieli compertum, proximum Regis appellat.* et rurſus: *Qua tempeſtate Mardochaeus inter proximos Regis erat.* VALES.

Primus aperuit Conſtantinus.] Unde decem noviſſimis annis pupillus ob profuſiones immodicas nominatus eſt, teſte Victore Epit. 41, 16. Et Auctor de rebus bellicis poſt Imperii Notitiam: *Conſtantini temporibus,* ait, *profuſa largitio aurum, quod antea magni pretii habebatur, vilibus commerciis aſſignavit.* VALES. Cf. Gibbon P. IV. p. 158. et Reitemeier ad Zoſim. p. 559. Quod

Digitized by Google

primus omnium rapacitati amicorum indulſiſſe dicitur Conſtantinus, non ita ſtricte ſumendum eſt. W.

Auctores.] Reineſius adſcripſit *ductores*. W.

13. *Ruſinus Praefectus Praetorio*] Galliarum, de quo vide XIV, 10. 11. *Arbetio* ſupra c. 6. *Euſebius* XIV, 10. 11. XV, 3. Iulian. Ep. 17. μιαρὸν ἀνδρόγυνον appellat obſervante Reineſio. W.

Et Urſicinus equeſtris ordinis Praefectus.] Magnam iniuriam cum Urſicino, tum ipſi Marcellino fecit P. Caſtellus, qui Marcellinum finxerit haec de Urſicino dicentem, quem omnibus propemodum paginis tantopere laudat. Quid autem ſibi vult haec locutio, *Equeſtris ordinis Praefectus?* Ecquis vero ita locutus eſt ſcriptor Latinus, cum Magiſtrum equitum vellet dicere? Et ſi Marcellinus de Urſicino ſic ſenſit, cur eum Praepoſito Cubiculi poſtponebat, nec iungebat cum Arbaetione Magiſtro militum? Nam dignitates hic ordine ſuo ſingulas recenſet. In codice Regio, perinde ac in Florentino [et Colbertino] legitur ſic: *Praepoſitusque Cubiculi ..... lapſ..... anus Quaeſtor.* Deſideratur itaque Quaeſtoris ſacri palatii nomen, Lucillianus fortaſſe: neque enim eius Quaeſtoris nomen reperire usquam potui. VALES.

Anicius qui in regiam aemul. poſteritate.] Hanc ſcripturam fabricavit ſuo more Caſtellus, cum in Editione Rom. ſic eſſet excuſum: *Anicii quae ..... aemulationem poſteritas tendens, etc.* In Regio, [Colbertino] et Flor. codicibus hoc amplius: *Anicii quae..... vorum aemul. etc.* Unde non ſine ratione, ut arbitror, ſic locum emendavi: *Et in Urbe Anicii, quorum in avorum aemulationem poſteritas tendens ſatiari numquam potuit cum poſſeſſione multo maiore:* ſenſu facili et expedito. Anicianae domus invidendas opes perſtringit et Zoſimus in lib. 6. 7. μόνον δὲ τὸν τῶν λεγομένων Ἀνικίων οἶκον ἐλύπουν τὰ κοινῇ δεδογμένα λυσιτελεῖν· ἐπειδὴ μόνοι τὸν πάντων ὡς εἰπεῖν ἔχοντες πλοῦτον ἐπὶ ταῖς κοιναῖς ἐδυσχέραινον εὐπραγίαις. Id eſt: *Una Aniciorum domus moleſte ferebat ea quae e Rep. omnes iudicaverant. Nam cum ſoli omnium paene opes poſſiderent, felicitati publicae invidebant:* ut merito de ea familia Caſſiodorus in lib. X. Ep. XI. dixerit: *Anicios paene Principibus pares aetas priſca progenuit.* Erat autem haec domus Chriſtiana iam inde ab Anicio, de quo Prudentius contra Symmachum I, 553.

Fertur enim ante alios generoſus Anicius orbis
Illuſtraſſe caput.

Proinde non mirum, ſi et Marcellinus noſter et Zoſimus, homines Deorum cultui mancipati, Anicios infeſtius allatrent. VALES.

Anicii] Una ex nobiliſſimis per plura ſaecula Romanorum gentibus, quorum nomina in titulis ſaepiſſime occurrunt. Vide, ſi lubet, Corſinum de Praef. Urbis p. 182. 185. Gibbon. T. VII. p. 346. ſſ. W.

CAPVT IX.

1. *Repentini*] improviſi accedentes et ſubito avolantes. *Amittebant* praedam, dimittere coacti. *Proſpicere* oculis denotare, ſpeculari. W.

2. *Ut ante diximus*] XV, 13. W.

Fallendi perſtringendique] omnia perreptandi, perſcrutandi, XXI, 3, 5. Reineſ. praeſtringendi. W.

Meſopotamiae Duce] Comite. v. Ind. II. W.

3. *Tamen Saporem ducem parti noſtrae contiguum.*] Vitium in huius Ducis nomine latere, res ipſa clamat: neque Saporem eum vocatum, ſed Tamſaporem, planiſſime credo. idque ratio verborum et ſtructura convincit, quae aliter non conſtat. Legendum ergo, *propulſare gentes infeſtas Tamſaporem Ducem parti noſtrae contiguum.* Et mox poſt: *Paruit Tamſapor, hisque fretus,* etc. Lib. XVII, 5, 1. *Tamſaporis ſcripta ſuſcepit.* Lib. XVIII, 5, 3. *Occultis ſaepe colloquiis cum Tamſapore habitis, qui tractus omnes Ducis poteſtate tunc tuebatur.* Et poſt pauca (6, 16.) *At nuno ſe a Tamſapore et Nohodare Optimatibus miſſum.* Lib. XIX, 9, 5. *Per Tamſaporem Ducem ſupplicaverat Regi.* Sicque ſemper in Mſ. habetur. Et dictum videtur *Tamſapor*, ut *Tamchoſro*, quae itidem vox Perſica, apud *Euagrium Hiſtoriae Eccleſiaſt. lib. 5. cap. 20.* Theophylact. Simocat. lib. III. LINDENBR.

Tamen Saporem ducem.] Primus hunc locum corruperat P. Caſtellus, cum in Editione Rom. *Tamſaporem* legeretur recte, quemadmodum etiam in Mſ. Flor. legi teſtatus eſt Lindenbrogius. [et ita legitur in Colbertino.] Mariangelus Accurſius *Tanſaporem* ubique in Editione ſua excudi iuſſit: quod equidem praetulerim. Sic Tanchosdro Chosdrois Perſarum Regis ducem appellat Menander Protector in lib. 8. Hiſt. quamquam ibi et ταγχοσδρῶ et ταναχοσρῶ ſcribitur librariorum vitio. Nam Suidas, qui Menandri locum citat, ταγχοσδρῶ ſemper eum nominat in v. ταγχοσδρῶ et ἐμβριθῆ et δοκιμάσας. Evagrius tamen in lib. 5. ταμχοσδρῶ vocat: prorſus ut parum interſit, Tamſaporem an Tanſaporem ſcribas. Quid autem ea vox *Tan* ſignificet apud Perſas, Orientalium linguarum peritis indagandum relinquo. VALES.

Perduelles advolaret] i. e. advolaret ad perduelles, quem uſum exemplis confirmavit Daviſius ad Cicer. Tuſc. II, 9. W.

4. *Pacem poſtulat precariam.*] Sic primus edidit Gelenius. Nam anteriores Editiones omnes ſic praeferebant, *poſtulat pacem precantium.* In Regio exemplari ſcriptum eſt, *pacem poſtulat precatium*, et eadem manu ſupraſcriptum *precariam.* Sed non dubito, quin ſcripſerit Marcellinus, *pacem poſtulat precativam.* Sic enim loquitur Marcellinus cap. 5. libro XVII. (ubi, quid Perſarum rex reſponderit, legitur, *Chionitae* item occurrunt, pro *Euſenis* autem Geloni nominantur. W.) VALES.

Interſtitit] intercellit. XXII, 11, 3. W.

CAPVT X.

1. *Pro captu* ratione *temporum*, XXVIII, 3, 5. XXX, 10, 20. et ſaepius. W.

Conſtantius concluſo Iani templo.] Huius lectionis auctor eſt Gelenius. In Editione Rom. legebatur, *Conſtantius quam ecluſo* etc. unde P. Caſtellus, alter ſcilicet Oedipus, edidit: *Conſtantius*

Digitized by Google

quidem reclauſo Iani templo. At Mariang. Accurſius, qui eius ſcripturae ineptiam perſpiciebat, excudi iuſſit: *Conſtantius quidem clauſo Iani templo.* Regius tamen ac Florentinus codex ſcriptum habent, *quam recluſo Iani templo.* [Colbert. *quam recluſo iam templo.*] Proinde re attentius conſiderata legendum eſſe arbitror, *quaſi recluſo Iani templo, ſtratisque hoſtibus cunctis, etc.* vel potius, *tamquam recluſo, etc.* ut recludi hic ſumatur, non pro aperiri, ut vulgo ſolet, ſed pro denuo claudi: quo ſenſu recluſum uſurpat Iuſtinus libro 1. et Iuſtinianus §. pen. Inſt. de leg. agn. ſucceſſ. et Reclauſos quoddam Monachorum genus poſterior Latinitas dixit, quos Graeci ἐγκλείστους. Particula autem illa *quaſi* magnam ἔμφασιν habet, adeo ut absque ea ſenſus vacillet. Neque enim Marcellinus dicit Conſtantium de cunctis hoſtibus victoriam retuliſſe: immo contrarium affirmat. Subiicit enim: *Nec enim gentem ullam bella cientem per ſe ſuperavit, aut victam fortitudine ſuorum comperit ducum.* VALES.

Tamquam recluſo Iani templo.] Chriſtianos imperatores per aliquod tempus in claudendo et recludendo Iani templo priſcum morem ſecutos eſſe, ex hoc loco evincere voluerat Caſaubonus ad Sueton. Aug. c. 22. quem tamen falſum in eo fuiſſe recte contendit Tillemontius Hiſt. des Empereurs T. 1. p. 561. nam ex addita ab Ammiano vocula *tamquam*, uti reliquis, quae ſequuntur, omnibus, manifeſtum eſt, in ridiculum trahi Conſtantium, qui, quaſi vero aequiparandus eſſet Imperatoribus, quibus Ianum olim claudere contigiſſet, ne triumphum quidem iuſtum agere debebat, quum *poſt Magnentii exitium absque nomine ex ſanguine Romano*, hoſtem externum nominare non poſſet, de civibus ſolis *triumphaturus.* W.

2. *Per ſe*] Suis auſpiciis, ipſe praeſens. *aut fortitudine ducum*, quos inde ab Auguſto Imperatorium nomen honoremque triumphi Auguſtis concedere debuiſſe notum eſt. W.

Et pulcritudinem ſtipatorum.] Protectores et Scholares intelligit, de quibus ſupra notata ſunt multa. Hi erant plerumque iuvenes, pulcritudine, et robore, et ſtatura praeſtantes, elegantius culti pexique, aureis haſtis et clypeis inſignes: ut deſcribit Syneſius in Orat. de regno: καὶ γάρ πω τὸ τῶν δορυφόρων τοιοῦτον· ἀπὸ τῆς στρατιᾶς στρατιά τις ἐκκρίτος· νέοι πάντες, εὐμήκεις, τὴν κόμην ξανθοί τε καὶ περιττοί· ἀεὶ δὲ λιπαροὶ κεφαλὰς καὶ τὰ πρόσωπα· χρυσάσπιδες καὶ χρυσεολόγχαι· οἷς, ἄν ποτε ὀφθῶσι, τὸν βασιλέα σημαινόμεθα, καθάπερ οἶμαι ταῖς προανισχούσαις ἀκτῖσι τὸν ἥλιον. Et Procopius in Anecdotis, pag. 108. imbelles eos fuiſſe dicit, ut qui oſtentationis tantum ac pompae gratia in palatio militarent. Denique Agathias in lib. 5. εἰσὶ δὲ οἱ πολλοὶ ἀστικοί τε καὶ φαιδροείμονες, καὶ μόνον ἄγκου τοῦ βασιλείου ἕνεκα καὶ τῆς ἐν ταῖς πρόοδοις μεγαλαυχίας ἐξευρημένοι. VALES. Cf. Salmaſius ad Scriptt. H. A. T. 1. p. 941. ed. Hack. W.

3. *Lictoribus fuiſſe contentos.*] Imperatoribus Romanis lictores cum 12. faſcibus ſemper praeibant iam inde ab Auguſto, cui Senatus id primum decrevit anno V. C. 735. Sentio et Lucretio Coſſ. ut refert Dio 54, 10. Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum Aug. c. 3. *Trabeae*, inquit, *veſtrae triumphales; et faſces Conſulares, et ſellae curules, et illa obſequiorum ſtipatio et fulgor, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum.* Plura vide apud Lipſium in Notis ad lib. 13. Taciti. Inter Principes porro qui

Digitized by Google

lictoribus contenti fuerunt, Traianum numeraverim, de quo id ipsum testatur Dio in lib. 68. et Marcum, de cuius civilitate loquitur Eutropius, et idem Dio in lib. 71. Et Marcus ipse in lib. 1. (Sect. 17. p. 17. Wolle.) de vita sua hanc sententiam meo iudicio mirabilem, et Principibus inculcandam posuit: *δυνατὸν ἐστιν ἐν αὐλῇ βιοῦντα μήτε δορυφορήσεσι χρῆσθαι, μήτε ἐσθῆτων σημειωτῶν, μήτε λαμπάδων καὶ ἀνθρακίων τοιῶνδε τινῶν, καὶ τοῦ ὁμοίου κόμπου· ἀλλ' ἔξεστιν ἐγγυτάτω ἰδιώτου συστέλλειν ἑαυτόν.* Id est: *Imperator in palatio degens, et stipatoribus, et vestibus clavatis, et igna praeferri solito, et statuis illis, atque huiusmodi fastu facile potest carere: licetque ei quam proxime ad privati hominis modum semet coërcere.* VALES.

Alium anhelanter avido statu ventorum.] Emendavi ex coniectura non vana, ut opinor: *Anhelante rabido flatu ventorum:* absque ulla apicum mutatione. Et ita loquitur Marcellinus noster in lib. 26. c. 10. §. 19. *Ingentes aliae naves extrusae rabidis flatibus, etc.* Sic enim ibi praefert Regius codex [et Colbert.] VALES. Reinesius: anhelante rapido flatu, i. e. spirante. W.

Lenunculo se commisisse.] Iulium Caesarem intelligit. Plutarch. et Sueton. in eius Vita, (p. 726 et c. 58.) Flor. lib. IV. cap. 2. Dio lib. XLI. c. 46. Appian. bellor. civil. lib. 2. c. 57. LINDENBR.

Ad Deciorum exemplum.] Is fuit Claudius Imp. Quippe ut longo intervallo Deciorum morem renovaret, semetipsum pro Rep. bello Gothico devovit. Aur. Victor in Caesar. c. 34. LINDENBR.

Alium hostilia castra per semetipsum.] Galerium Maximianum Caesarem intelligit, qui in Armenia maiore cum Narseo pugnaturus Rege Persarum, speculatoris munus cum altero ac tertio equite suscepit, ut ait Eutropius in Breviario IX, 25. Legati enim habitu ad Narseum profectus, castra eius speculatus est, ac deinde conserto proelio ingentem victoriam retulit, quemadmodum scribit Synesius, in Oratione de regno: *καὶ γὰρ δὴ οὐδὲ εἰκὸς ἀνήκων τινα εἶναι βασιλέως ἑαυτὸν ἐπιδόντος εἴσω τῆς πολεμίας γενέσθαι, ἐν χρείᾳ κατασκοπῆς μιμησαμένου σχῆμα πρεσβείας.* Et Rufus Festus de eodem Galerio c. 25. *Ipse*, inquit, *Imperator cum duobus equitibus exploravit hostes, et cum XXV. millibus superveniens, subito innumera Persarum agmina aggressus, ad internecionem cecidit.* VALES.

Ut glorioſas suas res.] Postrema vox tam in Editione Romana quam in exemplari Regio [et Colbertino] deest, et a P. Castello primum est addita. Nec sine causa quis suspicetur a Marcellino scriptum fuisse: *Ut glorias suas posteritati celebri memoria commendarent.* Sic enim loqui solet passim. VALES.

4. *Ut igitur multa*] Sc. praeteream, quod, vel aliud eiusdem significationis verbum excidit. W. Mihi excidisse videtur *mittam*, praecedente *multa* absorptum. ERF.

In apparatu regio, pro meritis cuilibet munera reddita.] Haec temere inserit P. Castellus, cum in Editione Romana post verbum *apparatu* lacuna esset paullo minus quam dimidiatae lineae. Neque aliter praeferunt Mss. codices. Ad oram autem Regii codicis adnotata sunt eadem manu haec verba: *Hic ait Blon-*

Digitized by Google

Blondus deesse solium, ut in exemplari vetusto legisse dicit. *Idem in Tolosani codicis margine adscriptum inveni: *Hic deest unius foliі scriptura, ex his quae in exemplari vetusto legisse memini: et est pars multi facienda, a me in Italia apud Ocriculum posita.** Sed ego Blondo non credo: ac si quid sentio, deest tantum quo die Constantius Romam ingressus sit, puta IV. Kal. Maias, ut scribit Idatius in Fastis. VALES.

Secunda Orfiti Praefectura.] Constantio Aug. IX. et Iuliano Caesare II. Consulibus anno Domini 357. Primam quidem Praefecturam Urbanam gesserat Orfitus Constantio Aug. VI. et Constantio Caesare II. (A. C. 354. W. Consulibus, teste Marcellino in lib. 14. c. 6. Et in fragmento Fastorum, quod primus edidit Cuspinianus, sic legitur: *Constantio VI. et Constantio Gallo II. Coss. Neratius Cerealis Praef. Urbi fuit* VI. *Idus Decemb. Vitrasius Orfitus Praef. Urbi fuit. Constantio VI II. et Constantio Gallo III. Coss. Vitrasius Orfitus Praef. Urbi fuit.* Haec fuit unica Praefectura, tametsi duobus Consulibus acta. Nam VI. Idus Decemb. magistratum iniit Orfitus Consulatu Constantii VI. deinde anno sequenti gessit. Utramque Orfiti Praefecturam commemorat vetus haec Inscriptio: MEMMIO. VITRASIO. ORFITO. V. C. NOBILITATE. ACTIBUS. QUE. AD. EXEMPLUM. PRAECIPUE. PRAEFECTO. URBI. ET. ITERUM. PRAEFECTO. URBI. PROCONSULI. AFRICAE, etc. Meminit et Symmachus in lib. 1. Ep. 1. Et in lib. Epist. ult. 47. socerum suum fuisse testatur. *Unde et iunior Symmachus Memmii praenomen accepit. Nam Q. Fabianus Memmius Symmachus est dictus, perinde ut avus eius maternus, Memmius Orfitus.* VALES.

Secunda Orfiti Praefectura] Difficultatem movet haud levem eo, quod *Corsini* in egregio libro de Praefectis Urbis p. 213. ff. inpr. p. 220. ff. ex legibus non minus, quam Inscriptionibus demonstrat, Orfitum per annos 354 – 359. *petitu Senatus et populi Romani,* uti est in titulis, Praefecturam continuasse, et si qui alii nominentur Praefecti, uti *Flavius Leontius* A. 355. quem Ammianus ipse laudat XV, 7. A. 357. autem *Decimus Simonius Iulianus*, hoc ita intelligendum esse, ut Praefecturam Orfitus non per totum annum administraverit, sed sponte interruperit, Vicariumque adsciverit. (cf. Ind. II. v. Vicarius.) Ad Vicarium igitur Leontium A. 355. respexisse Ammianum, ideoque Orfiti *secundam* nominasse, quam A. 356. susceperit. W.

Ocriculo] eiusdem etiamnunc nominis urbe in terris, Pontifici Rom. subiectis. W.

5. *Senatus officia*, salutationem, *reverendas Patriciae stirpis effigies* in quibus dignitas et gravitas maiorum adhuc erat conspicua. W.

Cineas ille Pyrrhi legatus.] Iustin. Trog. lib. XVIII, 2. Flor. lib. 1. cap. XVIII. Plutarch. in Pyrrho: *βασιλέων πολλῶν συνέδριον.* LINDENBR.

Asylum mundi totius.] Glorioso et insolenti elogio Marcellinus videtur gratificari voluisse Patribus conscriptis, ex quorum numero eum fuisse credibile est. Aetate tamen Marcellini nihil minus erat Senatus Rom. quam asylum orbis terrarum. Ne quidem aevo Ciceronis id Senatui conveniisse testatur ipse Cicero in

lib. 2. c. 8. de Officiis, qui eam laudem Senatus intra Punicum bellum et Syllae tempora includit. *Regum*, inquit, *populorum, nationum portus erat ac refugium Senatus.* Idem in Orat. pro Sextio c. 65, *Senatum*, inquit, *Reipublicae cuſtodem, praeſidem, propugnatorem collocaverunt.* VALES.

6. *Aureo ſolus ipſe carpento.*] Incivilitatem et arrogantiam perſtringit Conſtantii, tum quod aureo curru, qui erat Imperatorum triumpho dicatus, tum quod ſolus nullo in conſeſſum vehiculi admiſſo Urbem ingreſſus ſit. Utrumque morem notatum habemus apud Philoſtratum in Dione Chryſoſtomo: Τραϊανὸς αὐτοκράτωρ ἀναθέμενος αὐτὸν ἐπὶ τῆς Ῥώμης εἰς τὴν χρυσῆν ἅμαξαν, ἐφ' ἧς οἱ βασιλεῖς τὰς ἐκ τῶν πολεμίων πομπὰς πομπεύουσιν, etc. *Traianus Imp. eum Romae ſecum impoſitum aureo carpento, in quo ſedentes Auguſti de hoſtibus triumphare ſolent.* Helagabalus tamen ſimili curru quotidie uſus eſſe dicitur ab Herodiano in fine libri 5. VALES. De aureo carpento vide Scheffer de re vehic. p. 25. et 204. W.

Alternumque poteſtatis greſſus multiplices.] Inter locos qui egregie reſtituti ſunt in hac Editione noſtra, hunc non poſtremo loco numeraverim. In Editione Rom. legebatur ſic: *Alterneumque poſt tante greſſus, etc.* In exemplari Regio, *greſſos.* In Florentino Mſ. *alternaeumque, etc.* Unde ne uno quidem apice mutato legendum eſſe conieci: *Quo micante lux quaedam miſceri videbatur alterna. Eumque poſt antegreſſos multiplices alios purpureis ſubteminibus texti circumdedere dracones.* *Atque ita plane codex Toloſanus.* Eleganter lux alterna miſceri dicitur, auri ſcilicet et gemmarum, quibus Conſtantii currus collucebat. Eodem ſenſu Nonnus in libro XL, 354. Dionyſ. de Baccho Tyrum ingreſſo dicit:

Καί οἱ ὀπιπεύοντι λιθογλώχινες ἀγυιαὶ
Μαρμαρυγὴν ἀνέφαινον ἀμοιβαίοιο μετάλλου.

Et Baſilius Seleucenus in libri 2. de Thecla capite 5. zonam deſcribens, auro lapillisque diſtinctam: ὡς πολύολβον εἶναι τὸ κάλλος, ἐκ πολλῶν τε καὶ ἀλλοχρόων ἀκτίνων συγκεραννύμενον. VALES.

7. Sequitur locus claſſicus de *draconibus*, militarium ſignorum genere, quae inde a Traiano in uſu eſſe coeperunt. — *Purpureis ſubteminibus* e purpureis pannis, non ſolidis tamen, ſed intus cavis. *Hiatu vaſto perflabiles.* Equidem intellexerim de rictu ampliori, ut ventos conciperet, qui totam corporis longitudinem penetrarent moverentque, quo ventorum motu ſibilus quaſi, qualem emittunt vivi dracones, *velut ira perciti ſibilantes*, auditus eſt. *Caudarumque volumina relinquentes in ventum*, ventis ludibrio dant. Commentarium in hunc Ammiani locum dedit Lipſius de militia Romana Lib. IV. p. 267. ſſ. ed. Antv. 1596. Nec poeniteat conferre *Nemeſianum* in Cynegetico v. 83. ſſ. quem, quoniam itidem de Auguſtorum in Urbem ingreſſu agitur, exſcripſi:

— — *videorque mihi iam cernere fratrum*
Auguſtos habitus, Romam, clarumque ſenatum,
Et fidos ad bella duces, et milite multo
Agmina, quis fortes animat devotio mentes.
Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant, ſinuatque truces levis aura dracones.

Digitized by Google

Purpureis ſubteminibus texti circumdedere dracones.] Ita lib. xv. c. 5. §. 16. *Cultu purpureo draconum.* Hoc ipſo libro c. 12. §. 39. *Purpureum ſignum draconis.* Themiſt. Orat. VI. χρυσοῦς ἀετὸς, καὶ δράκοντες λεπτῶν ὑφασμάτων. Erant enim ex ſerico purpureo in veri draconis formam effigiati, et ut Ammian. inquit, *velut ſerpentis pendentis exuviae.* De his optime Iohan. Chryſoſtom. in Orat. de futuro Dei iudicio, cuius locum operae pretium erit totum adſcribere, quia et alia de quibus hic agit Ammianus illuſtrat: Ὑπόγραψόν μοι τὰ περὶ τὸν βασιλέα, τὸν ἐπὶ τῆς γῆς, οἷον ἄνδρας χρυσοφοροῦντας, καὶ ζεῦγος λευκῶν ἡμιόνων χρυσῷ καλλωπιζομένων, καὶ ὄχημα χρυσοκόλλητον, καὶ πέπλα τούτῳ περισειόμενα, καὶ δράκοντας ἐν ἱματίοις σχηματιζομένους σηρικοῖς, καὶ ἀσπίδας χρυσοῦς ἐχούσας ὀφθαλμούς, καὶ ἵππους χρυσοφοροῦντας, καὶ χαλινοὺς χρυσοῦς. Vid. Suid. in vocibus Ἰνδοὶ, et Χιλιοστὴ, et Σημεῖα σκυθικά. Gregor. Nazianz. Epiſc. Orat. in Iulian. 1. p. 287. Δρακόντων φοβεροῖς χάσμασιν ἐμπετόμενα (συνθήματα) ἐπ' ἄκρων δοράτων αἰωρουμένοις, καὶ διὰ τῶν ὅλκων ῥιπιζόμενα φολίσιν ὑφανταῖς κατάστικτων, ἥδιστόν τε ὁμοῦ καὶ φρικτὸν θέαμα προσπίπτει ταῖς ὄψεσιν. Quae etiam lucem addunt mox ſequentibus: — — *hiatu vaſto perflatiles, et ideo velut ira perciti ſibilantes.* Claudian. in III. Conſul. Honorii 141.

Hi volucres tollunt aquilas, hi picta draconum
Colla levant, multumque tumet per nubila ſerpens,
Iratus ſtimulante noto, vivitque receptis
Flatibus, et vario mentitur ſibila tractu. LINDENBR.

8. *Coruſco lumine radians.*] Claudian. III. Paneg. Honorii 135.

— — — *Perſtringit aëna*
Lux oculos, nudique ſeges Mavortia ferri
Ingeminat ſplendore diem. LINDENBR.

Cataphracti equites.] De cataphractis eorumque armatura copioſe Heliodor. lib. IX. c. 14. Suid. in voce ἱππική. Vid. Briſſon. de Reg. Perſar. *Vide Notit. Imp. et Veget.* LINDENBR.

Clibanarios.] Gloſſar. Nomicum: Κλιβανάριοι, ὁλοσίδηροι. κλίβανα γὰρ οἱ Ῥωμαῖοι τὰ σιδηρᾶ καλύμματα καλοῦσι, ἀντὶ τοῦ καλαμῖνα. L. 9 C. de ann. civica. LINDENBR.

Quos clibanarios vocant Perſae] Hoc falſum: rem habuerunt, ſed ſuae linguae, quod tamen ignoramus, vocabulo. Vox eſt Romanae, vel potius Graecae originis a καλύβη, tegumentum. v. Salmaſium ad Scr. Hiſt. Aug. T. 1. p. 101ᵍ. Reinelius adſcripſerat: „Mſ. *perſonati.* Inde iuſſit Boxhorn. *Perſae nati.* Veriſſima lectio eſt *perſonatim*, i. e. ſinguli, ſingulae eorum perſonae.“ W.

* *Polita manu crederes ſimulacra, non viros.*] Ad Iuliani Imp. Orationem haec efficta videntur, cuius haec verba ſunt in Encomio πρὸς τὸν αὐτοκράτορα Κωνστάντιον, pag. 126. Ἀπείρων εἶχες ἱππέων πλῆθος, καθάπερ ἀνδριάντας ὀχουμένους. Idem Oratione 3. p. 298. ὥσπερ ἀνδριάντες ἐπὶ τῶν ἵππων φερόμενοι.* LINDENBR. *Non viros* homines viVos. W.

Apti corporis flexibus] adeo tenues, ut quemque motum corporis ſequerentur. Quae ſequuntur tautologiae propiora, hoc tamen habent commodi, ut faciliorem rem faciant intellectu. W.

9. *Auguſtus fauſtis vocibus appellatus.*] Claud. VI. conſ. Honorii 611.

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii praeſens ſpecies, quantamque rependit
Mateſtas alterna vicem: cum regia Circi
Connixum gradibus veneratur purpura vulgus,
Conſenſuque cavae ſublatus in aethera vallis
Plebis adoratae reboat fragor: undique totis
Intonat Auguſtum ſeptenis vocibus echo. LINDENBR.

Fauſtis vocibus appellatus] acclamatione plauſuque exceptus. Urbano et falſe, uti recte obſervat Heynius in Proluſ. de Ammiano p. CXXX. perſtringit noſter Conſtantium. W.

Vocum lituorumque intonante fragore.] In Editione Rom. legitur: *Appella . . . . . otium lictorumque intonante fragore.* Unde P. Caſtellus eam lectionem effinxerat: *Appellatus, vocum lictorumque, etc.* Secutus eſt Sig. Gelenius, qui cum ſcripturam illam improbaret, edi iuſſit: *Vocum lituorumque intonante fragore.* Sed nos veram, ut arbitror, lectionem deprehendimus: ſic enim legi debet: *Montium litorumque intonante fragore.* Saue in codice Regio, *Tololano,* [et Colbertino,] diſtincte ſcriptum, *litorumque.* Et Marcellinus noſter in lib. 17. c. 7. §. 3. Nicomediae cladem deſcribens, montium et litorum fragorem ſimiliter coniungit his verbis: *Pulſorum auditus eſt montium gemitus, et eliſi litoris fragor.* VALES.

10. *Curvabat,* ut cranio conſuleret. — *Velut collo munito,* vinculis adſtricto. *rectam aciem luminum tendens* torvo et irretorto vultu — *tamquam figmentum hominis,* ſtatua inanimis — *non cum rota concuteret nutans,* quum currus ad lapidem offenderet, rectus tamen ſedit et immotus. W.

11. *Citeriore vita.*] Ita ex Mſc. ut ſup. *Nullo citerioris vitae miniſtro praeſente.* Lib. XXV. c. 4. §. 3. *Citerioris vitae miniſtris.* Lib. XXVII. c. 10. §. 4. *Fraude citerioris vitae miniſtri.* LINDENBR. v. ad XIV, 1, 7. W.

Ut exiſtimari dabatur] ut credere fas erat. Sic opinari dabatur XIX, 2, 13. XXIV, 8, 6. XXVI, 1, 7. 10, 16. aeſtimari dabatur XXX, 5, 18. W.

Ut facere Principes conſuevere, et ſimilia.] Mſ. *Ut facere Principes conſecrati, et ſim.* Puto ſcripſiſſe Ammian. *Ut facere Principes conſuevere ſacrati, et ſim.* Sic apud Capitolin. in M. Antonin. Phil. *Sacratiſſime Imperator Diocletiane.* Et *Sacratiſſimi Imperatores,* L. 3. C. de Quadr. praeſcr. LINDENBR.

12. *Nec in trabea ſocium* collegam in Conſulatu *privatum adſcivit,* qui non eſſet ex familia Conſtantini; quod ita eſſe, faſtos Conſulares evolventi facile apparebit. W.

Principes conſecrati] Divi, in Deos relati, v. c. Severus, qui Dionem Caſſium prope ſe ſedere iuſſit. Scripturam *conſecrati* defendit Erneſt. allato Suetonii Calig. 35. ubi pariter occurrunt conſecrati principes. Idem conferri iubet Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 602. ed. Hack. W.

Elatus in arduum ſupercilium] ad Imperatoris dignitatem evectus, ut ſupercilia non ad hominem, ſed ad dignitatem referenda ſint. Nec aliter XXIX, 2. *ad ardua imperii ſupercilia.* W.

Digitized by Google

13. **Romam ingreſſus Imperii Virtutumque omnium larem.*] Sic Valentinianus, Theodoſius et Arcadius Impp. urbem Romam vocant *Virtutum omnium matrem*, in Collat. LL. Licinii Rufini, Tit. de ſtuprat. Et *Virtutum omnium latiſſimum templum*, Caſſiodorus Variar. lib. IV. Epiſt. VI. Ut Ammianus lib. XVII. c. 4. §. 13. *Romae, — — id eſt, in templo mundi totius.* Altercatio Hadriani et Epicteti p. 30. *Quid eſt Roma?* Ep. *Fons Imperii orbis terrarum, mater gentium, rei poſſeſſor, Romanor. contubernium, pacis aeternae conſecratio.** LINDENBR.

**Romam Imperii virtutumque omnium larem.*] Ex Herodiano II, 10. deſumptum videtur, apud quem Severus tum Legatus Pannoniae ſic milites alloquitur: τὴν Ῥώμην προκαταλαβόντες, ἔνθα ἡ Βασίλειός ἐστιν ἑστία. Eleganter Politianus vertit, *larem Imperii.* Multa porro ex Herodiano mutuari ſolet Marcellinus: ut quum ait in Oratione Conſtantii ad milites, *nec barritus ſonum perferant primum*, ſumptum eſt ex hac ipſa Oratione Severi apud Herodianum.* VALES.

Forum] κατ' ἐξοχήν dictum. Appellabatur etiam Romanum, vetus, magnum. VV.

Populumque pro tribunali.] In MSS. omnibus, et in Editione Rom. penultima vox deeſt, quam P. Caſtellus ſupplevit. Poterat tamen minore audacia locus ſic reſtitui: *Allocutus nobilitatem in Curia, populumque e tribunali.* VALES.

Nec ſuperbae, nec a libertate coalita deſciſcentis.] Hoc temperamento erga Principes ſe gerebat populus Rom. ut nec nimia inſolentia efferretur, nec ſe nimis ſerviliter et abiecte deprimeret: quod teſtatur et Nazarius in Panegyrico ad Conſtantinum c. 35. his verbis: *Populi vero Rom. vis illa et magnitudo venerabilis, ad imaginem antiquitatis relata, non licentia effrenis exſultat, non abiecta languide iacet: ſed ſic adſiduis divini Principis monitis temperata eſt, ut morigeram ſe non terrori eius praebeat, ſed benignitati.* Ipſi quinetiam Impp. collectam in Circo plebem viciſſim adorabant, cum interim et annonam et voluptates eidem ſubminiſtrare non deſiſterent. Legant hos verſus Claudiani Principes hodierni in 6. Conſulatu Honorii 611. et ſimul cogitent quota pars ſint Imperii Rom.

O quantum populo ſecreti numinis addit
Imperii praeſens genius, quantamque rependit
Maieſtas alterna vicem, cum regia Circi
Connexum gradibus veneratur purpura vulgus.

[Eutropius de Diocletiano A. X, 26. ita ſcribit: *In Imperio Rom. primus Regiae conſuetudinis formam magis quam Romanae libertatis invexit, adorarique ſe iuſſit, cum ante eum cuncti ſalutarentur: et ornamenta gemmarum veſtibus calciamentisque indidit. Nam prius Imperii inſigne in chlamyde purpurea tantum erat; reliqua communia.* Ex quo apparet populum Romanum in Diocletiano veſtem auream, gemmatosque calceos ferre non potuiſſe; ſed praecipue appellationem Domini, adorationemque inſolentem ac novam tolerare nequiviſſe: quibus omnibus ſe in ordinem cogi, ac libertatem ſuam impugnari videbat. Hoc declarant apertiſſime verba L. Caecilii Firmiani Lactantii, in capite XVII. libri de mortibus Perſecutorum, nuper a Cl. doctiſſimoque Baluſio editi, quae talia ſunt: *Diocletianus perrexit ſtatim*

Romam, ut illic Vicennalium diem celebraret, qui erat futurus a. d. XII. *Kal. Decemb. Quibus ſollemnibus celebratis, quum libertatem populi Rom. ferre non poterat, impatiens et aeger animi prorupit ex Urbe, impendentibus Kalendis Ianuariis, quibus illi nonus Conſulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romae potius quam Ravennae procederet Conſul, Sed profectus hieme, etc.* Nimirum populus Romanus adorationi Diocletiani, et appellationi Domini, ac oſculis pedum eius aſſuefieri non potuit, linguamque ſuam continere: qua populi libertate Diocletianus offenſus, poſt celebrata Vicennalia Romae, ſtatim ex Urbe diſceſſit, civibus iratus quaſi contumacibus: et nonum Conſulatum, quem poſt XIII. dies initurus erat, Ravennae quam Romae inire atque edere maluit, ut Romanos honore debito fruſtraretur.] VALES.

Reverenter modum ipſe quoque debitum ſervans.] Ipſe Conſtantius intra iuſtos fines principis, qui civilis haberi cupit, ſeſe continuit. W.

14. *Quidquid erat primum.*] Solebant olim antiquarii, quoties aliquod vocabulum terminaretur iis litteris quae ſequentis vocis initium facerent, compendii gratia eas litteras minime iterare: idque et in Pandectis Florentinis occurrit ſaepiſſime, et in Regio exemplari Marcellini noſtri non raro deprehendi. Exempli gratia: *Allocutus nobilitatem in Curia populumque tribunali*, pro *e tribunali*. Ita etiam in hoc loco quem prae manibus habemus, legendum eſt: *Quidquid viderat primum.* VALES.

Iovis Tarpeii delubra] Pars Capitolii pro toto Capitolio poſita. W.

[*Lavacra in modum provinciarum exſtructa.*] Ita quidem praefert Codex Colbertinus, codici Regio plerumque ſimillimus, adeo ut ex eo transſcriptus videri poſſit. Sed tamen vix crediderim Ammianum tam inſolenti hyperbole in Hiſtoria ſua uſum eſſe, ut ampla quantumlibet balnea publica urbis Romae maximis et latiſſimis provinciis Imperii Rom. compararit: cum balneas ſeu thermas amplius 800. Sextus Rufus in Urbe agnoſcat; quidam balnea 909. thermas 20. Itaque exiſtimo Ammianum ſcripſiſſe, *in modum piſcinarum.* VALES.

Lavacra] thermae. Eiusmodi thermae, aedificia nempe publica, Romae viginti erant numero, in quibus eminebant Neronianae, Antonini Pii, Diocletiani, Conſtantini M. quarum omnium etiamnunc rudera ſuperſunt. Vid. Tillemont IV. p. 92. W.

Amphitheatri molem] Intelligit Amphitheatrum a Veſpaſiano aedificari coeptum, a Tito perfectum, totum e lapidibus exſtructum. Hodie vulgo vocatur Coliſſeum, falſo: debebat eſſe Coloſſeum, vel quod ipſum ultra conſuetam aedificiorum altitudinem adſcendit, vel quod in vicinia coloſſalis ſtatua Neronis erecta erat. W.

Ad cuius ſummitatem aegre viſio humana conſcendit] Et hoc poetice magis, quam vere elatum. cf. Calpurnium Eclog. VII, 23. laudante Gibbono P. II. p. 342. Extra Romam Veronae etiam et Nemauſi etiamnunc conſpiciuntur, et melius quidem conſervata Amphitheatra, de quibus vide *Maffei Veronam illuſtratam*, vel, quod facilius haberi poteſt, *Hier. Mercurial. de arte gymnaſt.* ubi aere expreſſum eſt p. 190. et Titianum et Vero-

Digitized by Google

nenſe; *Gautier hiſt. de la ville de Nismes et de ſes antiquités*, Nism. 1724. 8. it. *Eclairciſſement des Antiquités de Nismes*, Tarascone 1746. 8. W.

Pantheum] in honorem duodecim, quos maiorum gentium Deos appellare ſolent, ab Agrippa, Auguſti genero, aedificatum. Hodie *Santa Maria Rotonda*. W.

Elatosque vertices ſcanſili ſuggeſtu.] Columnas intelligo cochlides, ſuper quas poſitae erant Principum ſtatuae. Harum columnarum meminit Victor in Deſcript. Urbis. Pollio in Claudii geſtis c. 3. *Illi totius orbis iudicio in Roſtris columna poſita eſt palmata ſtatua ſuperfixa.* Et Vopiſcus in Tacito c. 9. *Ubi*, inquit, *et in columnis Divo Aureliano ſtatuae conſtitutae ſunt.* Earumdem crebra fit mentio apud Marcellinum Comitem, Zonaram et Nicetam. Erant autem eae columnae intrinſecus excavatis gradibus perviae, ut docet Victor in Deſcript. urbis Romae, et Deſcriptio urbis Conſtantinop. Ex quo intelligitur, cur Marcellinus ſuggeſtum ſcanſilem dixerit. Latini has ſtatuas columnis impoſitas vocant Coloſſeas, ut Lampridius in Alexandro Severo, et Statius Silv. 1. init.

Quae ſuperimpoſito moles geminata Coloſſo,
Stat Latium complexa forum.

Graeci poſteriores στήλας, quod erant, ut dixi, columnis ſuperpoſitae. Malchus initio Hiſtoriarum: τὰς τε Ζήνωνος στήλας καταβάλλουσι πάσας. Suidas in βηρίνη, et in στήλη: tandemque ut pro omni ſtatuarum genere id vocabulum ſumeretur, obtinuit. Gloſſae veteres, *ſtatua*, ἀνδριὰς, στήλη. Gelenius edidit: *Elatosque vertice ſcanſili ſuggeſtus.* [Ego locum emendavi ex codice Colbertino, qui ſic praefert: *Elatosque vertices caſſili ſuggeſtu conſurgunt, priorum Princ. imit. port.*] Ceterum aliter hunc locum interpretatur Lipſius in lib. 3. de Magnitudine Rom. cap. 8. cui non aſſentior. VALES.

Urbis templum.] Quod in regione quarta collocat Victor. Mentio eius apud Sueton. lib. 11. cap. 52. Xiphilin. et Ael. Spartian. *et de quo multa Iuſtus Lipſius de Magnit. Rom. lib. 3. cap. 6.* De eo ſic Aurel. Prudent. contra Symmach. lib. 1, 219.

Delubrum Romae: colitur nam ſanguine et ipſa
More Deae, nomenque loci, ceu numen habetur:
Atque Urbis Veneriſque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur tura Deabus.

Inſcriptio vetus: D. M. T. AEL. MALCO LICTORI EQ. PRAETORIA COH. III. PR. QUI ET URB. TEM. ANTISTES SACERD. TEMP. MATRIS CASTROR. Alia Inſcriptio: SERVILIO MARCIANO ARVERNO C. SERVILI DOMITI FILIO SACERDOTI AD TEMPLUM ROMAE ET AUGUSTORUM TRES PROVINCIAE GALLIAE. LINDENBR.

Urbis templum forumque Pacis.] Hunc locum in Editione ſua corrupit Accurſius hoc modo: *Urbis forum templumque Pacis.* Atqui Marcellinus iam de foro Romano locutus eſt ſupra. Sed quia Accurſius de foro Pacis nihil legerat, ideo locum ſic emendandum putavit. Eius tamen meminit Marcellinus Comes in Chronico, Baſſo et Philippo Coſſ. et Magno in lib. de Notis. Fuitque in Regione 4. Urbis, eo in loco quo templum Pacis olim fuerat, teſte Procopio in lib. 4. de bello Gothico: ἔστι διὰ τῆς ἀγορᾶς, ἣν φόρον εἰρήνης καλοῦσι Ῥωμαῖοι· ἐνταῦθα γάρ πη

ὁ τῆς εἰρήνης νεὼς κεραυνόβλητος γενόμενος ἐκ παλαιοῦ κεῖται. Iam Urbis templum notiſſimum eſt, quod primus condidit Hadrianus anno V. 874. quando et Natalem urbis Romae celebravit, vocarique exinde ſanxit eum diem *Romana,* qui antea Parilia erat dictus: ut elicuiſſe videor ex Athenaei lib. 8. p. 361. F. τὰ παρίλια μὲν πάλαι καλούμενα νῦν δὲ Ῥωμαῖα τῇ τῆς πόλεως τύχῃ ναοῦ καθιδρυμένου ὑπὸ τοῦ βασιλέως Ἀδριανοῦ. Et ex nummo ipſius Hadriani, quem Goltzius et Scaliger in Notis ad Euſebium retulere, qui ſic habet: ANNO DCCCLXXIV. NAT. URBIS R. CIR. CON. S. C. id eſt: *Natali urbis Romae Circenſes conceſſi Senatusconſulto.* Actum id eſt Olymp. 225. anno 2. qui erat v. Imperatoris Hadriani. Hoc Urbis templum poſtea cum incendio conſumptum fuiſſet Maxentii Auguſti temporibus, a Maxentio reſtauratum, ſub Conſtantini M. titulo dedicatum eſt S. C. ſicut refert Aurelius Victor. *Zoſimus τὸ τῆς τύχης ἱερὸν dicit II, 13.* VALES.

Urbis templum] ad radices montis Palatini ſitum. Cui condendo occaſionem dederunt plures Graecae et Aſiaticae civitates, quae, ut adularentur, Romam ut Deam colere coeperunt, quorum exemplum deinde ſecutus eſt Hadrianus. De anno, quo exſtructum ſit, vide diſſentientem a Valeſio Tillemontium T. II. P. 3. p. 974. W.

Pompeii Theatrum] Primum fuit Romae lapideum, cf. Tacit. Annal. XIV, 20. ſummaque exſtructum magnificentia. In quo cum ambitioſius iuſſo populariusque feciſſe ſeverioribus Romanis videretur (ab ipſo Cicerone de Offic. II, 17. modeſte, poſt mortem tamen reprehenſus,) eo ſe purgari, cum dedicaret, voluit, ut diceret, Aedem Victoriae ſe deſtinaſſe, cuius gradus vice theatri eſſent. W.

Odeum] Odea Graecae originis aedificia erant publica, recitationibus poetarum et artis Muſicae exercitationibus deſtinata. Ammianus nonniſi unum habet; quamquam recentiores antiquarii plura fuiſſe ſtatuerint. A Domitiano exſtructum commemorat Sueton. c. 5 Eutrop. VII, 23. (15.) de quo vide accuratiſſime agentem *Martini von den Odeen der Alten* S. 141. 148. W.

Stadium.] Erat cancellis incluſum curriculum, in quo homines equive decurrerent. Hic ſine dubio id eſt, quod Domitianus exſtruxerat. vide Sueton. c. 4. et 5. W.

15. *Trajani forum*] v. Dio Caſſius 68, 16. Pauſanias IV, 12. Gellius XIII, 24. W.

Numinum adſenſione mirabilem] ipſis Diis admirandam. Ex quo, ut obiter moneam, patet, Ammianum Chriſtianum non fuiſſe. W.

Per giganteos contextus.] Sic Siracid. cap. 23. γιγαντώδη ψυχήν dixit. Vocat autem Ammian. *giganteos contextus*, quos alii *cyclopeos*. Lactant. ad illa Statii lib. 1. *arces Cyclopum: Quidquid magnitudine ſua nobile eſt, Cyclopum manu dicitur fabricatum.* Eodem lib. — — *Celſa Cyclopum tecta. Omnia magna conſtructa aedificia, cyclopea dixit antiquitas.* LINDENBR.

Nec relatu ineffabiles.] Alterutra negatio delenda, ut vel τὸ *nec* expungas, vel ſcribas *effabiles*, quod et vidit Erneſtius. Mihi poſterius magis arridet, ideoque τὸ *in* delevi. W.

16. *Regalis Hormisda, cuius e Perſide diſceſſum.*] Hic Saporis Perſarum Regis frater fuit, et quidem natu maior; qui, cum

Digitized by Google

forte in convivio ſupervenienti ſibi Optimates non aſſurrexiſſent, minatus eſt Marſyae eis ſupplicium ſe irrogaturum. Cuius vocis memores Optimates, mortuo Narſeo, Saporem in regnum ſubſtituerunt: a quo mox Hormisda in vincula coniectus, poſtea uxoris induſtria liberatus, ad Conſtantinum transfugit, *paullo antequam Licinius debellaretur:* ut refert Zoſimus in lib. 2. 27. (coll. III, 11. 13.) et Suidas in v. Μαρσύας. Sed Zonaras XIII, 5. aliquantisper diſſentit a ceteris. Vocem enim illam, et minas Adanarſi tribuere videtur, non Hormisdae: deinde eos Narſei filios facit, cum ceteri Hormisdae filios faciant, Narſei nepotes: ſic enim et Marcellinus noſter, in lib. 17. et Eutropius, et Agathias ſcribunt. *Cum Zonara plane conſentit Iohannes Antiochenus in Excerptis nondum editis περὶ Ἀρχαιολογίας.* VALES. Cf. tamen Tillemont T. IV. p. 311. ſſ. W.

Supra monſtravimus] In ſuperiori aliquo libro nunc deperdito. W.

Reſpondit geſtu gentili.] Placet magis codicis Regii, *et Toloſani* ſcriptura: *Reſpondit aſtu gentili.* Maxime cum in Editione Rom. et Mſ. Florentino [et Colbertino] legatur, *auguſtu gentili.* Sane aſtum Perſis ubique tribuit Marcellinus, et in hoc reſponſo ineſt aſtus non vulgaris. VALES.

Geſtu gentili] De corpore inclinato intelligendum, niſi praeferas *aſtu*, quod placuit etiam Reineſio. Quod ſequitur *ante*, Boxhornius in *Auguſte* mutatum volebat. — *Ita late ſuccedat* pedes proiiciat. W.

Id tantum ſibi placuiſſe aiebat.] Non omittenda eſt coniectura eius qui codicem Regium deſcripſit, hominis ſine dubio docti et ingenioſi. Is igitur ad oram libri adnotaverat, legendum videri *diſplicuiſſe:* quod certe σιωπείαν habet elegantem. VALES. Aſſentit Gibbonus T. IV. p. 296. W.

17. *De fama quer. ut invalida, vel maligna.*] In Editione Rom. legitur: *Imperatori fama querebatur, ut invalida, vel magna.* Neque aliter in Regio codice et Florentino [ac Colbert.] Primus hunc locum, ut hodie legitur, emendavit Accurſius. Nam in Baſilienſi Editione cui Gelenius praefuit, ſcriptum eſt, *vel magna.* VALES. Quum igitur ſic et editio vetus et boni Mſſ. habeant, unde ea hodierna auctoritas, ut legatur *de fama*, quum omnino pateat Ammianum ſcripſiſſe *Imperator in fama querebatur*, aeque ut Tullius ſcribit *reprehendi de aliquo*, modo *in aliquo.* GRON.

Erga.] De uſu huius vocis v. Wopkens. in Actis Traiect. Vol. 4. p. 370. et Erneſt. in Gloſſario. W.

In proximo Circo erigeret obeliſcum.] Legendum videtur, *in Maximo Circo*, ut ſuadet Marcellinus ipſe in lib. 17. c. 4. ubi de hoc eodem loquitur obeliſco. Neque enim dici poteſt, Circum Maximum proximum eſſe foro Traiani. VALES. Veriſſimam Valeſii emendationem in textu exhibui. W. De crebra voce. *proximus* et *maximus* permutatione cf. Oudendorp. ad Caeſar. B. G. III, 29. ERF.

Venenum bibere per fraudem illexit, ut quotiescumque concep.] Huiusmodi venena Graeci vocant ἀμβλωθρίδια φάρμακα. Ecloga Βασιλικῶν, Synod. Conſtantin. Photii Nomocan. Pollux et Suid. Ἀμβλωθρίδιον, τὸ φθόριον φάρμακον. Paulus I. C. L. 38.

Digitized by Google

§. 5. de poenis: *Abortionis poculum.* Quo quidem remedio multarum dedecora incognita latent. Iuvenal. Satyr. XI. D. Hieronym. ad Euſtoch. *Nonnullae cum ſe ſenſerint concepiſſe de ſcelere, abortus venena meditantur, et frequenter etiam ipſae commortuae trium criminum reae ad inferos perducuntur, homicidae ſui, Chriſti adulterae, necdum nati filii parricidae.* Quod malum ne fiat, ſeveriter Leges providerunt, L. 38. 39. ff. de poenis. L. 4. ff. de extraord. cogn. L. 8. ff. ad L. Cornel. de Sicar. Synod. VI. in Trullo can. 92. Burchard. in Decret. lib. XVIII. cap. 57. Poenitent. Rom. Tit. 1. cap. 32. ex Concil. Wormat. can. 30. Et bene Theodor. Priſcian. ad Victoriam lib. III. cap. 6. *Abortivum dare nulli umquam fas eſt. Ut enim Hippocratis teſtatur oratio, tam duri reatus conſcientia medicorum innocens officium non debet maculari.* *Rationem reddit Tertull. Apologet. cap. 9. *Homicidii feſtinatio eſt, prohibere naſci: nec refert, natam quis eripiat animam, an naſcentem diſturbet. Homo eſt, et qui futurus eſt, et fructus omnis iam in ſemine eſt.** Impium ergo Euſebiae Reginae facinus, quae in aliis quod Leges puniunt, cum prohibere poſſet, iuſſit. LINDENBR.

Partum.] De eiusmodi potibus abortum cientibus dubitat Gibbonus P. IV. p. 290. ſine cauſa, nec acceſſerim eidem viro praeſtantiſſimo, qui Euſebiae hanc notam immeritae inuſtam eſſe coniicit. W.

19. *Praefecto plus quam convenerat umbilico.*] Quae de umbilici praefectione huic loco accommoda dici poſſunt, docet Mochion *περὶ γυναικείων παθῶν*, cap. *ξε.* pag. 12. *ἡνίκα βραχὺ τὸ νήπιον ἡσυχάσῃ ἐν τῇ γῇ ἀπὸ τῆς γαστρὸς τεσσάρων δακτύλων μήκοθεν, σμίλῃ ἢ μαχαίρᾳ ὀξυτάτῃ τμητέον.* LINDENBR.

Ne — ſoboles appareret.] Spurios tamen liberos habuiſſe videtur, quod ex Iuliani Ep. 40. colligit Ritterus ad Guthrium T. V. Sect. 1. p. 81. W.

22. *Otio puriore*] minus turbato — *Suevos.* Alias apud Ammianum non occurrunt; maximam tamen partem cum Suevis noſtris et Francis conveniunt. *Quados,* ex variis Suevicis populis videntur confluxiſſe, qui partem Hungariae, Moraviae, Auſtriae inſederunt. v. Mannert Germaniam. T. III. p. 440. — *Valeriam* diſtrictum Pannoniae, a Valeria, Diocletiani filia, Galerii uxore, ſic dictam. vide XIX, 11. Mannert p. 614. — *ſuperiorem Moeſiam* (Serviam). W.

Pannonia ſecunda.] Optat. Milevit. lib. II. tres facit Pannonias, reliqui periegetici duas tantum. LINDENBR.

Secundam pop. Pannoniam.] Quae Pannonia inferior olim dicta, in qua eſt Sirmium, et Cibalis, et Murſa. Sicut Pannonia prima dicta eſt, quae ſuperior ante appellabatur: ut patet ex Imperii Notitia. Rufus Feſtus c. 7. *Amantinis,* inquit, *inter Savum et Dravum proſtratis regio Savienſis ac ſecundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt.* In Itinerario Burdigalenſi Pannonia inferior vocatur, quae ſuperior dici debet; et ſuperior, quae inferior dicenda eſt. VALES.

Secundam Pannoniam.] Pannonia comprehendebat particulam Auſtriae et Stiriae, totam Hungariam ad auſtralem Danubii partem ſitam, Croatiae magnam partem, omnem Sclavoniam et tractum Bosniae ad Savum. Mannert p. 613. Diviſio in Pannoniam primam et ſecundam inſtituta a Galerio. Idem p. 614. W.

Digitized by Google

Triceſimo poſtquam ingreſſus eſt die, IV. Kal. Iun.] Romam ergo ingreſſus erat IV. Kal. Maias, ſeipſo IX. et Iuliano iterum Coſſ. ubi et ſeptima quinquennalia edidit, ut ſcribi Idatius in Faſtis. Itaque ad haec ſeptima quinquennalia referri debet haec pompa, ludique Circenſes, quos Marcellinus a Conſtantio exhibitos eſſe dicit populo Rom. De hac ipſa celebritate exſtat Oratio Themiſtii XIII. qua docet eiusmodi dies per totum orbem Rom. feſtos fuiſſe, et ab Agentibus in rebus nuntiari per provincias ſolitos: Senatum autem Conſtantinop. legatos ad Principem mittere conſueviſſe, ei gratulaturos, ipſumque interdum Principem ad hanc feſtivitatem quosdam e Senatu nominatim evocaſſe. De hac etiam pompa loquitur Symmachus in lib. X. epiſt. 54. *Conſtantius per omnes vias aeternae Urbis laetum ſecutus Senatum, vidit placido ore delubra, legit inſcripta faſtigiis Deum nomina, percontatus eſt templorum origines, miratus eſt conditores.* Ex quibus colligi videtur Conſtantium, vel antea nondum, vel certe admodum puerum Romae fuiſſe. VALES.

Tridentum.] Hoc nomen apud antiquos ſcriptores, praeter unum Ammianum, non occurrit, ſaepius Sec. VI. ap. Paulum Diaconum, quo teſte ſedem ibi habuit dux Longobardicus. Mannert p. 717. W.

21. *Miſſo*] in Galliam. *in locum Marcelli* de quo vide c. 7. 8. et Gibbon. T. IV. p. 334. W.

Ille] Non ad remotiorem Severum pertinet, ſed *Urſicinum* ipſum, eſt igitur, ut ſaepe, pro *hic* poſitum. *Gratanter* (κεχαρισμένως) grato animo, laetus. *Muſonianus retulerat* c. 9. W.

CAPVT XI.

1. *Exacta apud Senonas*] c. 7. W.

Secuturus ut ductorem morigerum miles.] Amplector emendationem D. Petavii, viri de litteris optime meriti, qui ſic corrigit: *Ut ductorem morigerus miles.* Sic Marcellinus in lib. 27. c. 12. §. 14. *Capita,* inquit, *caeſorum ad Saporem, ut ei morigerus miſit.* Ceterum his verbis ſatis indicat Marcellinus, tunc primum Iuliano Caeſari a Conſtantio eſſe conceſſum, ut ſuo iure ageret, et exercitus pro imperio regeret. Namque antea ſub Marcello nihil niſi Caeſaris nomen atque inſignia circumtulerat. Hoc eſt, quod Iulianus ipſe ſignificat in Epiſt. ad Athenienſes (p. 278. Spanh.): ἐξ ὧν ὁ Κωνστάντιος νομίσας ὀλίγῳ μὲν ἐπιδώσειν, οὐκ εἰς τοσοῦτον δὲ μεταβολῆς ἥξειν τὰ τῶν Κελτῶν πράγματα, δίδωσί μοι τῶν στρατοπέδων ἡγεμονίαν ἧρος ἀρχῇ. Idque precibus Euſebiae Auguſtae exoratum Conſtantium Iuliano conceſſiſſe ſcribit Zoſimus in lib. 3. Eodem referenda ſunt haec Libanii verba in Orat. funebri p. 272. (Reisk. T. I. p. 538.) ταυτὶ μὲν καὶ ἔτι πλείω τούτων τὴν χώραν ἐπιὼν ἴσχυσεν, οὔπω τοῦ πᾶν ὁ διανοηθείη πράττειν εἰς ἐξουσίαν ἥκων· ὡς δὲ ἀπήλλακτο μὲν ὁ τοὺς πολεμίους δεδιὼς στρατηγὸς, εἰς δὲ τοὺς οἰκείους ὑβρίζων, ἦκε δὲ διάδοχος ἀνὴρ τά τε ἄλλα βέλτιστος καὶ πολέμων οὐκ ἄπειρος, καὶ τῶν κωλυμάτων τὰ πολλὰ ἐπέπαυτο, τότε τῷ βασιλεῖ καιρὸς ἐπιδείξεως ἀκριβοῦς παρῆν. Id eſt: *Haec et multo plura regionem peragrans effecit. Sed poſtquam remotus eſt Magiſter militum, vir timidus quidem adverſus hoſtem, erga Romanos vero inſolens, isque eius ſuc-*

Digitized by Google

ceſſor advenit, qui et alia vir bonus, et artis bellicae peritus erat, tunc Caeſari tempus adfuit oſtendendae virtutis. VALES.

2. *Parte altera*] Galliae. *Barbatio poſt Silvani interitum* XV, 5. W.

Cum XXV *millib. armatorum.*] In codice Regio legitur tantum XXII. Libanius tamen in Oratione funebri, (Reisk. T. I. p. 538.) ubi totam hanc hiſtoriam accurate deſcribit, XXX. millia militum cum Barbatione miſſa fuiſſe narrat: *ὡς γὰρ ἐδόκει τῷ πρεσβυτέρῳ δεῖν γενέσθαι διάβασιν ἐπὶ τοὺς βαρβάρους, τούτου δὲ ὁ νεώτερος ἦρα πάλαι καθάπερ ἵππος ὁρόμου, μικρὰν οὖσαν ὁ Κωνστάντιος ὁρῶν τὴν ἐκείνου δύναμιν καὶ τοῦ τολμήματος ἧττω, πέμπει τὴν αὐτοῦ διπλασίαν τρισμυρίους ὁπλίτας. Nam cum Conſtantio placuiſſet ſuſcipi expeditionem trans Rhenum adverſus barbaros, et Caeſar iampridem id optaret, ut equus curſum, Conſtantius, qui eius copias exiguas, et tantae rei impares ſciret, ſuas copias duplo maiores miſit,* XXX. *millia militum.* VALES.

3. **Saevientes ultra ſolitum Alamanni.*] Non poſſum aſſentiri Cluverio, qui de Alamannorum origine diſſerens in libri 5. capite 4. ait eos ipſos eſſe, quos Tacitus in libro de moribus Germanorum c. 29. ait, *Decumates agros trans Rhenum et Danubium exercuiſſe, leviſſimos et egentiſſimos quosque Gallorum.* His autem rationibus ad eam ſententiam adductus eſt Cluverius, primo quod Alamannos non eſſe Germanicae originis traditum ſit. Sic enim Vopiſcus in Probo c. 12. *Germani et Alamanni*, inquit, *longe a Rheni ſummoti litoribus.* Stephano quoque, quem Euſtathius in Dionyſium Periegeten ſecutus eſt, dicuntur *Ἀλαμαννοὶ ἔθνος Γερμανοῖς πρόσχωρον*, Alamanni gens Germanis confinis. Secundo Aſinius Quadratus, teſte Agathia in libro I. eorum meminit: additque *ξυνήλυδας* eſſe *καὶ μιγάδας*, id eſt, convenas ac ex variis populis in unum coeuntibus miſtos. Hic autem Aſinius vixit ante Strabonem: quippe ab eo laudatur in libro IV. Idem de hoc Aſinio Quadrato dixerat Cluverius in prooemio libri I. Sed in hoc magnopere fallitur. Quippe Aſinius Quadratus, is quem laudat Agathias, ſub Caracalla et Alexandro Severo Imperatoribus vixit, et ad Alexandri Severi tempora Hiſtoriam ſuam perduxit, ut ait Suidas: laudaturque a Stephano, a Zoſimo in libro V. c. 27. aliisque. Aſinius vero, is cuius meminit Strabo, eſt Aſinius Pollio, vir triumphalis, *haud poſtrema pars Romani ſtili*, ut de eo ſcribit Valerius Maximus. Quaedam de Cicerone ex eius Hiſtoriis profert in Controverſiis Seneca. Proinde ruit Cluverii ſententia, qui ante Strabonis aetatem Alamannorum nomen cognitum fuiſſe aſſerit. Stephani autem et Euſtathii loci nihil probant. Nam *Germani* ibi proprie ſumuntur, et Franci intelligendi ſunt, qui proprie *Germani* vocabantur.* VALES.

Forcipis ſpecie.] Forceps vocabulum eſt rei militaris: et forcipe proeliari veteres dicebant, quoties exercitu duas in partes diviſo hoſtes coartati, et compreſſi quaſi forcipibus caederentur. Cato de re militari: *Sive forte*, inquit, *opus ſit globo, aut forcipe, aut turribus, aut ſerra uti, adoriare.* Quae verba leguntur apud Feſtum in *Serra proeliari.* Meminit etiam Agellius in lib. X. cap. 9. Quo autem modo inſtruenda ſit acies, ut forcipem facias, docet Vegetius in lib. 3. cap. 17. his verbis: *Si cuneus ſit agendus aut forfex, ſuperfluos habere debes poſt aciem, de*

Digitized by Google

quibus cuneum, aut forficem facias. VALES. Sed tamen differunt *forceps* et *forfex.* GRON.

4. *Laeti barbari.*] Aliter in animum meum inducere non possum, quin *Laeti* nomen hic proprium sit barbarorum: alioquin inutile et ineptum sit, si pro adiectivo vocabulo sumatur. Sane Laetos quosdam barbaros ita dictos reperio in Notitia Imperii Romani. Eorum meminit Zosimus in lib. 2. c. 54. (ubi vid. Reitemeier. W.) Μαγνέντιος ἕλκων μὲν γένος ἀπὸ βαρβάρων, μετοικήσας δὲ εἰς λετοὺς ἔθνος γαλατικόν. Et Auctor Panegyrici dicti Constantio Caesari (v. Gronov. Praef. p. xxx.) c. 21. *Sicut pridem tuo, Diocletiane Aug. iussu implevit deserta Thraciae translatis incolis Asia; sicut postea tuo, Maximiane Aug. Nerviorum et Trevirorum arva iacentia Laetus postliminio restitutus, et receptus in leges Francus excoluit, etc* Ubi vulgo *Laetus* adiective legitur, eodem errore, quo hic apud Marcellinum nostrum. Atqui de Francis dici non potest, eos fuisse postliminio restitutos in Gallia: quod de Laetis optime intelligitur, qui ab origine Galli erant, teste Zosimo. Hi igitur a Maximiano Herculio in Gallias reducti, Nerviorum arva colenda acceperunt. Unde in Notitia Imperii Rom. Laeti Nervii appellantur, quia scilicet ex illorum posteris erant oriundi. Corruptum est Laetorum nomen in lege 12. Cod. Th. de veteranis. VALES.

Laeti et ipsi Alamanni, in Germania tamen tum sedes non habentes, sed in Gallia. A Romanis enim in fidem recepti, ad militiam adhibiti et *Laeti* cognominati sunt ob laetitiam animique promtitudinem, qua proelia inire solerent. Eiusmodi legionum cognomina plura afferri possunt, v. c. *Petulantium* xx, 4. cet. v. Mannert Germania p. 297. Interdum tamen ad *tempestiva furta sollertes* ipsorum Romanorum urbes infestarunt, et tunc temporis *invasere Lugdunum incautam.* Sed *repercussi*, repulsi, cf. xv, 4, 9. W.

Nisu avido concremassent.] Sic primus edidit Castellus, cum in Editione Rom. legeretur, *visu ..... concremassent.* Codices Regius, *Tolos.* [et Colbertinus] praeferunt, *visu .. a concremassent*, ex coniectura exscriptoris, ut apparet. Ego, *nisu valido*, legere malui. Sic enim loquitur Marcellinus in libro 14. c. 2. §. 6. VALES. Propius tamen ad Codices Gronovius Praef. p. xxvii. *vi summa.* W.

5. *Nec quod destinaverat, irritum fuit.*] Huius quoque scripturae auctor est Castellus. Nam in Editione Rom. excusum erat, *nec ..... inritus fuit.* Mariangelus Accursius edi iussit, *nec conatus destinanti irritus fuit*, ex vestigiis scriptae lectionis, ut opinari licet. In Mf. enim Florentino legitur eodem fere modo, *nec o.... inanti irritus fuit.* Codex Regius *et Tolosanus* ita scriptum habet, ut edidimus. VALES.

6. *Innoxii absoluti sunt*] sine clade discesserunt. — *Labi* elabi, xviii, 6, 16. W.

7. *Gloriarum*] rerum gloriose gestarum. Amat hunc Pluralem Ammianus, in quo praeeuntem habuit Tacitum Annal. iii, 45. W.

8. *Et incommeabiles.*] Lacunam Editionis Rom. ita supplevit P. Castellus. Qui si scriptos codices consuluisset, veram utique reperisset huius loci scripturam. In Mf. Florentino et Valentino

Digitized by Google

[et Colbertino] legitur, *concaedibus*, neque aliter habet Editio Auguſtana. In codice Regio ſcriptum inveni, *concaeſis:* tamen eadem manu, *concaedibus*, ſuprafcribitur. Certe Paulus Diaconus in lib. 3. Hiſt. Longob. cap. 4. concilas vocat: *Factis etiam conciſis per devia ſilvarum, irruit ſuper eos.* Quae ex Gregorii Turonenſis lib. 4. cap. 36. ſunt deſumpta, et paullulum immutata: ſic enim Gregorius dicit: *Factisque concidibus per divortia ſilvarum, irruit ſuper eos.* Utitur eadem voce Ambroſius in Orat. de exceſſu fratris ſui Satyri. *Quam doleres*, inquit, *in Alpium vallo ſummam noſtrae ſalutis conſiſtere, lignorumque concaedibus conſtrui murum pudoris?* Polybius II, 65. δένδρων ἐκκοπὰς dicit; Agellius in lib. 19. cap. 12. *lignorum caedem.* In lib. 3. Vegetii cap. 22. corruptum eſſe videtur id nomen, ubi legitur: *Poſt ſe praeciſis arboribus vias claudunt, quas compedes vocant.* lege *concaedes.* VALES.

* *Occupatis inſulis ſparſis.*] Hae inſulae ſunt circa Baſiliam, ut ait Cluverius in lib. 2. de Germ. cap. 12.* VALES. Cf. XVI, 12. XVII, 10. W.

Per flumen Rhenum.] Rhenum adiective, uti monent Grammatici ad Horat. A. P. 18. — Intelligenda eſt inprimis ea inſula, ubi ſita eſt Abbatia Rhenavienſis. Cf. omnino Franc. Lud. Halleri Geſch. der Helvetier p. 262. ſq. W.

Ululantes lugubre] Graeco more Neutrum Adi. pro adverbio poſitum. Sic et *ferum ululare* XIX, 11. XXXI, 12. cf. *dulce ridentem Lalagen* Horat. Od. 1, 22. W.

Ne quid per eum impetraretur] ut per omnia adverſaretur Iuliano. W.

9. *In modum alveorum*] arborum excavatarum, ad navigandum. cf. XXXI, 4. ubi navibus ratibusque et cavatis arborum alveis (Canots). W.

Nando ad inſulam venere prop.] Idem narrat Libanius in Orat. funebri de laudibus Iuliani (Reisk. T. 1. p. 537.) οἱ δ' εἰς τὰς νήσους, ἃς ὁ ῥῆνος ποιεῖ, τῶν βαρβάρων καταφεύγοντες, ἦρα τοῖς νέουσί τε καὶ πλέουσι τῶν ἡμετέρων ἦσαν· καὶ τοῖς ἐκείνων βοσκήμασιν αἱ πόλεις ἐστιῶντο. *Barbari vero, qui ad inſulas quas Rhenus facit confugerant, partim nantibus, partim navigantibus noſtris praeda erant, eorumque pecoribus urbes vepulabantur.* VALES.

Virile et muliebre ſecus.] Retro Editiones, *virilis et muliebris ſexus:* quae lectio ferri poſſet, niſi ex ſaeculi more, altera verior. Sic iterum lib. XIX. in Mſ. *Praedas hominum virilo et muliebre ſecus agebant.* *Plaut. Rudent. 1, 2, 19. *Virile ſexus nunquam ullum habui.** Salluſt. apud Nonium Marcel. et Soſip. Chariſ. *Virile et muliebre ſecus per vias et tecta omnium viſebantur.* Auſonius in Technopaegnio v. 26. (p. 363. ed. Floridi) *Nota Caledoniis maribus muliebre ſecus, ſtrix.* Et in Gripho Idyll. XI. v. 8. (ibid. p. 338.)

Veſta, Ceres, et Iuno, ſecus muliebre, ſorores. LINDENBR.

Virile et muliebre ſecus.] In Romana Editione legitur, *ſecum:* atque in exemplari Regio prius ſcriptum fuerat. Caſtellus et Accurſius *virile et muliebre ſexus* edidere. Quod ferri poteſt. Nam Plautus in Rudente *hoc ſexus* protulit, ut notat Priſcianus

Digitized by Google

in lib. 5. Ianus Parrhaſius in Epiſtola ad Iac. Varronem Cremonenſem, p. 130. hunc Marcellini noſtri locum adducens, legit, *virile et muliebre ſecus;* [ut legitur in codice Colbertino.] VALES. Pro vero igitur amplectamur, quod offerunt veteres et boni Mſſ. Nam quod Priſcianus ex Plauto notat, hodieque in multis ſcriptis exemplaribus occurrit, ſed repudiatum ab melioribus, et ſpernunt quoque docti viri. Ammianus autem quum ſaepe uſurpet hunc loquendi modum, tum nunc ad normam priſcae Latinitatis ſe componit, quam animadvertit pater ad Livium XXVI. 47. GRON.

11. *Tres-Tabernae.*] Fuere hoc nomine plura inſignita loca. Meminit enim Trium Tabernarum S. Lucas in Actis Apoſtol. cap. 28. ἄχρις Ἀππίου φόρου καὶ τριῶν ταβερνῶν. Zoſim. lib. 2. c. 10. τρία καπηλεῖα. Quo nomine locus Epiſcopatu celebris: unde apud Optat. Mil. lib. 1. laudatur *Felix Epiſc. a Tribus-Tabernis.* In Victore de Regionibus Urbis *Septem-Tabernarum* mentio fit. In provinciarum Itinerario Antonini Imp. p. 8. ed. Weſſeling. — — *Ab exploratione quae Ad Mercurii dicitur, Tingin usque* — — *Tabernas, Zilin, ad Mercurii.* Idem p. 240. *De Pannoniis in Gallias ad Treveros Montebriſiaco, Argentorato, Tabernis:* quae ſane Tabernae illae ipſae ſunt, de quibus hic agit Ammian. In eodem Itinerario p. 355. *A Mediolano per Alpes Penninas Mogontiacum* — — *Argentoratum, Saliſſon, Tabernae.* Veterisque appellationis etiamnunc reſtant veſtigia: *Saliſſo, Seltz* vocatur, *Tabernae, Zabern:* ſed quare Tres-Tabernae vocentur, non liquet. LINDENBR.

Tres-tabernas, munimentum.] Tabernas intelligit quae ſunt in Elſatia prope Argentoratum et Saliſonem, ut Scaliger notavit in lib. 1. Auſonianarum lectionum, et Lindenbrogius ad hunc locum: non vero Tabernas Rhenanas, quae ad Rhenum ſunt in Nemetibus, ut perperam cenſet Cluverius in lib. 2. Germaniae antiquae, cap. 12. quem docte refellit D. Petavius in Notis ad Iuliani Epiſtolas. VALES.

Tres-tabernas (Rhein-Zabern) v. Petavium ad Iuliani Opera p. 100. Weſſeling ad Itineraria p. 107. W.

Ex barbaricis meſſibus.] Quod praedicat etiam Libanius in illa Oratione funebri (Reiſk. 1. p. 539.) his verbis: *ὁ βασιλεὺς δὲ ἐνεπίμπλη πυρῶν καὶ φρούρια καὶ πόλεις ἀπὸ τῶν ἐκείνοις εἰργασμένων λημῶν, ταῖς τῶν στρατιωτῶν χερσὶν ὅπως οἷόν τε ἦν ἐπὶ τοῦτο χρώμενος· καὶ τὰ κείμενα ἀνίστη*, etc. *Caeſar vero caſtra et urbes frumento ex barbaricis meſſibus rapto muniebat: quam ad rem militum opera quantum fieri poterat utebatur.* VALES.

12. *Viginti dierum alimenta.*] Ex veteris militiae diſciplina, miles pro rerum uſu, proque locorum neceſſitate in certos dies cibaria parata habere cogebatur, et ipſe ferre. Livius lib. LVII. militem XXX. dierum frumentum ferre iuſſum a Scipione narrat. Ammianus hic et lib. XVII. annonam XX. (vel ut poſtea XVII.) dierum humeris portaſſe notat. Ut et Lamprid. in Alexand. Cicero in Tuſcul. plus dimidiati menſis. Ioſeph. tridui viaticum, lib. III. cap. V. *φέρουσι οἱ μὲν περὶ τὸν στρατηγὸν ἐπίλεκτοι πεζοὶ λύγχην καὶ ἀσπίδα· ἡ δὲ λοιπὴ φάλαγξ ξυστόν τε καὶ θυρεὸν ἐπιμήκη, πρὸς οἷς πρίονα καὶ κόφινον, ἄμην τε καὶ πέλεκυν. πρὸς δὲ ἱμάντα καὶ δρέπανον καὶ ἅλυσιν, ἡμερῶν τε τριῶν ἐφόδιον.* Etiam Alex. Magn. tridui alimenta portare militem iuſſerat, leviter armatum, Curt.

lib. 5. Sic ἐν τῷ κινεῖν πρὸς παράταξιν panis aliquot et carnis libras in fellopungiis quisque portabat. Urbicus lib. v. cap. 1. χρὴ παραγγελθῆναι ἕκαστον στρατιῶτα, ὥστε ἐν τῷ κινεῖν πρὸς παράταξιν ἐν τῷ σελλοπουγγίῳ αὐτοῦ μίαν ἢ δευτέραν ἀλίτραν ἄρτου, ἢ ἀλφίτου, ἢ πίστου ἑψητοῦ, ἢ κρέατος ἔχειν, καὶ φλασκίον μικρὸν ἐν τῇ ἀργαβίᾳ ὕδατος γέμον. LINDENBR.

Libentius enim bellatores.] Eodem modo lib. xxiv. c. 1. §. 15. *Bellatores enim libenter quaesitis dextris propriis utebantur.* LINDENBR. *Quaesito dextris propriis* quae sibi ipsi propria manu atque virtute parassent. W.

Cum transiret iuxta (commeatus), haud procul ab ipsius castris. *utrum ut vanus gerebat et demens* an fecerit per insolentiam et inconsiderate. *Mandatu Principis* ipsius Constantii. W.

Nefanda multa tentabat, id temporis latuit.] Sic primus emendavit Gelenius. Nam antea legebatur in cunctis Editionibus: *Nefandi multi tentabant quae in id temporis latuit.* In Regio [et in Colbertino] codice ita scriptum reperi: *Nefanda multi tentabatur quae in id temp. latuit.* Unde legendum sic esse coniicio: *Nefanda multi tentabant, usque in id temporis latuit.* VALES.

13. *Levaturus incommoda Galliarum*] ad liberandas ab incursionibus barbarorum Gallias. W.

Ut possit per bella deleri saevissima.] Id quidem a multis dictum esse ait Socrates in lib. 3. et Sozomenus in lib. 5. initio. Sed eam calumniam uterque a Constantio amoliri conatur. Quod si verum dicere licet, Constantii Iulianum Caes. in Gallias mittentis id fuisse consilium apparet, ut aut eius virtute Gallias a barbaris recuperaret, aut certe Iulianus in eo bello interiret: ut cum Ursicinum ad exstinguendam Silvani tyrannidem misit. Vide pag. 42. VALES.

Ne sonitum quidem duraturus armorum] Ex Academiae quippe quietis umbraculis in pulverem Martium tractus, uti est c. 1. W.

14. *Stationes agrarias.*] Iunguntur praetenturis xxxi, 8, 5. vide ad xiv, 3, 2. W.

Alias] Ferri pollit, malim tamen *alia* sc. militum pars. W.

Praeversa] praevertens. Rumor ipse praeversus est xxvi, 8, 3. W.

Gallico vallo discretum.] Id est, vallo separatum ab exercitu Gallicano, quem regebat Severus Magister militum. *Aut simpliciter *vallo Gallico* dixit pro exercitu Gallicano. Sic *vallum barbaricum* vocat in sequenti capite.* Sic supra dixit idem Marcellinus: *Hi soli innoxii absoluti sunt, qui per vallum Barbationis transiere securi.* Nam Constantius Barbationis copias iam Gallicanis militibus proximas, eisdem coniungi vetuerat, ne Iulianus Caesar victoriae particeps fieret: ut narrat Libanius in Orat. funebri (p. 538.): καὶ ἔδει στράτευμα ἓν ταὐτὰ ἀμφότερα γενέσθαι. καὶ ὡς ἦν οὐ πολὺ τοῖς συνιοῦσι τὸ μέσον, δείσας ὁ πρεσβύτερος μὴ μετάσχοι τῆς νίκης ἕτερος, κελεύει τῷ μὲν μηκέτι συμμίξαι, διαβῆναι δὲ μόνον. *Ac utrasque copias iungi oportebat. Sed cum non longo spatio tam a se invicem abessent, veritus Constantius*

ſtantius ne Caeſar in partem victoriae veniret, mandat Barbationi, ne Caeſari iungeret copias, ſed ſolus Rhenum traiiceret. VALES.

Sequensque fugientes adusque Rauracos.] Quaedam hic ſcitu digna addit Libanius (p. 539.): γεφυροῦντι δὲ αὐτῷ πλοίοις οἱ τὸν ποταμὸν, τεμόντες τῆς ὕλης ἀφιᾶσιν ἄνω βάρβαροι κατὰ ῥοῦν πάχη ξύλων, ἃ προσπίπτοντα ταῖς ναυσὶ, τὰς μὲν διέσπασε, τὰς δὲ διέῤῥηξε, τὰς δὲ καὶ κατέδυσε· διολλυμένης δὲ τῆς πρώτης πείρας, ὁ μὲν ὤχετο φεύγων καὶ αἱ τρεῖς μυριάδες, οἱ βάρβαροι δὲ διαβάντες ἐδίωκον καὶ ἔκτεινον, etc. Id eſt: *Cumque ille fluvium navibus iunxiſſet, barbari caeſis arboribus ingentes ſtipites ſecundo amne dimiſerunt: qui incidentes in naves, alias diſſiparunt, alias confregerunt, nonnullas etiam ſubmerſerunt. Igitur cum primus conatus male ceſſiſſet, hic quidem cum triginta illis militum millibus fugam capeſſit. At barbari fugientes perſequi et caedere, etc.* VALES.

15. *Ut ſolebat graviter ſemper inceſſens.*] Tres poſtremae voces a P. Caſtello adiectae ſunt ex coniectura, cum in Editione Rom. lacuna eſſet relicta. Sed cum in Mſ. Regio et Flor. deſint, nec lacuna ulla in eis relicta ſit, merito eas expunxi, quod et alibi feci, eiusdem codicis auctoritatem ſecutus. VALES.

CAPVT XII.

Hoc capite ſatis copioſe agit de pugna ad Argentoratum Ammianus, fide dignior Zoſimo III, 3. 4. qui Iuliano, ut ſolet, nimis favens numerum inprimis caeſorum hoſtium auxit plus iuſto. W.

1. *Dispalato*] divulgato. Erneſt. explicat *excuſſo*, coll. XXIV, 7, 2. *Foedo terrore* turpi ſtrage. W.

Chnodomarius] cui reliqui reguli ſummam belli commiſerant, utili praeter ceteros ductori, uti paullo infra dicit. Quod ad reliquos hic memoratos reges attinet, *Veſtralphus*, *Urius* et *Urſicinus* in interioribus Germaniae terris regnabant. De *Serapione* ipſe Ammian. plura infra in hoc capite. *Suomarius* tenebat regiones e regione Moguntiae, ſeptentrionem verſus usque ad fluv. *Lahnam*. *Hortarius* in eodem tractu, ad utraque Moeni litora, magis tamen meridiem verſus, de quibus omnibus vide Mannert German. p. 295. et infra XVIII, 2. W.

2. *Armatorum tredecim millia*] duce magiſtro equitum Severo. W.

3. *Miſſis legatis ſatis pro imperio mandaverunt.*] Huius legationis meminit Libanius in Oratione illa funebri (p. 540.), ubi ait, caduceatorem miſſum a barbaris, oſtendiſſe Iuliano litteras Conſtantii, quibus eas regiones invadere Germanis permiſerat: Iulianum vero cum caduceatori illi dixiſſet, eum ad ſpeculanda conſilia ſua veniſſe, neque enim Principem a quo miſſus eſſet, tanta audacia praeditum eſſe, hominem apprehenſum detinuiſſe. VALES.

Detentis legatis adusque perfectum opus.] Prudens conſilium, ne dicam ἀπάτη, et quali iam olim Themiſtoclis ſuaſu Athenienſes uſi, cum contra voluntatem Lacedaemoniorum moenibus urbem ſuam munirent. Thucyd. lib. I. 15. Diod. lib. XI, 39. Pauſan.

Digitized by Google

lib. 1. init. Polyaen. lib. 1. c. 4. Aemil. Prob. in Themiſt. c. 6. 7. Frontin. Strateg. lib. 1. c. 1. LINDENBR.

Perfectum opus caſtrorum.] Caſtra ſunt munimenta, ut etiam ſup. dixit de his ipſis caſtris: — — *Perficiendi munimenti ſtudio.* Lib. 14. c. 8. *Caſtris oppleta validis et caſtellis.* Magn. Etymolog. Φρούριον ὀχύρωμα, ἢ κάστρον. Petr. Sicul. κατῴκησεν εἰς Κίβοσσαν τὸ κάστρον. Et poſt pauca: κατὰ τὸ νότιον μέρος τοῦ κάστρου. De caſtellis Procop. de Aedific. Iuſtin. lib. 11. Καστέλλους τὰ Φρούρια τῇ λατίνων καλοῦσι Φωνῇ. Ovid. Eleg. 10. lib. v. Triſt. v. 27.

Vix ope caſtelli defendimur, et tamen intus
Miſta facit Graiis barbara turba metum. LINDENBR.

4. *Seſe diffunditans*] praeſens, ſeſe iactans. W.

5. *Decentium Caeſarem.*] Fratrem Magnentii, quem Magnentius ad tuendas Gallias Caeſarem miſerat, ut ſcribit Eutropius et Aurelius Victor. Unus Zoſimus non fratrem, ſed cognatum facit Magnentii: τῷ γένει συναπτόμενον. Conſul fuit cum Paulo, anno Domini 352. ut eſt in Faſtis editis a Cuſpiniano. Ex eius nomine appellati ſunt milites Decentiaci, quorum meminit Marcellinus noſter XVIII, 9, 3. VALES.

Fuga Ducis] Barbationis, *numero praeſtantis* habebat enim ſecum triginta quinque millia militum. W.

6. *Trudente ipſa neceſſitate*] ubi ſumma pericula eſſent. W.

Digreſſus periculis.] In Editione Rom. legebatur, *digreſſo*, perinde ac in Mſſ. omnibus. Primus P. Caſtellus cum eam ſcripturam non intelligeret, temere mutavit. Quis enim ſenſus eſſe poteſt, ſi vulgatam ſcripturam, id eſt, Caſtelli coniecturam admiſeris? At in veterum librorum ſcriptura ſenſus eſt apertus: *digreſſo periculis*, ſupple Barbatione, de cuius fuga ſupra locutus eſt. Ne quem vero haec ſermonis inſolentia terreat, ſimiles Auctoris noſtri locos hic proponam. Primum in lib. 15. c. 5. §. 19. de Urſicino: *Solusque ad exſtinguendum* (ſupple Silvanum) *probis quidem, ſed inſidioſis rationibus poſcebatur.* et in lib. 17. c. 1. §. 4. *Ea re ut vi ingenti ſurſumverſum decurſo* (ſubaudi Rheno) *egreſſi.* Et in lib. 19. c. 1. §. 4. *Credentemque quod viſo* (ſupple ſe) *ſtatim obſeſſi omnes metu exanimati, ſupplices venirent in preces.* Ad haec in lib. 21. *His ac talibus nova negotia commovente.* (ſubauditur Iuliano.) Et in lib. 23. c. 13. §. 1. *Quo comperto, omnes evolant ex hibernis, transmiſſoque.* (ſupplendum Euphrate.) Denique in libro 28. c. 1. §. 45. de Simplicio: *Poſt adminiſtratam* (ſupple Vicariam Praefecturam) *nec erectus, nec tumidus.* Similis locutionis exempla obſervare memini apud Gregorium Turon. tribus in locis, et in Prologo 34. Trogi Pompeii. Sed Graeci eiusmodi exemplis ſcatent. VALES.

7. *Sagittarii formidabile genus armorum.*] Homeri quidem aetate ſagittarii ob vilitatem eius artis contemptui habebantur: quippe inermes, absque clypeo aut haſta, pedites in pugnam procedere ſolebant, amici cuiuspiam clypeo protecti, aut ſub cippo ad quempiam tumulum ſubſidentes: ubi nec victi evadere, nec victores hoſtem perſequi poterant: nec aperto marte, ſed latrocinii more pugnabant. Praeterea artis ſuae adeo erant imperiti, ut cum nervum ad papillam ſuam adduxiſſent, ſagittam emitterent, ictu valde infirmo et vulneratis plerumque innoxio. Huius-

modi heroicis temporibus ars ſagittandi fuit. Sed neque ſecuta poſtea aetate cum res Graecorum florerent, magnum pugnae momentum in ſagittariis fuit, qui fere Cretenſes erant, ut ex Hiſtoriis colligere eſt. Adeo ut Achaei et Peloponnenſes omnes inter ſe pacti ſint, ne ſagittis uterentur in bello, ut refert Polybius in lib. 13. c. 3. Sed Marcellini noſtri aevo longe alia fuit conditio ſagittariorum. Lorica enim et ocreis genuum tenus probe contecti, pugnam inibant, dextra arcum et ſagittas, enſem ſiniſtro lateri appenſum geſtantes. Sunt et quibus haſta appenſa eſt, et brevis ſuper humeros clypeus absque anſa, quo vultum et cervicem tegere poſſint. Erant autem equites optimi, et currentibus cummaxime equis arcum facillime tendebant, hoſtemque aut fugientem aut inſequentem convulnerabant. Nervum porro adducebant ad frontem, verſus dextram maxime auriculam, tanta vi, ut quemcumque ſagitta percuſſiſſent, ſtatim is interiret, nec ſcutum aut lorica impetum teli frangeret. Haec fere Procopius in principio libri 1. qui Perſica inſcribitur. VALES.

8. *Quarta leuca ſignabatur et decima, id eſt, unum et* XX. *millia paſſuum.*] Recte ſubducta ratio eſt. Iordanes enim in Hiſtoria Getica, et Iſidor. Origin. lib. XV. cap. 16. leucam finiri paſſibus M. D. ſcribunt. Ergo XIV. leucae paſſus ſunt XXI. M. In Actis B. Genovefae: *Ab Aurelianenſe urbe usque Turonum civitatem, quae tertia Lugdunenſis nuncupatur, perhibentur eſſe ſtadia ſexcenta, milliaria ſeptuaginta quinque; leugae, quae adhuc veteri Gallorum lingua nuncupantur, quinquaginta.* Ergo leuga una habet ſtadia XII. ſive mill. 1. paſſ. CCC. Qui tamen calculus cum hodierna ſupputatione non convenit. Numerantur enim ab Aureliano Turonum usque leugae LXV. LINDENBR. De leugis et earum relatione ad milliaria Romana vid. XV, 11. ad fin. W.

Praecurſatores] Velites, levis armaturae milites. W.

9. *Salutis tuendae communis, ut parciſſime dicam*] nam prope deſperanda eſt. W.

11. *Scrupuloſi* fragminibus montium obſiti et *obſcuri* ſilvis *tramites* — *Senescens Luna* XX, 3. translatio et ab aliis ſaepius, inprimis Livio uſurpata, de ultima, quam vocant, Lunae quadrante. Etiam in aliis rebus amat Noſter. Sic ſenescunt *leges* XVI, 5. *flammae* XXIV, 7. *oceanus* XXVII, 8. *Morbus ſenescens*, remittens, eſt ap. ipſum Ciceronem ad Div. VII, 26. — *Protinus*, per longum viae, quam coram videmus, ſpatium. W.

Poſt cibi refectionem et potus] Rectius cibo et potu refectis hoſtibus. W. *Cibi refectio* eſt refectio per cibum. Sic Eurip. Oreſt. 426. ed. Porſ. τὸ Τρωϊας μῖσος *odium propter Troiam natum.* ERF.

12. *Pace Dei ſit dictum*] Deus ipſe faveat huic meae confidentiae. Laudat Erneſt. Liv. III, 19. *C. Claudii pace et P. Valerii mortui loquar.* W.

13. *Haſtis inlidendo ſcuta*] quod erat ſignum irae et ardoris pugnandi. cf. XV, 8, 15. W.

Caelitis Dei favore.] Nil variant vett. libri. Puto tamen Ammian. ſcripſiſſe, *caeleſtis Dei fav.* ut lib. XV. c. 8. §. 10. *praeſente nutu Dei caeleſtis:* lib. XXI. *arbitrio Dei caeleſtis.* LINDENBR. *Dei caeleſtis numen* XXV, 7. W.

Dum adeſſe potuit] quoad per Deos liceret. W.

14. *Celſarum poteſtatum*] magiſtratuum maiorum XIV, 10. it. ſublimes, excellentes XV, 5. — *Ratione ſecunda*, idonea, probabili. W.

15. *Anno nuper emenſo.*] Conſtantio VII. et Conſtantio III. Coſſ. anno Domini 354. Nam procul dubio expeditionem intelligit Conſtantii adverſus Gundomadum et Vadomarium fratres, Alamannorum Reges: de qua dixit in lib. 14. cap. 10. Quod plane demonſtrant verba quae proxime ſequuntur: *Quodque Imperatore terras eorum ingreſſo, nec reſiſtere auſi, nec apparere, pacem impetraverunt, etc.* Proinde non poſſum aſſentiri viro doctiſſimo (Petavio), qui in notis ad Iuliani Epiſtolas hunc Marcellini locum aliter interpretatur. VALES.

Concaede arborum denſa undique ſemitis clauſis.] Caſtrenſis locutio, quam lib. XVII. c. 1. §. 9. ſic effert: *Ilicibus inciſis et fraxinis, roboreque obiecto magno, ſemitas invenere conſtratas.* Et ibid. cap. 10. §. 6. *Celſarum arborum obſiſtente concaede ire protinus vetabatur.* Sup. cap. 11. §. 8. *Difficiles vias et ſuapte natura clivoſas et incommeabiles clauſere ſollerter, arboribus immenſi roboris caeſis.* Paul. Warnefr. Hiſtor. Langob. lib. 3. cap. 4. *conciſas* dixit: *Factis etiam conciſis per devia ſilvarum.* Vid. Veget. lib. III. cap. 21. *Caeſar Belli Gallici lib. 3. c. 29. *Caeſar ſilvas caedere inſtituit: et ne quis inermibus imprudentibusque militibus ab latere impetus fieri poſſet, omnem eam materiam, quae erat caeſa, converſam ad hoſtem collocabat, et pro vallo ad utrumque latus exſtruebat.* Idem lib. 5.* LINDENBR.] Cf. etiam Tacit. Annal. I, 50. et Gell. XIX, 12. quos de eadem re agens excitavit Beſſel. Milc. p. 216. W.

Sidere urente brumali.] Poetam hic agit Ammianus: ſidus brumale eſt ipſe omnino *hiems*, cf. XXII, 13. pro *urente* ponit adeo *flagrante* XXVII, 12. cf. XXVII, 1. ubi: *per glaciales tractus hiemis inhorruit ſidus.* W.

16. *Modo non occipitia conculcantibus*] tam prope imminentibus, ut terga premere et cervicibus inſultare viderentur. W.

17. *Gundomado*] vide XIV, 10. W.

Vadomarii plebs, ut aſſerebant.] In Editione Rom. legitur, *ut aſſerebat.* Sed ante ea verba aliquantulum vacui ſpatii relictum eſt, perinde ut in ceteris Mſſ. Exemplaribus: quod P. Caſtellus nullo negotio ſic ſupplevit: *Vadomarii plebs ſubinde ut aſſerebat, etc.* Primus Gelenius vulgatam lectionem excogitavit, quam equidem improbo. Vult enim dicere Marcellinus, populum Vadomarii, ut ipſe Vadomarius aſſerebat, Germanis ſe ſponte ſua adiunxiſſe. Nam Vadomarius ei proelio minime interfuit ob foederis religionem, quo obſtrictus erat Conſtantio, ut ait Marcellinus hic et in lib. 14. cap. 10. VALES.

18. *Virtutem et conſilia militare.*] Sic edidit Valeſius, quum ante legeretur *militaria.* Hinc coniiciebat pater *Virtutem et conſilio militare.* GRON.

Per te virtutem et conſilia militare] te eum eſſe, qui prudentiam virtuti iungat. *Teſtis individui* qui ſemper ipſe praeſens atque praeſto eſt. Sic XXIV, 5, 11. ut inter primos dimicans militi eſſet exemplo ſpectator probatorque geſtorum. W.

Digitized by Google

Iis rebus efficiet excitatus.] Sic primus edidit Gelenius. In Editione Romana et in codice Regio [ac Colbertino] legitur, *ut rebus efficiet excitatis.* Unde non abſurde quis coniiciat, ſic omnino legendum eſſe, *viribus efficiet excitatis.* Mar. Accurſius emendaverat, *in rebus efficiet excitatis.* VALES. Placet Valeſii coniectura. W.

19. *Cum nullae laxarentur induciae*] ſine mora. — *Supercilia Rheni* h. l. Rheno omnino. Alias de ripis fluminum. v. ad XIV, 2. *Tres equites exciti* detecti, et fugere compulſi. W.

20. *Antepilanis Haſtatisque et Ordinum primis.*] Antepilani ſunt, qui anteſignani alias dicuntur, quod in prima acie ante ſigna pugnarent. Sic Marcellinus in lib. 28. c. 1. §. 46. de Simplicio quodam: *Cum Maximino*, inquit, *velut Antepilano ſuo contendens, etc.* Antepilani tamen paullo aliter ſumuntur apud Livium in lib. 8. c. 8. pro militibus ſcilicet qui in prima ac ſecunda acie pugnabant, Haſtatis nempe ac Principibus: forte ex eo quod pila utrique geſtabant, quorum loco Haſtas habebant Triarii, teſte Polybio in lib. 6. *vel potius quod ante Triarios qui Pilani dicti ſunt, pugnarent.* Sane Ovidius in 3. Faſtorum Pilanos pro Triariis poſuit, v. 129.

Et totidem Princeps, totidem Pilanus habebat
Corpora.

Ideo fortaſſe quod ordines Triariorum primum pilum vocabant. Iam Haſtati in prima acie pugnabant etiam Reipublicae Rom. temporibus. Quamquam apud Marcellinum aliter ſumuntur Haſtati quam apud Livium atque Polybium, pro Signiferis ſcilicet, ſeu Draconariis, qui ſigna, id eſt dracones et aquilas haſtis appenſas geſtabant, ut docet Marcellinus in lib. 20. c. 4. §. 18. his verbis: *Maurus, Petulantium tunc Haſtatus, abſtractum ſibi torquem quo ut Draconarius utebatur, capiti eius impoſuit.* Signiferi autem ſeu Draconarii inter principia legionis militabant, teſte Vegetio in lib. 2. Supereſt ut de Ordinum primis pauca dicamus. Obſervandum eſt igitur, primos Ordines bifariam dici: primo de militibus univerſis, qui in prima atque etiam ſecunda acie pugnant, ut apud Vegetium in lib. 3. cap. 14. Secundo de iis, qui in prima acie primos Ordines ducunt, quos Ordinarios vocat Vegetius in lib. 2. et quinque fuiſſe in prima cohorte commemorat. De his Quintilianus in Declamat. 3. pro milite: *Enimvero auctorem habet: hoc primi Ordines iubent. Aequum eſt Tribuno militem parere.* Et Frontinus in lib. 1. Strateg. cap. XI. *Imperavitque ad eius rei fidem Tribunis, et primis Ordinibus, et Centurionibus.* Denique Marcellinus noſter in lib. 19. cap. 6. §. 3. *Mortem Tribunis vetantibus primisque Ordinibus minitantes, ſi deinceps prohiberent.* Mitto Hyginum aliosque. *Ceterum Lipſius in lib. 4. de Militia Rom. cap. 1. *Antepilanos* ait eſſe, quos antiqui Principes vocabant: eos fuiſſe veteres et exercitatos milites, qui in prima acie pugnabant; et differre ab Anteſignanis, qui ſunt Haſtati, ut in eiusdem libri cap. 3. cenſet. At Salmaſius in 2. epiſtola quam ad me miſit, Antepilanos ab Ammiano dici ait eos, qui in prima acie pugnabant ſine Anteſignanis, (in quo opinioni noſtrae favere videtur) Anteſignanos porro Ammiani aevo dictos eſſe, qui in prima acie certarent; qui in

Digitized by Google

poſtrema, Poſtſignanos: ac totum exercitum diviſum tunc fuiſſe in Anteſignanos et Poſtſignanos.* VALES.

Velut inſolubili muro.] Sic Vegetius gravem armaturam muro ferreo comparat in lib. 2. cap. 17. *Excipiebat*, inquit, *eos gravis armatura, quae tamquam murus, ut ita dixerim, ferreus ſtabat.* et in lib. 3. cap. 14. VALES.

Hoſtes ſteterc cunctati.] Reineſius coniicit *cuneati.* Non credo: illud melius propter *pari cautela.* W.

21. *Ut antedictus docuerat perfuga.*] De quo vide §. 2. Porro omnem hunc locum valde illuſtrat Libanius in Orat. citata (Reisk. 1. p. 540): καὶ ἐδόκει δεῖν κέρας μὲν ἑκάτερον τοὺς ἱππέας ἔχειν, τὸ μέσον δὲ εἶναι τῶν ὁπλιτῶν· τοὺς δὲ ἀμείνους ἑκατέρων τούτων ἐν τῷ δεξιῷ περὶ τὸν βασιλέα· καὶ τοῦτο ἔδει μὲν τοὺς πολεμίους λανθάνειν, λαθεῖν δὲ οὐκ εἴασεν αὐτομόλων τινῶν κακία. Et paullo poſt: τοῖς βαρβάροις δὲ πάντα πεπυσμένοις τὸ μὲν ἀνδρειότερον τῆς στρατιᾶς πρὸς τὸ χεῖττον ἀντετέτακτο· τῷ δεξιῷ δὲ κέρᾳ σύμμαχον ἔδωκαν λόχον, ὃν ἔκρυψαν ὑπὸ ὀχετῷ μετεώρῳ, καλάμων πυκνῶν (καὶ γὰρ ἦν ὑδρηλὸν τὸ χωρίον) τοὺς καθημένους ἀφανιζόντων. Id eſt: *Ac viſum quidem fuerat equites in utroque cornu locari oportere, pedites autem in medio: optimum vero quemque ex iis circa ipſum Caeſarem. Atque id quidem latere hoſtes debuerat: ſed latere non ſivit quorumdam perfugarum malitia.* Et paullo poſt: *Igitur barbari qui cuncta reſciverant, omne exercitus robur dextro quod validiſſimum erat, cornu oppoſuere. Dextro autem cornu ſuo ſubſidiariam adiecerunt manum, quam ſub aquaeductu edito occultarunt, arundinibus denſis (locus enim erat uliginoſus) ſubſidentes occultantibus.* VALES.

Quidquid per equeſtres copias praepollebat] robur, optimos. W.

22. *Prudentem ex equo bellatorem.*] Sic loquitur Hegeſippus in lib. 3. cap. 4. *Sed vir acrioris ingenii et ex equo prudens bellator.* VALES.

Inter ipſos diſcriminum vertices.] in ſummo periculo. cf. XXIV, 5. XXV, 4. — *Cum nihil caveri ſolet praeter id, quod occurrit,* hoc ego acceperim de equite, qui ab iis tantum periculis ſibi cavet, quae videt ſibi imminere. W.

Humi occulte reptantem latere forato tumenti.] Strategema eſt, quo Hydaſpes contra cataphractarios Oroondatis olim uſus. Heliodor. lib. IX. c. 18. LINDENBR.

24. *Torulus flammeus.*] Varro de L. L. lib. IV. *Torulus in mulieris capite ornatus.* Ammian. lib. XXIX. c. 1. *Torulo capite circumflexo.* Plaut. Amphitr. Prolog. v. 143.

Ego has habebo hic uſque in petaſo pinnulas.
Tum meo patri autem torulus inerit aureus.

*Ab hac ſimilitudine rotunditatis Vitruvius arborum medullam vocavit *torulum*, lib. 2. c. 9. Eſt autem ὑποκοριστικὸν a toro, quo Cato utitur de Re Ruſtica cap. 135. *Funem exordiri oportet longum pedes* LXXII. *toros* III. *habeat.* Columell. de Re Ruſtic. lib. XI. c. 3. *Tori funiculorum.** LINDENBR.

Flammeus torulus faſcia ſ. vitta, ornatus capitis muliebris. Erneſtius. Cf. Spanhem. ad Iuliani Caeſſ. p. 50. (notarum). W.

Digitized by Google

Sublimior.] prae ceteris conſpicuus. *Erectus in iaculum* attollens ſe, ut iaculum *formidandae vaſtitatis*, ob craſſitudinem et longitudinem, mitteret. W.

25. *Adultae lanuginis*] medius inter iuvenem et virum, cui, uti XXXI, 10. eſt, etiamtum lanugo genis inſerperet. — *Efficacia* induſtria, virtute, cf. XIV, 8. *praecurrens aetatem.* Sic *annos anteire labore* dixit Sil. Ital. II, 348. ubi vid. Erneſt. — *Obſidatus pignore* obſes. W.

Doctus Graeca quaedam arcana.] Erudite hunc locum interpretatus eſt Galliae ſuae decus, Petr. Pithoeus I. C. Adverſ. lib. I. C. III. LINDENBR.

Graeca quaedam arcana] Myſteria, (Deorum notitiam et cultum) ab Aegyptiis ad Graecos, a Graecis ad Gallos propagata. Maſſilia Graecorum colonia inprimis Graecos mores et religionem in Galliam induxit. Iulius Caeſar de B. G. VI, 18. Gallos narrat originem a Dite (Plutone) derivaſſe. Pithoeus, quem laudat in nota Lindenbrogius, *Serapionem* eundem eſſe cum Plutone, *Apollinem* vero, quem et ipſe Caeſar in Diis Gallorum numerat, nomine *Belenı* ab iis cultum eſſe contendit. Cf. Ritter ad Guthrium T. V. Sect. 3. p. 255. et Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 52. ibique Caſaub. et Salmaſ. W.

Genitali vocabulo] nomine, quod infanti inditum erat, quod a natali ſuo habuerat. Eadem ſignificatione occurrit voc. *genitivus*, v. c. Sueton. Aug. c. 80. Ovid. Metam. III, 331. W.

Regalesque decem.] Regales dicebantur Regum filii et agnati. Sic in lege 9. Cod. Theod. de re milit. Vetus Grammaticus de differentiis vocum: *Inter Regem*, ait, *et Regalem hoc intereſt, quod Regis puer, Regalis eſt: Rex, qui regnum regit.* Sic Euſtathius in Iliad. 10. Aſtyanactem Hectoris filium βασιλικὸν appellat: et in Iliad. 8. Teucrum quoque βασιλικὸν fuiſſe dicit, ex Heſiona Priami ſorore genitum. Lucianus de ſaltatione: τῶν γὰρ ἐκ τοῦ πόντου βαρβάρων βασιλικός τις, etc. et Priſcus in Hiſtoria Byzantina τοὺς βασιλικοὺς σκύθας paſſim nominat, id eſt, Regales. Interdum etiam Regales pro Regulis uſurpantur. VALES.

26. *Pacto viciſſitudinis reddendae*] ut ſibi auxiliares invicem, ſi opus eſſet, mitterent. W.

27. *Torvum* terribilem in modum *concrepantibus tubis.* Paullo infra: torvum canentibus claſſicis; horrenda circumſonantibus Alamannis XXVII, 10. W.

Suſpectior] magis ſuſpicioſus, cautior. W.

29. *Quod ſibi ſoli deberi Auguſtus exiſt.*] Conſtantius Aug. maieſtatis ſuae ſtudioſior, ſibi ſoli licere putabat univerſum pariter exercitum ex tribunali alloqui. Itaque Iulianus, qui Caeſar dumtaxat, id eſt, revera Augusti miniſter et apparitor quidam erat, hoc ſibi arrogare noluit. Circumiens ergo ſingulas cohortes ad fortiter faciendum hortabatur. Qualiter autem Imperator alloqueretur exercitum, patet ex veteribus nummis, in quibus ſtans in tribunali, ſignis aquilisque circumdatus, ſtipatusque Praetorianis cohortibus, exerto brachio conſpicitur cum hac Inſcriptione: ADLOCUTIO. *Ita apud Dexippum Aurelianus milites alloquitur.* Claſſico autem ad concionem convocabantur milites per cornicinem. Itaque Claſſicum ſignum Imperii recte Vegetius appellat,

Digitized by Google

quod ſolum caneret Imperatore praeſente. Et exempla paſſim occurrunt in libris Marcellini noſtri. VALES.

30. *Arceſſentes*] adeſſe cupientes. W.

31. *Illiſa noſtris partibus probra*] clades exercitibus noſtris turpiter illatas. W.

33. *Gloriam violetis*] minuatis — *Adero indiſcretus*, ſupra: individuus teſtis. W.

34. *Fremitus indignationi miſtus*] clamor cum conviciis. *Miſerabili plebe* gregariis militibus. Sic ſaepe noſter *plebem* uſurpat. W.

36. *Ahenatorum*] (mel. aeneatorum) tubicinum concentu — *Propilabantur miſſilia* priusquam ad manus venirent, praeludebant pugnae miſſis ſagittis, iaculis. Infra XXIV, 6. eſt PRAEpilatis, ubi tamen Valeſ. reponi, ut h. l. iubet PROpilatis. *Cito* ſubintell. *magis*, quod, uti Graeci μᾶλλον, ſaepe omittunt Latini. Cf. Valeſ. ad XXVI, 4, 1. — *Comae horrebant*, ſollennis vox de capillis ſurſum erectis (ſteterunt comae Virgil. Aen. II, 774.) quod in animalibus quibusdam metu aut ira commotis videmus. *Tela concriſpans* vibrans. Aliis locis XIV, 2. XX, 4. XXVII, 10. ſimplex criſpare. W.

37. *In ipſo proeliorum articulo*] fervore, periculo, ubi omnes nervi intendendi. Paullo inferius hoc cap. extremo neceſſitatis articulo. — *Conturmaret* recte de equitibus, ſed vix alibi invenias. *Frontem artiſſimis conſerens parmis* iunctis uno tenore clypeis ordines firmans. Vid. infra §. 44. ibique Valeſium. — *Deſtinatione* obſtinatione, pertinacia. W.

Caelumque exſultantium cadentiumque reſonabat vocibus magnis.] Plaut. Amphitr. I, 1, 76.

Pro ſe quisque, id quod quisque poteſt et valet,
Edit, ferit: tela frangunt, boat
Caelum fremitu virum. LINDENBR.

Altius gradiens.] ulterius in hoſtium aciem procedens. W.

Equites noſtri cornu tenentes dextrum.] Ἑξακοσίων ἱππέων ἴλην, ſexcentorum equitum alam dicit Zoſimus (in lib. 3. c. 3. ubi et poenam addit, quam ipſis ob ignaviam Iulianus inflixit. Ait enim indutos veſte muliebri, per caſtra circumductos fuiſſe. VALES.

39. *Velut ſenectutis pendentis exuvias.*] Primus hunc locum corrupit P. Caſtellus, cum in Editione Rom. perinde ut in Mſſ. omnibus legeretur *pandentis*, ſupple *Draconis*: et recte Mar. Accurſius eam ſcripturam in Editione ſua reſtituit. Eleganter lacinias illas ſericas draconum quae ventis agitabantur, exuviis draconum comparat. Sed quod pandere ait exuvias, rationem non habet. Neque enim dracones et ceteri ſerpentes, animalia denique omnia quae exuvias deponunt, eas pandere ſolent, ſed poſitas abſcondere, ac tum ex antris prodire: ut Virgil. canit in lib. 2. Aen. 473.

Nunc poſitis novus exuviis, nitidusque iuventa,
Lubrica convolvit ſublato pectore terga.

quibus in verſibus imitatus videtur Nicandrum in Theriacis, qui ſic ait v. 137.

Μηδ' ὅτε ῥινὴν Φολίδων ἀπὸ γῆρας ἀμέψας
Ἄψ ἀναφοιτήσῃ νεαρῇ κεχαρημένος ἥβῃ.

Digitized by Google

Huiusmodi senectutis exuvias Graeci vocant γήρας. VALES. Non sane id voluit auctor significare, quid dracones facerent in mutata pelle; sed ei similem esse ait, si panderet, explanaretque, ut est illud signum. Itaque et aliae comparationes inde peti solent, qualem unam huic loco adscripsit pater ex Hieronymo epist. 128. *Hoc cingulum in similitudinem pellis colubri, qua exuit senectutem, sic in rotundum textum est, ut marsupium longius putes.* GRON.

40. *Amat* solet *fieri*. Gr. φιλεῖ. Cf. XXI, 1, 9. — *Cedimus*. Admodum leniter, se ipsum enim comitem fugae addere videtur. W.

Non relinquimus.] Negativam particulam quae in cunctis exemplaribus deerat, ex Mar. Accursii Editione supplevimus. VALES. Suppleverat iam Gruterus. v. Gronov. Praef. p. XXII. W.

41. *Salva differentia.*] Honeste id addi solet et verecunde, quoties viri excellentis factum cum alterius facto componitur, ne cuiusquam dignitati fiat iniuria. Nos Galli dicere solemus *sine comparatione*. In codice tamen Valentino scriptum erat, *salva reverentia*, ut Loisellus [et P. Pithoeus] ad oram libri sui adnotarat. Eadem verecundia dixit Pollio in Claudio c. 10. *Ut sit omnibus clarum, Constantium et Augustae ipsum familiae esse, et Augustos multos daturum, salvis Diocletiano et Maximiano Augg. et eius fratre Galerio.* Antiqui autem dicere solebant, *pace tua*, vel *illius;* ut apud Petronium et Martialem aliosque occurrit. VALES.

Sylla, qui cum contra Archelaum.] Nobile consimilis historiae exemplum in Vibio Acceio, Val. Flacco, et T. Pedanio, cum castra Hannonis oppugnarentur Liv. lib. XXV. Val. Max. lib. III. cap. II. LINDENBR.

Syllam, qui cum contra Archelaum.] Idem narrat Frontinus in lib. 2. Strat. cap. 8. VALES.

43. *Excipiunt eos iam gesturientes.*] Hunc locum sic corrupit Gelenius, inserta prima voce, quae abest ab omnibus libris *MSS.* in quibus sic legitur: *Eos iam gestu terrentes:* quo quid apertius? Sic sane in lib. 14. c. 2. §. 17. locutus est noster: *Hastisque feriens scuta, qui habitus iram pugnantium concitat et dolorem, proximos iam gestu terrebat.* Solum pro *ciere*, quod erat in omnibus libris, emendare ausi sumus *civere*. VALES.

Barritum etc. Cf. inprimis XXXI, 7. ubi fere eadem habentur. Ceterum barritus proprie est vox elephantum, (alii tamen notationem vocis ab Germanico *beren, baeren*, clamare, derivant,) deinde clamor bellicus non Gallorum tantum et Germanorum, v. Taciti German. c. 3. sed Romanorum etiam, XXXI, 7. Haud recte igitur, ut obiter moneam, scribitur Barditus, quasi a Bardis dictus. W.

Arma armis, corpora corporibus.] Ita ex Ennio Hirtius de Bello Hispan. c. 31. *Cum clamori esset intermixtus gemitus, gladiorumque crepitus auribus oblatus imperitorum mentes praepediebat. Hic, ut ait Ennius, pes pede premitur, armis teruntur arma.* Q. Curtius lib. III. c. 11. *Duae acies ita cohaerebant, ut armis arma pulsarent, mucrones in ora dirigerent.* LINDENBR. Amat Ammianus, monente Ernest., praesertim in descriptionibus militaribus, istiusmodi oppositiones, quarum hoc ipso capite plu-

ra occurrunt exempla. Similiter laudatus ab eodem Ernest. Livius 9, 18. quin tu hominis cum homine, ducis cum duce, fortunam cum fortuna confers? W.

44. *Nexamque scutorum compagem.*] De qua supra §. 37. dixit: *Et muniret latera sua firmius pedes, frontem artissimis conferens parmis.* Eodem modo locutus est sub initium lib. 14. c. 2. §. 10. *Densata scutorum compage semet scientissime praestruebant.* Haec pugnandi forma testudo dicebatur. Unde addit hoc in loco Marcellinus: *Quae nostros in modum testudinis tuebatur.* Duplex enim testudo fuit in re militari: una proprie dicta, cum milites in genua subsidentes scutis super capita elatis se protegunt, ita ut secundus ordo paullo emineat altius quam primus, et tertius quam secundus, ac sic deinceps, prorsus in modum imbricati tecti per quod aqua labitur. Eiusmodi testudinem describit Livius lib. 44. c. 9. et Polybius 9, 41. Alterum testudinis genus est, cum milites non iam supra capita extollunt scuta, sed densati ac conferti ante se struunt. Sic Livius in lib. x. c. 29. *Galli,* inquit, *structis ante se scutis conferti stabant:* et paullo post testudinem id vocat. Eam testudinis formam describit Homerus in Iliad. N. 130.

Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ·
Ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Quos versus imitatus est Nonnus in lib. 22. Dionys. v. 180.

καὶ ἣν καλέουσι μαχηταὶ
Μιμηλὴν σακέεσσιν ἐπυργώσαντο χελώνην.
Ἔγχεϊ μὲν στατὸν ἔγχος ἐρείδετο, πεκλιμένη δὲ
Ἀσπὶς ἦν προθέλυμνος ἀμοιβαδὶς ἀσπίδι γείτων
Στεινομένη, καὶ ἐνευσε λόφῳ λόφος.

Ubi hanc pugnandi formam a militibus χελώνην, id est, testudinem dici testatur. Graeci Tactici συνασπισμὸν vocant. Sic Polybius 10, 14. συμφράττειν τοῖς ὅπλοις, pro eodem usurpat. Et Dio in lib. 40. pag. 130. ubi male Xylander vertit, *in orbem pugnare.* Etsi enim in orbem pugnantes, necessario testudinem, seu συνασπισμὸν facere debent; tamen ubi testudo sit, non semper in orbem pugnatur. Leo in Tacticis σύσκουτον appellat. Iosephus lib. 4. de bello Iudaico: συνασπίζει τοὺς ἅμα αὐτῷ: quae sic Hegesippus vertit: *Et sese in arma colligens confertis clypeis, cum paucis quos praesentes habebat, imperterritus stetit.* VALES.

45. *Opitulatum conturmalibus suis Batavi venere cum Regibus.*] Cluverius in libro 1. de Antiqua Germania capite 39. emendat: *Batavi venere cum Herulis.* Heruli quippe semper coniunguntur Batavis ab Ammiano Marcellino, et sub uno eodemque vexillo militasse ambos docet idem Marcellinus XXVII, 1, 6. (Addo XX, 1, 3. 4, 2. XXVII, 8, 7. W.) In Notitia Imperii Occidentalis inter auxilia Palatina numerantur *Heruli et Batavi* sub Magistro militum Praesentali, quos pedites fuisse videtur indicare Sidonius in Carmine 7. et cursu valuisse testatur. Verum Mss. omnes habent: *Batavi venere cum Regibus:* et praeter codicum auctoritatem, nihil temere mutandum censeo. Ait enim Marcellinus, Batavos et Reges accurrisse, *ad opitulandum conturmalibus suis,* id est, commilitonibus, qui densata scutorum compage in prima acie pugnantes, a Barbaris premebantur. *Reges* autem

Digitized by Google

hoc loco nomen est numeri seu legionis, qui *Regii* dicuntur in Notitia Imperii loco citato.* VALES.

46. *Alamanni altius anhelabant*] denuo spiritum animosque colligentes. *Spicula* sagittas ligneas. *Veruta* iacula. W.

Ferratae arundines.] Lib. XXIV, 2, 13. *Nervi digitorum acti pulsibus violentis arundines ferratas emitterent.* Lib. XXXI. *Arundinibus armatis ferro confixi.* Harum Indis quoque in bello usus. Herodot. lib. VII. c. 65. τόξα καλάμινα εἶχον, καὶ ὀϊστοὺς καλαμίνους, ἐπὶ δὲ σιδήρου ἦν. LINDENBR. Ferratis arundinibus etiam nunc barbarae gentes utuntur. W.

Exercitii consurgebant.] In MSS. omnibus legitur *exercitus.* Unde coniici potest legendum esse, *exertius consurgebant;* aut sane, *excitātius consurgebant:* ut in libro XXXI. c. 15. §. 10. *At cum armatis provinciales et Palatini ad obruendos eos excitatius consurgebant.* VALES. *Exertius* acrius. v. Casaubon. ad Scriptt. Hist. Aug. T. I. p. 592. *Consurgebant* corripiebant se. W.

47. *Milites usu nimio dociles.*] Milites κατ' ἐξοχὴν Romani dicuntur *heic et alibi passim.* idque observavi non semel in libris Cornelii Taciti. Hinc intelligendus est locus Pollionis in Claudio c. 9. in quo vir doctissimus *(Salmasius)* haesit, ut ex eius Notis apparet: *Factus miles barbarus, et colonus ex Gotho.* Id est, Barbarus factus est miles legionarius, et Gothus factus est incola agri Romani. [Sic a Procopio saepe milites Romani absolute vocantur στρατιῶται; et a Iordane similiter in libro de successione Regnorum *milites.* Gregorius quoque Turonicus Episcopus Romanos ab Imperatore Constantinopolitano in Hispaniam missos, et cum Gothis ibi bellum gerentes, nunc *Graecos,* nunc et *milites* appellat: eosdem Isidorus in Chronico raro *militem Romanum,* aut *Romanos,* saepius simpliciter *milites* nuncupat; Iohannes Biclarensis Abbas *milites* quoque, Gregorius Magnus exercitus Imperatoris in Italia Gothis primum, deinde Langobardis oppositos, *milites* vocare consuevit: quos etiam Paullus in libri III. de gestis Langobardorum capite XVIII. et in libri IV. capite XXIX. *milites;* in libri II. capite XXVI. modo *milites,* modo *Graecos* appellat. Quod ad Barbaros attinet, observavi eos nec ab Ammiano Marcellino, nec a ceteris Historicis usquam *militum* appellatione designatos esse, nisi qui ad Imperatorem transiissent, et sacramento adstricti Romana signa sequerentur. Heic notandum est, Imperium Romanum Ammiano aliisque Historicis saepe *Rempublicam* absolute nuncupari, et exercitum Romanum, *exercitum Reipublicae.* Sic Marius in Chronico non semel loquitur. Sic Gregorius Turonicus Episcopus loquitur in libri VI. capite XXX. et in libri X. capite II. et Imperium Romanum *Reipublicae* nudo nomine designat. Romanus Patricius in Epistola ad Childebertum Francorum Regem quater *sanctam Rempublicam;* Mauricius Aug. in Epistola ad eumdem *sacratissimam Remp.* Gregorius PP. Magnus *Christianam Rempublicam;* Iordanes quoque de successione Regnorum et Iohannes Abbas Biclarensis in Chronico *Rempublicam* non semel pro Imperio Romano usurpant: uti Procopius in libro III. de bello Gothico πολιτείαν, id est, Rempublicam.] VALES.

48. *Lassatisque impressu genibus.*] Sic Gelenio placuit. In Editione Romana legitur, *lassatis atque impressis genibus.* In Regio autem codice [et Colbertino] *ac Tolosano,* *lassatisque im-

preſſis genibus: quod magis probo: niſi malis *impreſſus;* ut apud Statium in lib. 6. v. 678.

humique
Preſſus utroque genu, collecto ſanguine diſcum
Ipſe ſuper ſeſe rotat, atque in nubila condit.

Sic Marcellinus noſter in huius proelii deſcriptione ſupra dixit: *Et obnixi genibus quidam barbari, peritiſſimi bellatores, hoſtem propellere laborabant.* Cornelius Nepos in Chabria c. 1. *Fugatis,* inquit, *iam ab eo conducticiis catervis, reliquam phalangem loco vetuit cedere, obnixoque genu ſcuto proiectaque haſta impetum excipere hoſtium docuit.* Denique Livius in lib. 6. c 12. *Sed obnixos vos ſtabili gradu impetum hoſtium excipere.* VALES. Erneſti legi etiam poſſe autumat: *laſſatVsque impreſſis genibus;* recte, niſi fallor, et magis perſpicue. Alamanni enim, cum diutius durare non poſſent, ſiniſtrum genu levarunt, et ita *ſubſederunt, hoſtem ultro laceſſentes.* W.

49. *Primanorum legionem.*] Primani ſub Magiſtro militum Praeſentali inter Palatinas legiones recenſentur in Notitia Imperii Rom. Orientalis: quia ſcilicet in Orientem translati fuerant, tunc cum Valentinianus cum fratre legiones partitus eſt, aut alio quo caſu. In Editione Rom. *Primariorum* legitur, [et in codice Colbertino] *Toloſanoque*: et ſic in codice Regio ſuperſcriptum eſt. In Notitia quoque Imperii Mſ. habetur *Primarii.* VALES.

Confirmatio.] Sic numeros vocat arte bellandi praeclues, et militari exercitatione confirmatos. Ut Rufin. de Bello Iud. lib. III. cap. 3. *Meditationes eorum nihil a vera contentione discrepant: ſed in dies ſingulos militum quisque omnibus armis, tamquam in procinctu poſitus exercetur, quod etiam facillime tolerant. — — Unde ſequitur ut ſemper ſuperent, quos non itidem confirmatos invenerant.* LINDENBR. v. Schel. ad Hygin. p. 30. W.

Caſtra Praetoria dictitatur.] Forte quia Imperator, quoties in exercitu eſt, eo in loco quaſi tutiore conſiſtere ſolet: ut patet ex lib. 24. initio, *et ex lib. 27. Praetorium erat in medio caſtrorum, ut docet Polybius in lib. VI. et ex eo Salmaſius in Solinum p. 671. Hinc in exercitu media acies vocabatur *Caſtra Praetoria.** VALES.

In modum mirmillonis] Lib. XXIII. c. 6. §. 83. *Pedites in ſpeciem mirmillonum contecti.* Feſtus: *Mirmillonicum genus armaturae Gallicum eſt, ipſique mirmillones ante Galli appellabantur.* Exempla alia apud Ciceronem, Latinum Pacat. Auſonium, Inſcript. Roman. LINDENBR. Mirmillones erant gladiatorum Gallicorum genus, qui, piſcis effigiem in galea gerentes, id agere debebant, ut adverſarium caput irretire conantem oblongo ſcuto declinarent. Feſtus carmen ſervavit, quo retiarius uteretur: *Non te peto, piſcem peto. Quid me fugis, Galle?* Plura vide ap. Lipſium Saturnal. II, 2, 10. W.

50. *Prodigere vitam*] effundere. cf. Horatii animae magnae prodigum Paullum Od. 1, 12. 38. W.

51. *Tota celeritate.*] Tota ex more illius aetatis pro omni, ſumma. Sic totis viribus XVII, 5. cet. v. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 40. Caſaubon. ib. p. 638. — *eiici* ad litus. W.

Digitized by Google

Nautici properant vectores.] Codex Regius [et Colbertinus] Editioque Romana ſic habent ſcriptum: *Nautici properante victores.* Unde non dubito quin legendum ſit: *Ut e mediis ſaevientis pelagi fluctibus eiici nautici properant et vectores.* Vectores ſunt epibatae, quo modo in codice Regio emendatum erat. Nautici vero ſunt nautae: ut in lib. 15. c. 9. §. 1. *Ne imitari videar deſides nauticos, attrita lintea quae licuit parari ſecurius, inter fluctus reſarcire coactos,* in lib. 14. cap. 2. Sic etiam loquitur Oroſius in lib. 4. capite 19. Quae quidem loquendi forma Graecanica eſt. Graeci enim eiusmodi adiectivis delectantur, et ναυτικοὺς dicunt pro ναύταις, et τεκτονικοὺς et γραφικοὺς pro fabris et pictoribus, ut Gregorius Nazianzenus in Oratione 27. et νομικοὺς pro Iurisperitis, ut occurrit apud Artemidorum in libro 4. Sic etiam στρατιωτικοὺς uſurpant pro στρατιώταις, ut Gregorius Nazianzenus in Oratione 32. eodem plane modo quo Marcellinus *militares* pro militibus ſaepiſſime ponit. Denique ἰατρικοὺς pro medicis dixit Porphyrius in Vita Plotini. Vide Leopardum in libri 12. cap. 3. VALES.

52. *Secans* feriens *terga miles* Romanus — *Enſibus flexis,* inflexis, eoque hebetatis. — *Ipſis barbaris tela eorum vitalibus immergebat.* Rectius: ipſorum barbarorum *vitalibus.* Vitalia h. l. inteſtina, uti xv, 3. W.

Tela eorum vitalibus immergebat.] Tela eorum dixit, quod alius diceret magis Latine, tela ſua, aut tela ipſorum: Graecorum more, qui αὐτὸς indifferenter uſurpant: τὰ αὐτῶν βέλη. VALES.

53. *Remedia mortis compendio poſtulantes*] nil niſi citam mortem optantes. Erneſtius: „accelerari ſibi mortem occiſione poſtulantes. Nam *remedia* ſunt adiumenta, et *mortis compendium* eſt mors accelerata. Niſi vero malis *mortis* ad *remedia* referre, ut *compendio* ſit, in ſexto caſu acceptum, idem quod brevi, celeriter. Nam *compendium breve* dixit Ammianus, ut ſupra notatum eſt. Poſſis etiam *compendio* in caſu tertio accipere, ſed in ſignificatione altera, quum lucrum denotat, ut ſit idem quod *ad compendium ſuum,* quemadmodum ipſe Ammianus dixit xx, 8. Sed neſcio cur magis inclinem eo, ut *impendio* legendum putem pro *impenſe,* valde, quae et ipſa vox noſtro eſt familiariſſima. Certe omnis illa ambiguitas ſic tolli poteſt.“ W.

Labente deficiente *ſpiritu. Lucis uſuram oculis morientibus inquirebant.* Erneſt. v. inquirere ſumta haec putat ex Virgil. Aen. 4. ult. oculisque errantibus alto quaeſivit caelo lucem ingemuitque reperta. *Trabalibus telis,* craſſis, gravibus. Pila ſine dubio intelligit, craſſiores haſtas, quibus Romani victorias plerumque debebant. v. Vegetium II, 15. W.

54. *Ad ſubſidia fluminis petivere.*] Sic XXII, 8, 47. conſtat *ad* hunc receſſum pariendi gratia petere piſces. — *Terga iam perſtringentis* ad quod propius fuga reiecti erant. W.

55. *Curſu ab armis concito.*] Longe elegantius in codice Regio [et Colbertino]: *Curſu ſub armis concito.* Atque ita Editio Rom. et Aug. et Baſil. Ut mirer, quis vulgatae Lindenbrogio lectionis auctor fuerit. Atqui ita ut edidimus loquuntur Ennius, Virgilius, Silius, et poſtremo Imp. in lege 1. quibus equorum uſus. VALES.

Digitized by Google

Cursu sub armis concito] Hoc referendum non ad fugientes, sed ad *miles* sc. Romanus, qui, quamquam armis oneratus esset, nihil tamen a cursu, persequendis hostibus remitteret. W.

Celeri corde statim *futura praevidens* quid agendum esset, perspiciens. W.

56. *Ad ima fluminis subsidebat*] in limo haesit. W.

57. *Aulaeis miranda monstrantibus*] velis in theatro subductis mira, tragica in scenis agi conspiciuntur. *Cum* (ab) *expeditioribus* nandi magis peritis quibus adhaeserant, *linquerentur*, desererentur, excuterentur. W.

Nonnullos clypeis vectos.] Clypeis versis amnis traiecti exemplum vidimus supra c. 11. §. 9. Quum vero in tali trepidatione *praeruptisque undarum occursantium molibus* vix fieri potuerit, ut scutis se committerent, olim in eam opinionem adductus eram, ut pro *vectos* mallem legere *tectos* eo sensu, ut praetentis clypeis per fluctus viam sibi *obliquis meatibus*, obliqueque incedendo aperirent. Nihil tamen in contexto volui mutare. W.

Spumans cruore decolor alveus insueta stupebat augmenta.] Prosopopoeia in poëta laudanda, in historico aliena. W.

58. *Prope Tribuncos et Concordiam.*] Concordia prope Brocomagum in Triboccis sita erat, ut docet Itinerarium Antonini (p. 253. Wesseling.). *Cluverius in capite 12. lib. 2. corrigit: *Prope Triboceos et Concordiam munimentum Romanum.* Ait enim fieri non potuisse, ut castra Chonodomarii vel Chnodomarii prope duo Romana munimenta essent: alioquin nimis vasta et ampla fuissent. Sed haec ratio nulla, vel certe levissima est. Quid enim? si castra Chnodomarii aequaliter distabant a duobus hisce Romanis munimentis; nonne dici poterant prope utraque posita esse? Accedit, quod emendatio illa, *prope Triboccos*, ferri non potest. Nam Tribocci vel potius Triboci nomen populi est, non autem loci. Sed neque ei assentior, quum dicit, *castra* ea Chnodomarii Regis esse ipsum vallum barbaricum seu castra omnium Alamannorum: neque enim dubito, quin diversa sint. Quippe Chnodomarius antequam copias suas cum ceteris Regibus Alamannis coniunxisset, castra ipse seorsum posuerat prope Tribuncos et Concordiam: deinde fugato Barbatione, cum ceteris popularibus copias suas iunxit, et prope Argentoratum una cum eis castra collocavit: ut testis est Marcellinus. Castra ergo Alamannorum reliquorum prope Argentoratum fuere; Chnodomarii *prope Tribuncos*, vel (ut in codice Regio et Colbertino legitur) *prope Tribunos*. Ex quibus refellitur alius error Cluverii, qui hanc pugnam Argentoratensem ait esse dictam, non quod sub ipsis Argentorati moenibus pugnata sit, sed quod notissima eius tractus urbs esset Argentoratum, quae tamen xv. millibus inde aberat. Putavit ergo prope Concordiam esse pugnatum infra Argentoratum: quod falsum est. Alamanni enim cum Barbationis exercitum fugassent adusque Rauracos, inde reversi, iunctis cum popularibus copiis in Argentoratensibus campis constitere, qui sunt inter Argentuariam et Argentoratum. Unde Victoris Epitome 42, 13. *in Argentoratensibus campis* a Iuliano Caes. pugnatum esse refert;* [et Ammianus ipse libri 17. c. 1. §. 1. eam *Argentoratensem pugnam* diserte appellat, et in lib. 15.

Digitized by Google

c. 11. §. 8. *Argentoratum Barbaricis cladibus notam* ob id nuncupat: in libro 17. c. 1. §. 13. tres Reges memorat, *qui miſere victis apud Argentoratum auxilia:* et in lib. 20. c. 5. §. 5. de proelio iſto loquens, *prope Argentoratum illuxiſſe illam beatiſſimam diem* ait. Eutropius in libro x. c. 14. ſcribit. a Iuliano Caeſ. *apud Argentoratum ingentes Alamannorum copias exſtinctas eſſe.*] VALES.

Lapſus] elapſus. *Quae prope Tribuncos et Concordiam, munimenta Romana, fixit intrepidus.* Et hic haeſi haereoque etiamnunc, nec impetrare a me poſſum, ut τὸ *intrepidus* a manu ipſius Ammiani eſſe credam. Quid ſi pro eo legas *in Triboccis?* Mannertus in Gallia p. 233. *Tribuncos* ditioni Triboccorum paullo timidius aſſignat. Quid ſi igitur qualicunque mea coniectura viro praeſtantiſſimo hoc dubium evellerem? *Concordia* autem, uti iam ſuo tempore coniecerat Surita, v. Weſſeling. Itiner. p. 253. in Triboccis ſita fuit. Haud temere igitur putaverim me feciſſe, qui in textum receperim. W.

Eſcenſis navibus.] Quum ſic viderem notare Lindenbrogium ex codice S. Marci Florentiae, non dubitavi id ſequi, etſi Pariſiis id verbum in Latinitate velint ignorare, ut praeter hunc locum oſtendunt indoctiſſimae notae, quibus illic contaminarunt Livium. Vix eſt, ut non arbitrer etiam in codicibus Mſſ. per Valeſios inſpectis ſimiliter haberi; ut certo non debuerint contra illos edere *adſcenſis.* GRON.

Eſcenſis navigiis.] Erneſti laudat Gronovium ad Liv. XII. 17. (ſcrib. VIII, 17.) qui diſtinguit inter *eſcendere* et *exſcendere.* Illud, ait, eſt ſurſum niti ſcandendo, hoc e navi deſcendere. Quod ſi ita eſt, eſcenſis Ammiano eſt idem, quod conſcenſis. W.

In ſecretis ſeceſſibus evaderet.] Ita correxit Gelenius, cum antea legeretur in cunctis Editionibus *emendaret.* In Regio codice ſcriptum eſt *demandaret.* Unde facile erat veram ſcripturam elicere, praeſertim cum Marcellino noſtro familiaris ſit haec locutio, ut in libro 25. c. 8. §. 1. et alibi. VALES.

59. *Tentoria.*] Sic Valeſiana. Erneſtius contra tacite recepit *territoria,* quod ſolum verum puto. Placet viri modeſtia vel confidentia, qui quod in Gloſſario tam felicis audaciae nullam plane mentionem fecerit, ſub v. *Territorium* tamen uſum illius vocis ex ipſo Ammiano XVI, 2. et Cod. Theodoſ. probaverit. W.

Cumque propinquaret iam ripis.] Rhenum igitur non transiit, ſed *lacunam* lacum *paluſtribus aquis interfuſam circumgrediens, calcata mollitie glutinoſa* ſolo lutoſo cedente, *equo eſt evolutus.* — *Ad ſubſidium collis evaſit,* contigit ei, ut ad collem, quo vitam ſervari ſperaret, eluctaretur. Sic *ſubſidium* XVII, 1. — *Perrumpere* aperta vi adoriri. W.

60. *Comitesque eius ducenti.*] Paullo ante *ſatellites* vocavit, ut notat Cluverius in capite 48. Germaniae antiquae. Infra quoque in libro XXI. *comites* appellantur; in libro XXIX. et XXXI. *ſatellites* dicuntur, uti ab Hieronymo in Micheam pag. 341. et a Procopio in libro 2. Vandalicorum pag. 161. Sed non probo, quod Cluverius ibidem ſcribit, Romanos nomina illa *Ducum* et *Comitum* a Germanis, qui in Palatio Caeſarum militabant, hauſiſſe. Germani enim potius ea vocabula dignitatum a Romanis hauſerunt, cum ſint mere Latina.* VALES.

Digitized by Google

Flagitium arbitrati post Regem vivere, vel pro Rege non mori.] Tacit. de Morib. Germ. 14. *Infame in omnem vitam ac probrosum, superstitem Principi suo ex acie recessisse. Illum defendere, tueri, sua quoque fortia facta gloriae eius assignare, praecipuum sacramentum est.* Curtius lib. IV. c. 15. *Curru Darius, Alexander equo vehebatur: utrumque Regem delecti tuebantur, sui immemores: quippe amisso Rege nec volebant salvi esse, nec poterant.* LINDENBR.

61. *Servus alienae voluntatis*] iam non sui iuris, qui ab arbitrio victoris penderet. Similiter, monente Cuneft., in Codice Theodosiano l. 3. de sentent. passis et restit. lib. 9. t. 43. *servi libidinum* dicuntur. — *Cineribus* incensis a se civitatibus. W.

62. *Occinente liticine*] Liticinum cantus XIV, 2. W.

Scutorumque ordine multiplicato vallatus, victu fruebatur et somno.*] Iordanes in Geticis: *Aëtius tandem ad socia castra perveniens, reliquum noctis scutorum defensione transegit. LINDENBR.

Scutorumque ordine multiplicato vallatus.] Munitio castrorum fiebat olim generibus quinque: fossa, vallo, cervulo, aggere, et agminibus. Quoties cervuli deerant, et erat locus suspectior, agminibus seu armorum ordinibus quatuor castra muniebant, ut per singulos ordines vigiliae ordine ponerentur; et equites alterna vice castra circuibant. Si in pacato castra essent, unus ordo armorum sufficiebat, vigiliae rariores ponebantur, ut scribit Hyginus in Gromatico. *Idem etiam in obsidionibus urbium fiebat, ut dicemus ad librum 21. Sed Lipsius in libri v. de militia cap. 6. hos scutorum ordines, quorum heic et alibi meminit Marcellinus, reipsa seriem fuisse scutorum existimat humi depositorum, ridiculo et puerili errore.* VALES.

63. *Ceciderunt Romani* 243.] quod vix credibile. — *Tribunus vacans* v. Ind. II. W.

Sex millia corporum.] At Zosimus III, 3. plus aequo Iuliani gloriae studens, sexaginta millia Alamannorum dicit in campo constrata, totidemque vi fluminis consumpta: quod est falsissimum, cum ante hanc pugnam XXXV. dumtaxat armatorum millia in Germanorum exercitu numerarentur, ut Marcellinus noster testatus est supra; seu XXX. millia, ut ait Libanius in Orat. citata. Idem Libanius octo millia Germanorum in acie dicit interempta his verbis (Reisk. I. p. 552.): καὶ ἐκεκάλυπτο μὲν τὸ πεδίον ὀκτακισχιλίοις νεκροῖς· ἐκρύπτετο δὲ ὁ ῥῆνος τοῖς ἀπειρίᾳ τοῦ νεῖν ἀποπνιγεῖσι. Sic enim supplemus eum Libanii locum ex Mf. codice. Nam in vulgatis exemplaribus numerus occisorum deest. Quae eum ita sint, paene adducor, ut credam in Zosimo legendum: ἐξ μὲν ἐν αὐτῇ τῇ μάχῃ χιλιάδων ἀπολομένων, etc. non μυριάδων. (Valesio suffragatur Heynius ad Zosimi l. l. W.) Contigit autem insignis haec Iuliani victoria in Argentoratensibus campis Constantio IX. et Iuliano II. Coss. anno Domini 357. *In Mf. Regio [et in Colbertino,] *sex aliis milia corporum*, legitur, vel *alius*.* VALES.

64. *Ut erat fortuna sui spectatior*] quod Nostri dicunt, *er übertraf sich selbst*, Graeci κρείττων ἑαυτοῦ, v. Viger. de idiot. III, 2, 12. (p. 68. Herm.) Quae si mens Ammiani fuit, mirum tamen, quod Graecismi tenacior iusto τὸ *sui* retinuerit, nec Ablativum

rum *se* posuerit. Sed in his placuere sibi illius aetatis scriptores, et Corippus de laudibus Iustini IV. 130. adeo *meliorem sui* habet. Nec desunt alia rariora τοῦ sui exempla, v. c. XIV, 11, ubi *sui locati* pro *suorum locatorum* positum esse monuit Valesius, et XXXI, 7, 9. ob iustiorem *sui* causam. W. Ego vero quominus viri dum viveret, praestantissimi interpretationem sequar, pluribus causis impedior, e quibus unam satis est attulisse, quod vocis *fortuna* nullam prorsus habuit rationem. Est autem haec vox, nisi me omnia fallunt, in casu sexto eoque comparativo accipienda et *sui* pro *sua* positum, ut XXXI, 7, 9. quem locum ipse Wagnerus affert, *sui* causam pro *suam*, Ovid. Metam. I, 30. gravitate *sui*, et aliis lexcentis locis. Hoc itaque voluit Ammianus: *ut erat virtute sua, quam externa conditione, insignior;* quam rationem sequentia verba: *meritisque magis quam imperio potens* ita confirmant egregie, ut explicationis loco subiuncta esse videri possint. ERF.

65. *Concilio Chnodomarium iussit offerri.*] In codice Regio scriptum est: *Concilio . . . . . mus speciare Chnodomarium sibi iussit offerri:* et sic fere in Mss. Florentino legi testatus est Lindenbrogius. [In Colbert. legitur: *Concilio . . . . muspeciare Chnodomarium sibi iussit offerri.*] Unde coniici potest, ita a Marcellino scriptum fuisse: *Concilio convocato captivos omnes, specialiter Chnodomarium sibi iussit offerri.* In exemplari Regio Cnodomarius ubique scribitur, praeterquam uno aut altero in loco. Iulianus in Epist. ad Athenienses χνοδομάριον vocat. In Victoris Epitome dicitur Nodomarius in Mss. VALES.

Curvatus] corpore ad salutationem inflexo. W.

Gentilique pace veniam poscens.] Emendandum esse existimavi, *gentili prece;* quomodo Marcellinum alibi locutum esse memini: sed locus in praesenti non succurrit. (*Pacifica prece* est 30, 5, 1. W.) VALES. Modo ante reposui *suppliciter*, ubi novelli Parisienses perperam ediderant *simpliciter*. GRON.

66. *Castra peregrina quae in monte sunt Coelio.*] In regione nempe Urbis II. Sext. Rufus et Victor in Descriptione Urb. LINDENBR. In regione Urbis XI. peregrina dicta, quoniam hospitia ibi peregrinorum ab Augusto, ut aiunt, instituta sunt. Donatus de Urbe Roma p. 210. W.

Morbo veterni consumtus est.] Veterum est omnino nimia ad somnolentiam proclivitas, torpor ex hydrope, marasmo senili cet. ortus. Ill. Müllerus Gesch. der Schweiz p. 78. interpretatur *Heimweh*. W.

67. *Iniuriissime Victorinum.*] Sic primus excudi iussit Gelenius, ex coniectura, ut opinari datur. Nam in Mss. Flor. legitur, *inurisme*. Ego vero cum in codice Regio *Tolosanoque,* [et Colbertino] reperissem scriptum *inurisive*, una littera expuncta legendum esse putavi *inrisive*. In Editione certe Rom. legitur, ... *sive Victorinum*. VALES.

Quidam Iulianum Inrisivo Victorinum nominabant, quod superatos indicabat saepe Germanos.] Sic iidem Aulici adulatores in Palatio Constantii de Iuliano dictitabant: *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo:* ut Ammianus in lib. XVII, 11, 1. tradit. Victorinus autem, strenuus admodum ac belli scien-

tia clarus, post Postumum atque Lollianum Tyrannos imperavit in Galliis principatu Gallieni Aug. ac multas ex Alamannis et Francis ceterisque Germanis victorias tulit: ita ut ob id maxime Iulianus, Alamannorum et Francorum victor, ei comparari potuerit. Iulianum porro Aulici in comitatu Constantii per ludibrium *Victorinum* quidem a victoriis suis Germanicis appellitabant: sed praeterea hoc nomine tacite significabant metuendum cavendumque esse, ne sicuti sub Gallieno Victorinus fecerat, Iulianus quandoque a Constantio auctore suo deficeret, ac Galliarum Imperium occuparet.] VALES.

68. *Ostentationem aperte lucentium.*] Ernesti exponit de iis, quae nemo ignoraret, nemo non agnosceret. Ego vero Ammianismum malim agnoscere, ut Neutrum pro Activo positum sit hoc sensu: laudum iactantiam aperte prodentium, e quibus ostentatio ubique perluceret. W. Potior videtur Ernestii explicatio. ERF.

Felicibus eius auspiciis assignabant.] Non omnino absque iure, ut ait Aurelius Victor c. 43. cuius haec sunt verba, ubi de Iuliani Caesaris rebus gestis loquitur: *Quae quamquam in eius fortuna, Principis tamen et consilio accidere. Quod adeo praestat, ut Tiberius Galeriusque subiecti aliis egregia pleraque; suo autem ductu atque auspicio minus paria experti sint.* [Quae sic emendanda censeo: *Quae quamquam vi eius, fortuna Principis tamen et consilio accidere:* id est, quae licet virtute ac industria Iuliani Caesaris acciderint: tamen fortunae, felicitati, atque consiliis Constantii Aug. sunt adscribenda.] VALES. Admodum sero haec emendatio per postremam Parisinam editionem venditatur; quum vel ante primum harum notarum exitum ab Germanis locus ille et quidem ad eundem modum fuerit constitutus, ut patet ex indicio, quod ultimus professus est Rupertus ad Valerii Maximi librum IV. cap. 1. pag. 266. (et Freinshem. ad Curtium 5, 9. W.) ORON.

Felicibus eius auspiciis adsignantes.] In quo si adulatio esset, non tamen tum demum inducta, quum, quod libera republica ius auspicii summi exercituum duces habuissent, Imperatores postea inde ab Augusto, uti triumphos, sibi servaverint, quamquam bellis non ipsi interessent. Omnino in Iuliani gratiam Ammianus plus iusto detraxisse Constantio videtur. W.

69. *Tunc et deinde edictis propositis arroganter satis multa mentiebatur, se solum, cum gestis non adfuisset, et dimicasse, et vicisse, et supplices Reges gentium erexisse aliquoties scribens, etc.*] Nimius quidem fortitan in affectatione laudis et in iactatione sui fuit Constantius Aug. non ideo tamen a Marcellino tantopere in gratiam Iuliani debuit irrideri: cum Aurelius Victor, scriptor aequalis, de hac ipsa re scribens, Iuliani Caesaris ex Alamannis victorias captosque eorum Reges, *virtuti quidem eius, fortunae autem et consiliis Constantii Principis assignet*, uti docent verba Victoris supra laudata. Imperatores tum Caesares suos pro Ducibus suis, ac paene etiam pro Apparitoribus habere consueverant, sicut ipsemet Marcellinus indicat, de Gallo et Iuliano Caesaribus loquens. Quis autem miretur, Imperatorem aut Regem Ducum suorum victorias sibi vindicare, ipsius auspiciis atque consiliis, militum ipsius manibus relatas? Iuliano Caesare in Galliis pugnante cum Germanis, aberat quidem Constantius corpore; sed aderat animo, aderat consiliis suis, suis auspi-

Digitized by Google

ciis ac initiis, imperio ſuo. Per milites eius ſtipendio conductos res gerebatur: in ſignis atque vexillis imago eius praeferebatur: idem advecto undique ex provinciis ſuis commeatu paſcebat exercitum: ita ut qui haec cuncta animadverterit, negare vix poſſit Imperatorem fuiſſe praeſentem: *A vobis proficiſcitur, etiam quod per alios adminiſtratur: in omnibus pulcherrimis rebus, etiam quae aliorum ductu geruntur, Diocletianus facit; tu tribuis effectum:* ut ait Mamertinus in Panegyrico Maximiano Aug. dicto c. 11. Marcus Aurelius Antoninus Britannos, inprimis Brigantes, per Lollium Urbicum Legatum vicit, et magna finium parte multavit: et tamen in Panegyrico, quem Eumenius Conſtantio Caeſari dixit, de Britannica iſta Antonini victoria haec reperio c. 14. *Fronto Rom. eloquentiae alterum decus, cum belli in Britannia confecti laudem Antonino Principi daret, quamvis ille in ipſo Urbis Palatio reſidens, alteri gerendi eius mandaſſet auſpicium: veluti longae navis gubernaculis praeſidentem, totius velificationis et curſus gloriam meruiſſe teſtatus eſt.* Quin etiam obſervo, nonnumquam quae Reges ac Imperatores per legatos ſuos ducesve geſſere, ipſorummet Regum ac Imperatorum *ductu geſta* dici: quaſi ipſi exercitus ſuos duxerint, ipſi bellis ſuis ac proeliis praeſentes interfuerint. Certe Q. Curtius initio libri v. de Alexandro Darium victum inſequente, et de eius abſentis in Graecia Thraciaque victoriis ſic loquitur: *Quae interim ductu imperioque Alexandri vel in Graecia, vel in Illyriis et Thracia geſta ſunt, ſi quaeque ſuis temporibus reddere voluero, interrumpendae ſunt res Aſiae, etc.* Auguſtus Caeſar omnia externa bella, excepto Dalmatico atque Cantabrico, per legatos adminiſtravit, ſi Suetonio creditur; ac in primis Alpes feris nationibus celebres abſens perdomuit. Nihilominus tamen Inſcriptionem refert Plinius in lib. III. capite XIX. in qua *eius ductu auſpiciisque gentes Alpinae omnes ſub Imperium populi Rom. eſſe redactae* dicuntur, ac ſuis quaeque nominibus appellantur.] VALES.

Satis multa mentiebatur: ſe ſolum, quum geſtis non adfuiſſet, etc.] In luto ſycophantae aut philoſophi haerere hic Ammianum iudicat Gruterus, fere cum Valeſianis conveniens, quum nemo unquam Regum aliter ſcripſerit, imo aliter ſcribere debuerit ad homines aulicarum rerum peritos, in diſſertatione prima ad Tacitum, ubi agit de auſpiciis et eorum maieſtate. Quam ut agnoſcimus, ſic totus latinae linguae uſus, cui utique aula Romanorum Principum in multis partibus normam dedit, ſemper diſtinxit inter auſpicia et ductum ipſius Imperatoris, cuius tamen ſic quoque auſpicia aderant. Et longe aliud eſt, ſi aulicus efficaciam auſpiciorum amplificet; aliud moderatio Principis, non quidem ea inficiantis, ſed ex vero temperantis deſiderat, ut et Conſtantii ſermo potuerit verior fuiſſe, nec tam aperto ludibrio affinis. GRON.

Edictis propoſitis] nuntiis, relationibus per provincias miſſis. *Erexiſſe* ſurgere iuſſiſſe, veniam iis pacemque conceſſiſſe. *Per textum longiſſimum* etſi fuſius omnia ad faſtidium usque enarrata eſſent. VV.

Laureatas litteras.] Plin. lib. XV. cap. XXX. de lauro: *Romanis praecipue laetitiae victoriarumque nuntia additur litteris,*

Digitized by Google

et militum lanceis pilisque. *Tacit. Hiſtor. 3. c. 77. *Lauream proſpere geſtae rei ad fratrem miſit.** Appian. in Mithrid. c. 77. Λούκουλλος περὶ τῶνδε Ῥωμαίοις ἐπίστελλε τὰ γράμματα δάφνῃ περιβαλών, ὡς ἔθος ἐστὶν ἐπὶ νίκαις. Lamprid. in Alexand. Sever. c. 58. *Actae ſunt res feliciter in Mauritania Tingitana per Furium Celſum — atque ex omnibus locis ei tabellae laureatae ſunt delatae:* et alibi apud Livium. LINDENBR.

Laureatas litteras ad provinc. ſigna mittebat.] Recte in Editione Rom. perinde ac in MSS. omnibus legitur, *ad provinciarum damna.* Quanto damno provincialibus hae fuerint litterae, ſatis docet Salvianus in lib. 5. et titulus totus in Codice Theod. ne quid publicae laetitiae nuntii ex deſcriptione, vel ab invitis accipiant. Verba Salviani ſunt haec: *Veniunt plerumque novi nuntii, novi epiſtularii a ſummis ſublimitatibus miſſi, qui commendantur illuſtribus paucis ad exitia plurimorum: decernuntur his nova munera, novae indictiones: decernunt potentes, quod ſolvant pauperes: decernit gratia divitum, quod pendat turba miſerorum.* *Quare Chryſoſtomus in comparatione Regis et Monachi ait, Reges ſubditorum damno et vincere et vinci, eorumque victorias plus fere ſubiectis graves eſſe, quam clades, eo quod plus inde licentiae accedit militi, plus etiam Imperatori.** Accedit teſtimonium Libanii ex Orat. pro Ariſtophane Corinthio pag. 213. (Reisk. 1. p. 428.) cuius verba facere non poſſum, quin hic adſcribam: καὶ οὐκ ἔστιν ὅστις ἐπιδείξει τοῦτον οὐκ ἐπιμελητὴν ὁρίων, οὐκ ἄγγελον ὑπάτων, οὐ νίκης μηνυτὴν, οὐδὲ ἄλλο τῶν τοιούτων ὑπηρετηκότα, ὃ τὰς μὲν πόλεις ἀπώλλυεν, τοὺς δὲ δοκοῦντας διακονεῖν μετὰ ἁμαξῶν χρυσὸν ἀγουσῶν ἀπέπεμψε. *Neque quisquam oſtendet hunc aut limitis inſpiciendi, aut Conſulum nuntiandorum, aut indicandae victoriae, aut aliorum ſimilium miniſterio functum eſſe: quae omnia civitatibus quidem perniciem creabant, ipſos vero miniſtros cum curribus auro onuſtis dimittebant.* Loquitur de Ariſtophane, qui fuerat Agens in rebus. *Ad quorum Scholam haec miniſteria pertinebant. Porro hae laureatae litterae, ſimul atque acceptae fuerant in provinciis, ſtatim publice recitabantur in Theatro, adſtantibus Honoratis, Decurionibus et plebeiis, idque ſummo cum ſilentio ac reverentia: ut teſtatur Chryſoſtomus Homilia xx. in Matthaeum: ubi inter cetera quum ait: καὶ τὰ ἐπινίκια ταῦτα ἃ τὰ γράμματα εὐαγγελίζεται, πολλῷ τῶν ἐν τῇ γῇ Φρικωδέστερα; manifeſte ad laureatas litteras alludit, quibus victoriae Principum nuntiabantur: idque ex ſequentibus magis etiam apparet, licet interpres aliter intellexiſſe videatur.* VALES.

Laureatas literas.] Has laurea cinctas olim reportata ab hoſtibus victoria duces ad Senatum mittere ſolebant, quorum exempla Imperatores deinde ſecuti, v. c. Maximus ap. Iul. Capitolinum in Maximinis c. 24. At vero et ex aulis eiusmodi nuntii per provincias mittebantur, ſed *ad provinciarum damna*, avaritia praeſertim Agentium in rebus, qui praeter aurum coronarium (v. xxv, 4, 15.) quod exigi a provinciis ad pompam Imperatorum triumphantium ſolebat, nec ſui immemores erant. W.

70. *In tabulariis Pr. publicis condigne ſcriptis.*] Hunc locum, prout in Regio codice legebatur, excudendum curavi, exploſa

Digitized by Google

coniectura P. Caſtelli, qua nihil abſurdius. [In Mſ. Colbert. legitur *dicta* pro *edicta*, item *extollendoque*.] Quod ſi coniecturae locus eſſet, ſic fere ſcriptum a Marcellino fuiſſe exiſtimarem: *Exſtant denique eius Principis edicta in tabulariis publicis condita, in quibus ambitioſe delata narrando, extollendoque ſemet in coelum, ab Argentorato, etc.* VALES.

Tabulariis publicis.] In quibus adſervantur acta publica, privilegia, aliaque id genus ſcripta, quorum Reipubl. intereſt. Cicero pro Archia, et de Nat. Deor. *Privata tabularia*, in quibus chartae privatae. L. 92. ff. de leg. III. *In fundo tabularium eſt, in quo ſunt et complurium mancipiorum emptiones, ſed et fundorum variorum et contractuum inſtrumenta.* LINDENBR.

Manſione XL. *diſparatur.*] D. Hilarius in Pſalm. CXVIII. *In communibus et terrenis viis legem meminibus eſſe in ſpatiis menſurarum, cum paſſuum mille intervallo quaedam viae ſigna ſtatuuntur, cum manſionum requies disponitur, cum usque ad urbem refectioni viantium congrua rurſum manſionum intervalla dimenſa ſunt.* Hocque ſignificatu reperitur ſaepe in Notitia viarum, item apud Hieronym. Iordanem Hiſtoriaeque Augg. Scriptores. LINDENBR.

Manſio, ubi poſt unius diei iter quieſcebant milites vel currus publici. — *Sepelierat*, ſepeliiſſet. cf. ſepultam inertiam Horat. Od. IV. 9. 29. W.

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XVII. C. I.

1. *Hac rerum varietate ita concluſa his.*] ita feliciter peractis. cf. XXIII. 5, 24. — *Praediximus* XVI. 12. init. *Abſolutis* dimillis — *ad Tres Tabernas* (Rhein-Zabern). W.

2. *Mediomatricos* XV, 11. (Metz) — *Mogontiacum* (Mainz) — *noſtris* provinciis, terris — *poſt documenta* virtutis — *omnis operae conturmalem* laborum omnium ſocium. W.

**Moxque ut ad locum praedictum eſt ventum.*] Scribe ex Editione Rom. et ex Mſ. Regio [ac Colbertino:] *Moxque ad locum praedictum eſt ventum;* ut libro XIV. cap. 10. et libro XVI. cap. 7. Sic in Geſtis purgationis Caeciliani et Felicis pag. 14. et pag. 22. Sed et Marcellinus Comes in Chronico Lucio Conſule, nec non Paullo et Muſciano Coſſ. ita loquitur; ita et Commodianus.* VALES.

3. *Praeſtricti*] quorum animi, uti oculorum acies, terrore erant hebetati, obtuſi. *ut primae vertiginis* turbinis tempeſtatis *impetum.* Sic *vertigo* rerum pereuntium XXXI, 10. — *verbis compoſitis* ad fraudem. W.

4. *Clara fide*] certo, XXI, 13, 6. — *Decurſo* ſc. Rheno, de qua nominum ellipſi vide ad XVI, 12. §. 7. W.

Eorum viginti ſurſumverſus.] Cum haec ſenſu omni careant, ſic legenda eſſe exiſtimamus: *Ea re ut vi ingenti ſurſumverſum decurſo* (ſupple Rheno) *egreſſi, quidquid invenire potuerint, ferro violarent et flammis.* VALES.

6. *Neceſſitudinibus ſuis*] coniugibus et liberis. W.

7. *Opulentas pecore villas et frugibus.*] Tacit. de Germania c, 5. *Satis ferax, frugiferarum arborum impatiens, pecorum ſecunda, ſed plerumque improcera: ne armentis quidem ſuus honor, aut gloria frontis: numero gaudent, eaeque ſolae et gratiſſimae opes ſunt.* Vide Caeſ. de Bello Gall. lib. IV. c. 1. LINDENBR.

Domicilia curatius conſtructa] non caſae, ſed iuſtae domus, apte *ritu Romano* ad exemplum Romanorum aedificata. W.

8. *Emenſa aeſtimatione decimi lapidis*] decem circiter milliaria emenſi. W.

Prope Silvam veniſſet.] Hercyniam ſilvam videtur eam vocare Zoſimus in lib. 3. c. 4. et Iulianus Aug. apud Suidam in voce

Digitized by Google

χρῆμα. *Hodie *der Speſſard* dicitur, pars quondam ſilvae Hercyniae, eſtque in laeva Moeni ripa, haud procul a Confluentibus Rheni et Moſellae, ut ait Cluverius in cap. 7. lib. 3.* VALES.

Per ſubterranea quaedam occulta.] *Subterraneum*, ὑπογεῖον: qua ratione etiam *ſubaquaneum*. Utrumque apud Tertull. de Anima, cap. XXVIII. *Mortem ſimulat, ſubterraneo latitat, ſeptenni ſe illic patientiae damnat.* Cap. XXXII. *Aëri contraria* (animalia) *quae ſemper ſubterraneum et ſubaquaneum viventia, carent hauſtu eius.* LINDENBR.

Foſſas multifidas] multis meatibus diſtinctas. *Habile* opportunum, conſentaneum. XVIII, 2, 9. W.

9. *Inciſis*] caeſis. — *Robore abietum magno*, multis abietibus. W.

10. *Aëris urente ſaevitia*] de hieme. cf. ſidere urente brumali XVI, 12, 15. W.

11. *Munimentum quod in Alamannorum ſolo conditum Traianus ſuo n.*] Dubio procul intelligit Coloniam Traianam, cuius mentio in Itinerario Antonini Aug. et Notitia viarum: — — *Agrippina, Noveſio, Aſciburgio, Veteribus, Colonia Traiana.* LINDENBR.

Munimentum Traiani] Nuspiam alias occurrit. Plerumque in agris Schafnaburgenſium (Aſchaffenburg) illud quaerunt, quoniam numi, aliaeque Romanae reliquiae ibi inveniuntur. Mannertus vero in Germania p. 272. inprimisque p. 566. propius ad Moguntiam ſitum fuiſſe ex tota ſerie narrationis Ammiani et ad oppidum *Hoechſt* quaerendum eſſe recte exiſtimat. — *Ex barbarorum viſceribus*, terris interioribus. Eadem translatio haud raro apud Livium obvia. Similiter Ciceroni dicuntur *aerarii viſcera*, obſervante Erneſt. W.

12. *Volucriter*] velociter, XX, 4, 21. XXIX, 1. 18. *congregati* in concionem. — *Oratoribus* legatis — *omni conſiliorum via firmata* omnibus probe diligenterque ponderatis. Sic c. 8. §. 2. *firmato conſilio*. Poſſis tamen etiam legere *firmataM*. — *cauſſatus plurima* multas cauſas afferens — *ſupra* citius, quam optari potuit. W.

13. *Conceptis ritu patrio verbis*] Intelligendum de formula iurisiurandi, conceptis lingua Alamannica verbis, quae praeire iubebat Iulianus. W.

14. *Comparando Punicis et Teutonicis* (Cimbricis). Nimia haec comparatio. W.

CAPVT II.

1. *Sudorum*] laborum. *Remos* (Rheims) *Agrippinam* (Cöln) et *Iuliacum* (Jülich). W.

Francorum val. cuneos in ſexcentis velitib.] Mille dicit Libanius in Orat. funebri (Reisk. 1. p. 545.) his verbis: ἀλλ' ἐν χειμῶνι μέσῳ τοῦτο μὲν Φραγκοὺς χιλίους, οἷς ταυτὸν εἰς ἡδονὴν χιών τε καὶ ἄνθη, κώμας τινὰς πορθήσαντας, ὧν ἐν μέσῳ Φρούριον ἔρημον, περιστοιχισάμενος καὶ καταχλείσας εἰς τοῦτο, λιμῷ λαβὼν

ἔπεμψε δεδεμένους τῷ μείζονι. Id est: *Sed adulta iam hieme Franci numero mille, quibus nives perinde voluptati sunt ac flores, vastatis aliquot vicis, quorum in medio castrum erat desertum, circumsessi a Iuliano, et in illud castrum inclusi sunt. Eosque cum fame ad deditionem coegisset, vinctos ad Augustum misit.* Addit deinde Libanius, Constantium hos barbaros Iuliani munus ad se missum videri noluisse, v. Gibbon. T. IV. p. 344. not. 81. W.) eosque suis legionibus miscuisse. VALES. Legendum puto *Francorum validissimos cuneos M. sexcentis velitibus*, id est, mille sexcentis. Oiselius. Sed codex Colbertinus aliique huic coniecturae refragantur. HADR. VALES.

Francorum] Olim Cheruſci, quorum foedus cum diremissent Langobardi, novum contra hos pepigerunt, collectis pluribus Germaniae populis. Franci (Liberi) Galliam saepius infestarunt, et in Hispaniam adeo penetrarunt. Iuliani aetate sedes inprimis habuerunt ad Mosam et Vahalin (Maas und Waal.) v. omnino Mannert Germ. p. 259. ff. Rex Francorum cum Iuliano pacem fecerat, XVI, 3, 2. W.

In sexcentis velitibus] Τὸ *in* illius aetatis scriptores uti crebro omittunt, ubi adesse debebat, ita contra ponunt, ubi redundat, uti h. l. W.

2. *Iisdem intactis*] non coercitis. Sic Ernesti. Ego vero potius referam ad *munimenta*, ideoque nisi hostibus ea eriperet. W.

Castellum oppidum.] Vide quae de hoc Castello accurato studio adnotavit Clarissimus et inter praecipua virtutis atque doctrinarum exempla nominandus, Marcus Velserus Duumvir Aug. in explicatione Schedae itinerariae antiquae, pag. 39. LINDENBR.

Castellum oppidum quod.] Tria haec verba Castellus ex ingenio supplevit, cum in Editione Rom. vacuum spatium esset relictum, perinde ut in Regio codice, *Tolol.* [et Colbertino.] Libanius in loco supra laudato Φρούριον ἔρημον appellat. Castellum quidem Menapiorum memorat Ptolemaeus iuxta Mosam: hodie *Kessel* vocant. Sed ita a Marcellino scriptum fuisse, vix possum in animum meum inducere. VALES. Cur non simpliciter intelligimus duo munimenta ista, de quibus dixit? etsi videatur abruptius. GRON. Verba *Castellum oppidum, quod* temere a Castello inculcantur. v. Wesseling ad Itiner. p. 376. W.

Praeterlambit] Eadem vox XXV, 10, 5. pro praeterlabi. W.

3. *Lusoriis navibus.*] Ad impediendos barbarorum discursus habebant Romani in limitibus naves speculatorias, quas *lusorias* vocabant. Ammian. lib. XVIII. c. 2. *Lusoriae naves quadraginta.* L. unic. C. Theod. de lusoriis Danub. Novella Theodos. XXXI. Veget. lib. IV. cap. ult. Epiphan. Episc. λόγῳ Ἀγκυρ. pag. 513. Ὁ Ἀντίνως ὁ ἐν Ἀντινόου κεκηδευμένος, καὶ σὺν λουσορίῳ πλοίῳ κείμενος ὑπὸ Ἀδριανοῦ οὕτως κατεστάγη. Flav. Vopisc. in Vita Bonosi Imp. (Scriptt. H. A. T. II. p. 767. ubi cf. Salmasius. Eundem vide ad Vopisci Aurelian. c. 38. p. 520. ed. Hack. W.) *Cum quodam tempore in Rheno Romanas lusorias Germani incendissent, timore ne poenas daret, sumsit imperium.* Ea enim vera est lectio huius loci, vett. libb. fide suffulta. De hisce lusoriis optime P. Pithoeus I. C. Adversar. lib. I. cap. XIV. LINDENBR. *Lembi amnici* XXX, 3. W.

Digitized by Google

Cruſtis pruinarum] glaciei. W.

4. *Repedare ad ſua.*] Lib. XIX. c. 6. §. 9. *Velut repedantes ſub modulis.* Lib. XXVI. c. 5. §. 11. *Repedare ad Illyricum.* Impp. Honor. et Theod. leg. 11. C. de cohort. *Repedare ad priſtina ſacramenta.* Vid. Pomp. Feſt. et Non. Marcell. in *repedare.* LINDENBR.

Repedavit] i. e. pedem retulit. Saepius frequentat Ammianus, et illius aetatis auctores, Ditmarus Merſeb. etiam habet. *Pariſios*, tum nonniſi caſtellum in inſula fluvii Sequanae. Ritterus ad Guthrium T. v. Sect. 1. p. 46. v. ad XV, 11, 3. W.

CAPVT III.

1. *Plurimae gentes vi maiore collaturae capita ſperabantur*] timendum erat, ne maiores copias undique congregarent — *Magnis curarum molibus ſtringebatur*, pretioſius dictum pro admodum ſollicitus erat. *tributi ratiocinia dispenſavit*, ordinavit, deſcripſit, quid quisque tributi penderet. W.

2. *Florentinus Praefectus Praetorio*] cf. XVI, 12, 14. Tum temporis erant magiſtratus civiles, ideoque reditus etiam provinciarum eorum curae erant commilli. v. Ind. II. h. v. — *Cuncta permenſus* ſubductis accurate rationibus. W.

Quidquid in capitatione deeſſet, ex conquiſitis ſuppleret.] Quod hic *conquiſitum*, inf. *indictionale augmentum* dicitur. LINDENBR.

Ex conquiſitis ſe ſupplere firmaret.] Tria ſunt genera penſitationum: canonis, oblationis, indictionis, ut notat Aſconius in 3. Verrinam. Et canon quidem ſeu *canonici tituli*, ut in lege 36. Cod. Th. *De annona et tributis*, ſeu *canonicae praebitiones*, ut in lege 4. *tributa in ipſis ſpeciebus inferri*, Cod. eodem, ſunt ſollemnes et antiquae praeſtationes: unde et *ſollemnia* dicuntur ab Hermogeniano in lege 1. D. de muneribus, et a Marcellino noſtro infra (hoc ipſo capite) *Gratandum*, inquit, *eſſe, ſi provincialis hinc inde vaſtatus ſaltem ſollemnia praebeat, nedum incrementa.* Indictio vero eſt quidquid praeter canonem indicitur. Plinius in Grat. actione c. 29. *Nec novis indictionibus preſſi ad vetera tributa deficiunt.* Sunt et ſuperindicticii tituli, qui praeter indictionem provincialibus imponuntur ob neceſſitatem aliquam, puta ob tironum, aut equorum, aut veſtium comparationem. Nam in Codice diverſi tituli ſunt, *de indictione*, et *de ſuperindicto.* Tamen *ſuperindicticii tituli* indictionis nomine comprehendi poſſunt. *Indictionale augmentum*, et *incrementa*, et *conquiſita* Marcellinus appellat hoc in loco: in libro autem 19. c. 11. §. 3. *exquiſitorum deteſtanda nomina titulorum:* et in lib. 30. c. 5. §. 6. *exitialia proviſorum deteſtanda nomina titulorum.* Denique oblatio eſt proprie auri et argenti, quod largitionibus inferebatur, non arcae Praefectorum Praet. ut canonici et indictionales tituli. VALES.

Talium gnarus] ſc. Iulianus. W.

3. *Huiusmodi proviſionum.*] Sic *proviſiones Praef. Praet.* dicuntur in lege 169. Cod. Th. de Decur. Et Pollio in Baliſta

proviſionem annonariam dixit Baliſtae, qui Praefectus Praet. fuit. Corippus in lib. 3. v. 350.

— — *gratisque dari proviſa iubemus.*

id eſt, annonas. VALES.

Proviſionum inſanabilia vulnera.] Quae hic *proviſiones*, mox poſt *incrementa* vocantur. Lib. XIX. c. 11. §. 3. *Exquiſitorum deteſtanda nomina titulorum.* Lib. XXX. c. 5. §. 6. *Exitialia proviſorum nomina titulorum, iuxta opulentas et tenues enervatus ſuccidere ſortunas.* LINDENBR.

Quae res ut docebitur poſtea.] Inf. lib. XIX. cap. XI. LINDENBR.

4. *Se repente factum infidum*] ſibi malae notam fidei inuri. W.

5. *Indictionale augmentum oblatum ſibi nec recitare.*] Hoc ipſum eſt, quod intelligit Iulianus Caeſar in Epiſtola 17. ad Oribaſium, (p. 384. Spanh.) ubi de Florentio queritur Praef. Praet. quem μιαρὸν ἀνδρόγυνον appellat. Sed operae pretium fuerit verba ipſa apponere: πολλάκις αὐτοῦ τοὺς ἐπαρχιώτας ἀδικήσαντος ἐσιώπησα παρὰ τὸ πρέπον ἐμαυτῷ, τὰ μὲν οὐκ ἀκούων, τὰ δὲ οὐ προσιέμενος, ἄλλοις δὲ ἀπιστῶν, ἔνια δὲ εἰς τοὺς συνόντας αὐτῷ τρέπων· ὅτι (lege ὅτε) δέ μοι μεταδοῦναι τῆς τοιαύτης ἠξίωσεν αἰσχύνης, ἀποστείλας τὰ μιαρὰ ὑπομνήματα, τί με πράττειν ἐχρῆν, ἄρα σιωπᾷν ἢ μάχεσθαι; Id eſt: *Qui cum provinciales multis iniuriis affeciſſet, tacui ſaepe, contra quam dignitas mea poſtulabat: cum quaedam audirem, alia minime admitterem, nonnulla non crederem, multa in eius familiares verterem. Sed quando eiusdem infamiae me participem facere voluit, miſſis ad me commentariis omni ſcelere et iniuria refertis: quid tum mihi faciendum fuit? tacendum, an pugnandum?* Addit deinde quod praeteriri hoc in loco non debet: τί τοίνυν ἐποίησα; πολλῶν παρόντων, οὓς ᾔδειν ἀναγγελοῦντας αὐτῷ, εἶπον· διορθώσει τὰ ὑπομνήματα οὗτος ὁ δεῖνα, ἐπεὶ δεινῶς ἀσχημονεῖ, etc. Id eſt: *Quid igitur feci? Multis praeſentibus, quos ei relaturos intelligebam, Omnino, inquam, ille commentarios ſuos corriget: prorſus enim immodeſte agit.* Hoc plane eſt, quod hic ait Marcellinus, Iulianum nec recitari indictionale augmentum Florentii ſiviſſe, nec ſubſcribere ei voluiſſe. VALES.

Perplexe.] diligenter atque ſcrupuloſe. cf. XV, 1, 1. XXV, 3, 23. — *Provincialis vaſtatus* peſſumdatus, ad incitas redactus. W.

Unius animi firmitate] communi omnium, eoque firmo conſenſu. Unanimanti conſenſu eſt XXI, 5, 9. W. Imo: *unius Iuliani conſtantia*, quem ſenſum ὁ μαχαίτης in vernacula interpretatione ipſe olim expreſſerat. ERF.

Conaretur Camelaſii nomine inique.] Camelos plurimos fiſcus alebat, quibus commeatus militibus ad bellum euntibus veherentur: idque et militibus ipſis commodo erat, et provincialibus, qui hoc facto angariarum moleſtia liberabantur: ut docet Procopius in Anecdotis ſub finem. Et Camelaſia quidem inter perſonalia munera cenſebatur. Unde cogi quis poterat, ut Camelarius eſſet, et Camelos ageret, ut docet ICtus in lege 1. D. de muneribus. Inter patrimonii tamen onera eam fuiſſe hic locus Mar-

cellini convincere videtur. Sed ſciendum eſt haec verba, *Camelaſii nomine*, in Editione Rom. et Mſſ. omnibus deeſſe, et a P. Caſtello per ſummam audaciam inſerta fuiſſe, cum lacuna eſſet tam in Editione Rom. quam in Mſſ. Equidem nihil deeſſe exiſtimo, ſi ita ſcribatur: *Ut praeter ſolita nemo Gallis quidquam exprimere conaretur. Denique inuſitato exemplo, etc.* VALES.

Camelaſii nomine.] *Arcadius Chariſius libro ſingulari de Munerib. civilibus, in Pandect. Iuris.* L. fin. §. 11. ff. de munerib. *Camelaſia, quoque ſimiliter perſonale munus eſt: nam ratione habita et alimentorum, et camelorum, certa pecunia camelariis dari debet.* LINDENBR.

6. *Inuſitato*] quoniam totus provinciarum, quae ad Praefecturam quamque pertinerent, reditus ſolius Praefecti Praetorio curae commiſſus erat, ideoque nonniſi *petendo* a Florentio Iulianus impetraverat, ut ſecundam Belgicam ſibi concederet, in qua documentum mitius tractandorum provincialium dare vellet. W.

Praefectianus — Praeſidialis apparitor.] Praeſidiales equidem etiam ad Praefecturam Praetorii referendos eſſe crediderim, quum Praeſidium commune omnium magiſtratuum provincialium maiorum nomen fuerit. Praeterea Ammiani interpretes video *apparitoris* vocabulum ad utrumque, et *Praefectianum* et *Praeſidialem* trahere, quod mihi ſecus videtur, qui ad poſterius tantum pertinere puto, ita ut Praefectiani ſint, qui ab ipſis rationibus eſſent, rei tributariae rationes tractarent, qualis occurrit XXVIII, 1, 5. *tabularius praeſidialis officii;* apparitores contra illis ad manus praeſtoque eſſent, minoribusque negotiis, v. c. pecuniis exigendis cet. adhiberentur. W.

Quos in curam aes alienum ſeparat ſuam.] Ita hactenus editum fuerat ex coniectura P. Caſtelli. Sed codex Regius, optimus ille certe, et a docta manu ſcriptus, veram ſcripturam exhibet, *quos in curam ſuſceperat ſuam.* Sic etiam loquitur Symmachus in Ep. 122. libri 9. Codex Valentinus teſte Loiſello ſcritum habebat ſic: *Quos in curam..... Iulianus ceperat ſuam;* ſed Toloſanus Regio aſſentitur. VALES.

Nec interpellati.] Ne appellati quidem de ſolvendo. W.

CAPVT IV.

1. *Pauca diſcurram.*] *Diſcurrere,* διαλέγεσθαι. Sic lib. XXVI. c. 1. §. 1. *Diſcurrere per negotiorum celſitudines adſuetae.* Lib. XXX. c. 7. §. 1. *actus diſcurrere per epilogos breves.* Eodem modo *diſcurſus*, in L. 1. C. Theod. de rap. virg. *Redemptique diſcurſus poena immineat.* Karolus Magn. in Praefatione contra Synod. de ador. imaginib. *In praefata Synodo hebetudinis continentur diſcurſus.* Marc. Capella lib. 6. *Adſtruendae praeceptionis excurſus*, p. 221. Macrob. Saturn. 7. c. 1. *Primus menſis poſt epulas iam remotis, et diſcurſum variantibus poculis minutioribus.* Neque alio ſenſu in idiomate Gallicano ac Italo nunc frequentatur. LINDENBR. *Diſcurram* diſſeram, quod promiſerat XVI, 10. W.

2. *Ambitiosa moenium ſtrue*] amplis et ſumtuoſis moenium molibus. *Hecatompylos* centum portarum. *Thebas inſtitutores* conditores cf. XIV, 8. cognominarunt, e *cuius* Hecatompyli *vocabulo Thebais provincia nunc usque adpellatur.* Hecatompyli igitur Thebae dictae, quod centum portis moenia diſtincta eſſent, e quibus ſingulis ducenti equites, totidemque currus falcati in bella emiſſi feruntur. Fundus fabulae Homerus Iliad. IX, 383. ſ. Pomponius Mela I, 9. *centum portas*, ait, *ſive, ut alii aiunt, centum aulas, totidem olim principum domos fuiſſe.* Celeberrimum nuper Academiae Goettingenſis decus, *I. D. Michaelis*, ipſe eques, in libello: *Etwas von der älteſten Geſch. der Pferde und Pferdezucht*, S. 33—41. pro totidem ſtabulis equilibus habuit. *Brucius Reiſen zur Entdeckung der Quellen des Nils* B. I. S. 180. et 192. verſ. Volkmann. nulla plane moenium veſtigia conſpici poſſe confirmat, priſcosque Thebarum incolas ſine dubio contendit antra montium incoluiſſe, (Troglodytas) ideoque veriſimile eſſe, centum principum domicilia rupibus inciſa et prae aliis exornata in miraculis illo tempore habita fuiſſe. Etiamnunc, addit, eadem *Beeban el Meluke* h. e. portas regum nominari. W.

3. *Duces oppreſſere Poenorum.*] Suſpicor, Ammianum aliquo memoriae lapſu confudiſſe Hecatompylos Thebas cum Hecatompylo Libyae, quam a Poenis captam prodit Diodorus Sic. in Except. libri 24. p. 563. Weſſel. (Zoega p. 25.) — poſteaque *reparatam Cambyſes, ut raperet opes invidendas*, ingentes, immenſas, *ne Deorum quidem parcens donariis*, (ἀναθήμασι) in quibus et ipſi erant obeliſci. vide paullo poſt. cf. et Strabonem Lib. XVII. p. 1158. Almelov. W.

Rex ille Cambyſes.] Thucyd. lib. III. Trog. Pomp. lib. I, 9. Strabo lib. XVII. p. 805. et 816. Almelov. LINDENBR.

4. *Laxitate indumentorum*] Qualia ad noſtram usque aetatem in illis regionibus ſolent geſtari. W.

Pugione quem aptatum femori dextro.] Acinacem intelligit, qui erat pugioni ſimilis, ut docet Ioſephus in lib. XX. Antiquitatum. Acinacem autem Perſae in dextro latere geſtabant, quemadmodum docet Valerius Flaccus in libri 6. Argon. v. 701. ubi de Mirace Perſa:

Inſignis manicis, inſignis acinace dextro.

Adde Herodotum in lib. 7. c. 61. VALES. Praetorianos etiam Roman. milites a dextro latere ſuſpenſos habuiſſe gladios, docuit Salmaſ. ad Spartiani Severum c. 6. W.

Nudato] Quod explicant plerumque de vinculo, quo inferior vagina continetur, abrupto. v. Herodot. III, 64. Iuſtinum I, 9. Strabo a Magis eum interfectum narrat. W.

5. *Cornelius Gallus Aegypti procurator.*] Πρῶτος τῆς Αἰγύπτου ἔπαρχος. Strabo lib. XVII. p. 819. Almelov. Servius ad Eclog. X. *Gallus ante omnes primus Aegypti Praefectus fuit.* Cauſam mortis eius Ovidius indicat Triſt. lib. 2. 445.

Non fuit opprobrio celebraſſe Lycorida Gallo;
Sed linguam nimio non tenuiſſe mero.

Dio lib. LIII. c. 23. πολλὰ μάταια ἐς τὸν Αὔγουστον ἀπελήρει. LINDENBR.

Cornelius Gallus exhauſit civitatem.] Cauſam vaſtationis huius Thebarum affert Strabo in lib. ult. p. 819. Almelov. quod ſcilicet Thebaei ob tributa ſeditionem concitaverant. De huius autem obitu ita ſcribit Dio in lib. 53. c. 23. ob multa et varia quae in procuratione Aegypti inſolenter geſſerat, a Largo amico eum delatum, Senatus iudicio infamia notatum eſſe, bonisque multatum, quae in aerarium Auguſti ſunt redacta: quae cum Gallus ferre non poſſet, mortem ſibi conſcivit. Gallo in Praefecturam Aegypti ſucceſſit Caius Petronius; Petronio Aelius Gallus, cui quidem Aelio Gallo familiaris fuit Strabo, ut ipſemet in lib. 2. p. 118. dicit. Idem in lib. 17. p. 819. hos duos Gallos manifeſte diſtinguit. Poſtquam enim de Cornelio Gallo locutus eſt, ſtatim de Petronio, ac mox de Aelio Gallo ſubiicit. Dio etiam in lib. 53. utrumque diſtinxit. Sed apud Dionem c. 29. legitur, Αἴλιος Λάργος, ex prava emendatione Xylandri, qui malo exemplo veterem lectionem Αἴλιος Γάλλος expunxit, et novam deteriorem ſubſtituit. Atqui etiam apud Zonaram qui Dionem exſcribit, Αἴλιος Γάλλος legitur. Hic eſt Aelius Gallus, qui primus Rom. in Arabiam ſigna intulit, teſte Plinio in lib. 6. c. 32. extr. et Ioſepho in lib. 15. et Galeno in lib. 2. de Antidotis: quam illius expeditionem deſcribit Strabo in lib. 16. qui ei comes fuit, et Dio in loco citato. Quem miror tamen ſucceſſorem Cornelio Gallo Aelium Gallum ponere, Aelio vero Petronium, contra quam Strabo et Ioſephus affirmant. Ex his refellitur error Caſauboni, qui in Notis ad Strabonem p. 780. et ad Suetonium in Auguſto c. 66. hos duos Gallos Praefectos Aegypti pro uno eodemque accepit: quem ſecutus eſt Gerardus Voſſius in lib. 2. de Hiſtoricis Graecis. VALES. Adſcripſit Pater, p. 187, qui male ſe defendit p. 26. de Poetis Latinis. ORON.

Longe diu *poſtea* cf. XIV, 7. *Cornelius Gallus Aegypti procurator*, recte: nam ſic inde ab Auguſto praeſides Aegypti nominari ſolebant. *furtorum* repetundarum; de adminiſtrata turpiter provincia v. Dion. Caſſ. LI, 17. LIII, 13. et 23. *nobilitatis* equitum. *metu ſtricto incubuit ferro*, mortem ſibi ipſe conſcivit — *poëta*. Exſtant adhuc C. Corn. Galli elegiae VII. quae plerumque triumviris, quos vocant amorum, Catullo, Tibullo et Propertio adiectae inveniuntur — *is eſt, ſi recte exiſtimo,* (recte vero) *quem flens quodammodo in poſtrema Bucolicorum parte* Ecloga X. *Virgilius decantat.* cf. omnino Fabricii bibl. Lat. ed. Erneſti T. 1. p. 425. ſſ. W.

6. *In hac urbe* Thebis *inter labra* lacus depreſſos, et lapidibus munitos, ciſternas marmoreis pilis nixas, *obeliſcos vidimus plures* ſtantes, *aliosque iacentes et comminutos* deiectos et diffractos, quos *Reges montium venis vel apud extremos orbis incolas* (Aethiopes? nam ad hos pertinuere montes graniti, et etiamnunc ipſae olim exciſorum obeliſcorum formae in iſtis montibus conſpiciuntur. *Heeren Ideen* Th. 1. S. 342.) *perſcrutatis*, paſſive, ut ad *venis* referatur. *Diis ſuperis in religione dicarunt*, in honorem Deorum erexerunt, *donaria* eſſe voluerunt. Sic recte veteres, nec audiendi recentiores, qui obeliſcos credidere fuiſſe vel gnomonas ad horas demonſtrandas vel ad dierum longitudines et vertentis anni cardines, vel ſepulchralibus monumentis inſerviiſſe, — vel pro idolis cultos, quos omnes refellit Zoega p. 156. ſſ. deinde vero ſuam ipſius ſententiam proponit inde a p. 174. cuius

ſumma haec eſt: „Diſcernendas eſſe *ſtelas* (columnas) et obeliſcos. Nimirum Aegyptios, uti alios ad cultiorem vitam progreſſos, ſtatuiſſe primum *memoriales lapides* rudes initio atque informes, poſt certa figura, et inſcriptos. Eiusmodi ſtelas ſtetiſſe modo in templorum atriis, modo in ipſis templorum adytis, modo ſuper tumulis, vel alio quolibet loco, quem eventus aliquis poſteris reddiderit memorabilem. Deinde vero aucta gentis opulentia, regumque ambitione *maiores ſtelas* (obeliſcos) erectas eſſe, et binas quidem plerumque ad frontes aedium ſacrarum. — *Donaria* fuiſſe et ex eo apparet, quod in *grandium* obeliſcorum ima parte vir flexis genibus alteri ſive ſtanti, ſive ſedenti dona offert, eademque res non raro repetitur in trunci pyramidio.“ W.

Obeliſcos vidimus plures aliosque iacentes] De iisdem Strabo lib. XVII. p. 805. Almel. Ἄλλοι δὲ εἰσὶ κἀκεῖ (Heliopoli) καὶ ἐν Μέμφει τῇ νῦν Διοσπόλει, οἱ μὲν ἑστῶτες ἀκμὴν πυρίβρωτοι, οἱ δὲ καὶ κείμενοι. LINDENBR.

7. *Eſt autem obeliſcus aſperrimus* duriſſimus *lapis*, granites, Syenites lapis, Plinio pyrrhopoecilus, Italis granito ruſſo — *in figuram metae* conicam, quales erant in ſpina circi extrema utrinque erectae, — *utque radium* ſolis *imitaretur*. Sic et Plinius. Sed iſta radiorum et obeliſcorum ſimilitudo non ea eſt, ut certo conſilio expreſſam exiſtimemus ab obeliſcorum conditoribus, ſed diu poſt erectos obeliſcos inventam a *Sophiſtis*, qui Aegyptiam philoſophiam in ſublimius augere ſatagentes in omnibus priſcae gentis tum effatis, tum operibus benefici aſtri naturam adumbratam docuere. Zoega p. 136. — *gracileſcens* tenuior fit, arctius contrahitur, cf. XXII, 15. — *in verticem productus deſinens anguſtum*, pyramidion, aliquando tamen in formam coni obtuſi. Zoega p. 133. — *manu levigatas artifici*. Plana ſaxi ſuperficies *naxio* vel alio *eiusmodi* pulvere ad ſplendorem usque laevigata eſt, hiſtoricae quoque effigies et notarum pars eximio laevore nitent, quae vero depreſſius ſcalpta ſunt, vel ſolis ſulcis exarata, laevore carent, et ſcalpro tantum videntur expolita. Zoega p. 68. Pulvis Naxius occurrit ap. Plinium XXXVI, 7. qui diu eum ait ſignis e marmore poliendis, gemmisque etiam ſcalpendis atque limandis placuiſſe ante alia: ita vocari cotes in inſula Cypro genitas. W.

8. *Formarum* figurarum, imaginum *innumeras notas* hominum, animantium, volucrum, anguium, ſcarabaeorum, plantarum, crucis anſatae, clavium, easque non in obeliſcis tantum conſpicuas, ſed in aliis etiam monumentis, mumiis etc. *hieroglyphicas adpellatas*, quoniam ad religionem maxime referebantur, *inciſas*, ſerius etiam pictas — *initialis ſapientiae vetus inſignivit auctoritas*, quam Aegyptiorum imaginibus ſenſa animi, notionesque exprimendi rationem initium fuiſſe ſapientiae, in ipſis libris ſacris Act. VII, 22. celebratae, inde ab antiquiſſimis temporibus creditum eſt. Idem fere dicit Tacitus Ann. XI, 14. „Primi per figuras ani„malium Aegyptii ſenſus mentis effingebant, et antiquiſſima mo„numenta memoriae humanae impreſſa ſaxis cernuntur, et litera„rum ſemet inventores perhibent.“ W.

Notas hieroglyphicas.] Lib. XXII. c. 15. §. 30. *Exciſis parietibus volucrum ferarumque genera multa ſculpſerunt, et animalium ſpecies innumeras multas, quas hieroglyphicas litteras appellarunt.* Tacit. Annal. XI, 14. *Primi per figuras animalium*

Digitized by Google

Aegyptii ſenſus mentis effingebant. Marc. Capella lib. II. *Erantque quidam* (libri) *ſacra nigredine colorati, quorum litterae animantium credebantur effigies.* Apul. Mileſ. XI. Caſſiod. lib. III. Var. LI. Neque vero animantium tantum, ſed et alterius generis figuris utebantur. Unde in Hiſtoria ſacra legimus, ſignum crucis inter ἱερατικὰς litteras fuiſſe repertum. Suid. in Σταυροί. Socrates lib. V. c. 17. ἐν τῷ ναῷ τοῦ Σαράπιδος λυομένου καὶ γυμνουμένου ηὕρητο γράμματα ἐγκεχαραγμένα τοῖς λίθοις τῷ καλουμένῳ ἱερογλυφικῷ· ἦσαν δὲ οἱ χαρακτῆρες σταυρῶν ἔχοντες τύπους. Philo Iud. de Vita Moſeos p. 412. τὴν διὰ συμβόλων φιλοσοφίαν, ἣν ἐν τοῖς λεγομένοις ἱεροῖς γράμμασιν ἐπιδείκνυνται, καὶ διὰ τῆς τῶν ζώων ἀποδοχῆς. Aegyptiacis hisce notis habuiſſe Aethiopes alias ſimiles, quas regias vocabant, ex Heliodoro ſcimus lib. IV. c. 8. Ἐπελεγόμην τὴν ταινίαν γράμμασιν Αἰθιοπικοῖς, οὐ δημοτικοῖς, ἀλλὰ βασιλικοῖς ἐστιγμένην, ἃ δὴ τοῖς Αἰγυπτίων ἱερατικοῖς καλουμένοις ὁμοιοῦνται. Et in Graecorum templis ſacros quosdam characteres fuiſſe, Theodoretus ſcribit, Quaeſtion. in Geneſ. 50. Ἐν τοῖς ἑλληνικοῖς ναοῖς ἴδιοί τινές εἰσι χαρακτῆρες γραμμάτων, οὓς ἱερατικοὺς προσηγόρευσεν. Harum notarum ſpecimina invenimus in obeliſcis et monumentis antiquis, etiam in anulis, qualis fuit ille Theagenes puellae apud Heliodor. lib. VIII. c. 11. Δακτύλιος — — λίθῳ τῇ καλουμένῃ παντάρβῃ τὴν σφενδόνην διάβετος, γράμμασι δὲ ἱεροῖς τισὶν ἀνάγραπτος. De iisdem extat egregius locus apud Diodor. Sicul. lib. III. c. 4. Plutarch. de Iſide, Clem. Alex. Stromat. lib. V. Aurel. Macrob. Saturnal. lib. I. cap. XXI. Easque plenius interpretati ſunt ex antiquis Chaeremon, Hermateles, Hermapion, et qui vetuſtiſſimus omnium Orus Apollo Niliacus: cuius librum Aegyptiaca lingua ſcriptum in ſermonem Graecum transtulit Philippus, quem adhuc in manibus habemus. LINDENBR.

9. *Alieni mundi*] „De partibus mundi univerſi minus cognitis, imperio Romano oppoſitis, qui mundus κατ' ἐξοχήν dicitur." Sic Erneſt. W.

[*Ad aevi quoque ſequentis aetates Imperatorum vulgatius perveniente memoria.*] In codice Colbertino lego: *Ad aevi quoque ſeq. aetates imperatorum vulgatius pervenire memoria:* ex quo iudico hunc locum ita emendari oportere: *Ad aevi quoq. ſeq. aetates ut patratorum vulgatius perveniret memoria;* id eſt, ut facilius rerum geſtarum notitia ad poſteros perveniret.] VALES. Sed ipſi apices in Mſ. ſubiiciunt, *uti peractorum.* GRON.

11. *Per vulturem naturae vocabulum.*] Horus Apollo lib. I. cap. 11. de vulturum conceptione, Plutarch. Plin. Aelian. Hiſt. Anim. X, 22. Procop. in Eſaiam, Baſil. Magn. et illum imitatus Theophylactus Simocat. Φυσικῶν ἀποζημάτ. cap. η. Tzetzes Variar. Hiſtor. Chil. XII. cap. CCCCXXXIX. LINDENBR.

Per vulturem naturae vocabulum pandunt, naturam indicant, *quia mares nullos* (ex vento enim feminae concipere dicuntur) *poſſe inter has alites inveniri rationes memorant phyſicae,* ſententiae phyſicorum. Hanc fabulam praeter Horapollinem I, 11. narrant Plutarchus Quaeſt. Rom. 90. Aelian. hiſt. animal. II, 46. ubi v. Schneiderum. Nonnulli adeo Patres Eccleſiae hoc anile commentum ad explicandam Mariae conceptionem in ſubſidium vocarunt, de quo plura vid. ap. *Brucium Reiſen* T. V. p. 168. (Ceterum, uti inter vultures nullos mares, ſic contra

inter ſcarabaeos feminas nullas eſſe exiſtimabant. Aelianus hiſt. an. x, 15. Hos enim rotundam figuram effingere ſtatuebant e ſtercore bubulo, et ſemine huic immiſſo foetum ſine femina procreare. Hoc igitur voluerunt myſtae Aegyptii: uti ſcarabaeus *activum* rerum principium denotet, ſic vulturem *paſſivum*, e quorum coniunctione omnia procreentur. Zoega p. 446. 448.) W. Bochart. in Hierozoic. P. II. c. 26. pro *naturae* legendum coniicit *matris*, ut in Horo: μητέρα δὲ γράφοντες γῦπα ζωγραφοῦσι, ἐπειδὴ ἄῤῥην ἐν τούτῳ τῷ γένει τῶν ζώων οὐχ ὑπάρχει. ERF.

Per ſpeciem apis.] Horus Apol. lib. I cap. LXII. Seneca de Clement. lib. I. cap. 19. Plin. lib. XI. cap. 17. Mich. Glyc. Annal. tom. I. cuius verba, quoniam Graece edita non ſunt, deſcribam, ut in Mſ. exempl. quod penes me olim fuit, leguntur: Καὶ αἱ μέλισσαι ὑπὸ βασιλεῖ καὶ ταξιάρχῳ τινὶ τῶν ἔργων ἅπτονται, οὐ πρότερον ἐπὶ τοὺς λειμῶνας ἐλθεῖν καταδεχόμεναι, πρὶν ἂν ἴδωσιν τὸν βασιλέα κατάρξαντα τῆς πτήσεως. Οὐ χειροτονητὸς δὲ οὗτος, ἀλλ' ἐκ φύσεως ἔχων τὸ κατὰ πάντων πρωτεῖον, καὶ μεγέθει διαφέρων, καὶ σχήματι, καὶ τῇ τοῦ ἤθους πραότητι. Ἔστι μὲν γὰρ κέντρον τῷ βασιλεῖ, ἀλλ' οὐ χρῆται τούτῳ πρὸς ἄμυναν. Νόμοι τινές εἰσιν οὗτοι τῆς Φύσεως ἄγραφοι, ἀργοὺς εἶναι πρὸς τιμωρίαν τοὺς τῶν μεγίστων δυναστειῶν ἐπιβαίνοντας. LINDENBR.

Per ſpeciem apis indicant Regem — aculeos.] Longius a vero, ſaltem commoda et conſentanea ſignificatione abeſt interpretatio Ammiani, praeſertim, cum apum princeps careat aculeo. Zoega 443. W.

12. *Sufflantes* inflantes *adulatores id ſine modo ſtrepebant*, aures quaſi obtundebant. W.

Octavianus Aug.] Strabo lib. XVII. p. 805. Almel. Plin. lib. XXXVI. C. 14. LINDENBR.

[*Quorum unus in Circo Maximo, alter in Campo locatus eſt Martio.*] Divus Auguſtus duos obeliſcos Heliopoli transtulit Romam, et alterum in Circo Magno, alterum in Campo Martio conſtituit, aegre navibus advectos. Amborum meminit Plinius in libri XXXVI. capite IX. poſterioris etiam in capite X.] VALES.

Quorum unus in Circo Maximo] nunc Flaminius, in aditu portae Flaminiae, Zoega p. 72. — *alter in Campo locatus eſt Martio.* Hic Zoegae eſt *Campenſis.* Hunc, ita ait Zoega p. 72. Auguſtus pro *gnomone* erexit in Campo Martio, e cuius ruderibus adustum quidem et disruptum ſublevari iuſſit *Benedictus XIV.* dein abdito loco proiectum, et tantum non iterum ſepultum in lucem revocavit *Pius Sextus*, et ſtatuendum curavit in area Curiae Innocentianae 1792. — *hunc*, de quo Ammiano ſermo eſt (nunc Lateranenſi) *recens advectum* a Conſtantino M. Auguſtus olim — *intactum praeterierat, quod Deo Soli dedicatus — intra templi delubra* ad atrium *tamquam apex omnium eminebat.* W.

Deo Soli.] Strabo lib. XVII. Macrob. Saturn. I. cap. 22. LINDENBR.

13. *Miraculum Romae ſacraret.*] Non antiquam Romam, ſed novam quam vocant, nominis videlicet ſui cognominem urbem, hoc miraculo ornatam voluit Conſtantinus. Id nos docet Inſcriptio vetus, quae usque ad nunc in ipſo obeliſco legitur, quam totam hic apponere lubet:

PATRIS

PATRIS OPUS MUNUSQ..... TIBI ROMA DICAVIT
AUGUSTUS..... TIUS ORBE RECEPTO
ET QUOD NULLA TULIT TELLUS NEC VIDERAT AETAS
CONDIDIT UT CLARIS EXA..... ET DONA TRIUMFIS
HOC DECUS ORNATUM GENITOR COGNOMINIS URBIS
ESSE VOLENS CAESA THEBIS DE RUPE REVELLIT.
SED GRAVIOR DIVUM TANGEBAT CURA VEHENDI
QUOD NULLO INGENIO NISUQUE MANUQUE MOVERI
CAUCASEAM MOLEM DISCURRENS FAMA MONEBAT.
AT DOMINUS MUNDI CONSTANTIUS OMNIA FRETUS
CEDERE VIRTUTI TERRIS INCEDERE IUSSIT
HAUT PARTEM EXIGUAM MONTIS PONTOQUE TUMENTI
CREDIDIT ET PLACIDO..... CTU
LITUS AD HESPERIUM..... MIRANTE CARINAM
INTEREA ROMAM TA..... RO VASTANTE TYRANNO
AUGUSTI IACUIT DONUM STUDIUMQUE LOCANDI
NON FASTU SPRET.... SED QUOD NON CREDERET ULLUS
TANTAE MOLIS OPUS SUPERAS CONSURGERE IN AURAS.
NUNC VELUTI RURSUS RU..... AVULSA METALLIS
EMICUIT PULSATQUE POLOS HAEC GLORIA DUDUM
AUCTORI SERVATA SUO CU.... CAEDE TYRANNI
REDDITUR ATQUE ADITU RO ... VIRTUTE REPERTO
VICTOR OVANS URBIQ..... TROPAEUM
PRINCIPIS ET MUNUS CONDI..... QUE TRIUMFIS. LINDENBR.

Verum Conſtantinus, Chriſtianus quippe, id *parvi ducens, nihilque committere in religionem recte exiſtimans* ex quo iudicio tamen effici non poteſt, paganam an Chriſtianam religionem amplexus ſit Ammianus) cum *ablatum ex uno templo* in aliud, *idque totius mundi, transtulerit*, *Romam* ſc. novam, Conſtantinopolin. Id docet Inſcriptio a Lindenbr. exhibita, idemque placet Zoegae p. 614. W.

Amplitudinis antehac inuſitatae.] Difficile dictu, unde ſic pronunciarit Ammianus, quum et pari numero ſit apud Polybium quinqueremis, et altera quinqueremis Caii habuerit remiges quadringentos; et maiores naves cum denſiore remigum numero aliunde novimus. An has ignoravit nolter? ORON. Argutatur V. D., nam de inuſitata tantum longitudine navis Ammianus loqui voluit, ad quam, quum nihil niſi obeliſcum navis veheret, trecenti ſufficiebant. W.

14. *Urgens effectus intepuit*] ab ardore remiſſum eſt. W.

Velut paventis, ne quod paene ignotus.] Legendum videtur, *ne quod bene ignotus miſerat Nilus, etc.* perinde ac ſi diceret, Tibrim quaſi expaviſſe, ne obeliſcum illum, quem feliciter miſerat ſeu devexerat Nilus, ipſe parum feliciter Romam veheret: eadem figura qua Calliſthenes in Hiſtoriis dixit, Pamphylium mare Alexandro naviganti ſubmiſiſſe ſe, ἐξυπανασταῖναι, quaſi vectoris ſenſum haberet, ut eſt apud Euſtathium in Iliad. v. In Regio codice legitur, *pene paventis ne, etc.* VALES.

Paene ignotus miſerat Nilus] Valeſio displicet τὸ *paene*, cuius loco reponi ſuadet *bene*. Recte, ut referatur non ad *ignotus*, ſed ad *miſit*, i. e. feliciter miſerat Nilus, opponaturque ſequenti *parum* h. e. minus feliciter. cf. XXVIII, 1. ubi *parum* iterum pro

minus. Mihi vero non admodum probatur *ignotus*, cum Nilus Romanis minime incognitus fuerit. Sed nolo, quod in Gronovio modo vituperavi, argutari. Totum locum pretiose et per prosopopoeiam efferre placuit Ammiano, ut paene ignotus nihil aliud sit, quam longe remotus. W.

Ipse Deus *Tiberis* haud aeque feliciter *sub meatus sui discrimine*, flexibus suis periculosis *moenibus alumnis* Romae, cuius quasi incola futurus esset. Pro *alumnis* Reinesius malebat *almis*. „Quomodo enim (inquit) Roma aluisse possit dici Tybrin, vel etiam Tybris Romam, non intelligo." Sed pertinet *alumnis* ad Obeliscum. — *defertur in vicum Alexandri*, qui vicus a quo Alexandro nomen traxerit, me ignorare fateor lubens. W.

Chamulcis impositus.] Glossar. χαμοῦλκος, *traha*. Vide Pollux. lib. VII. "et alibi in eodem Glossar. *Sclolia*, χαμούλκια. nescio an non leg. *sclodia*, χαμοῦλκος. unde Germ. *Schlode*." LINDENBR.

Chamulcis impositus.] In Glossis Latino-Graecis, *sclodia* χαμουλκὶς, et *siludio* χαμούλκιον dicitur. Genus id erat carpenti humilis, ut nomen ipsum demonstrat, cuiusmodi hodieque in usu sunt. [Petrus Pithoeus ad oram Ammiani sui pro *chamulcis* legit *carrucis*, repugnantibus cunctis codicibus, inprimis Colbertino. Genus est apud nostros vehiculi, quod ab equis per humum trahitur, graviora onera imposita ferens, vulgo, ni fallor, *Camion*, a Chamulco dictum.] VALES.

Chamulcis] trahis, humilioribus curribus, palangis, quibus ad naves in mare deducendas utebantur. v. amicissimum olim Iani ad Horat. Od. I, 4. 3. W.

Piscinamque publicam.] Quae in XII. Urbis regione. Pub. Victor. in Descriptione region. Urbis. LINDENBR.

Piscinam publicam] Fuerat olim lacus aqua repletus, quo plebs ad lavandum uteretur; postea temporis exsiccatus, pristinum tamen nomen retinuit. W.

15. *Erectisque*] Gronovius in Praefat. p. 9. e vestigiis Codd. mavult *fixisque*. — *usque periculum* cf. XXV, 4. — *ad speciem* similitudinem *liciorum*, filorum, quibus in textrina utuntur. Plura vide ap. *Schneiderum* in Ind. ad scriptt. rei rust. v. Tela p. 371. — *coelum nimia densitate* frequentia *subtexentes*, ut coelum vix tueri liceret, cf. XIX, 7. XX, 3. — *mons ipse* moles obelisci *effigiatus scriptilibus* (XXIX, 1.) nimis ambitiose pro figuris hieroglyphicis, primis scriptura aliquà sensus exprimendi tentamentis — *diu pensilis* in aëre pendens. W.

Molendinarias rotantibus metas.] Paulus I. C. *Meta, inferior pars molae; catillus, superior*. L. 18. §. 5. de instr. et instrum. "Suid. Μύλη τὸ κάτω τοῦ μύλου. τὸ χαῦ ἄνω, ὅνος λέγεται: citatque in eam rem locum Procopii. Pollux lib. 7. cap. 4." LINDENBR. Paullum ICtum merito corrigit Scaliger ad Manilium III, 307. metam esse *superiorem*, *inferiorem* catillum ostendens, quod ipse Ammianus comprobat, qui, quum de *rotatione* loquatur, de inferiori parte, quae immota stetit et quieta, cogitare non potuit. W.

In media cavea] amphitheatri in Circo. — *vi ignis divini* fulmine — *auro imbracteatum*. i. q. paullo ante: *aureis laminis*

Digitized by Google

nitens. — *Mercatus* de obeliſcis Rom. 1589. 4. editis p. 353. ex Ammiani narratione hyperbolis de more ſuo referta conieceerat, multo imperfectiores fuiſſe veterum machinas, quam hodiernas, et maiori operarum multitudine. Sed defendit Cl. Zoega Ammianum p. 186. qui vix aliis verbis uſus fuiſſet, ſi deſcribendae ipſi fuiſſent tabulae, quibus machinas ſuas expreſſit *Fontana* (architectus, qui Vaticanum ſedente Sixto v 1588. erexit et librum *della transportazione del Obelisco Vaticano* 1590 edidit) non pauciorum, quam 800. hominum et 140. equorum uſus adiumento. W.

Facis imitamentum in figura aereum.] Haec verba *in figura* videntur eſſe adpoſita ad explicationem vocabuli praecedentis. Quid enim aliud eſt imitamentum quam figura, ſeu μίμημα? Sic enim uſurpat Tacitus aliquoties, et Agellius in lib. 7. cap. 5. Proinde ea verba delenda eſſe cenſeo; niſi potius placet ita ſcribi: *Facis imitamentum infigitur aereum.* VALES.

16. *Secutaeque aetates alios transtulerunt.*] Eius obeliſci, qui in Vaticano eſt, meminit Plin. lib. XXXVI. cap. 11. reliquorum Publ. Victor. in Deſcript. Urbis. LINDENBR.

Secutaeque (Zoega p. 26. malim *ſecutae quidem*, vel *ſecutae quoque*) *aetates* Octavianum Auguſtum *alios transtulerunt* ex Aegypto, *quorum unus in Vaticano*, quem Caius Caligula Caeſar in Vaticani Circi ſpina erexerat, Sixtus v. autem collocavit in medio tullio areae ante aedem Divi Petri. *Purus* ille eſt, Aegyptiis notis plane deſtitutus. Zoega p. 69. W.

In hortis Salluſtii.] Laudantur hi horti in L. 39. §. 8. ff. de legat. 3. Fl. Vopiſc. in Aureliano, Xiphilin. in Veſpaſiano, Inſcriptionibus vett. quarum unius fragmentum hoc eſt: GENIO COETI HERODIAN. PRAEGUSTATOR. DIVI AUGUSTI IDEM POSTEA VILLICUS IN HORTIS SALUSTIANIS. LINDENBR.

In hortis Salluſtii] in notiſſimis illis ob magnificentiam amoenitatemque Salluſtii hortis repertus, nunc iubente *Pio Sexto* 1789. ſtatutus in monte Pincio ante aedem SS. Trinitatis. Scalpturae rudes et incomtae, ſaepe aberrantes figurae ab aliis, nec ſemper Aegyptiae. Zoega p. 76. W.

Duo in monumento (Mauſoleo) *Auguſti erecti*] nunc erecti, alter iubente *Sixto V.* in Esquilino prope templum S. Mariae maioris, alter *Pii VI.* munificentia ante aedes Pontificias in monte Quirinali (1786). Zoega p. 75. W.

17. *Obeliſco veteri*] Conſtantiano (Lateranenſi). De eo quae ſequuntur, liceat iam paullo accuratius perſequi. Ammianus igitur *Hermapionis*, (quem Kircherus Auguſti aetati adſignat) *librum ſecutus, qui notarum textus literis Graecis interpretatus fuerat*, ipſorum hieroglyphorum ſenſum lingua Graeca explicaverat.

Ego vero primum paucula, quae in contexto Graeco Cl. Zoega ex Codd. Vaticanis attulit, enotabo, deinde Graeca in Latinum converſa adiiciam, denique argumentum totius obeliſci ex Zoega apponam.

Et primo quidem vir iſte doctiſſimus p. 26. praeter alios Vaticanos libros, de quibus vide Prooemium, eum, qui numerum 1873. praefert, et Capitularem (in baſilica Vaticana) cum Geleniana magis, quam Valeſiana editione conſentire monet. Codices

isti nempo habent: ΑΡΧΗΝΑΤΙΟ ΤΟΥΝΟ ΤΙΟΥ ΔΙΕΡΜΝΗC ΤΜΕΝΑΕΧΕΙC ΤΕΧΟC ΤΙΤΑΔΕΛΕΤΕΤΝΑΙΟC ΡΩΤΟC ΒΑCΙΑΤΡΑ ΜΑΕCΤΗ ΔΕΔΩΡΗΜΕ ΑCΟΙΠΑ CONONΩ. (quae ultima legit Zoega: *δεδώρημαί σοι ἀνὰ πᾶσαν οἰκουμένην*, hanc enim vocem latere in tribus literis extremis *ονω*). Exscripsi haec, ut tirones in libris manuscriptis legendis non statim absterreantur monstris, quae videntur lectionis. Qui si conferant editionem Gelenii, qui paucula aliter in Codice suo Hirschfeldensi legisse videtur, facilia omnia invenient. Gelenius igitur edidit: *ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ νοτίου διερμηνευμένα ἔχει στίχος πρῶτος. τάδε ἐστὶν, ἃ βασιλεῖ Ῥαμέστῃ δεδωρήμεθα, ὃν πᾶσαν οἰκουμένην μετὰ χαρᾶς βασιλεύων ἥλιος φιλεῖ.* *Valesius*, cuius textum ego retinui, emendavit: *ἀρχὴν — πρῶτος τάδε. Ἥλιος βασιλεῖ Ῥαμέστῃ· δεδώρημΑΙ ΣΟΙ ΑΝΑ πᾶσαν οἰκουμένην βασιλεύΕΙΝ. ὃν ἥλιος φιλεῖ.*

ἀγλαοποιήσας. restituit Zoega articulum ὁ, (*ὁ ἀγλαοπ.*) sic enim Gelenium habere, ipsumque Valesium in prima editione.

τοῦ Φοίνικος. Sic reposuit e Gelenio Zoega, addens haec: in recensione Valesiana est *τῶν Φοιν.* quod sane arridet. Sed hactenus nihil mutandum.

ἐδωρήσατο. Post haec inserit Zoega: *Ἄλλος στίχος πρῶτος*, hac adiecta nota: Quod exciderat, in sedem suam reponere non dubitavi. (Ego vero nunc recepi in contextum.)

ἀλλοεθνεῖς. Sic rescripsit Valesius pro *τοῦ ἄλλου ἔθνους*, quod ediderat Gelenius.

ὧν ἀνδριάντας. Zoega e Gelenio restituit ᾧ.

ἠγώγησεν. Gronovius legendum coniicit *ἠρώγησεν*, interpres substituisse videtur *ἠγάπησεν*: at suspicor, Hermapioni *ἠγώγησεν* idem significasse, quod *παιδηγώγησεν*. Etiam Bergaeus atque Kircherus latine reddiderunt *educavit*. Zoega. [Legendum sine ulla dubitatione *ἠγάπησεν*. ERF.]

Ut consulerem lectoribus, qui linguam Graecam non satis callent, Latina adposui, et ita quidem, ut Brunelliana, quam Valesius retinuerat, versione neglecta, novam conficerem: *)

PARTIS AVSTRALIS ORDO PRIMVS ITA INTERPRETANDVS.

Helius (Sol) regi Ramesti. (qui successit Sethosi vel Sothidi, auctore Manethone. Zoega p. 598.)**) Dedi tibi hoc, ut per totum terrarum orbem laetabundus regnares. Helius te amat et Apollo. Potens, veritatis amans filius Heronis, ex Deo natus creator orbis terrarum, quem Helius prae aliis diligit, strenuus Martis Rameses. Cui omnis paret terra cum robore et confidenter. Rex Rameses, Helii filius vivens in aeternum.

---

*) Interpretationem latinam inveniri etiam apud Bangium in Exercitt. liter. antiquit. 4. L. 2. testatur Reinesius.

**) Cf. Perizonii Origg. Aegyptt. p. 301. ff. ERF.

ORDO SECVNDVS.

Apollo potens, vere dominus diadematis, Aegypti glorioſus regnator, qui ſplendidam fecit Heliopolin, reliquumque terrarum orbem condidit, dedicatisque Heliopoli Diis honorem habuit, quem Helius amat.

ORDO TERTIVS.

Apollo potens, Helii filius, lucens ubique, quem Helius prae aliis dilexit et Mars ſtrenuus muneribus donavit. Cuius beneficia per omne tempus durant, quem Ammon amat, qui templum Phoenicis multis donariis ornavit, cui Dii vitae tempus (diuturnum) conceſſere.

ALIVS ORDO PRIMVS.

Apollo potens, filius Heronis, rex orbis terrarum Rameſtes defenſor Aegypti peregrinis devictis, quem Sol amat, cui longum vitae tempus donarunt Dii, dominus terrarum orbis Rameſtes per aeonas vivens.

ALIVS ORDO SECVNDVS.

Helius Deus magnus dominus coeli. Dono tibi vitam, cuius nunquam ſatias te capiet. Apollo potens, arbiter diadematis, cui nemo comparandus, cui ſtatuas poſuit in hoc regno dominus Aegypti, et ornavit Heliopolin non minus, quam Helium, dominum coeli. Perfecit opus egregium Helii filius rex vivens perpetuo.

ORDO TERTIVS.

Helius Deus dominus coeli Rameſti regi donavi imperium et in omnes poteſtatem, quem Apollo veritatis amans, dominus temporum et Hephaeſtus Deorum pater dilexit propter Martem. Rex laetiſſimus, Helii filius, et ab Helio dilectus.

PARTIS ORIENTALIS ORDO PRIMVS.

Heliopolitanus magnus Deus coeleſtis Apollo potens, Heronis filius, quem Helios educavit, quem Dii honorarunt, terris omnibus imperans, quem Helius dilexit, potens propter Martem rex, quem amat Ammon, et ubique lucens regem conſtituit ſempiternum — — Reliqua deſunt.

Haec Hermapionis interpretatio quum et ipſa, quid ſibi obeliſci hieroglyphicae figurae voluerint, in obſcuro relinquat, lectores ſpero gratiam habituros, quae Cl. Zoega paſſim ad maiorem Lateranenſi noſtro lucem attulit, in unum locum conferenti.

Et primo quidem de Obeliſcis omnino p. 182. Referunt (Plinius et) *Ammianus*, reges *ſuſcepta ſolutaque vota*, erigendi dedicandique occaſionem, ſcripſiſſe in obeliſcis, quos Diis *in religione* dedicarunt; neque ab hoc aliena eſt interpretatio *Hermapionis*, de qua acute adnotavit *Bandinius* (de obeliſco Caeſaris Aug. Rom. 1750.) ita eſſe conceptam, ut *de rege, an Deo ſermo ſit*, vix dignoſcere poſſis: — et paullo poſt: In grandium obeliſcorum ima parte vir flexis genubus alteri ſive ſtanti ſive ſedenti dona offert, eademque res non raro repetitur in trunci capitulo.

p. 68. Hieroglyphorum in Lateranenſi Obeliſco diſtributio haec eſt: Pyramidii latera ornant figurae hiſtoricae quadrilatero ſchemati incluſae; inque meridionali latere ſuper eo ſchemate duae adſunt notarum columnae, in reliquis ſummus apex purus eſt. Infra pyramidion in unoquoque latere duo alii efficti ſunt hiſtoricarum figurarum ordines, quae tanquam capitulum efficiunt obeliſci; et baſin canali horizontaliter perducto a reliqua trabe ſeparatam circumſtat quartus earundem ordo, qui nunc quidem maiori ex parte periit. Singulis figurarum hiſtoricarum ordinibus adiecti ſunt characteres minuti, quos maiorum efficierum continere dixeris interpretationem. Univerſum autem illud ſpatium, quod eſt capitulum inter et baſin, quodque ſcapum adpellaveris commode, maiores obtinent notae ſymbolicae, ſingulis lateribus in tres columnas diviſae.

p. 187. Magnis obeliſcis ſpeciali munere numini dedicatis pro argumento eſt invocatio Deorum laudesque, et aliquot velut *hymni* exhibentur in notis ſymbolicis iis inſculptis; grandioribus figuris, quibus adſtare ſolent notae quaedam minutae, dedicationis exprimuntur formula et occaſio, et quae alia dona Diis inſimul obtulere reges; in pyramidio autem eſſe tamquam epigraphen, qua nomen Dei illius declaratur et principalia attributa, cui dedicatus eſſet unusquisque obeliſcus. — Ut vero inſcriptiones, quas dixi, *hymnos* exiſtimem, facit magna, quae inter eas eſt contextus ſimilitudo. Nam ſi in ſingulis obeliſcis ſingulorum regum geſta eſſent perſcripta, fore videtur, ut uniuscuiusque notae toto coelo diſtarent ab iis, qui habentur in reliquis: idemque exſpectandum eſſet, ſi vel philoſophiam contineront, vel aſtronomiam, vel alias ſcientias vel denique morum praecepta. Si vero hymni ſunt, multi obeliſci uni eidemque Deo dedicati easdem praedicant laudes, ſed quae in ſingulis peculiari modificatione novitatem prae ſe ferunt. Praeterea rhythmicum aliquid deprehendere mihi videor in notarum diſpoſitione in ſingulis eiusdem obeliſci frontibus. Bina plerumque latera reſpondent ſibi invicem, ut magna pars ſeriei, quae habetur in uno latere, in altero quoque redeat modo plus, modo minus variata. — Quae cuncta, ſi de hiſtoria quaeris vel ſcientia, ſuperflua et incommoda videntur, verum in *hymno* elegantiam augent et ſollemnitatem. Cum hac noſtra coniectura apprime quoque conſentit, ni omnia me fallunt indicia, fragmentum illud, quod ex *Hermapione* ſervavit nobis *Ammianus*, quod niſi hymni partem vocaveris, quo nomine appellandum ſit, ego quidem neſcio.

p. 591. Maximus obeliſcus, quem Romae videmus, *in area Lateranenſi* poſitus, quoniam olim *Thebis* ſtetit, Thebaeenſi Iovi ſacratus fuiſſe videtur. Hic in pyramidio ſingulis lateribus effictos oſtendit viros duos barbatos et nudos, praecinctorio tantum et moniti, ut aſſolet, pileoque decoros, qui recte ſtantes, alterque alterum reſpicientes manus iungunt, dum alter ea manu, quae libera remanet, clavem tenet recte demiſſam, alter manu contra os comitis elata clavem porrigit, tamquam potentiam ſuam illi communicaturus. Ita in omnibus lateribus eodem prorſus modo ſe habent. — — Coniicio itaque, in quavis facie repraeſentari Iovem Thebaeum, quem *Ammonem* vocant, et Cronum, qui Oſiridem in filii locum adoptat: nam inter hieroglyphicas eiusdem obeliſci notas occurrit figura ſedentis Deae, quae puero, quem gremio

ſuſtinet, eodem modo clavem ad vultum admovet — Nempe *Ammon* in binis obeliſci lateribus (v. ſupra Hermapionem) *univerſi mundi rex* praedicatur, in binis *cuſtos Aegypti et propugnator;* pariterque Oſiris pro diverſa ornamentorum ratione variis laudibus extollitur, bellator, ſacrorum inſtitutor, Hermetis Dei alumnus. Capitulum trabis in quovis latere unum idemque praefert figurarum ſyntagma, *Ammonem* — ſed *ſedentem* in throno, qui altera manu ſuper genua porrecta clavem tenet, altera recte extenſa aliam clavem protendit contra vultum viri imberbis, praecinctorio tenus nudi capiteque calantica tecti, qui genua flectens e regione utraque manu ſedenti offert pyxidem ſphaericam. — Ammon igitur clavi ad regem (Rameſſen) porrecta filii nomine cohoneſtare videtur. — — (In reliquis obeliſci partibus eaedem figurae, paucis mutatis, occurrunt, quae nolo exſcribere.) Tum pergit Zoega: In baſeos latere meridionali idem illud figurarum ſyntagma, quod eſt in obeliſco *Flaminio*, cet.

Hinc occaſionem ſumit Zoëga disquirendi, *Lateranenſem an Flaminium* interpretatus ſit *Hermapion apud Ammianum*. De Flaminio acceperunt *Bargaeus*, *Mercatus* et *Kircherus;* de Lateranenſi *Pigafetta* diſcorſo d'intorno all' iſtor. dell' Aguglia et *Marsham* in Canone Chron. p. 457. Cl. Zoega igitur mentem exponit ita p. 593. ff. Ut *Lateranenſem* obeliſcum eum eſſe credamus, quem omnes praecellentem a Ramiſe ſeu Rameſſe rege exciſum narrat Plinius, facit lapidis magnitudo, qua reliquos omnes hactenus cognitos ſuperat; facit et locus, ubi eum olim ſtetiſſe affirmat *Ammianus:* nam Mnevidis regia apud Plinium omnino videtur eſſe Thebe Aegyptia, ubi imperii fundamenta ieciſſe fertur Menes, qui aliis eſt Mneus, aliis Mnevis. Sed alium Rameſſen, Sethoſis ſive Seſoſtridis filium, commemorat Manetho, a quo duos obeliſcos *Heliopoli* erectos fuiſſe infra dicetur: atque ex his unum eſſe, qui nunc eſt ad portam *Flaminiam*, quemque olim in Circo conſtitutum explicavit *Hermapion*, perſuadent mihi tum *Ammiani* verba, qui, ut obeliſcum interpretatione donatum diſtingueret ab eo, quem tunc nuper erexerat *Conſtantius*, *veterem* eum appellat, tum *ipſius interpretationis textus*, apprime conſentaneus lapidi ſtatuto in Solis civitate, non ita monumento erecto in Thebaei Iovis delubro. Nam et *Heliopoleos* expreſſa mentio fit, et tota inſcriptio circa Solis et Apollinis honorem verſatur. Licet vero et Thebis Solem Arverinque cultos fuiſſe nullus dubitem, tamen in lapide Thebis ſtatuto Iovis Thebaei praecipuam rationem habitam fore exiſtimo. Saltem, ſi Diodoro fides eſt, Iovi, qui Thebis colitur, obeliſcos Thebis poſitos dedicavit Seſooſis. Quod vero *Ammianus* maximum illum obeliſcum, quem a Thebis advectum *Conſtantius* Romae erexit, olim *Deo Soli ſpeciali munere dicatum* fuiſſe dixit, id fluxiſſe videtur ex opinione, quae iam Plinio ſcribente praevaluerat, omnes obeliſcos Soli ſacros eſſe. Ceterum, ut reliqua fere omnia, quae de Aegypto tradiderunt ſcriptores veteres, ſic et inprimis, quae ad obeliſcos ſpectant, hiſtoriam eorum et interpretationem, velut iniquo premente fato ita obſcura ſunt et aequivoca, hiulca etiam et male brevia, ut fere, quidquid volueris, ex iis elicere poſſis, et ſcriptorum verba in quamcunque partem trahere: quo fit, ut quae primo obtutu maximam polliceantur utilitatem, ubi accuratius adſpexeris, aut parum iuvent, aut nova creent impedimenta. Nil ſane poteſt opportunius videri ad hieroglyphicorum intelligentiam, quam obe-

liſci interpretatio a vetere auctore, cuius nomen *(Hermapion)* Aegyptiam viri originem teſtatur, profecta, quaeque et ipſa magnam prae ſe ferat veritatis et ſinceritatis ſpeciem. Sed qui eam nobis ſervavit, *Ammianus*, ſermone utitur ita confuſo verbisque affectata brevitate ita obſcuris, ut quis ſit obeliſcus, quem Hermapion interpretatus eſt, *incertum relinquatur*, nec niſi ex coniecturis, quibus multa opponi poſſunt, queat definiri. Praeterea fragmentum tantum attulit, nec certum ſuppetit indicium, unde arguere poſſis, quam obeliſci partem illud comprehendat. Nam, praeter quod neſciamus, quae ſit illa obeliſci facies, quam interpres appellat *auſtralem*, in unaquaque facie complures ſunt notarum ordines, inter quos qui ſint illi, quorum ſupereſt interpretatio, ſcire haud obvium eſt. Alii enim ſunt in pyramidio, alii in capitulo, alii in ſcapo, alii denique in baſi: nulli autem in his argumentum offerunt, quod clare indicet, hos aut illos convenire cum interpretatione: breviorque apparet interpretatio, quam pro ſcapi ratione, longior, quam pro ceterarum obeliſci partium. Etiam dum poſt tres verſus ad tres alios explicandos transit in eodem, ut videtur, latere, eiusdemque ac priores longitudinis, intelligendum putares interpretem de iis verſibus ſive columnis, quae ſunt in baſi aut in capitulo pyramidiove, in quibus ſingulis columnae dupliciter ſunt diviſae ac ſeparatae: at in pyramidio et capitulo, quorum quodvis in ſingulis lateribus habet bis ternas notarum columnas, oppido breviores ſunt, quam ut interpretationi reſpondere queant, in baſi autem, ubi columnae ſunt prolixiores, non ternae ſunt, ſed quaternae. Si vero de ſcapo intelligamus, credi poteſt interpres ſingula eiusdem latera in duas partes diremiſſe, forſan a ſummitate usque ad mediam fere altitudinem, quo loco interpoſita ſunt terna ſchemata elliptica, atque ab his ſecundariorum verſuum initium ſtatuiſſe. Nam ut illud ἄλλος στίχος δεύτερος, ad cuius analogiam ſupplevi ἄλλος στίχος πρῶτος, de ſecundariis eiusdem lateris verſibus acciperetur, praeter brevitatem, de qua dixi, ſuaderet et ſubſequens ἀφηλιώτης στίχος πρῶτος, quod argumento eſſe videtur, interpretem poſt explicatum latus auſtrale perveniſſe ad orientale inde ad boreale et occidentale, et ſic notas circum circa inciſas abſolviſſe: inordinate enim rem egiſſe videtur, ſi inter auſtrale et orientale latus unum ex ceteris duobus interpretatus foret. Sed pariter, ne in illo acquieſcamus, obſtat, quod iuxta interpretationem ſecundarii iſti verſus ab eiusdem Dei nomine incipiant, qui in primariis verſibus primum locum tenet: in lapide autem prorſus diverſae ſint notae, a quibus incipiunt ſecundarii illi verſus, ab illis, qui occurrunt in trabis vertice, ideoque interpretatio hoc modo non videatur poſſe componi cum monumento. Itaque omnibus reputatis et perpenſis, ſatius duco credere, interpretem non eſſe eum ordinem ſecutum, qui nobis videtur naturalis et maxime congruus, ſed ob rationes nobis ignotas inter latera auſtrale et orientale interpoſuiſſe ſive occidentale, ſive, quod mallem, boreale, quoniam latera oppoſita aliquam inter ſe cognationem ſervare ſolent: ipſa vero interpretatione non ſingulas notas reddi atque explicari, ſed iſti tantum epitomen inſcriptionis, quam a vetere hierogrammate concinnatam, annalibusque inſertam in Graecum ſermonem converterit Hermapion. Ita enim brevis eſt, ut ſupputatis Graecis verſibus articulisque et copulis, hae in ſeptem illis verſibus, quos legimus apud *Ammianum*, comprehendentes duo ſcapi latera cum tertii lateris parte tertia, numero vix

Digitized by Google

ſuperant notas, quae occurrunt in unoquoque ſcapi latere: quo conſequeretur, Aegyptios ad cogitata ſua exprimenda multo pluribus opus habuiſſe notis, quam Graeci vocibus, quod ſane non videtur poſſe conciliari cum veterum locis de illo ſcribendi genere, nec cum ea, quae natura eſt cuiusque ſcriptionis ipſas rerum ideasrumque figuras exhibentis. Quaevis enim huiusmodi figura vel integram ſententiam exprimit, vel abſolutum ſaltem vocabulum, nomen verbumve: ideoque huiusmodi ſcriptio ad quodcunque ſermonis argumentum abſolvendum longe paucioribus ſignis indiget, quam Graeca inprimis lingua, auxiliariis voculis abundans ubique. Quare, donec meliora docear, exiſtimo, *Hermapionem* interpretatum eſſe *epitomen textus notarum*, quae ſunt in ſcapo obeliſci *Flaminii*, lateribus auſtrali, boreali et parte orientalis, ut tunc quidem conſtitutus fuit. Intelligimus hoc pacto, qui factum, ut ſinguli verſus initio mentionem habeant de Sole aut de Apolline, qui, licet Dii ſint, in ipſa illa interpretatione ab invicem diſtincti, tamen uterque exprimi potuerunt effigie accipitris, quae in unaquaque ſcapi columna primum locum obtinet; ratione quidem, propter quam modo ἥλιον verterit interpres, modo ἀπόλλωνα, nos hodie latente. Nec illud quidem affirmare auſim, priorem interpretem in omnibus aſſecutum eſſe mentem inſcriptionis, neque Hermapionem accurate reddidiſſe Aegyptii interpretis verba: univerſus tamen interpretationis textus ita conſentaneus eſt ei, quem credere poſſumus veterum Aegyptiorum cogitandi, loquendique modum, ut certe Kircherum nimia arrogantia uſum putem, dum totam ut ſpuriam reiicit, eo maxime nixus argumento, quod cum interpretatione a ſe absque documentis prolata non conveniat. W.

* *Hermapionis librum ſecuti.*] Quem Ammianus Hermapionem, Tertullianus Hermatelem appellat, de Spectac. cap. 8. *Obeliſci enormitas, ut Hermateles adfirmat, Soli proſtituta: ſcriptura eius unde et cenſus, de Aegypto ſuperſtitio eſt.** LINDENBR.

Ἀρχὴν ἀπὸ τοῦ νοτίου, etc.]

A parte Auſtrali verſus I. *haec interpretata habet:*

Haec ſunt, quae Regi Rhameſti donavimus: quem Sol amat et Apollo: qui omnem terrarum orbem cum gaudio regit. Potens veritatis amicus, filius Heronis Deo ſatus, conditor orbis terrae, quem Sol ceteris praetulit, ſtrenuus Martis Rex Rhameſtes, cui omnis terra cum vigore et audacia ſubiecta eſt. Rex Rhameſtes Solis filius, in aeternum vivens.

Verſus vel ordo II.

Apollo potens, qui eſt revera dominus diadematis, et Aegyptum glorificans poſſidet, qui Solis urbem ſplendidam reddidit, quique condidit reliquum orbem terrae, et valde honorat Deos in Solis civitate (Heliopoli) conſtitutos: quem Sol amat.

Verſus ſive Ordo III.

Apollo potens Solis filius praefulgidus, quem Sol ceteris praefecit, et Mars ſtrenuus muneribus donat; cuius bona in omni tempore permanent: quem Ammon diligit, qui Phoenicis delubrum bonis implevit; cui Dii tempus vitae dederunt. Apollo potens filius Heronis, Rex orbis terrarum Rhameſtes, qui conſervavit Aegyptum alienigenis devictis: quem Sol amat, cui

Digitized by Google

diuturnum vitae tempus largiti ſunt Divi: Dominus orbis terrae Rhameſſes aeternum vivens.

Alius verſus vel Ordo II.

Sol Deus, Magnus Dominus caeli, dono tibi vitam non oneroſam. Apóllo potens dominus diadematis incomparabilis, cui ſtatuas poſuit in hoc Regno, et ornavit Solis urbem, ſimiliter et ipſum Solem Dominum caeli, qui perfecit opus bonum, Solis filius Rex perpetuo vivens.

Verſus ſeu ordo III.

Sol Deus, Dominus caeli Rhameſti Regi tribuo imperium et in omnes poteſtatem: quem Apollo veritatis amans, Dominus temporum, et Vulcanus pater Deorum delegit ac praetulit propter Martem: Rex omni ex parte laetus, Solis filius, et a Sole amatus.

A parte Orientali I. *verſus vel ordo.*

A Solis urbe magnus Deus, incola caeli Apollo potens Heronis filius, quem Sol diligit, quem Dii honorarunt, qui totam terram regit, quem Sol prae ceteris delegit: ſtrenuus propter Martem Rex, quem Ammon diligit, et praefulgidus eligens ſempiternum Regem.

Haec verſio Hieronymi Brunelli Ieſuitae exſtat apud Angelum Roccham in deſcriptione Bibliothecae Vaticanae. Sed ut idem ait, altera eius inſcriptionis Graecae translatio habetur Petro Angelo Bargaeo auctore. Haec omnia interpretatus eſt et Vignerius ad Livium cap. 1450. LINDENBR.

18. ΤΑΔΕ ΕΣΤΙΝ Α ΒΑΣΙΛΕΙ ΡΑΜΕΣΤΗ.] Graeca omnia tam in Editione Rom. quam in Regio exemplari [et in Colbertino] deerant, primusque ex codice Hirſfeldenſi ea edidit Gelenius: quem tamen coniecturae ſuae ſaepius indulſiſſe non dubito. Mar. Accurſius duas tantum priores lineas edidit litteris capitalibus mendoſiſſime ſcriptas, ut fere Graeca in libris Latinis corruptiſſime ſcribebantur ab antiquariis. Ex eorum tamen veſtigiis haec elicuimus diſtincte notata: *ἥλιος βασιλεῖ ϱαμέστῃ· δεδώϱημαί σοι*, etc. VALES.

ΗΛΙΟΣ.] Hic Sol Vulcani filius, Nili nepos fuit, cuius urbem Aegyptii volunt eſſe eam quae Heliopolis appellatur, ut ait Cicero in lib. 3. de Nat. Deorum c. 21. Idem ſcribit Suidas in *ἥλιος*. Et in prima Dynaſtia Regum Aegypti quae eſt Deorum, et Semideorum, ponitur *Ἥφαιστος*, deinde *ἥλιος Ἡφαίστου*. Ab huius Solis regno ad tranſitum Alexandri in Aſiam numerabant Aegyptii annorum 23. millia, teſte Diodoro in lib. 1. c. 26. Themiſtius in Orat. 13. ſub finem hunc Solem vocat Apollinis avum. Sane in prima illa Dynaſtia Regum Aegypti apud Manethonem, poſt Solem Reges recenſentur, *Ἄρης ἡμίθεος. Ἀπόλλων ἡμίθεος. Ἄμμων ἡμίθεος.* et poſtremus *Ζεὺς ἡμίθεος*. Quorum omnium in hac obeliſci interpretatione diſtinctam mentionem habemus. Quare non aſſentior Ciceroni, qui Apollinem Aegyptium cum Sole confundit. VALES.

ΒΑΣΙΛΕΙ ΡΑΜΕΣΤΗ.] Hic videtur eſſe, qui Rhameſes, ſeu Rhameſſes dicitur ab Euſebio in Chronico, et a Ioſepho in 2. lib. contra Apionem, *ϱαμέσσης* et *ϱάμψης*. Qui etiam alio nomine

Digitized by

Σίσωθις dicebatur, ut docet ibidem Ioſephus ex Manethone. Herodotus in lib. 2. c. 102. Seſoſtrim appellat. Eumdem enim eſſe Seſothim, ſeu Sethoſim Manethonis cum Herodoti Seſoſtri ex utriusque rebus geſtis inter ſe collatis recte probavit Scaliger in Notis ad Euſebium numero 530. Eumdem Tacitus in lib. 2. Ann. c. 60. cum Ioſepho Ramſem vocat. *Regem*, inquit, *Ramſem Libya, Aethiopia, Medisque, ac Perſis, ac Bactriana, et Scythia potitum, etc.* Quae optime in Seſoſtrim conveniunt. VALES.

20. ΤΟΥ ΑΛΛΟΥ ΕΘΝΟΥΣ ΝΙΚΗΣΑΣ.] Reſtitui τοὺς ἀλλοεθνεῖς ex coniectura. VALES.

23 Ὃν Ἥλιος ἠγώγησεν.] An de induſtria ſic ex Mſſ. ediderunt viri docti, et intellexerunt quod ego non intelligo? an ſequuti alter alterum propagaverunt vitium? Opinor autem pro ἠρώγησεν. Ἀρηγὸς et ἀρωγός. GRON.

CAPVT V.

1. *Rex Perſarum in confiniis agens gentium extimarum*] vide omnino XVI, 9. ubi loco *Gelanorum* ſunt *Euſones*, — *Gelanis*. Vereor, ut recte. XVIII, 6. et XIX, 2. Chionitis iunguntur *Albani*. W.

2. *Latius ſemet extentans.*] Pectus erigens (brüſtete ſich) caput altius extollens. cf. *humeros extentantem* Iulianum XXII, 14, 3. — *pacis nomen* pacem *amplectitur* haud recuſat. W.

Miſſo cum muneribus Narſeo.] Eius legationis meminit Idatius in Faſtis. Datiano et Cereale Coſſ. *Introierunt Conſtantinop. legati Perſarum die* VII. *Cal. Martias.* De eadem legatione loquitur Themiſtius in Orat. 13. in laudem Conſtantii: ἀλλά γε ἐν Κελτοῖς στρατοπεδεύων Πέρσας εἰρήνης ἐπιθυμεῖν ποιεῖ. καὶ εἶδον ἐγὼ ἔναγγος ἐν τῷ ἄστει τοῦ Ἀντιόχου ἄνδρας ἐκ Σούσων καὶ Ἐκβατάνων ἀφιγμένους σὺν κηρυκείῳ, καὶ γράμματα ἀρχαῖα βυσσῷ λευκῇ ἐνειλίγμενα· τὰ δὲ γράμματα ἐξελιπάρει τὸν ὕπαρχον σπονδὰς πράττειν Ἀχαιμενίδαις. Id eſt: *Adhuc in ſtativis Galliae reſidens Perſas ad poſcendam pacem compellit. Et nuper Antiochiae caduceatores vidi a Suſis et Ecbatanis miſſos cum litteris byſſo candida involutis, quibus petebatur a Praefecto, ut foedus cum Imp. Perſis impetraret.* Hic Praefectus Praet. erat Muſonianus, ut Marcellinus docet XVI, 9. Huius legationis principem Narſeum a lenitate morum commendat Petrus Patricius in Excerptis legationum p. 28. Addit Zonaras eos legatos Conſtantium Sirmii conveniſſe; quod Marcellinus noſter affirmat. VALES.

Narſeo] cf. XXIV, 6, 12. ubi exercitum ducit. Sine dubio ex familia regia fuit, nam avus Saporis idem nomen habuit XXIII, 5, 11. W.

3. *Particeps ſiderum, Solis frater.*] Hic Perſarum Regum titulus primum manavit ab Arſace, qui poſt obitum aſtris, ut Perſae exiſtimant, ritus ipſorum conſecratione permiſſus eſt omnium primus: exindeque Reges eius gentis appellari ſe patiuntur Solis fratres et Lunae, ut ait Marcellinus in lib. 23. c. 6. His autem magnificis titulis Reges Perſici magnopere delectabantur, ut apud Menandrum Protectorem in lib. 1. Hiſt. litterae Chosrois ad Iu-

ſtinianum hanc habent inſcriptionem: θεῖος, ἀγαθὸς, εἰρηνοπάτριος, ἀρχαῖος χοσρόης, βασιλεὺς βασιλέων, εὐτυχὴς, εὐσεβὴς, ἀγαθοποιὸς, γίγας γιγάντων, ὃς ἐκ θεῶν χαρακτηρίζεται, Ἰουστινιανῷ ἀδελφῷ ἡμετέρῳ. Et apud Theophylactum Simocattam in lib. 4. alter Chosroes Hormisdae filius ad Baramum ita ſcribit: χοσρόης βασιλεὺς βασιλέων, εἰρηνάρχης, τοῖς ἀνθρώποις σωτήριος, ἐν θεοῖς μὲν ἄνθρωπος ἀγαθὸς καὶ αἰώνιος, ἐν δὲ τοῖς ἀνθρώποις θεὸς ἐπιφανέστατος, ἡλίῳ συνανατέλλων, καὶ τῇ νυκτὶ χαριζόμενος τὰ ὄμματα, etc. Quae ultima Latine ſic ſonant: *Cum Sole exoriens, et nocti lumina largiens.* Quod idem eſt, ac ſi dixiſſet, *frater Solis et Lunae.* VALES.

Conſtantio Caeſari fratri meo.] Inter Reges naturale quoddam conſanguinitatis vinculum intercedit. Unde fratres ſe viciſſim appellare ſolent, aequalitatem quamdam imperii ſignificantes. Sic Achabus Rex Iſraël Benadadum Syriae Regem fratrem nominat in 3. Regum cap. xx. et in 1. Maccab. cap. x. legitur: *Rex Alexander fratri Ionathae S.* Et Aethiopum Rex Hydaſpes apud Heliodorum in fine lib. 9. c. 26. fratrem ſe Perſarum Regis vocat. Et in lib. 1. Perſicorum Procopii Rufinus Silvani filius, legatus ad Cabadem Perſarum Regem, ſic loquitur: ἔπεμψέ με, βασιλεῦ, ὁ σὸς ἀδελφός. Item apud Menandrum Protect. in lib. 1. Chosroes Iuſtinianum fratrem appellat. Denique Conſtantinus Magnus in Epiſtola ad Saporem Perſarum Regem (eum ipſum cuius hic meminit Marcellinus) eumdem fratrem compellat, ut videre eſt apud Euſebium in lib. 4. de vita Conſt. VALES.

Gaudeo, mihique placet, te tandem revertiſſe. Sic ordines verba — *Aequitatis ſuffragium agnoviſſe,* voci obtemperaſſe. W.

4. *Veritatis oratio ſoluta eſſe debet et libera.*] Forſan ſcripſit Ammian. *abſoluta eſſe debet:* quae illi frequens locutio, ut iam ad lib. XIV. c. 10. §. 13. notavi. LINDENBR.

Celſiores fortunas] principes. Sic maiores fortunae XXX, 5, 3. W.

5. *Antiquitates veſtrae*] antiquitas veſtra, priſca veſtra hiſtoria. *Antiſtantem*, non ſibi conſtat Ammianus, vel potius librarii in huius vocis ſcriptura, nam XIX, 1. eſt *antEſtantem.* Utrumque rectum. W.

Mihi cordi eſt recordatio.] Scribendum videtur *moderatio,* aut *ratio*, aut quid ſimile. VALES. Fortaſſe *recta ratio.* BRE.

6. *Meſopotamiam avo meo comp. fraude praereptam.*] Narſeus Saporis avus a Maximiano Galerio ingenti proelio victus, Maximiano Auguſto V. et Maximiano Caeſare II. Coſſ. anno Domini 297. ut eſt in Faſtis Idatii, et in Chronico Alexandrino, Meſopotamiam cum quinque regionibus Transtigritanis reddere Romanis coactus eſt, ut uxorem et filias captas reciperet, ſicut narrant Rufus Feſtus, Eutropius IX, 25. Petrus Patricius in Excerptis legationum, et Zonaras. Hinc intelligendus eſt Aurelius Victor in Diocletiano XXXIX, 35. ubi narrata Maximiani victoria ſubiungit: *Verum pars terrarum nobis utilior quaeſita: quae cum acrius repoſcuntur, bellum recens ſuſceptum eſt grave admodum periculoſumque.* Per compoſitam autem fraudem, vel ſtrategema illud Galerii intelligit, de quo in lib. ſuperiore dixi:

vel ſane fraudem aliquam in foedere a Romanis factam Narſeo. VALES.

Numquam acceptum] in uſu, in laude poſitum fuit. W.

7. *Contemne*] mitte, dimitte. — *Medelarum artifices.* Loquendi artifex Ammianus pro medicis. W.

Urere nonnumquam et ſecare.] Tertull. in Scorpiaco, et ex eo Lucif. Calarit. ad Conſtant. Imp. *Licet ferro medicus ſecet, cauterio urat, ſinapis incendio ad omnem dolorem aegrum deducat; tamen nec ſecari, inuri, exedi, morderique eſſe inimicum: quippe quod idcirco bonum ſit, quia dolores inutiles auferat per adhibitos ſalutis cauſa dolores.* *Tertull. de Poenit. cap. x. *Miſerum eſt ſecari et cauterio exuri, et pulveris alicuius mordacitate cruciari: tamen quaedam per inſuavitatem medentur, et emolumento curationis offenſam ſui excuſant.* Cicero Philipp. 8. c. 5. *In corpore ſi quid eiusmodi eſt, quod reliquo corpori noceat, id uri ſecarique patimur, ut membrum aliquod potius, quam totum corpus intereat: ſic in Reip. corpore, ut totum ſalvum ſit, quicquid eſt peſtiferum, amputetur.** Iul. Firm. de errore profan. relig. Baſil. Magn. *περὶ ὑποτείας.* Cl. Claudian. in Eutrop. lib. II. v. 18.

— — — *truncantur et artus,*
Ut liceat reliquis ſecurum vivere membris. LINDENBR.

Idque et beſtias factitare.] Caſtorem vult dicere, qui cum a venatoribus propter teſticulos maxime expetatur, eos ipſe ſibi abſcindit, et venatoribus proiicit, ut narrat Scholiaſtes in Nicandri Theriaca, et Cicero in Scauriana, Iuvenalis (Sat. XII, 34. 35. ubi de iſto vulgi errore vid. Ruperti. W.), *aliique.* VALES.

Amittunt, dimittunt, abiiciunt. W.

8. *Tempus exemtum*] elapſum. W.

9. *Recto pectore (quod dicitur)*] Parentheſis addita, quoniam haec dictio tum fortaſſe ſic in uſu erat, pro *aperte, conſideratequе*, omnibus probe conſideratis. W.

10. Incipit Conſtantius epiſtolam, ut nihil cedere Sapori titulorum honoribus videatur, ſallaque *παρῳδίᾳ* derideat, *Victor terra marique — ſemper Auguſtus* hunc titulum ad noſtram usque aetatem propagatum primus omnium Conſtantius uſurpaſſe ideo videtur, quod ſolo Caeſaris nomine Sapor ipſum ſalutaverat. De titulo ipſo plura vide in Ind. II. *Regi*, non Regum Regi. — *Soſpitati*, incolumitati. cf. XIX, 4, 8. *Gratulor*, ſi vales, bene eſt, tecumque gaudeo. — *Indeflexam* immoderatam *cupiditatem.* Saevitia indeflexa eſt XXVII, 9, 4. W.

12. *Per quosdam ignobiles*] vilioris conditionis internuntios. W.

Non refutamus hanc.] Gloſſar. vet. *Refuto, repudio, reſpuo.* Egeſipp. lib. II. *Ne pro ſe ſacrificarent, qui ſacrificium Caeſaris refutaviſſent.* Solin. cap. 25. *Nundinas ac numum refutant.* Novell. Theod. XXV. *Solidum aureum integri ponderis refutandum.* Quo ſignificatu in Hiſtoria Auguſt. et Legibus Langobardor. aliquoties uſurpatur. Italique in ſuo idiomate retinent, *Refiutare la pace, Refutare pacem.* LINDENBR.

V. Gothofredi Gloſſar. nomicum Cod. Theodoſ. ad h. v. et interpretes ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 257. W.

Digitized by Google

13. *Explicatae ſint aures quas invidiae.*] Sic Gelenius ingenioſe correxit, cum in Mſſ. et in Editione Rom. legeretur, *ordines placatae ſint aures invidiae.* Elegantius tamen, ſi quid ſentio, ſic legeretur: *Eſt enim abſonum et inſipiens, cum geſtarum rerum ordine explicatae ſint aures invidiae, nobis multipliciter incluſae, etc.* In codice Regio legitur *inſidiens*, et ſuperſcriptum eſt *inſipiens.* Editio Romana habet *inſidens.* VALES. Equidem nec Gelenii rationem, nec Valeſii ſatis intelligo. Ille fortaſſe ſic voluit locum intelligi: rerum a me glorioſe geſtarum ſerie aures omnium ſunt *impletae*, quas *invidiae* (inſolitus hic pluralis) invidi plures multis modis *intercluſerunt*, ad gloriam iſtam aures quaſi occludere, obturare hominum voluerunt. W. Dubito an ſcribendum ſit partim invantibus MStis: *Cum geſtarum rerum ordine placatae ſint aures invidiae, cum deletis tyrannis, qui nobis multipliciter illuſerunt, totus orbis Romanus nobis obtemperet* cet. Placatas invidiae aures in Ammiano ferri poſſe opinor: includere autem et illudere confunduntur ſaepiſſime. ERF.

Deletis tyrannis] Magnentio inprimis. — *Contracti in orientales anguſtias*, cum fratribus adhuc viventibus Conſtantino et Conſtante, orientis tantum provinciae imperio meo parerent. W.

14. *Ceſſent formidines*] minae inanes. — *Pugnas excepiſſe potius, quam intuliſſe* non tam aggredi, quam defenſores eſſe voluimus. *Fortiſſimo benevolentiae ſenſu. Si benevolentiae* ſana vox eſt, civium noſtrorum amantes eosque tuendi ſtudio ductos. W.

In ſumma vero bellorum.] Idem dicit Lucillius in lib. 26.

Ut Romanus populus victus vi et ſuperatus proeliis
Saepe eſt multis; bello vero numquam, in quo ſunt omnia.

Et Livius in lib. 9. c. 18. *Populus Rom. etſi nullo bello, multis tamen proeliis victus.* VALES.

15. *Nullo impetrato remiſſam*] ita dimiſſam, ut nihil impetraſſet, re infecta. v. ad XIV, 1, 4 W.

Proſper Comes] cf. Ind. 1. W.

Et Spectatus.] Antiochenus, affinis Libanii, ut docet ipſe Libanius in Ep. 414. et 426. De eius ad Perſas legatione idem paſſim in Epiſtolis loquitur. Nominatim in Epiſt. 321. ad Ariſtaenetum, in qua eloquentiam Spectati praedicat, qui Regis Perſarum petitionem egregie refutaverit: ἐπανήκων ἡμῖν ὁ Σπεκτάτος ἀπὸ τῆς πρεσβείας etc. deinde: ὡς γὰρ ἐχρημάτιζεν ὁ πέρσης καὶ ὁ λόγος ἦν περὶ τῶν διαφορῶν, καὶ πολὺς ἐνέκειτο τοὺς παππώους ἀπαιτῶν ὅρους, καὶ πολλάκις ἐρωτῶν εἰ μὴ καὶ δίκαιον εἰς τοὺς παῖδας τὰ τῶν προγόνων καταβαίνειν, τὰ μὲν παρὰ τῶν ἄλλων ἐνταῦθα παλαίσματα σπεκτάτος ἀπαγγελεῖ, etc. *Nam cum Perſarum Rex legationem audiret, et magnopere contenderet, terminos maiorum flagitans, ac idemtidem rogaret num iuſtum eſſet bona avorum ad filios pervenire, etc.* VALES.

Tribunus et Notarius.] Notariorum tria erant genera: primi et praecipui ſunt Tribuni, et Notarii Principis, de quibus Zoſimus in lib. 5. c. 40. Ἰωάννης τῶν βατιλικῶν ὑπογραφέων, οὓς τριβούνους καλοῦσιν, ἄρχων γεγενημένος. Id eſt: *Iohannes Primicerius Notariorum.* Hi et Tribuni Notariorum dicuntur, ut in Chronico Marcellini Comitis, Patricio et Hypatio Coſſ. et apud eumdem Zoſimum in lib. 5. de Stilichone: ἔστησεν αὐτῷ τὴν ἀξίαν ἄχρι

τοῦ λεγομένου Νοταρίων τριβούνου. Secundi ſunt Tribuni et Notarii Praetoriani. Tertii Domeſtici et Notarii: ut eſt in lege 2. et 3. Cod. Th. de Primicerio et Notariis. Tribuni et Notarii Praetoriani ſunt, qui ex Cornicularibus et Primiſcriniis officii Praefecturae Praet. ad eum locum pervenerunt, ut docet Caſſiodorus in lib. 6. ep. 3. et in lib. XI. ep. 18. et 20. Eorumdem mentio fit in lege 6. Cod. de Advocatis div. iud. et in lege ult. et paenult. de Palatinis ſacrarum larg. et in Novella 8. Iuſtiniani. Hi porro omnes ſub Notariorum Schola continebantur, et acta in Conſiſtorio excipiebant. Unde in lege 2. cit. de Primicerio et Not. ait Imperator: *Primicerios, ſi prout eorum voluntas fuerat, de Conſiſtorio noſtro ſine adminiſtratione deceſſerint*, etc. Et Sidonius in Carmine ult. ubi vide quae notavit vir numquam ſine laude nominandus Iac. Sirmundus. Erant autem XX. ſupra quingentos Theodoſii temporibus, ut docet Libanius in Orat. adverſus eos, qui moleſtum ipſum appellaverant, quam manuſcriptam penes me habeo. VALES. v. Ind. II. v. Notarius. W.

Euſtathius Philoſophus.] Iamblichi diſcipulus, natione Cappadox, de cuius ad Saporem Regem legatione praeclara quaedam narrat Eunapius in vita (Iamblichi p. 22.) Aedeſii p. 49. Ad eumdem exſtat epiſtola Magni Baſilii, qui eiusdem civis fuit: in qua eius viſendi incredibili deſiderio ſe arſiſſe ſignificat, atque ea cauſa orbem terrarum peragraſſe. Additque, ἢ τῆς ἐπὶ πέρσας βαδίζειν ἔδει καὶ συμπροϊέναι εἰς ὅ τι μήκιστον τῆς βαρβάρων. ἦλθες γὰρ κἀκεῖσε. quibus verbis legationem eius Perſicam intelligit. VALES. Cf. Bibl. Graecam Fabricio-Harleſianam Vol. III. p. 173. Bruckerum T. II. p. 273. W.

Muſoniano.] Praef. Praetorio, XVI, 9. *Suggerente* ſuadente. *Opifex* artifex *ſuadendi.* Sic opifex ſuaſionis XXX, 4, 3. opifex perſuaſionis callidus XIV, 11, 11. *Suſpendere* moras inicere. *Supra humanum modum* Hyperbole, quantum fieri poſſet humanis viribus. W.

CAPVT VI.

1. *Iuthungi Alemannorum pars.*] Suid. Ἰουθοῦγγοι, ὄνομα ἔθνους. Dexipp. in Eclog. Legat. Αὐρηλιανὸς κατὰ κράτος νικήσας τοὺς Ἰουθούγγους Σκύθας. Natio fuit Romanis ſaepe infeſta, et quam iterum ſub Valentiniano rebellaſſe memorat D. Ambroſ. lib. V. Epiſt. XXVII. *In medio Romani Imperii ſinu Iuthungi populabantur Raetias, et ideo adverſus Iuthungum Hunnus adſcitus eſt.* LINDENBR.

Iuthungi.] In libris antiquis varie corruptum erat hoc nomen. Editio Rom. *ut Thinntugi;* Auguſtana *et Thiutungi;* Baſilienſis *Iuthiuntugi;* denique codex Regius habet *Vithiuntugi.* Errorum diverſitas inde orta eſſe videtur, quod partim *Iuthungi*, partim *Vithungi* dicerentur. Unde antiquarius utrumque initium nominis poſuit. Aurelius Victor in Gallieno (Caeſ. c. 33.) *Alamannorum Vithungi Italiam; Francorum gentes direpta Gallia Hiſpaniam poſſiderent.* vulgo legitur *Alamannorum vi tunc aeque.* Sidonius quoque in Carmine 7. Vithungos vocat, et Auctor Panegyrici Conſtantio dicti. Sed ceteri Iuthungos appellant rectius:

Ambroſius Ep. 27. Idatius in Chronico, Dexippus. In Tabula Peutingerorum cum Marcomannis iunguntur et Quadis. *Certe ad Danubium ſedes habuiſſe, docet vetus Auctor apud Suidam in ἐκόντων. σκυθῶν ἀπόμοιρα Scytharum pars dicuntur a Dexippo. VALES.

Iuthungi.] Ubi habitaverint, ita clare exponit Ammianus, ut nota opus non ſit. Mannertus tamen in Germania p. 296. Ammianum putat ſedes iis *Italiae propiores* aſſignaſſe quod *Raetias* infeſtaverint, cum Peutingeriana tabula aliique ad Danubium orientalem ponant, quod et firmatur eo, quod Marcomannis ſe plerumque iungerent in bellis gerendis. v. etiam Tillemontium T. III. P. 3. p. 1030 et 1186. Ceterum diſtinguendi ſunt Iuthungi a Greuthungis XXXI. c. 3. 4. 5. commemoratis, qui originem a Scythis deducebant. W.

2. *Verbis effuſior*] ſaltem diſertus ſatis ad militum animos excitandos. W.

Nevitta.] Ad quem eſt lex quinta Cod. de pedan. iudic. et lex prima ibid. de Conſort. eiusd. lit. quae utraque eſt Iuliani, et ipſe Nevita conſul dicitur. GRON. *Nevita, poſtea Conſul An. 362. v. Ind. I.* W.

CAPVT VII.

2. *Die* IX. *Cal. Septembrium.*] Conſentit Idatius in Faſtis, Datiano et Cereale Coſſ. *Ipſo anno terraemotus factus, ita ut civitas Nicomedenſium funditus verſaretur die* IX. *Cal. Sept. aliae vero centum* L. *civitates partibus vexatae ſunt.* Et Aurelius Victor in Marco Caeſ. c. 16. : *Aſiaeque*, ait, *Epheſus ac Bithyniae Nicomedia conſtratae terrae motu, aeque ac noſtra aetate Nicomedia Cereali Conſule.* Praeterea Socrates in lib. 2. cap. 31. Hiſt. Eccl. ait Conſtantium, qui initio quidem iuſſerat Concilium Epiſcoporum Nicomediae fieri, audita clade Nicomediae, Seleuciam Iſauriae Concilii ſedem conſtituiſſe: additque: τοῦτο δὲ γέγονε Δατιανοῦ καὶ Κερεαλίου περὶ τὴν ὀγδόην εἰκάδα τοῦ αὐγούστου μηνός: id eſt IX. Kal. Sept non v. ut male vertit Interpres, qui formam loquendi Atticam eſſe non advertit. Exſtat etiamnum Libanii Monodia de hac Nicomediae ruina: quam Ephrem etiam Diaconus elegiaco carmine planxerat, teſte Gennadio et Marcellino Comite in Chronico. VALES.

Amandato] obnubilato. *Contigua vel appoſita* tam propinqua, ut manibus prehendi poſſent. W.

3. *Fatales contorquente manubias.*] In libris Etruſcorum lectum eſt fulminum iactus *manubias* dici, et certa eſſe numina poſſidentia fulminum iactus, ut Iovem, Vulcanum, Minervam, etc. teſte Servio in lib. 1. Aen. v. 46. Etruſci tamen etſi credimus Senecae in lib. 2. Nat. quaeſt. fulmina a Iove mitti dicebant, tresque illi manubias dabant, de quarum differentia vide Feſtum, et Senecam ibidem: ita ut alii Dii nonniſi commodatas a Iove manubias haberent. Marcianus Capella in libro 9. de Minerva: *Huic pater tuas aſſereris credidiſſe manubias.* VALES.

Manubiae. Sic fulminum iactus ab Etruſcis dicebantur eam ſine dubio ob cauſam, quod uti praedae ab hoſtibus captae portio

tio manubiarum nomine Imperatorum erat propria, ita ſolius Iovis fulminum mittendorum ius atque poteſtas eſſe crederetur. De aliis Diis, qui fulmine Iovis uſi ſunt, vide quae notavi ad Valer. Flacc. I, 116. IV, 671. W.

Eliſi litoris] fluctuum ad litora fractorum. W.

Typhones atque preſteres.] Marcian. Heracleot.

— — — πρηστήρων τε καὶ
Βολὰς χεραυνῶν, τούς τε λεγομένους ἐκεῖ
Τυφῶνας.

Heſych. Πρηστὴρ, σφοδρὸς ἄνεμος, ἢ πῦρ ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ. De typhone vid. Suid. Gell. lib. 19. cap. 1. *Figurae quaedam nubium metuendae, quas τυφῶνας vocabant.* De preſtere Lucret. lib. 6. v. 423. ſſ. LINDENBR.

Typhones atque preſteres.] Vtraque vox Graeca. Typhon eſt turbo violentior cuncta diruens in terra continenti (Orcan) vel maris aquas in altum rapiens (Waſſerhoſe); Preſter autem ſervidus ventus (Sirocco). W.

4. *Acclivitate vehebantur*] abripiebantur, deſtruebantur. — *quaeritantes coniugium* coniuges. Sic XXII, 8. coniugiis potiti dominorum et rebus. — *et ſi quid neceſſitudinis arte conſtringit,* cognatos, affines, familiares. Cf. XIX, 9. 7. XX, 8, 21. W.

5. *Conſtipati*] contriti, eliſi — *aggeribus* ruderum. Erneſti comparat Virgil. Aen. IX, 567. et foſſas *aggere* complent. *ſupereſſe* ſervari. W.

6. *Homines* vivi, *cadaveribus* oppoſiti. W.

Ariſtaenetus affectatam recens dioeceſim curans, etc.] Male in vulgatis lib. *Ariſtaenetus affectatam regens dioeceſim curans vicaria poteſtate, quam Conſtantius ad honorem uxoris Euſebiae Pietatis cognominarat.* Rectius in partem ut edidimus, *affectatam recens dioeceſin curans vicaria poteſtate.* Sic poſtea c. 11. §. 5. *Artemius curans vicariam Praefecturam.* Reliqua ſic reſtituenda videntur, *Pietatis cognomine nominarat.* Ad exemplum nempe Pietatis Iuliae (de qua Plin. lib. III. cap. 19.) Conſtantius hanc dioecelin Pietatem vocavit. Et *Dioeceſis* hic eo ſignificatu ponitur, quo paſſim in utroque Cod. ac in Notitia Imp. *Dioeceſis Aegyptiaca, Africana, Pontica, Thraciar.* Vid. L. 3. C. Theod. de mil. veſte, L. 1. Ne quis Palatin. L. unic. Ut omnes iud. L. 12. de metall. et metal. L. 3. de equor. collat. L. 34. de navicular. L. 97. de Decurionib. LINDENBR.

Ariſtaenetus.] Nicaea Bithyniae oriundus, inter praecipuos Libanii amicos: ut docent Libanii plurimae ad eum epiſtolae, quibus facundiam illius moresque ſuaviſſimos commendat. Meminit etiam eius in Orat. de vita ſua pag. 21. (Reisk. I. p. 40.) his verbis, quae ut ex Mſ. codice legenda ſunt apponam: ὧν εἰ τὴν Ἀρισταινέτου φαίην ἂν ὑπερτέρην φιλίαν, οὐδένα ἂν νεμεσῆσαί μοι δοκῶ τῶν τιθεμένων δευτέρων. ᾧ μοι καὶ ἡ μήτηρ καὶ εἰ τῷ ἄλλῳ λύπην ἐνεποίουν ἀπὼν εἰκότως ἂν ἐγκαλοῖ. De eiusdem Ariſtaeneti et Hieroclis obitu in hac Nicomediae ruina plenae ſunt Libanii epiſtolae, nominatim 22. ad Acacium. VALES.

Ariſtaenetus] cuius adhuc ſuperſunt epiſtolae elegantiſſimae, de quo tamen vide Harleſium ad Fabricii Bibl. Graecam T. I. p. 695. De Hierocle philoſopho, diſtinguendo tamen illo ab alio

eiusdem nominis ex Vicario Bithyniae praeſide, cf. Burmann. ad Valeſ. Emendatt. p. 11. — *Affectatam recens dioeceſin* paullo ante inſtitutam provinciam. Sic Liv. 1, 46. affectare regnum non appetere modo, ſed etiam occupare. — *Pietatis.* Debebat eſſe PietatEM, nam admodum dura foret *σύνεσις*, ſi e *cognominavit* cognominis notio mutuanda eſſet. Fortaſſe etiam vox *Euſebiae* a ſciolo quodam intruſa. Valeſii Pietatis cognomine nominavit non ſatis placet. W.

7. *Inter vitae mortisque confinia*] ſpe vitae ſervandae metuque mortis diſtracti. W.

Cum obteſtatione magna] ſibi ipſis auxilio opus eſſe. W. Leviter lapſus eſt vir optimus, qui verba illa referret ad *deſerebantur* ideoque poſt *implorantes* commate interpungeret. Eandem ſecutus erat rationem in vernacula interpretatione, vertens: — ruften andere, die ein ähnliches Schickſal traf, zu Hülfe, und die Antwort war *Betheurung der Unmöglichkeit.* Quo ſignificatu voc. *obteſtatio* nusquam occurrit. ERF.

8. *Flammarum ardores*] quos tamen non ex ſubterraneis ignibus, ſed e culinis, balneis opificumque officinis proveniſſe aperte dicit Sozomenus Hiſt. Eccl. IV, 16. Idem obſervatum eſt Lisboae et in Calabria. W.

10. *Ritualibus et Pontificiis obtemperantibus Sacerdotiis.*] Ita Mſ, et vulg. Latens tamen vitium facilius eſt agnoſcere, quam de medela eius certum quid pronuntiare. Rituales libri iterum laudantur lib. XXIII. c. 5. §. 10. quorum argumentum ex Cicerone de Divinat. 1, 73. et Cenſorino de die natali notum eſt. Quibus non abſimiles erant Pontificales libri, quorum Seneca meminit Epiſt. CXVIII. Auctor Orig. gentis Rom. Auguſtin. de Civit. Dei, Servius in Virgil. *Marius Victorinus de Orthographia lib. 1. p. 17. Inſcriptio vetus apud Urſin. de Imaginib. p. 101. LIVIVS THEONA AB EPISTULIS GRAEC. SCRIBA A LIBRIS PONTIFICALIBUS.* LINDENBR.

Obtemperantibus ſacerdotiis cautum.] In Editione Romana legitur *caute.* Codex Regius *et Toloſanus* ſcriptum habent: *Obſervatur obtemperantibus ſacerdotiis caute.* quod probo. VALES.

Unde et in ritualibus et pontificiis obſervatur obtemperantibus ſacerdotiis caute.] Quid ſibi voluerit Ammianus, facile eſt ad intelligendum: nempe ſacerdotes ad librorum ritualium et pontificiorum praeſcripta diligenter cavere. Facilius tamen intelligerem, ſi *libris*, qui vix abeſſe poſſunt, poſt *ritualibus*, in cuius ultimis ſyllabis latere *τὸ libris* videtur, inſerere et ablativos conſequentiae *obtemperantibus ſacerdotiis* commatibus diſtinguere a reliquo contexto liceret. Quidni vero liceat? Sic enim omnia, mihi quidem, recte fluere videntur: *in ritualibus* (libris) *et pontificiis obſervatur, obtemperantibus ſacerdotiis* (quibus ſacerdotes obtemperant) *caute, ne* rel. Ceterum de ritualibus (Etruſcorum) praeter Ciceronem a Lindenbrogio laudatum conf. Feſtus h. v. W.

Ne alio Deo pro alio nominato.] Gellius lib. II. cap. 28. LINDENBR.

Ne alio Deo pro alio nominato] nominibus permutatis, quod ut caverent, Athenienſes aram θεῷ ἀγνώστῳ ſtatuiſſe recte coniiciunt interpretes ad Acta Apoſt. XVII, 23. W.

Digitized by Google

11. *Ut opiniones exiſtimant*] Mirus abſtracti uſus pro concreto. Sic XX, 3, 8. opiniones variae collegerunt. W.

In cavernis minutis terrarum, quas ſyringas appellamus.] Inf. lib. XXII. c. 15. §. 30. *Sunt et ſyringes ſubterranei quidam et flexuoſi receſſus.* Vide Suid. in σύριγξ. LINDENBR.

Impulſu crebriore aquis undabundis.] Lucret. lib. VI. 551.

Fit quoque, ubi magnas in aqua vaſtasque lacunas
Glaeba vetuſtate e terra provolvitur ingens,
Ut iactetur aquae fluctu quoque terra vacillans. LINDENBR.

Undabundis] redundantibus, creſcentibus. Hoc verbum eſt etiam ap. Gellium II, 30. W.

Ut Anaxagoras.] Qui terrae motum definiebat ὑπονόστησιν ἀέρος εἰς γῆν, teſte Laertio II, 3. n. 4. ubi vide quae Aldobrandus notat ex Ariſtotele in libro 2. Meteorolog. et Plutarchum in lib. 3. de Placitis Philoſophorum. VALES.

Ventorum vi ſubeuntium ima terr.] Lucret. lib. VI. 556.

Praeterea ventus cum per loca ſubcava terrae
Conlectus parte ex una procumbit, et urget
Obnixus magnis ſpeluncas viribus altas:
*Incumbit telius, quo venti prona premit vis.** LINDENBR.

Soliditatibus concruſtatis.] Agathias lib. II. Οἱ τὴν αἰτίαν τοῦδε τοῦ πάθους (tremoris terrae) ἀναθυμιάσεις τινὰς εἶναι λέγοντες ξηράς τε καὶ λιγνυώδεις, καὶ ὑπὸ τὰ γλαφυρὰ τῆς γῆς εἰργομένας, καὶ τῷ μὴ διαπνεῖσθαι ῥᾳδίως σφοδρότερον ἔνδον περιδινουμένας τὸ ἐπιπροσθοῦν ἅπαν σαλεύειν, ἕως τῇ βιαίᾳ φορᾷ τῆς στεγνότητος ἐνδιδούσης ἐς τοὐμφανὲς ἀναχθεῖεν. LINDENBR.

Terra tremente, ventorum apud nos ſpiramina nulla.] Mich. Glycas Annal. lib. I. Γίνεται καὶ παρὰ τῶν ὑπογείων ἀνέμων κίνησις. διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ἐπιόντων μεγάλων σεισμῶν, ἄνεμοι τῷ τότε οὐκ εἰσὶν, ὡς ἐσκλεισμένων αὐτῶν ὑποκάτω κατὰ τόπον, καὶ μᾶλλον ὑπ' ἄντρων. LINDENBR.

12. *Anaximander ait.*] Anaximander Mileſius Phyſicus, cuius magna in hac re ſcientia vel potius divinitas fuit: quique Lacedaemoniis praedixit, ut urbem et tecta cuſtodirent: inſtare enim motum terrae. Plin. lib. II. cap. 79. LINDENBR.

Qua de cauſa terrores huiusmodi.] Sc. *tremores huiusm.* LINDENBR.

Neptunum humentis ſubſtantiae] Gellius lib. II. cap. 28. *Macrob. Saturnal. I. cap. 17. *Orpheus tamen in Hymnis quamvis Neptunum cognominaverit* Ἐννοσίγαιον, *etiam Iovem* σεισίχθονα *vocavit.** Agathias lib. II. Euſtath. in Homeri Iliad. ο. pag. 1013. LINDENBR.

Neptunus, humentis ſubſtantiae poteſtas] cuius imperio ſubeſt, quicquid aquarum ubique eſt. *Ennoſigaeos* (melius *Enoſigaeos* ab ἐνόσειν, concutere, et γαῖα terra. al. Ἐνοσίχθων et Ἐνοσίδης. Pindar. Pyth. IV, 58.) *et Siſichthon* a σείειν movere et χθὼν terra. W. Apud Sophoclem Trach. 502. dicitur τινάκτωρ γαίας. ERF.

Theologi] Mythologi et Phyſici, qui de genealogiis Deorum egerunt. W.

13. *Fiunt autem terrarum motus, etc.*] Corrupte admodum hic locus in retro Editionibus legebatur: ſed in eo reſtituendo feliciſſimus fuit Hadrian. Iunius, cuius emendationes a MſS. membranis confirmantur. Eum vide Animadverſ. lib. III. cap. XV. LINDENBR.

Terrarum motus modis quatuor.] Heraclides Pontic. Allegor. Homer. c. 38. p. 125. Schow. τὰ γάρ τοι σεισμῶν διαφέροντα τοῖς παθήμασιν οἱ φυσικοὶ λέγουσιν εἶναι ἴσα, καί τινας ἰδίους χαρακτῆρας ὀνομάτων ἐπιγράφουσιν αὐτοῖς, βρασματίαν τινὰ καὶ κλιματίαν προσαγορεύοντες. Ariſtot. de Mundo, et eius interpres L. Apuleius p. 15. L. Seneca Natural. Quaeſtion. lib. VI. c. 23. LINDENBR.

Brasmatiae (a βράζειν ebullire, efferveſcere) *qui humum moleſtius* vehementius *ſuſcitantes* ex imo mari, *ſurſum propellunt immaniſſimas moles*, montium, inſularum. — *ut in Aſia Delos emerſit*, Cycladum Aegaei maris celeberrima, quae, ut Latina haberet, ubi pareret, ſubito emerſit, Apollinisque et Dianae patria exſtitit. — *Hiera.* Duae ſunt in Sicilia huius nominis inſulae, ſed quum de Aſia hic ſermo ſit, tertia maris Cretici intelligenda eſt. Niſi tamen Ammianus ſcripſerit *Thera*, quae crebris terrae motibus expoſita in vicinia Anaphes et ab aliis ponitur. Cf. Plin. IV, 23. *Anaphe* autem erat inſula nomen adepta ab Argonautis, quibus poſt longam tempeſtatem Luna ex inſperato apparuit (ἀνέφηνε) Apollon. Rhod. IV, 1717. ſ. Cf. et Plin. II, 87. W.

Rhodus, Ophiuſa et Pelagia.] Ophiuſa olim Rhodos dicta eſt ob multitudinem ſerpentum, ut ſcribit Heraclides de Republica Rhodiorum, Strabo in libro 14. p. 653. Almelov. et Plinius in lib. 5. c. 31. In Heſychii Lexico ſic legendum eſt: Ὀφιοῦσα ἡ Ῥόδος διὰ τὸ πλῆθος τῶν ὄφεων. vulgo ὀφιοῦς ἡρόδοτος legitur corruptiſſime. Pelagiam tamen non nominat Plinius, neque Strabo, qui plurima eius inſulae nomina afferunt. Ceterum fabula de aureo imbre, quo perfuſa dicitur Rhodos, ex Homero fluxit, qui in Catalogo ſic ait de Rhodiis v. 670. (quem verſiculum tamen Wolfius uncinis incluſit. W.)

Καί σφιν θεσπέσιον πλοῦτον κατέχευε χρονίων.

quam fabulam poſtea latius extendit Pindarus in ode 7. Olymp. v. 63. ſſ. Claudianus in lib. 3. de Stilichonis laudibus v. 226.

Auratos Rhodiis imbres naſcente Minervâ
*Defluxiſſe ferunt.**) VALES.

Eleuſin in Boeotia.] Falli videtur Marcellinus noſter: neque enim Eleuſis referri debet inter eas urbes quae terrae motu emerſerunt; ſed potius inter illas, quae peſſum abierunt: ut auctor eſt Strabo in lib. 9. p. 407. Almel. Plinius in lib. 2. c. 94. (92) et Pauſanias in Boeoticis IX, 24. VALES.

Vulcania.] In Editione Rom. legitur *Vulcanus*: neque aliter Auguſtana et Baſilienſis Editio, et codex Regius ſcriptum habent. [Colbertinus, *Volcamus.*] Ea eſt quae Vulcani inſula dicitur a Iulio Obſequente in lib. de Prodigiis c. 57. *In Sicilia*, inquit,

---

*) Ed. Gesner. *Indulſiſſe Iovem perhibent*, non memorata Valeſii ſcriptura. ERF.

Digitized by Google

Vulcani insula saxosa, et deserta, quae ex ternis crateribus flammas eructabat, magna hominum admiratione nata est anno Urbis 567. Idem ait Orosius in lib. 4. cap. xx. In Tabula quoque Peutingerorum Insula Vulcani dicitur. VALES. Quum adeo casti fuerint Valesii in scripta codicum vetustorum lectione retinenda, non oportuit hic negligentes esse, praesertim quum nequiverint ignorare hodieque appellari *Volcano* aut *Bolcano* aut *Borçano*, hoc barbarico nomine prorsus alludente ad scripturam veterem et eam firmante, quam et propterea reposui; quod videre est apud Cluverium in Siciliae lib. II pag. 406 ubi inter collectanea de hac insula Ammiani nostri non meminit, quod miror, unde causam hodierni nominis tam clare discimus. Geographo Ravennati est *Vulcana*. GRON.

Aut climatiae.] Hi terrae motus ἐπικλίνται dicuntur in libro de mundo qui Aristoteli tribuitur, et μυκητίαι qui in Marcellino nostro mycematiae: βράσται denique qui brasmatiae. Aristoteles quoque in Republ. Mallilienlium βράστας nominat, teste Strabone in lib. 4. p. 182. Almel. Vetus Auctor apud Suidam in σεισμός· πνεύματος εἰς τὰ κοιλώματα τῆς γῆς ἐγκατειχθέντος· εἶναι δ' αὐτῶν τοὺς μὲν βρασματίας, τοὺς δὲ χασματίας. VALES.

Climatiae (al. Epiclintae) recte interpretatus est Ammianus qui *limes* e transverso *ruentes et oblique urbes* cet. *complanant*. Pro *limes* frequentius est *limi*, alio tamen loco xx, 9, 2. iterum est *limibus oculis*. W.

Chasmatiae] a χάσμα hiatus, vorago, cuius loco Ammianus voce vix alibi obvia utitur *voratrina*. W.

Europaeo orbe potior insula.] Figmentum est Platonis in Timaeo, qui eam insulam finxit simul, idemque destruxit, ut apud Homerum Neptunus murum Achaeorum, ne locus arguendi mendacii supereslet, ut ait Strabo in lib. 2. (Alii Americam iam veteribus innotuisse inde colligere voluerunt. W.) Ceterum ex codice Regio *et Tolosano* emendavi *spatiosior*: cui fere accedit Editio Rom. in qua legitur, *orbes potior insula*: [in Colbertino,] *orbes patior insula*. VALES.

In Crissaeo Corinthiaco *sinu Helice et Bura*. Locus classicus de his terrae motu absorptis Achaiae urbibus est ap. Diodor. Sic. xiv, 48. 49. ubi Wesselingii industria accurate omnia et subtiliter explicuit. cf. etiam Strabo viii. p. 385. Almel. et Ovid. Metam. xv. 290. W.

In Ciminia Italiae parte op. Succinense.] Ciminiae quidem viae mentio fit a P. Victore in Descriptione urbis Romae, et in veteri Inscriptione: CURATORI. VIAE. CIMINAE. Ciminiae silvae meminit Livius in lib. 9. c. 36. et 37. Plinius in lib. 2. c. 98. (96). Ciminium lacum memorat Strabo in lib. 9. Virgilius in 7, 697. Et in Tabula itineraria Peutingerorum lacus et mons Ciminus prope Centumcellas ponitur via Aurelia. Oppidum vero Succinense quodnam fuerit, alii quaerent. In Regio et Flor. codice [ac Colbertino] *Saccumum* dicitur: in Editione Rom. *Saccunium*. Sed Castellus *Succunium* correxit; quem secuti sunt Accursius et Gelenius. VALES. Quam ridet, dum alios quaesituros scribit, quod tot saeculis submersum fuit, sive illud Saccumum, sive Saccunium velit? Et quidquid de eo colligi potest, habet Cluverius in Italia antiqua lib. II. pag. 161. GRON. Tractum vel provin-

Digitized by Google

ciam ignorant veteres, in qua *oppidum Saccumum* ſitum fuerit; forſan tamen, quae ſententia eſt Cellarii in Orbe antiquo T. 1. p. m 725. ubi lacus eſt, qui in locum urbis ſucceſſit, (nunc Lago di Vico v. Heynius ad Virgil. Aen. VII. 697. W.

14. *Mycematiae.*] Ἀπὸ τοῦ μυκήματος: qualis mugitus ſub Arcadio Imp. per totos ſeptem dies, maximo cum terrae motu, auditus fuit. Mic. Glyc. Annal. IV. LINDENBR.

Diſſolutis elementa compagibus] cardines mundi quaſi loco moti. Haud poenitebit conſuluiſſe ad hunc locum *Trillerum* in Obſſ. p. 306. W.

CAPVT VIII.

1. *Hiemem apud Pariſios agens.*] v. ſupra c. 2. extr. *Alamannos praevenire maturabat* induciae enim decem menſium conceſſae c. 1. ad finem properabant. *Poſt Argentoratum*, cladem ad Argentoratum acceptam. Graeciſſat hic Ammianus. Graeci enim τῷ μετὰ ita utuntur, *ut uno vocabulo ac maxime nomine proprio poſito, totum aliquod factum ſignificet.* Haec verba ſunt Wernsdorfii ad Himerium p. 42. Plura ibi afferuntur non Himerii ſolum et aliorum illius aevi Graecorum iſtius breviloquentiae exempla, nec Ammianus neglectus. Excitatur etiam praeter Horatii Od. 1, 18, 5. quis *poſt vina* gravem militiam aut pauperiem crepat? locus inprimis gemellus Senecae de providentia T. 1. p. 318. Gronov. *audaciter veteranus cruorem ſuum ſpectat, qui ſcit ſe ſaepe viciſſe poſt ſanguinem*, i. e. gravia vulnera accepta. W. Idem uſus eſt praepoſitionis *ante*. Ovid. Metam. 1, 5.

Ante mare et terras et, quod tegit omnia, coelum,
Unus erat toto naturae vultus in orbe,

ut ſine dubio ſcribendum cum Heinſio. ERF.

* *Opperiensque Iulium menſem, unde ſumunt Gallicani procinctus exordia.*] Id ipſum Caſſiodorus innuit, Variar. lib. 1. Epiſt. 34. — — *Pro communi utilitate exercitum ad Gallias conſtituimus deſtinare — — Atque ideo per Naudium Saionem noſtrum admonendum curavimus, ut ad expeditionem in Dei nomine more ſolito, armis, equis, rebusque omnibus neceſſariis ſufficienter inſtructi,* VIII. *die Kal. Iuliarum proxime veniente, modis omnibus, Deo favente, moveatis.** LINDENBR. Galliae tum inclementius coelum erat, nec ſuscipi aliquid poterat, niſi, uti Ammianus paullo poſt ait: *aeſtatis remiſſione* mitiori tempeſtate *ſolutis frigoribus et pruinis.* W.

2. *Diligens ratio*] i. e. ſollertia. Sic recte Ern. ineſt enim, inquit, *rationis* vocabulo ſaepius *artis* notio. — *Anni maturitate*, alibi adulta aeſtate. W.

Firmatoque conſilio.] Recte quidem; ſed an non imitatus fuit Trogum, cuius verba retinuiſſe opinor Iuſtinum lib. 1. cap. 10. *Formatoque in futura conſilio?* Ut et alii loquuntur. Libro amen 18 cap. 6. vulgatum iterari ſcias. GRON.

* *In ſedibus conſumendum.*] Sedes, ſive ſedeta quid ſint, ad lib. 14. c. 2. §. 12. explicitum.* LINDENBR.

Digitized by Google

Ad uſus diuturnitatem excoctum, buccellatum.] Duplex erat huius panis commoditas: prima, quod diutius integer ſervabatur: deinde quod a militibus ipſis facilius portaretur: minus quippe ponderis habebat quum panis vulgaris, quippe qui bis in furnum coniectus fuiſſet, unde et biscoctus dicitur. Itaque cum annona militibus dividebatur, ſi buccellatum eis datum erat, quarta parte minus quam ſoliti erant, milites accipiebant, ut docet Procopius in lib. 1. Vandal. pag. 109. ubi Iohannis Praefecti Praet. fraudem memorat. τὸν ἄρτον ᾧ δὴ μέλλουσιν ἐν τοῖς στρατοπέδοις οἱ στρατιῶται σιτίζεσθαι, δὶς μὲν ἐπάναγκες εἰς τὸν πυρίγεα εἰσάγεσθαι, etc. Hinc eſt quod in Gloſſis Fr. Pithoei βουκέλατον explicatur ἄρτος ἑλαφρός. VALES.

Buccellatum, ut vulgo appellant.] Conſtantinus περὶ θεμάτων· Βουκκέλλος τὸ κριθέλλοειδὲς ψωμίον καλεῖται. Eſt vero panis ille, quem vulgo nunc *biscoctum* vocant: ob uſus enim diuturnitatem recoquitur, ut ſolet panis nauticus. L. 6. C. Theod. de erogat. milit. an. *Expeditionis tempore buccellatum ac panem, vinum quoque atque acetum, ſed et laridum, carnem berbecinam etiam milites noſtros ita ſolere percipere.* Mauricius in Tacticis: χρὴ ἐν ἡμέρᾳ πολέμου, ἐν ταῖς σέλλαις ἐπιφέρεσθαι ἕκαστον στρατιώτην ὕδωρ καὶ βουκελάτα. LINDENBR.

3. *Conſuetudo Salios appellat.*] Zoſim. lib. III. c. 6. Τὸ Σαλίων ἔθνος, Φράγκων ἀπόμοιρον. Vide quae ad Legem Salicam notavit Franciſc. Pithoeus l. c. vir vere doctus: cuius exacta diligentia factum, ne quid in praeſentiarum his addere velimus. LINDENBR.

Salios auſos olim apud Toxiandriam.] Toxiandria locus eſt ita dictus a Toxiandris ſeu Toxandris populis, quos in Belgica locat Plinius in lib. 4. c. 17. non longe a Scaldi fluvio. *Hosce Toxandros inſulas tenuiſſe Scaldim inter et Moſam fluvios, quae nunc Selandicae dicuntur, Cluverius affirmat in libri II. capite 29.* Hoc in loco ſedes fixerant Salii, tunc cum a Saxonibus patria pulſi, Bataviam inſulam, et vicina loca occupaverunt, ut refert Zoſimus in lib. 3. c. 6. VALES.

Salios.] Antea Cheruſci, quorum nomen evaneſcit in hiſtoria, ut primum Salii memorantur, qui hoc nomen, ubi in Bataviam confinem ſedes transferrent, adſciverunt a Sala fluvio, cuius hucusque accolae fuerant. Sed cuius Salae? Franconicae an Saxonicae? Fortaſſe utriusque, reſpondet Mannertus German. p. 268. quem totum exſcripſi. — *Apud Toxiandriam* in Seelandia noſtra partibusque Flandriae ſeptentrionalibus, Mannert. in Gallia p. 174. Eſt hodie in illo tractu *Teſſender-Lo*, quod etſi proxime accedit ad Latinam Toxiandriam, Mannertus tamen l. c. ſoli nominum ſimilitudini non admodum multum tribuendum eſſe exiſtimat, cf. Ritterum ad Guthrium T. v. P. 3. p. 141. Gibbonum T. IV. p. 325. ſ. et 345. W.

Tungros (Tongern) — *Tamquam in ſuis* hoc referendum ad praecedentia, ubi *in Romano ſolo* habitacula fixiſſe *praelicenter* dicuntur. — *Conditionum perplexitate*, conditionibus ambiguis — ſe in iisdem moraturum tractibus, *dum redirent* acceptas a civibus conditiones nuntiantes. W.

4. *Fulminis turbo*] nimis quaesite. *In opportunum — flexo.* Et hic verborum copia nimia. Brevius: victoria clementer uti opportunius esse ratus. W.

Dedentes se susceptt.] De hac Saliorum deditione praeter Iulianum in Epist. ad Athenienses p. 280. Spanh. sic loquitur Libanius in Orat. funebri (Reisk. I. p. 546.): τοῦ καιροῦ τὸ σημεῖον αἴροντος εὐθὺς στρατεύει, καὶ περὶ τὸν ποταμὸν ἀστράψας ἔθνος ὅλον οὕτως ἐξέπληξεν, ὥστ' ἠξίουν μετοικεῖν καὶ μέρος εἶναι τῆς αὐτοῦ βασιλείας. καὶ γῆν ἤτουν καὶ ἐλάμβανον, καὶ βαρβάροις ἐπὶ βαρβάρους ἐχρῆτο. Id est: *Cum tempus signum sustulisset, ilico exercitum educit, et circa flumen instar fulguris visus, gentem integram adeo terruit, ut migrare in orbem Rom. peterent. Agros itaque petentibus dedit, et barbaris adversus barbaros auxiliaribus est usus.* Quae postrema plane confirmant id quod scribit Zosimus III, 8. Iulianum scilicet victis et in deditionem acceptis Saliis et Chamavis, selectos ex iis robustiores inter auxilia conscripsisse, eiusque numeri etiam aetate sua nomen permansisse. Certe in Notitia Imperii tam Orient. quam Occid. Salii inter Palatina auxilia recensentur. VALES.

5. *Chamavos itidem.*] Hi ad ostia fluminis Rheni supra Bataviam sedes habebant, ut videre est in Tabula Peutingerorum. Sed tunc a Saxonibus, quorum ipsi pars erant, trans Rhenum missi fuerant, ut Salios ex Batavia expellerent, sicut narrat Zosimus in lib. 3. c. 6. et in Romano limite sedes sibi constituerant. Hoc enim est, quod significat Marcellinus noster his verbis: *Chamavos itidem ausos similia.* Eorum Regulus erat Nebisgastus, teste Eunapio, qui hanc rem fusius narrat in Excerptis legationum. VALES.

Chamavos] Pars Francorum ad Vahalin et Mosam habitans, quo ex insula Batavia eos deduxerat Constantius. Mannert German. p. 196. et 268. Χαμάβους pro Κουάδους Zosimo III, 6. recte restituit Ritterus ad Guthrium T. V. P. 1. p. 51. assentiente etiam Heynio p. 636. ed. Reitem. W.

Sub obtutibus eius] coram eo. Prudent. Peristeph. (de S. Laurent.) 278. coram tuis obtutibus. W.

CAPVT IX.

1. *Munimenta tria*] quorum nomina non addit Ammianus, quoniam singularia non habuere. Cf. XVIII, 2. et Ritter. ad Guthrium T. V. P. 3. p. 576. *Superciliis* cf. XIV, 2, 8. XXIV, 1. W.

2. *Consilium prudens celeritas faceret tutum.*] Sallustii dictum (Catil. c. 1.) huc pertinet: *Ubi consulueris, mature facto opus est.* Ad quod respexisse videtur Emmanuel Palaeologus in Paraenet. c. 30. Καὶ πρὸς μὲν τὰς ἀποφάσεις σχολῇ βαδίζειν, βεβουλευμένον δὲ καλῶς, δυσὶ ποσὶ τρέχειν. LINDENBR.

Annona decem dierum et septem] Panem omnino in dimidium mensem distributum militibus ad expeditionem pergentibus probat Casaubonus ad Scriptt. Hist. Aug. T. I. p. 999. — *Ex segetibus* mellibus. *Suppleri posse.* τὸ *posse*, quod ignoret editio

Digitized by Google

Romana, deleri iubet Gronovius Praef. p. XXVII. nam ſuppleri eſſe pro ſuppletum iri. — *Quod ablatum* ſubtractum *eſt*. W.

3. *Expenſis quae portabat*] conſumtis frumentis. — *Aſianum*, Aſiana enim gens, quae verba ſunt Quintiliani Inſt. Orat. XII, 10, 2. tumidior et iactantior, vaniore etiam dicendi gloria inflata eſt. *Graeculum* et hoc ad contemtum dici pro vano, vaniloquo, iactatore, ex ipſo Cicerone notum eſt. cf. Iuvenal. Sat. III, 78. *Graeculus eſuriens ad coelum, iuſſeris, ibit.* — *fallacem*, Graecae adeo fidei. W.

4. *Acumina pruinarum*] acerbiſſimum frigus. *Ultimis hoſtium fatis inſtantes*, ubi in eo ſumus, ut hoſtes funditus deleamus. *Ignaviſſimo mortis genere*, cui avertendae nil profuerit fortitudo. *Segne letum* eſt Val. Flacco I, 633. ubi vide a me notata. W.

6. *Rerum probabilium*] laudabilium, egregiarum, XXIII. 1, 4. Liv. VII, 13. *Articulosque neceſſitatum ancipites*, ſumma pericula. cf. XVI, 12. et alibi. W.

Miles nec donativum meruit, nec ſtipendium.] Haec falſa ſunt, ſi verum eſt quod narrat Sulpicius Severus in principio libri de vita B. Martini, *capite 3.* *Iulianus*, inquit, *Caeſar coacto in unum exercitu donativum coepit erogare militibus apud Vangionum civitatem. Ut eſt conſuetudinis, ſinguli citabantur; donec ad Martinum ventum eſt.* [Marcellinus ipſe in libro 16. c. 5. §. 11. tradit, *Agentes in rebus quadam ſollemnitate inductos in Conſiſtorium, ut aurum acciperent.* In libro XX. c. 8. §. 8. Iulianus iam Aug. de milite Gallicano ſic ad Conſtantium ſcribit: *Cuius iracundiae nec dignitatum augmenta, nec annuum merentis ſtipendium, id quoque acceſſit.*] VALES.

Inde, ut] ex eo tempore, quo cet. cf. XV, 11, 6. W.

7. *Tenacitate*] maligna parſimonia. Sic Liv. XXXIV, 7. in purpura cauſam tenacitatis video. — *Petenti ex uſu* quod ſaepe facere ſolebant milites. — *Calumniis appetitus eſt* quod milites corrumpere vellet donativis, quae nonniſi Auguſtus dare poſſet. — *Gaudentio tunc Notario*, antea Agente in rebus XV, 3. XVI, 8. *Ad explorandos eius actus* ſpeculator, quem poſtea *ipſe* Iulianus interfici iuſſit XXII, 11. W.

CAPVT X.

2. *In Tagetis Tuſci libris.*] Sic primus ex coniectura correxit P. Caſtellus, cum in editione Rom. legeretur, *in Tagetinucis libris.* Regius autem et Flor. codex, [ac Colbertinus] *et Toloſ.* ſcriptum habent *Tagetinicis.* Unde non dubito quin veriſſima ſit emendatio noſtra. *Sic Longinianus in Epiſtola ad Auguſtinum *Tagetica praecepta* vocat, quae cum Orphicis et Trismegiſticis iungit.* [Servius in librum 8. Aeneid. 398. *Haruſpicinae libros* citat, et *ſacra Eruſca, quae Tages compoſuiſſe dicitur.*] VALES.

Tagetis Tuſci libris.] Cenſorinus de die natali cap. 11. *In agro Tarquinienſi puer dicitur divinitus exortus nomine Tages, qui diſciplinam cecinerit extiſpicii, quam Lucumones Etruriae*

potentes exſcripſerunt. Cicero de Divinat. lib. II. c. 23. Iſidorus Origin. lib. VIII. cap. 9. Non ſolum autem Haruſpicinae, ſed fulgurum etiam aliarumque rerum abſtruſarum interpretationem hi libri continebant. Servius in Fragment. ad Virgil. lib. XII. *Deorum fulgura in Etruſcis libris deſcripta.* Columella lib. X. Placid. Lactant. in Statii Thebaid. lib. IV. *Arnobius lib. 2. p. 93. *Libros Acheronticos Etruriae* laudat Arnob. lib. 2. ſed verior ibi videtur lectio *Arunticis libris*, p. 88.* LINDENBR. Idem Tages infra XXI, 1, 10. occurrit et qui XXV, 2, 7. memorantur libri Tarquitiani, vel iidem, vel eiusdem fuere farinae. conf. infra XXIII, 5. W.

Veiovis fulmine.] *Veiovis* Iupiter fulguritor eſt, quem in Gloſſar. vett. *Diiumium*, neſcio quam recte, appellatum inveni. *Diiumius*, *ζεὺς κεραύνιος.* Veiovis imaginem vide in Fulvii Urſini lib. de Familiis Rom. Idolum eius ut fictum ex Gellio ſcimus lib. V. cap. 12. *Simulacrum Dei Veiovis — — ſagittas tenet, quae ſunt videlicet paratae ad nocendum.* *Quapropter eum Deum plerique Apollinem eſſe dixerunt, immolaturque illi ritu humano capra.* Templum habuit Romae inter arcem et Capitolium ut Deiovis aedes in regione X. inter Ciceronis domum et Velium. Pub. Victor. in deſcript. Urbis. **Ditovis* meminit et Gellius loco ſupra laudato.* (Vid. Gronov. Praef. p. XIX. W.) LINDENBR.

Veiovis.] Idem mihi fere accidit, quod Ciceroni (de Nat. Deor. III, 24.) interroganti: quid Veiovi facies? Iupiter Tonans, Fulgurator notiſſimus: idem tamen et Veiovis (Nominat.) appellatur, verum ita diſtinguendus, ut *minor* quaſi Iupiter eſſet, qui templum non in ipſo Capitolio ſtricte dicto, ſed inter arcem et Capitolium haberet. v. omnino Gellium V, 12. et Ovidium Faſt. III, 429. ſſ. W.

Fulmine mox tangendos adeo hebetari, ut nec tonitrum, nec maiores aliquos poſſint audire fragores.] Id vere dici, ex Plinii quoque verbis elici poteſt, lib. II. cap. 24. in Catholicis fulgurum: *Quati prius omne et afflari, quam percuti: nec quemquam tangi, qui prior viderit fulmen, aut tonitrua audierit.* LINDENBR.

3. *Suomarius*] Alamannorum rex XVI, 12. *Conceſſione* venia, XIV, 11, 14. W.

Suſceptorum vilium more.] *Suſcepti* ſunt clientes, ſic dicti, quod a potentioribus in tuitionem ac patrocinium ſuſcipiuntur. Salvianus Maſſil. lib. V. de Gubern. *Ecce quae ſunt auxilia ac patrocinia maiorum: nihil ſuſceptis tribuunt, ſed ſibi.* Vide Servium in VI. Aeneid. ad illum verſum (609.) — — — *Fraus innexa clienti*, *Scholiaſt. Symmachi Epiſt. 4. lib. 5. Iul. Severianus Rhetor: *Adverſariorum calumnias, factiones, ſolitudinem ſuſcepti, vel cetera eius infortunia memoramus.* Iordanes de rebus Geticis: *Quaſi ſuſceptorum ſuorum mors ad ſuam iniuriam redundaret.* Iuretus Arnobii locum notat. Vid. Pith. ad Fragm. ver. Iurisconſult. p. 97.* LINDENBR.

Suſceptorum vilium more.] Gravi errore ſuſceptos hic intelligi putavit Lindenbrogius, id eſt clientes: cum Suſceptores intelligantur, qui annonam militarem a provincialibus exactam ſuſceptamque in horrea inferebant, et pro illationis modo ſecuri-

tates, id est apochas accipiebant: ut est in lege 16. Cod. Theod. de Susceptoribus. Hi etiam annonam erogabant Actuariis et Optionibus iuxta breves seu pittacia authentica, quae Actuarii semper parata habebant, in quibus quo die et quantum esset erogatum scribebatur: nec antequam pittacia haec accepissent Susceptores, annonam ex horreis proferebant. Hi breves postea ad sacra scrinia mittebantur, lege 11. et 14. Cod. Theod. de erogatione milit. annonae. Susceptorum autem varia genera fuere. Nam praeter Susceptores specierum annonariarum, et Susceptores canonis, id est annonae populi Romani, et Susceptores vestium, et Susceptores auri et argenti, seu Susceptores aurarii memorantur in Codice, et in Glossis veteribus. Denique quot tituli, totidem erant genera Susceptorum: qui vel ex Curia, vel ex corpore diversorum officiorum discussis prius facultatibus creabantur. VALES. Qui h. l. *susceptores*, iidem *suscipientes* dicuntur XIX, 11. W.

Fatigandum] appellandum, donec praestitisset praestanda. W. Ernestius: „*fatigandum* sc. bello. Neque enim de exactionibus sermo est,„ quo sensu Gothofredus in Glossar. Nomic. Cod. Theod. ad h. v. explicat hunc locum.“ BRE.

5. Alterius Regis, nomine *Hortarii*, pagus erat petendus. Sic ordines verba. W.

Nesticae.] Tribuno Scutariorum. v. Ind. II. W.

Charietloni viro fortitudinis mirae.] De eius proceritate ac praeclaris facinoribus operae pretium erit Zosimi lib. 3. c. 7. legere. Sed et Eunapius de eodem sic scribit: Χαριέττων μὲν οὖν καὶ πρὸ τούτου φανερός τις ὢν καὶ ἀνυπόστατος, τῷ τε πλεονάζοντι τοῦ δραστηρίου φοβῶν, ἀνεῖχεν ἀπὸ λῃστείας ἅπαντας. Id est: *Charietto igitur, qui et antea illustris et invictus habebatur, et ob singularem audaciam terrori erat, omnes barbaros a latrocinando deterruit.* Eunapii verba refert Suidas in ἀνεῖχε. Hic idem Charietto postea per utramque Germaniam Comes rei militaris fuit, teste Marcellino in lib. 27. c. 1. §. 2. [Charietto iste natione Francus fuit, unde a Zosimo natione Barbarus vocatur. Idque vel ex nomine ipso intelligitur. Francus fuit et *Carietto*, qui anno Christi 388. post Charietonem nostrum ab Alamannis in Germania interfectum 24. Magister militiae Valentiniani Iunioris A. in Germania cum exercitu opposito Francis diversabatur, ut scribit Sulpicius Alexander. *Cariatto Spatharius Guntchramni* Franc. Regis, post Episcopus Genevensis, a Fredegario memoratur; et *Cariato* quidam in Epistola Constantii et Dadonis Episcoporum ad Desiderium Cadurcorum Episcopum.] VALES.

6. *Sine ulla parcimonia*] ἀφειδῶς Reines. W.

7. *Multiplices regiones.*] Legendum videtur uno contextu: *Cum multiplices regionis vicorumque cerneret reliquias exustorum.* HENR. VALES. [In codice Regio et Colbertino legitur, *multiplices regiones:* ex quo iudico unius litterae mutatione locum sic restitui oportere: *Cum multiplices legiones, vicorumque cerneret reliquias exustorum.* id est, cum binc multas et magnas copias Romanorum iugulo suo imminentes, inde vastitatem agrorum suorum, ac virorum incendia videret. Quid enim est *multiplices regionis reliquias?*] HADR. VALES.

Digitized by Google

Iurandi exfecratione] ſub exfecrationibus diris eſt XXVI, 7. XXI, 6: paullo poſt: imprecatus, luenda ſibi cruore ſupplicia. *Univerſos* ſc. captivos. W.

9. *Trementibus oculis*] limis ob pavorem, XX, 9, 2. W.

Carpenta et materias.] Huius rei meminit etiam Libanius in Oratione illa funebri (Reisk. I. p. 547.): ὠνεῖσθαι τὴν εἰρήνην ἐκέλευσε πόλεις μὲν ἐγείροντας, σώματα δὲ ἄγοντας· οἱ δὲ ὡμολόγουν τε καὶ οὐκ ἐψεύδοντο· καὶ ἐκομίζετο ξύλα τε καὶ σίδηρον εἰς ἀνάστατιν οἰκιῶν. Id eſt: *Iulianus emere eos pacem iuſſit, opida quidem reſtaurantes, corporibus autem operas exhibentes. Quae illi et polliciti ſunt, et fidem ſervarunt. Ac materiae ferrumque ad reſtaurationem aedium convehebantur.* Et in Proſphonetico ad Iulianum. VALES. Mira interpretatio vocum σώματα δὲ ἄγοντας per *corporibus operas exhibentes:* quum Graeca velint *captivos adducentes.* GRON.

10. *Velut inter tributarios nati* et *educati*, haud ſecus, ac reges qui per ſecula iamiam tributa Romanis pependiſſent — *Obſecundabant ingravate*, ſine tergiverſatione, promte. cf. XVIII, 2. ubi de iisdem regibus ſermo eſt. W.

CAPVT XI.

1. *Tamquam Apparitorem*] cf. XIV, 11. *Completa* peracta, XXVI, 2, 7. Caeſ. de B. C. III, 46. ubi Marklandus ſine cauſa pro *completis* malebat *confectis.* W.

Capella, non homo.] Convicium hoc erat in homines deformiores. Sic Iulianus ipſe Perſas vocat *Capellas*, Lib. XXIV. c. 8. §. 1. *En quos Martia iſta pectora viros exiſtimant, deformes illuvie capellas et taetras.* LINDENBR. Iulianum hoc encomio ornarunt aulici ob barbam, quam alebat, Philoſophus ſcilicet. W.

Loquacem talpam] quam cum olim, falſo tamen, plane coecam eſſe crederent, hoc voluiſſe videntur cavillatores, Iulianum de rebus, quas plane non intelligeret, garrire temere et iudicare. — *litterionem* (Sylbenſtecher, Pedant). Simili forma *tocullio* ap. Ciceronem Ep. ad Attic. II, 1. extr. et *rebellio* ap. Iulium Capitolinum in Antonino Pio c. 5. extr. *Graecum*, qui in edictis adeo Graecitatem affectabat. v. Cod. Theodoſ. Ritter. T. II. p. 132. W.

**Vernacula Principi reſonantes.*] Id eſt ſcurriliter verniliterque dicta.* LINDENBR.

Vernacula] h. l. ſcurriliter dicta, pro quo alii ponunt rectius *vernilia*, v. c. Tacitus Ann. III, 32. Hiſt. II, 59. v. omnino Salmaſium ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 768. *Principi reſonantes* identidem repetentes, aurem obtundentes. — *Umbratilem*, rebus publice agendis minime idoneum, immo ad umbracula Academiae XVI, 1. unde nuper exiiſſet, amandandum. — *Geſta ſecus* quam par eſſet, *exornantem.* W.

2. *Solet ampliſſima gloria obiecta eſſe ſemper invidiae.*] Vetus dictum eſt: Τοῖς διὰ τοῦ ἡλίου πορευομένοις ἕπεται κατ' ἀνάγκην σκιά, τοῖς δὲ διὰ τῆς δόξης βαδίζουσι ἀκολουθεῖ φθόνος. LINDENBR.

Digitized by Google

3. *Cimonem Miltiadis.*] Aemil. Probus et Plutarchus in Cimone. LINDENBR.

Intemperantiae] quam alii de inceſto, quod germanam in matrimonio habuerit, Corn. Nep. c. 1. alii, ut Valeſius, de temulentia interpretantur. In Eurymedonte itidem variant. cf. v. Staveren ad Nepot. c. 2. W.

Aemilianum Scipionem ut ſomniculoſum.] Idem narrat Plutarchus in lib. qui inſcribitur *πρὸς ἡγεμόνα ἀπαίδευτον*, in fine his verbis: *καὶ τί δεῖ ταῦτα λέγειν; ὅπου καὶ τὰ σμικρότατα τῶν ἐλλειμμάτων περὶ τοὺς ἐπιφανεῖς καὶ τοὺς ἐνδόξους συκοφαντεῖται. Κίμωνος ἦν ὁ οἶνος διαβολή, Σκιπίωνος ὁ ὕπνος.* [De Cimone ſupra in codice Colbert. legitur, *inſimulatum ſaepe ante, et:* non ut vulgo, *inſimulatum inceſti.* Quare emendo *inſimulatum intemperantiae*, id eſt temulentiae.] VALES.

Impetrabili] ſtrenua, efficaci. v. ad XIV, 8. W.

Duae potentiſſimae urbes.] Numantia et Carthago. Livius, Vell. Paterculus, Val. Maximus. LINDENBR.

4. *Scrutantes*] anquirentes, quo Pompeii laudibus detraherent. W.

Caput digito uno ſcalpebat.] Vid. Plutarchum in Caeſare. Epigramma vetus apud Schol. Lucani:

Magnus, quem metuunt homines, digito caput uno
Scalpit, quid dicas hunc ſibi velle? virum. LINDENBR.

Caput digito uno ſcalpebat] quod notavit potiſſimum Calvus poeta ap. Senecam Controv. III, 19. Plutarch. in Pompeio c. 48. cf. Ruperti ad Iuvenal. IX, 133. et Spanhem. ad Iuliani Caeſ. p. 171. W.

Faſciola candida crus alligabat.] Valer. Max. lib. VI. c. II. *Candida faſcia crus alligatum habenti Favonius, Non refert, inquit, qua parte corporis ſit diadema. Exigui panni cavillatione regias eius vires exprobrans.* A ſimili re iocus in Metellum natus: *ὅτι πολὺν χρόνον ἕλκος ἔχων περιενόστει περιδεδεμένος τὸ μέτωπον.* LINDENBR.

Faſciola candida crus colligabat.] Faſciae enim erant hominum molliorum et muliebrium. v. Erneſti Clav. v. v. Faſcia et Faſciolae. W.

Nec cautior quisquam patriae.] Sic lib. XXIX. c. 2. *Sui cautiores.* LINDENBR.

5. *Artemius Vicariam Praefecturam Romae curans*] cf. et infra XXII, 11. Reineſius adſcripſerat: Alius eſt, quem ex duce Aegypti truncari iuſſit Ammianus Lib. XXII. c. 11. Alius, ad quem L. 6. et 7. Cod. Theodoſ. de poenis datae a Valentiniano et Valente A. C. 364. 3. Id. Iun. et 8. Id. Octobr. W.

Baſſo qui recens promotus.] Iunius Baſſus, Praefectus Urbi, deceſſit Neophytus VIII. Cal. Sept. Euſebio et Hypatio Coſſ. anno Domini 359. ut teſtatur vetus Inſcriptio Romae in arca ſepulcrali, quam primus in lucem protulit Iac. Sirmundus in Notis ad Ennodium. HIC DEPOSITUS EST IUN. BASSUS V. C. QUI VIXIT ANNIS XLII. MENS. II. IN IPSA PRAEFECTURA URBI NEOFITUS III. AD DEUM VIII. CAL. SEPT. EUSEBIO ET HYPATIO. COSS. Atque hic primus e familia Baſſorum ad Chriſtianam fidem transiiſſe videtur, teſte Prudentio contra Symmachum lib. I, 559.

Digitized by Google

Non Paullinorum, non Baſſorum dubitavit
Prompta fides dare ſe Chriſto. VALES.

Vid. de Baſſo Corſinus p. 224. W.

Fatali deceſſerat ſorte.] Gloſſ. *Fatali ſorte, ἰδίῳ θανάτῳ.* L. 104. C. Theod. de Decurion. *Si quis filiam — — fatali ſorte perdiderit.* L. 6. C. Theod. de cenſu: *Sorte fatali morientibus.* LINDENBR.

CAPVT XII.

1. *Sarmatas et Quados.*] Sarmatarum ſedes latiſſime patent et in Aſia et in Europa. Hoc loco intelligendi ſunt ii, qui Conſtantino M. imperante poſt bella cum Gothis, et a ſervis ſuis, Limigantibus c. 13. expulſi, (cf. Ritter. ad Guthrium T. v. Sect. 1. p. 7.) ad ſocios in Germania *Quados* (vide ad XVI, 10, 20.) confugerant, qui deſertos ipſis et incultos agros multos lubenter concedebant. — Fontes, ex quibus hiſtoria bellorum cum Gothis et Sarmatis geſtorum ſumi poteſt, vide ap. Gibbonum P. IV. p. 195. — *Pannonias Moeſiarumque alteram.* Utraque Pannonia, prima et ſecunda, comprehendebant non Ungariam ſolum, ſed et partem Auſtriae inferioris, Stiriae, Carniolae et Croatiae. Plura vide in Mannerti Germania p. 612 ſſ. *Moeſia* finibus Serviae noſtrae et Bulgariae continebatur. W.

2. *Haſtae ſunt longiores.*] Longioribus haſtis ſolitos uti Sarmatas teſtatur etiam Aelianus in Tacticis; ac Cornelius Tacitus Annal. VI, 35. contis ac gladiis et arcu breviore Sarmatas proeliari ſcribit. Eiusmodi contos eleganter deſcribit Valerius Flaccus in lib. 6. v. 232. ſſ.

Sarmaticae coïere manus, fremitusque virorum
Semiferi. Riget his molli lorica catena:
Id quoque tegmen equis: et equi porrecta per armos
Et caput, ingentem campis hoſtilibus umbram
Fert abies obnixa genu, vaditque virum vi,
Vadit equum, docilis relegi, docilisque relinqui,
Atque iterum medios non altior ire per hoſtes.

Addo Silium Italicum in lib. XV. v. 686. VALES.

Et loricae ex cornibus raſis.] Hanc Sarmatarum armaturam optime deſcribit Tacitus in lib. 1. Hiſt. c. 79. *Namque,* ait, *mirum dictu ut ſit omnis Sarmatarum virtus velut extra ipſos: nihil ad pedeſtrem pugnam tam ignavum: ubi per turmas advenere, vix ulla acies obſtiterit. Sed tum humido die et ſoluto gelu neque conti neque gladii quos praelongos utraque manu regunt, uſui: lapſantibus equis et cataphractarum pondere. Id Principibus et nobiliſſimo cuique tegmen, ferreis laminis aut praeduro corio conſertum.* Theophraſtus quoque in lib. de animalibus colorem ſimulantibus, ait Sarmatas ex tarandi corio loricas ſibi conſuere. Sed Pauſanias in Atticis (Lib. 1. p. 50. Kühn.) refert, eos ob inopiam ferri ex equorum ungulis raſis ac perforatis cataphractas conficere: eas autem ungulas equorum ſeu boum nervis conſuere. Eiusmodi loricam ab ſe viſam Athenis ait in Aeſculapii templo, quam nuci pineae adhuc viridi non abſimilem fuiſſe dicit.

Digitized by Google

Tales certe cernuntur etiamnum in columna Traiani Sarmatarum cataphractae. Haec λωρίκια κεράτινα, seu ἐκ κεράτων Leo et Constantinus in Tacticis appellant: ubi tamen viri docti κεράτινα et ἐκ κεράτων corrigunt: quibus ne assentiar facit Pausaniae et Marcellini nostri auctoritas, et Scholiastes Ms. in Nonium Marcellum, quem hic citat Lindenbrogius, *et Martialis laudatus a Lipsio in lib. 3. de Militia Rom. cap. 6.* VALES.

Loricae ex cornibus rasis.] Affatim de armatura hac Pausanias in Atticis c. 21. Scholia antiqua in Non. Marcell. *Catafracta, vestimentum militis, aut ferri lamina, aut cornu composita, ne ictu penetretur.* Statius Papin. Thebaid. lib. 3. v. 585.

Hi teretes galeas, magnorumque aerea suta
Thoracum, et tunicas Chalybum squalore crepantes
Pectoribus tentare: alii Gortynia lentant
Cornua.

Virgil. Aen. IX, 50. *Ensemque clypeumque et rubrae cornua cristae.* LINDENBR. Statii locus et Virgilii huc nihil pertinet monente Hadr. Valesio in Praef. p. LXVII. — Vegetius l. IV. c. 9. memorat *cornua vel cruda coria ad cataphractas texendas*, ut legendum docet V. D. in Miscell. Obss. T. IX. p. 223.

Plumarum in speciem.] Sallust. *Equis paria operimenta erant, quae lintео ferreis laminis in modum plumae annexuerant.* Servius Aeneid. XI. 770. LINDENBR.

Plumarum specie.] Pausanias draconum squamis comparat I, 21. συλλεξάμενοι τὰς ὁπλὰς, ἐκκαθάραντές τε καὶ διελόντες ποιοῦσιν ἀπ' αὐτῶν δρακόντων φολίσιν ἐμφερῆ. Sic etiam Virgilius squamas loricae dixit IX, 707.

Nec duplici squama lorica fidelis et auro.

et aliquanto clarius in lib. XI. Aeneidos v. 770.

quem pellis ahenis
In plumam squamis auro conserta tegebat.

(Cf. etiam v. 448. W.) Habebant autem Principes Sarmatarum loricas ex ferreis laminis, ut testis est Tacitus Hist. I, 79. et Valerius Flaccus supra citatus: (VI, 233.)

Riget his molli lorica catena.

Plane intelligit quem Graeci ἀλυσιδωτὸν χιτῶνα vocant, seu ζώρακα. VALES.

Equorum plurimi ex usu castrati.] Varro de Re Rustica lib. II. cap. VII. LINDENBR.

Equorumque plurimi castrati.] Idem etiam prodit Strabo in lib. 7. p. 312. Almel. ἴδιον δὲ τοῦ Σκυθικοῦ καὶ τοῦ Σαρματικοῦ παντὸς ἔθνους τὸ τοὺς ἵππους ἐκτέμνειν εὐπειθίας χάριν. Id est: *Proprium Scythicae gentis ac Sarmaticae est, equos castrare, ut morigeri sint. Equos enim habent parvos quidem, sed acres et indociles.* Equi porro castrati morsu quidem et calcibus ferocire desistunt, ceterum nihilo minus utiles et generosi sunt in bello: teste Xenophonte lib. 7. de Institutione Cyri c. 5. §. 62. Plinius autem in lib. 8. c. 66. scribit, Scythas per bella equabus uti malle, quod urinam cursu non impedito reddant. VALES.

Ne *exagitati* consternati *raptentur* in fugam effundantur. — *hinnitu densiore*, crebriore, vehementiore. W.

Digitized by Google

3. *Trahentesque singulos, interdum et binos, uti permutatio vires foveat iumentorum.*] Hoc genere proeliandi Romanos quoque usos ex Livio constat et Festo; cuius haec sunt verba: *Paribus equis, id est, duobus Romani utebantur in proelio, ut sudante altero transirent in siccum.* Idem de Danubii circumcolis Aelianus in Tacticis cap. 28. Τάττεται τὸ τοιοῦτον σχῆμα μάλιστα πρὸς τοὺς περὶ τὸν Ἴστρον βαρβάρους, οὓς ἀμφίππους ἔλεγον, ὡς εἰθισμένους μεταβαίνειν ἀπὸ ἄλλων ἵππων εἰς ἄλλους. De Alanis Egesippus lib. v. cap. 50. *Infudere se genti Medorum, et imperatis brevi velocibus equis, et aliis pariter ad dexteram nexis, in quos per vices, cum foret libitum, desilirent, totam propemodum regionem percursavere.* *Val. Flaccus Argonaut. lib. 6. v. 161.

— — *Comitumque celer mutator equorum*
*Moesus, et ingentis frenator Sarmata conti.** LINDENBR.

Interdum et binos.] Id ipsum testatur Aelianus in Tacticis c. 28. qui eam ob causam ἀμφίππους eosdem dictos esse memorat, idque barbaris omnibus qui Istrum accolunt, commune ait fuisse. Sane Valerius Flaccus in 6, 161. Moesis id ipsum tribuit:

Comitumque celer mutator equorum
Moesus, et ingentis frenator Sarmata conti,

Sed Sarmatarum eum proprium fuisse morem satis probat, quod ludus Sarmaticus pro desultorio ponitur apud Vopiscum in Carino c. 19. VALES.

Trahentes binos equos] desultorios dictos Sueton. Caes. 39. W.

4. *Contexto ponte super navium foros.*] XXVII, 5, 2. ponte contabulato supra navium *foros* tabulata. — *Iugulis suis* i. e. vitae *imminere.* Sic XXIX, 6. iugulo alicuius intenti dicuntur. cf. XXXI, 10, 17. W.

6. *Contra Valeriam.*] Id est, *e regione Valeriae.* In Regio tamen et Vaticano codice, [et in Colbertino] legitur *c c*, quod est *circa*, *quomodo in Tolosano distincte scriptum reperi.* In Editione autem Romana excusum erat, *esse Valeriam*, errore librariorum, qui eam notam minime intelligebant. Gelenius vulgatae scripturae auctor est. VALES.

Valeriam.] v. ad XVI, 10. et Ind. I. W.

9. *Ergo haec et similia lenituris.*] Eleganter hunc locum mihi restituisse videor, mutata tantummodo interpunctione. Nam cum in Editione Romana et in Regio *ac Tolos.* codice legeretur, *erga haec similia lenioris*, non dubitavi quin ita legendum esset ut edidi. Paullo post etiam emendavi: *Duxerat potior cum ceteris Sarmatis:* ubi vulgo legebatur *armatis.* VALES.

Zizais Regalis] e familia Regum. *etiamtum*, hoc adiectum, quod mox regnum ipse adeptus. v. infra hoc capite. *more certaminis* tamquam ad aciem instruxit ad preces. W.

10. *Denique tandem.*] Nil mutandum, Graecis enim et Romanis eiusmodi Pleonasmus sollemnis est: αὖ πάλιν — *postea deinde* et similia. — *periculo praestantioris ambiguo* (paullo post potior) dum adhuc dubii essent, quae sors Regalem maneret — *orandi signum diu exspectatum monstravit* dedit, exemplo suo praeivit. W.

11. *Zinasrum.*] Reinesius: Sindpertum; quod verum nomen Germanica lingua putavit. W.

Subregulos.] Subreguli ſunt Reges, qui potentioribus Regibus obnoxii ſunt: quos etiam *Regulos* vocat Marcellinus noſter in lib. 18. c. 2. *Reges omnes, et Regales, et Regulos ad convivium corrogatos.* Ita Sulpicius Alexander in lib. 4. Hiſt. Marcomerem et Sunnonem Francorum Subregulos vocat, quos etiam Regales ibidem appellat. VALES.

Conditionum ſarcina] admodum gravibus durisque conditionibus. Sic ſarcina tributorum XVIII, 1. vectigalium XXXI, 6. W.

12. *Uſafer.*] Reineſius: USUARDUS — Huis-wardus. *Transiugitanorum* ultra montes Sarmaticos habitantium. v. Mannert German. p. 516. W.

Quorum plebem arcuit Imp.] In Editione Romana perinde ut in Regio *ac Toloſano* codice legitur, *quorum pl. acrius Imperator:* [in Colbertino, *acrior us.*] Primus Gelenius vulgatam lectionem excogitavit. Ego vero cum animadvertiſſem in lib. 26. cap. VI. ubi legitur, *veritus ne hac ex cauſa indemnatus occideretur,* tam Regium exemplar quam Editionem Rom. ſcriptum habere *bacritus,* hunc locum eodem modo corruptum eſſe ſuſpicatus ſum. VALES.

Plebem] milites, exercitum — ima militum plebs eſt XXV, 2. — *Discreto conſortio,* ſeparatis, qui uno agmine ſtetiſſent — *negotium ſpectaretur.* Proba vox de cauſis, criminibus excutiendis, diiudicandis. XXII, 3. XVI, 8. W.

13. *Qui cum eorum ritu oblati.*] *lg. reorum ritu obl.* LINDENBR.

14. *Pacem, quam ipſe meruit,* impetraſſet, more Ammianeae aetatis, quae merere poſuit pro accipere. cf. XIV, 6. XV, 3. XXIX, 2. cet. Quamquam et Tacitus ſic dixit Hiſt. 2, 37. obſervante Erneſt. qui conferri iubet Caſaub. ad Scrr. Hiſt. Aug. Tom. 1. p. 40. *Illi quoque debere proficere* contingere noſtrum: *zu gut kommen)* ſimilis locus XXII, 11. *aedificia — emolumentis aerarii proficere debent ex iure.* W.

15. *Sarmatae ut ſemper Rom. clientes.*] Id benigne intelligendum eſt: licet enim in Romanos ſaepe inſurrexerint Sarmatae, tamen domiti, et in fidem poſtea ſunt recepti. VALES.

16. **Ingerebat ſe maximus numerus catervarum confluentium nationum et Regum, ſuſpendi a iugulis ſuis gladios obſecrantium; poſtquam Araharium impune compererant abſceſſiſſe.*] Guntherus Ligurinus in libro VIII.

— — — poenamque reatus
Admotos nudis portantes faucibus enſes.

Alias, *portant cervicibus enſes.* In Chronico Richerſpergenſi legitur Epiſtola Friderici Imper. ad Eberhardum Salzburgenſem Archiepiſcopum, data anno 1162. his verbis: *In Kalendis Martii hoſtes Imperii Mediolanum ſubmota omni ſimulatione fraudis, qua in prima deditione doloſe nos circumvenit, ſumma neceſſitate famis et inediis coacti, ad curiam noſtram apud Laudam venerunt, et nudos gladios in cervicibus ſuis deferentes, et Maieſtati noſtrae reos ſe eſſe profitentes, perſonas, res, ipſamque civitatem abſque omni tenore et ſine aliqua conditione interpoſita in noſtram poteſtatem cum plena deditione reddidere.* Wippo de Vita Chunradi Salici Imp. *Romani qui ſeditionem*

commoverant, ante Imperatorem venientes nudatis pedibus, liberi cum nudis gladiis, servi cum torquibus vimineis circa collum quasi ad suspensionem praeparati, ut Imperator iussit, satisfaciebant. Galli dicunt *la hart au col.* Simile quid a Gandavensibus factum, cum ad Imper. Carolum V. supplices accederent, veniamque delictorum peterent. Funiculus e collo, ritus supplicantium erat, in Regum capite xx. Vide Excerpta Legationum ex Petro Patricio. LINDENBR. Sed vide praefationem Hadr. Valesii p. LXVII.

Suspendi a iugulis suis gladios obsecrantium.] Lindenbrogius locum explicaverat e more supplicum, qui evaginatum ensem iugulo admoventes, vel collo laqueis circumdato apparerent; quod contra Hadr. Valesius copiose disputat in Praef. p. LXVII. et ita exponit, ut Sarmatae *inhiberi gladios in suam caedem iam sublatos petierint.* Quam τοῦ *suspendere* significationem non erat, quod tam larga exemplorum nube firmaret: nam ut Ammianum ipsum testem adducam, XVIII, 2. est *suspendere remos.* Ego vero Lindenbrogio accedere, totumque actum symbolice malim intelligere, ut Sarmatae reos sese quidem supplicioque dignos profelli, fidem tamen in posterum intemeratam ita fuerint polliciti, ut, si eam tamen frangerent, morti se obnoxios esse vellent, idque admoto iugulis gladio obtestarentur. Quae ad firmandam sententiam suam attulit Lindenbrogius exempla, ex medii aevi scriptoribus desumta sunt, miror tamen, qui factum, ut alterius Ammianei loci immemor fuerit, XXI, 5. *Gladiis cervicibus suis admotis sub exsecrationibus diris iuravere.* Eundem morem etiamnunc servare Kalmuccos, docuit me *Pallas über die Mongolischen Völkerschaften.* Th. 1. p. 330. W.

17. *Fatum vinci Principis pot. vel fieri.*] Eodem sensu Claudianus de 4. Honorii Consulatu dixit v. 118.

Largitor honorum
Pronus, et in melius gaudens convertere fata.

Et Procopius in lib. 1. de fabricis Iustiniani initio: τοὺς δὲ βίου δεομένους πλούτῳ πεποιημένος καταιοχεῖς, καὶ τύχην αὐτοῖς τὴν ἐπηρεάζουσαν βιασάμενος. Sed omnium elegantissime Pacatus in Panegyrico c. 27. his verbis: *Nullam maiorem crediderim esse Principum felicitatem, quam fecisse felicem, et interclusisse inopiae, et dedisse homini novum fatum.* *In hanc sententiam multa eleganter differit Dio Chrysostomus in oratione XXV. Reges esse genios, populorum felicitatis aut infelicitatis auctores, prout eis praefuerint.* VALES.

18. *Barbaris omne ius in viribus.*] Idem de Germanis Pompon. Mela in lib. III. cap. 3. *Ius in viribus habent.* LINDENBR.

Vicerunt dominos] Sarmatae cum a Scythis bello appeterentur, servis suis arma dederant: qui cum victoriam de Scythis retulissent, adversus dominos arma vertentes, eos suis sedibus deturbarunt. Pulsi domini ad Constantinum Aug. confugere, qui validiores quidem militaribus numeris inseruit, aliis agros assignavit, ut narrat Eusebius in lib. 4. de vita Const. cap. 6. et amplius trecenta millia hominum mistae aetatis et sexus per Thraciam, Macedoniam, Italiamque divisit, ut est in Excerptis de Gestis Constantini, quae cum Marcellini nostri historiis edidimus. (§. 32.) Contigit ea res Optato et Paullino Coss. anno Domini

Digitized by Google

334. teſte Idatio in Faſtis, et Hieronymo in Chronico, qui ſic ait: *Anno Domini* 334. *Sarmatae Limigantes dominos ſuos, qui nunc Arcaragantes dicuntur, facta manu in Rom. ſolum expulerunt.* Sarmatae igitur a ſervis pulſi, partim ad Rom. partim ad Victohalos confugerunt. VALES.

19. *Ad Victobalos.*] Regius codex [et Colbertinus,] *cum Toloſano,* *Victohalos* habent. A Paeanio, qui Eutropium Graece vertit, Βικτόαλοι dicuntur. Atque ita, ubicumque Victobalos legis, emendandum cenſeo. Error natus eſt ex affinitate litterarum *b* et *h*, quae in Mſſ. codicibus vix diſtinguuntur. Sic Abrabarium vulgatae Editiones habebant in hoc libro pro Arahario. Ita enim ſemper in codice Regio, et interdum in Editione Romana ſcriptum reperimus. Eodem errore *Eubages* in lib. xv. ſcriptum erat pro *Euhages*. Eutropius quidem *Victophalos* vocat in Traiano, ſed Mſ. Fuldenſis *Victohalos* habet, teſte Sylburgio, Hirſfeldenſis *Victoalos*, teſte Caniſio. VALES.

Confundente metu conſilia] dubii, ut fit; in anguſtiis. *ad Victohalos*, Gothorum partem, Iul. Capitol. vita Marci Anton Philoſ. c. 14. et 22. ibique Salmaſ. Eutrop. VIII, 2. ubi de diſenſu Codicum in nomine iſtius gentis accurate, ut ſolet, retulit Tzſchuckius. Marcomannis plerumque iuncti inveniuntur, v. omnino Mannerti German. p. 428. et in Bohemia noſtra res ſuas videntur habuiſſe. — *Defenſoribus obſequi, ut in malis, optabile, quam ſervire ſuis mancipiis arbitrati.* Senſus apertus, haereo tamen in *ut in malis, optabile.* Brevius, fateor defungi potuiſſet Ammianus, ſi ſcripſiſſet *magis optabile;* nihil tamen muto. *Ut in malis*, ſc. fieri ſolet, ut inter duo mala id, quod minus eſt, eligamus, et *optabile* pro optabilius poſitum, το *magis* enim ſaepe Latini, uti Graeci μᾶλλον omittunt. W.

Quae deplorantes] ſcil. ſe tamen non omnino liberos, ſed Victohalis obnoxios, ab eorum arbitrio pendere. *recepti in fidem* pro ſociis, *poſcebant praeſidia liberati*, ut defenderentur a quibuscunque dominis. W.

20. *Zizaim Regem iisdem praefecit.*] Non omittenda ſunt verba Aurelii Victoris (Caeſ. c. 42): *At Iulius Conſtantius annos tres atque* XX. *Auguſtum Imperium regens, cum externis motibus, modo civilibus exercetur, aegre ab armis abeſt: queis tyrannide tantorum depulſa, ſuſtentoque interim Perſarum motu, genti Sarmatarum magno decore conſidens apud eos Regem dedit.* Haec Sarmatarum Regis creatio contigit Datiano et Cereale Coſſ. VALES.

21. *Bregentionem*] Pannoniae urbem, hodie oppidulum *Szoeny* haud procul ab urbe *Comorn.* Mannert Germ. p. 742. W.

Vitrodorus] Reineſius: Vithodo-ris, Vithodo-rix, i. e. ſcientia, ſapientia dives. W.

Aliique Optimates et Iudices.] De Quadis loquitur Ammianus, et pro Ducibus *Iudices* ponit. Id autem ex eo manat, quod qui aries vel dux gregis Latinis dicitur, a Graecis appellatur κριὸς, ἀπὸ τοῦ κρίνειν: ut ait Artemidorus libri 2 capite 12. Ideoque *Iudex* et *Dux* idem. Sic in hoc loco *Optimates* et *Iudices* iungit Ammianus. Sic cap. 6. libro XVIII Urſicinum *Iudicem* vocat. Et in libro XXXI cap. 2. *Alani Iudices eligunt diuturno bellandi uſu ſpectatos.* Et ſeq. cap. Athanaricus, qui Go-

thorum Rex erat, *Thervingorum Iudex* nuncupatur. OISELIUS. Ergone quia aries dux gregis Graece κριὸς dicitur, ἀπὸ τοῦ κρίνειν, a iudicando, ideo Iudaei, Alani, Hunni, aliique Barbari, Duces ac nonnunquam Reges etiam suos *Iudicum* appellatione designavere? HADR. VALES.

Iudices] duces militares, vel magistratus civiles, utroque enim sensu apud nostrum occurrunt. — *Sub gressibus iacuere militum* ad genua provoluti. W.

Eductis mucronibus, quos pro numinibus colunt.] *Hunc ritum etiam inf. tangit, cum de Alanis scribit lib. XXXI. c. 2. §. 23. *Gladius barbarico ritu humi figitur nudus, eumque ut Martem regionum, quas circumeunt, Praesulem verecundius colunt.* Sollemne nempe est, ut per eum quis iuramenti religione sese adstringat, quem pro Deo observat. Sic Mezentius per dextram et telum iurabat, et Scythae per acinacem. Apul. de Deo Socrat.* Arnob. adverl. Gentes lib. 2. Aimoinus lib. 4. c. 36. *Hoc pactum sacramento quidem super arma (ut eis mos erat iurantibus) firmatum.* *Lucianus in Toxare: (Tom. VI. Bipont. p. 100.) Μᾶλλον δὲ πρότερον ὁμοῦμαί σοι τὸν ἡμέτερον ὅρκον, ἐπεὶ καὶ τοῦτο ἐν ἀρχῇ διωμολογησάμην. Οὐ μὰ γὰρ τὸν ἄνεμον καὶ τὴν ἀνάγκην, οὐδέν πρός σε ψεῦδος ἐρῶ. De Danis M. Adamus cap. XXX. *Caesari miserunt gladium videlicet capulo tenus aureum et alia multa, pacem firmam ritu gentis per arma iuraverunt.* Sed optime Ammiani locum Menander illustrat in Eclogis Legation. pag. 106. Δείσαντες οἱ ἐν Σιγγηδῶνι, τοὺς ὅρκους γοῦν αὐτὸν (Chaganum) ὀμνύναι προεκαλοῦντο, καὶ ὡς παραυτίκα, τούς τε Ἀβαρικοὺς ὤμνυεν ὅρκους, ΞΙΦΟΣ ΣΠΑΣΑΜΕΝΟΣ, καὶ ἐπαρασάμενος ἑαυτῷ τε καὶ τῷ Ἀβάρων ἔθνει παντοίως, εἰ κατὰ Ῥωμαίων τι μηχανώμενος γεφυροῦν βουλεύοιτο τὸν Σάον, ὑπὸ ξίφους μὲν αὐτός τε καὶ τὸ Ἀβάρων ἅπαν ἀναλωθείη φῦλον.* LINDENBR. Locus, quem citat Lindenbrogius, est libri XXXI cap. 2 citaturque in pari causa ab Is. Vossio ad Pompon. Melam II, 1, ubi pro *circumeunt* ex Vaticano libro produxit *circumcircant*, ut de eo non debuerit adeo iactare Hadrianus Valesius in praefatione, qua enumerat sua κατορθώματα. GRON. Cf. Gronov. Praef. p. XVII. W.

CAPVT XIII.

1. *Multa et nefaria* πολλὰ καὶ — Sic *multa et aspera* XXIX, 5. W. Ciceronem Tusc. V, 34. πολλὰ καὶ ὄλβια in epigrammate Sardanapali expressisse ad verbum, et copula quidem non neglecta, *multa et praeclara*, sed neque ipsum aliis locis, neque alios scriptores Latinos sic locutos reperiri nuper monuit Weiskius Pleonasm. Gr. p. 188. BRE.

Erumpentibus liberis.] Ita vocat Sarmatas liberos (ut paullo post, *liberi terras occupaverunt e regione sibi oppositas*) ad discrimen Sarmatarum Limigantium, qui servilis erant conditionis. Lib. 29. c. 6. §. 15. *Sarmatas liberos ad discretionem servorum rebellium appellatos:* quorumque in dominos facinus paullo ante narravit supra lib. XVII. c. 12. et inf. lib. XIX. c. 11. (XXIX, 6.) Sic liberorum Scytharum meminit Herodotus lib. IV. LINDENBR.

Digitized by Google

4. *Parthiſcus irraens amnis.*] Plinius Parthiſſum amnem nominat in lib. 4. capite 12. *Campos et plana tenent Iazyges: Sarmatae montes et ſaltus: pulſi ab his Daci ad Parthiſſum amnem.* *Alias *Pathiſſum amnem;* ut in Editione Pariſienſi Nic. Beraldi, quae anno M. D. XVI. prodiit, impreſſum reperitur. Ptolemaeus in libro III. Τιβίσκον appellat, et Iazygas vagos inter Danubium et Tibiſcum ac montes Sarmaticos ponit, perinde ac Plinius. Sed in Ptolemaeo legendum eſt Παρτίσκος. Unde et Πάρτισκον opidum a fluvio praefluente dictum. Hungari flumen hoc vocant *Tiſſa*, teſte Cluverio libri 3 capite 31.* Eſt et Artiſcus amnis apud Herodotum in 4, 92. quem per Odryſas fluere dicit: ſed alius eſt a Parthiſco, cum Parthiſcus ſit ultra Danubium. VALES. *Parthiſcus* (Theiſs) Pathiſſum nominat Cluver. Germ. 3, 31. monente Reineſio. W.

Obliquatis meatibus] quod verbum amat Ammianus in fluminibus XVI, 1. XVII, 4. cet. *Dum ſolus licentius fluit*, libere vagatur. *Prope exitum* ubi in Danubium effunditur — *Super his* (ἐπὶ τούτοις) praeterea *amnis potior* i. e. Danubius *inſularem amfractum* inſulam. *aditu* (Dat.) oſtio Parthiſci *paene contiguum* proximum *ambiens. terrae conſortio ſeparavit*, a continenti abſcidit. W.

6. *celeritate volucri migrantes*] tumultuatim circumvagantes. W.

7. *Tentabant cum precibus proelium*] inter ipſas preces de proelio cogitabant. W.

8. *Lux excedens*] ſol occidens. — *Erectis vexillis* ſignis motis. W.

9. *Caput porci ſimplicitas militaris.*] Veget. de Re Milit. lib. III. cap. 19. Agathias lib. II. et ex eo Suid. LINDENBR.

Caput porci ſimplicitas militaris adpellat] milites gregarii, qui ob ſimilitudinem aliquam dare nomina rebus ſolent. cf. XVI, 5. ubi *vulgaris ſimplicitas*. De ipſa forma aciei ſtruendae vide Naſt griech. Kriegsalterthümer p. 97. et Tab. 2. W.

10. *Incidebat*] Alii libri rectius *caedebat*. — *Absque mortuis*, praeter mortuos. Eodem modo XXV, 1. XXVII, 2. cet. ad formam Graeci χωρὶς. W.

11. *Semihorae curriculo*] ſpatio. Sed Ammianea aetate hic uſus curriculi pro partibus temporis erat vulgaris. v. Gothofredi Gloſſar. Nomic. ad Cod. Theodoſ. f. h. v. W.

12. *Ad infimitatem obſequiorum venere ſervilium*] cf. XXVII, 10. ubi *infimi* et *ſupplices*. W.

13. *Incitante fructu vincendi*] commodis, praedae cupidine. W.

Caſa vel trabibus compacta firmiſſimis.] Morem hunc etiamnunc Sarmatae aliique Aquilonares et Alpini populi ſervant. Trabibus enim aliis ſuper alias locatis domus et caſas conſtruunt: uti non omnes quidem, ſic multas tamen. Neque aliter priſcos illos Germanos, maiores noſtros, factitaſſe veroſimile eſt. De quorum aedificiis ſic ſcribit Herodianus lib. VII. 2. Λίθων μὲν γὰρ παρ' αὐτοῖς ἢ πλίνθων ὀπτῶν σπάνις, ὕλαι δ' εὐδενδροι· ὅθεν ξύλων οὔσης ἐκτενείας, συμπηγνύντες αὐτὰ καὶ ἁρμόζοντες, σκηνοποιοῦνται. In Germanorum tamen ſolo domicilia non pauca ritu Romano

elegantius fuiſſe conſtructa, ex Ammian. lib. XVII. c. 1. §. 7. videre licet. LINDENBR.

15. *Per elementum utrumque*] ἐν ἀμφοτέροις τοῖς στοιχείοις, terra marique. Hunc ſequioris aetatis uſum pluribus exemplis firmavit Dorvillius ad Chariton. p. 579. ed. Lipſ. W.

16. *Navigia iuſſa ſunt colligi*] ab ipſis devictis hoſtibus ad indagandos caſtigandosque trans flumen habitantes. W.

18. *Ad ſuffugia locorum.*] Vulg. *Suſragia locor.* male. Paullo poſt: *Adegit ſuffugia petere latebrarum paluſtrium.* Lib. XXI. c. 12. *Per impedita ſuffugia velocitas exemerat pedum.* Ita *refugia*, ὑποδύσεις. Rufinus de Bell. Iud. lib. III. cap. 9. *Machinas et refugia incendunt.* LINDENBR.

19. *Picenſes.*] Apud Ptolemaeum πικηνσιοι in Moeſia ſuperiore ponuntur, a Sarmaticis forte Picenſibus profecti. VALES.

Amicenſes et Picenſes] Dacis adnumerat Mannertus T. IV. *Norden*, p. 184. alibi tamen ſe inveniſſe negans. W.

Taifalorum] qui pars erant Gothorum occidentalium. vide infra XXXI, 3. Eutrop. VIII, 2. Mannert Germania p. 427. W.

21. *Utrum oppeterent* armis ſe defenderent, an *rogarent* pacem, cum *utriusque rei* et defenſionis et veniae impetratae documenta haberent. *Variae palmae victoriarum*, reliquis victoriarum laetis eventibus. W.

22. *Opum vilitas, quam celeritatis ratio furari permiſit.*] ſarcinas tenues, pecora et ſupellectilia, quae raptim colligere potuerant. W.

23. *Seditionibus*] h. l. opponuntur *ſedibus fixis*, ſunt ergo proprie et ad Etymon vocis accipiendae pro *ſeitionibus*, mutandis domiciliis, ut denuo emigrare cogerentur. — *Ut congruo docebitur textu.* v. infra XIX, 11. W.

24. *Tutela*] ſecuritas. *Exſules populos* a ſervis olim expulſos Liberos Sarmatas. *Regem* Zizain, c. 12. W.

25. *Tali textu recte factorum* (διορθωμάτων) his una ſerie praeclare feliciterque geſtis. W.

Militarique conſenſu ſecundo Sarmaticus.] De veritate huius loci dubium nullum eſſet, ni ipſe Conſtantius aliud innuere videretur, in militari, quae mox ſequitur, allocutione, dum ait: *Poſtremo ego quoque hoſtilis vocabuli ſpolium prae me ſero, Secundi Sarmatici cognomentum, quod vos unum idemque ſentientes mihi, ne ſit arrogans dicere, merito tribuiſtis.* Ut ſane hic quoque legendum ſit, *militarique conſenſu Secundus Sarmaticus appellatus.* Qui tamen an recte Secundus Sarmaticus dicatur, ipſe viderit. Nam ob victorias contra Sarmatas et ante Conſtantium M. Antoninus Philoſophus, et Aur. Antoninus Baſſianus Impp. aliique Sarmatici quoque dicti fuere, ut ex Hiſtoriae Augg. Scriptoribus, et Nummis veteribus conſtat. LINDENBR. Merito Conſtantium ſecundo (vel ſecundum) Sarmaticum dici Valeſius in Praef. p. LXIX. credit propterea, quod bis Sarmatas proelio ſuperaverit; idque infra ad finem huius capitis firmatur. Poſſis etiam *ſecundo* ad *conſenſum* trahere, ſed Valeſii ſententia probabilior. W.

Sarmaticus appellatus ex vocabulo ſubactorum.] Ex vocabulis gentium ſubactarum victores nomina ſibi indidiſſe, nemo non

Digitized by Google

novit. Hinc enim Africanus ab Afris, Germanicus a Germanis, Francicus a Francis, alii ab aliis populis appellati. *Themiſtius Euphrada Orat. 10. pag. 246. de pace ad Valentem Imp. ἀναμιμνήσκομαι δὲ, ὅτι τῶν παλαιῶν αὐτοκρατόρων ὁ μέν τις ἀχαϊκὸς ἐπεκλήθη, ὅτι τὴν ἑλλάδα ἀνάστατον ἐποίησε· μακεδονικὸς δέ τις ἕτερος, ὅτι τὴν μακεδονίαν ἔρημον καὶ ἀοίκητον.* *Hinc Vararanes Saporis filius Perſa (nam et apud Perſas hic mos obſervatus) Cermaſea dictus fuit, ab eius nominis gente devicta. Agathias lib. IV. pag. 311. Οὐαραράνης ὁ παῖς, ὃς δὴ καὶ κερμασαὰ ὠνομάζετο· τῶν δὲ τοιούτων ἐπικλήσεων ἡ αἰτία ἤδη μοι εἴρηται· καὶ γὰρ κέρμα ἔθνους τυχὸν ἢ χώρας ὑπῆρχεν ἐπωνυμία· ταύτης δὲ τῷ πατρὶ τοῦ οὐαραράνου δεδουλωμένης, εἰκότως ὁ παῖς τὴν ἐπωνυμίαν ἐκτήσατο, καθά που πρότερον καὶ παρὰ Ῥωμαίοις ὁ μὲν Ἀφρικανὸς τυχὸν, ὁ δὲ Γερμανικὸς, ὁ δ' ἐξ ἄλλου του γένους νενικημένου ἐπεκλήθη.* LINDENBR.

ore omnium favorabilis] cui omnes uno ore ſavebant. XXIII, 5. eſt: ſtudio concordi cunctorum favorabilis. W.

26. *Correximus*] recte, fortiterque fecimus, XVI, 1. XXV, 4. extr. XXX, 7. — *Prudenter conſultis* prudentibue conſiliis, ſed ingratum ad aures conſULtis exſULtat? perſULtabat ſe uno tenore excipientia. W.

28. *Vere adulto*] aeſtate appropinquante. Sic ver pubeſcens XXVII, 5. XXX, 5. *Arripuimus negotiorum moles* celeriter aggreſſi ſumus, quo ſignificatu verbum arripere ſaepius in Codice Theodoſiano uſurpatum legitur. *Calcatis* devaſtatis. *Inter repugnandi minaces anhelitus* minas, quae vix ſpiritum ducere permitterent. Cf. anhelantes altius ſed imbelles XXXI, 7. *Adfuſi ſunt veſtigiis* pedibus *Auguſti*, veniam orantes. W.

29. *His ſequeſtratis*] compoſitis. Macrobius inprimis hoc verbo utitur, ad quem vide Zeunium p. 765. W.

30. [*Zizain praefecimus Liberis.*] In codice Colbertino *Zigam* dictum reperio, et cap. XII. ſupra *Zigaim Regem*: ſicut *Rumorem* Subregulum Sarmatam: quem *Rumonem* alias cap. eod.] HADR. VALES.

Plus aeſtimantes creare, quam afferre barbaris Regem.] Artes hae ſunt, quibus paullatim animi devicti emolliuntur, ut deperditae libertatis iacturam facilius ferre diſcant. LINDENBR.

Plus aeſtimantes creare quam afferre.] Legendum videtur *quam auferre*,*) *vel *abferre.* VALES.

31. *Sufficient ex hoſtibus captivi.*] Placet ſcriptura Regii exemplaris, in quo legitur, *vobis abunde ſufficiet ex hoſtibus captis.* Nam Conſtantius hoc ſecundum huius expeditionis praemium eſſe dicit, quod militibus Romanis ex Sarmatarum captivis mancipia abunde ſufficient. Magnas enim opes ex pauperum hominum praeda ſperari non debuiſſe, et ſibi ſupereſſe theſauros ait, quibus milites ſuos locupletet. Ceterum captivi tunc inter milites dividebantur, quos milites deinde mercatoribus divendebant. Dio

*) Sic iam ante Valeſium Gruterus. v. Gronovii Praef. p. XXII. W.

in fine lib. 51, καὶ οἱ αἰχμάλωτοι τοῖς στρατιώταις διεδόθησαν: et Themistius in Orat. 17. et Tarquinius apud Dionysium Halic. in lib. 4. c. 50. VALES.

33. *Secundi Sarmatici cognomentum.*] Mallem *secundo Sarmatici.* Sic supra Marcellinus dixerat: *Militarique consensu secundo Sarmaticus appellatus ex vocabulo subactorum.* hoc est, δὶς σαρματικός. Sic enim in Edicto Maximiani Galerii apud Eusebium in lib. 8. Hist. αὐτοκράτωρ Καῖσαρ Γαλέριος Μαξιμιανὸς δὶς Καρπῶν μέγιστος, ἕξάκις Ἀρμενίων μέγιστος, etc. Id est: *Secundo Carpicus Maximus, sexto Armeniacus Maximus.* Constantius igitur victoriam de Sarmatis iam antea retulerat; sed quando, incertum est. VALES.

34. *Demumque ex usu testata.*] In Regio [et in Colbertino] exemplari legitur *dmque.* Scribendum igitur est: *Deumque ex usu testata, non posse Constantium vinci.* Quod confirmatur ex lib. 24. c. 1. *Impetrabilem Principem superari non posse, Deum usitato clamore testati.* Et ex lib. 26. c. 7. *Testati more militiae Iovem, invictum Procopium fore.* Huiusmodi autem erat exclamandi formula: *Tu scis, Iupiter: Constantius vinci non potest.* Ita apud Lampridium in Diadumeno c. 1. milites acclamasse dicuntur: *Tu scis, Iupiter: Macrinus vinci non potest. Tu scis, Iupiter: Antoninus vinci non potest.* Quibus in locis, *Tu scis,* idem valet ac *Testis es;* ut apud praecipuum Poetarum non semel legitur, ἴστω Ζεῦ: et ἴστω Λητοῦς υἱὲ, apud Apollonium in lib. 2. Argon. denique apud Pollucem in sacramento epheborum Athenienſium, quod relatum est in eius lib. 8. sect. 106. Ἴστορες θεοὶ ἄγραυλοι, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς, Θαλλὼ, Αὐξὼ, Ἡγεμόνη. Id est: *Testes sunto Dii agrauli, seu agrestes, Enyalius, Mars, Iupiter, Thallo, Auxo, Hegemone.* Sunt autem Auxo quidem et Hegemone Charitum apud Athenienses nomina: Thallo autem Horarum unius, ut docet Pausanias in Arcadicis et in Boeoticis IX, 35. τιμῶσι γὰρ ἐκ παλαιοῦ καὶ Ἀθηναῖοι χάριτας Αὐξὼ καὶ Ἡγεμόνην· τὸ γὰρ τῆς Καρποῦς ἐστὶν οὐ χάριτος, ἀλλ' ὥρας ὄνομα· τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν ὡρῶν νέμουσιν ὁμοῦ τῇ Πανδρόσῳ τιμὰς Ἀθηναῖοι, Θαλλὼ τὴν θεὸν ὀνομάζοντες. Apud Hyginum quoque in fabula 183. Horarum nomina haec sunt, Auxo, Eunomie, Pherusa, Caria, Odice, (lege Carpo, Dice) Euporie, Irene, Orthelie, Thallo. *Clemens in Protreptico: Αὐξώ τε καὶ Θαλλὼ αἱ Ἀττικαί.* Et haec ad explicationem loci obscurissimi obiter sint dicta. VALES.

Ex usu testata non posse Constantium vinc'.] Ad sollennes adclamationes haec verba pertinent; qualis consimilis plane etiam illa est apud Lamprid. in Vita Diadumeni c. 1. *Iupiter O. M. Macrino et Antonino vitam. Tu scis Iupiter! Macrinus vinci non potest. Tu scis Iupiter! Macrinus vinci non potest.* LINDENER.

Sirmium cum pompa triumphali.] Hunc Constantii triumphum memorat simul ac deridet Iulianus in Ep. ad Athen. p. 513. VALES.

Militares numeri] legiones. *Remearunt sedes.* Omissum *ad,* uti Virgil. Aen. XI, 793. Stat. Sylv. III, 5, 12. Apul. Met. VII. post init. Additur XIX, 9. remearunt *ad* sua. W.

Digitized by Google

CAPVT XIV.

1. *Iisdem diebus Prosper, et Spectatus.*] Spectatus ex legatione Persica redierat ante ruinam Nicomediae, ut patet ex Epistola 321. quam Libanius de Spectati reditu scribit ad Aristaenetum, qui eo terrae motu interiit: quam quidem Epistolam supra retulimus. Itaque haec ante cladem Nicomediae locari debuerant. Eadem incuria paullo supra dicta sunt, quae de Balli Praefectura posuit: quem ex allata Inscriptione constat sequenti anno, hoc est, Eusebio et Hypatio Coss. decessisse. VALES.

Ut supra docuimus] Cap. 5. *Ctesiphonta* quae regia tum erat Persarum. *Rebus integris*, ut omnia eodem statu, quo tum essent, persisterent, h. e. uti paullo post: *ne super turbando Armeniae vel Mesopotamiae statu quidquam moveretur.* W.

2. *Lucillianus.*] Is videtur esse, cui summam belli contra Persas gerendi mandatam esse a Constantio scribit Zosimus in lib. 2. c. 45. cum is Gallum Caesarem in Orientem mitteret: et quem in lib. 3. c. 8. scribit, Nisibin a Sapore obsessam defendisse. VALES.

Lucillianus Comes] Domesticorum. XIV, 11. et Ind. 1. — *Nodo violentae necessitatis adstrictus* ad purpuram accipiendam coactus, *ad res consurrexit novas* V. XXVI, 5—10. W.

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XVIII. C. I.

1. *Euſebium atque Hypatium fratres ſublimabant vocabula Conſulum.*] Admodum ſublimiter! *Contextis ſucceſſibus*, pluribus, ubi alius alium exciperet. — *ſequeſtratis* omiſſis. W.

Ne quem.] Forte *ne quam* ſcilicet provinciam. GRON.

Praeſumeret] ſibi arrogaret, raperet. cf. XXIII, 5. *Verſarentur in medio*, omnibus ſe immiſcerent negotiis, dominarentur. W.

2. *Ipſe iurgia dirimens.*] Hoc erat inſtitutum Caeſaris Iuliani: de quo Mamertinus in gratiarum actione ſic dicit: *Aeſtates omnes in caſtris, hiemes in tribunalibus degit.* Et Libanius in Orat. funebri. VALES.

Indeclinabilis iuſt. iniuſt. diſtinctor.] Hic Marcellinus noſter aperte graeciſſat. Indeclinabilem enim poſuit pro eo quod Graeci dicunt ἀκλινῆ: quo ſenſu Nicolaus Damaſcenus de vita ſua, p. 422. Editionis noſtrae dixit de ſeipſo: *πρός γε μὴν τὸ δικάζειν οὕτως ἀκλινὴς καὶ ἀδώπευτος.* *Vox erat illius aevi, qua utitur etiam Rufinus in libri VI. Hiſt. Eccleſ. capite 7. de Narciſſo loquens. *Cum eſſet* (inquit) *conſtantis animi, et iuſti rectique indeclinabiliter tenax.* VALES.

Iuſtorum iniuſtorumque diſtinctor.] Sic XXVIII, 4. *iuſtorum diſtinctor et arbiter plenus.* cf. et XXII, 3. in quibus omnibus locis Savaro ad Sidonium p. 131. legi iubet *diſcinctores*, quod *diſcingere* illa aetate dixerint pro dirimere. W.

3. *Acta.*] Poſt hanc vocem Wakef. in Silv. Crit. P. IV. p. 202. excidiſſe putat *alia.* W.

4. *Pro tribunali palam admiſſis volentib. audiebat.*] Id eſt, levato velo, ut loquuntur Impp. in lege ult. Cod. Th. de naufragis. Velum enim pro foribus Secretarii poſitum erat, quod ſi reductum erat, ſeu levatum, omnes ad audiendum admitti poſſe ſignificabat: ſin erat adductum, neminem praeter conſilium admitti fas erat. Adducebatur autem fere in criminalibus cauſis, ubi de capite hominis agebatur, quo iudex attentius ac maturius cum conſilio deliberaret, ut docet Baſilius in Ep. 79. ad Euſtathium Sebaſt. *εἰ γὰρ οἱ τοῦ κόσμου τούτου ἄρχοντες, ὅταν τινὰ τῶν κακούργων θανάτῳ καταδικάζειν μέλλωσιν, ἐφέλκονται τὰ παραπετάσματα, καλοῦσι δὲ τοὺς ἐμπειροτάτους πρὸς τὴν ὑπὲρ τῶν προκειμένων σκέψιν καὶ πολὺν ἐνσχολάζουσι χρόνον*, etc. quem locum imitatus eſſe videtur Clemens lib. 2. Conſt. Apoſt. cap. 52.

Digitized by Google

Idem teſtatur Chryſoſtomus Homilia 43. in Matthaeum: ὥσπερ οἱ δικασταὶ ὑπὸ παραπετάσματος καθεζόμενοι κρίνουσιν. Contra in publicis iudiciis velum levari ſolebat: ut idem docet Homilia 57. in Matthaeum: καθάπερ γὰρ τοῖς δικασταῖς, ὅτ' ἂν δημοσίᾳ κρίνωσι, τὰ παραπετάσματα συνελκύσαντες οἱ παρεστῶτες, πᾶσιν αὐτοὺς δεικνύουσιν. VALES.

Palam admiſſis volentibus] quibuscunque (βουλομένοις). W.

Confutari] convinci, XIV, 9. XVII, 9. — *Delphidius* huic oratori Auſonius carmen dedicavit 195. ubi vide Floridum p. 142. Ob vehementiam etiam et acerbitatem exagitat Appuleius in Aemiliano. W.

Et quis, ait, innocens eſſe poterit.] Hoc egregium Iuliani Caeſaris reſponſum refertur etiam a Zonara in Annalibus: cuius verba, quia ſunt Marcellini verbis ſimillima, hic apponenda duxi: ποτὲ γοῦν δικάζων τινὶ κεκλοφέναι κατηγορουμένῳ καὶ τὴν κλοπὴν ἀρνουμένῳ, ἐπεὶ ὁ κατήγορος, τίς, ἔφη, βασιλεῦ, ἐπ' ἐγκλήματι δίκην ὑπέσχη, εἰ ἐξ ἀρνήσεως ὠφελοῖντο οἱ αἰτιώμενοι; ἐκεῖνος ἀνθυπερώτησε· καὶ τίς ἔσται ἀναίτιος, εἰ ἐλέγχων ἄνευ πιστεύοιντο οἱ κατήγοροι. *Eadem leguntur apud Iohannem Antiochenum in Excerptis nondum editis περὶ ἀρχαιολογίας: ubi Νουμεριανὸς dicitur is, quem Marcellinus noſter Numerium vocat.* VALES.

CAPVT II.

1. *Rumore praecurſo.*] Ita et XXIII, 2. W.

2. *Hariobaudem*] ſine dubio Alamannum natione. *vacantem Tribunum*, v. Ind. II. v. Vacans. *Hortarium regem* de quo vide ad XVI, 12. init. Pacem pepigerat cum Iuliano XVII, 10. W.

3. *Implendum*] agendum, XIV, 1. XXX, 8. W.

Annona a Britannis ſueta transferri.] Zoſimus lib. III. c. 5. (ubi v. Heynium p. 636. W.) Ὀκτακόσια κατεσκεύασε πλοῖα (Iulianus Imp.) μείζονα λέμβων· ταῦτά τε εἰς τὴν Βρεττανίαν ἐκπέμψας κομίζεσθαι σῖτον ἐποίει· καὶ τοῦτον τοῖς ποταμίοις πλοίοις ἀνάγεσθαι διὰ τοῦ Ῥήνου παρασκευάζων, τοῦτό τε ποιῶν συνεχέστερον, διὰ τὸ βραχὺν εἶναι τὸν πλοῦν, ἤρκεσε τοῖς ἀποδοθεῖσι ταῖς οἰκείαις πόλεσιν εἰς τὸ καὶ τροφῇ χρήσασθαι, καὶ σπεῖραι τὴν γῆν, καὶ ἄχρις ἀμητοῦ τὰ ἐπιτήδεια ἔχειν. Iam olim ergo hac laude celebris Britannia, quod et annona in proprios uſus ſufficiente abundet, et frumentarium auxilium populis etiam longiſſime diſſitis ſuppeditet. LINDENBR.

Annona a Britannis ſueta transferri.] Hanc Britannicae annonae transvectionem Iulianus multo quam antea faciliorem reddidit. Nam cum fere omnes onerariae naves ad annonam hanc transvehendam comparatae, metu barbarorum mare infeſtantium ſubductae computruiſſent, paucaeque admodum navigarent, quibus in portu exoneratis, inde annona vehiculis transportabatur: quod quidem maximo damno ac ſumptui Gallis erat: Iulianus plures quam antea naves fabricavit, utque annona lembis per flumen Rhenum ex Britannia inſula ſubveheretur, prout olim fieri ſolitum erat, ſollicite providit, ut narrat Libanius in Orat. funebri ad hunc annum (Reisk. 549.) et Zoſimus in lib. 3. c. 5. et ipſe Iulianus ſatis ambitioſe

in Epist. ad Athenienses. (Spanh. p. 279.) De Britannicae annonae transvectione loquitur etiam Eunapius in legationibus. *χαμάβων γὰρ μὴ βουλομένων ἀδύνατόν ἐστιν τὴν ἐκ τῆς βρεττανικῆς νήσου σιτοπομπίαν εἰς τὰ ῥωμαϊκὰ ῥοῦσια διαπέμπεσθαι.* Vide Cluverium in libri 2. de Germania capite 26. VALES.

4. *Castra Herculis, Quadriburgum, Tricesimae.*] Edidimus locum, ut vulgo legitur, licet de vitio valde suspectum: neque a Mſ. auxilii quidquam, in quo sic scriptum: — — *Castra Herculis, Quadriburgi unius Tricesimae.* Editio Steph. *Quadriburgum Stricensium.* Emendare conati sunt viri docti; quorum tamen diligentiam potius, quam successum laudo. Et hactenus verosimilia dixisse videtur Petr. Divaeus Antiquitat. Belgicar. cap. XIX. LINDENBR.

Castra Herculis.] Urbem hanc intelligit Libanius in Orat. cit. his verbis (Reisk. p. 550.): *ἀλλὰ κατέβαινε μὲν ἐπ' αὐτὸν ὠκεανόν· πόλιν δὲ ἡρακλείαν ἡρακλέους ἔργον ἀνέστη, τὰ πλοῖα δὲ εἰς τὸν ῥῆνον εἰσῆγε.* Eiusdem mentio fit in Tabula Itineraria Peuting. *Carvone* 13. *castra Herculis* 8. *Noviomago* 10. Hanc etiam intelligere videtur Stephanus Byzantius, cum scribit, *Ἡράκλεια τρίτη Κελτικῆς.* VALES.

Castra Herculis] munimentum ad Rhenum, Mannert Gallia p. 217. *Quadriburgium* (Schenkenschanz Wessel. ad Itiner. p. 370. Mannert p. 218.) *Tricesimae* eadem quae alias Colonia Traiana, (Kellen) postea vero, quia Legio XXX. ibi in praesidio fuit, Tricesimae dicta, Mannert p. 219. — *Novesium* (Nuys) Wesseling p. 255. *Bonna* (Bonn) *Antunnacum* (Andernach) Mannert p. 223. et *Bingio* (Bingen) urbs iamiam Tacito Hist. IV, 70. memorata, Mannert p. 224. W.

5. *Post haec impetrata*] his ita effectis, XIX, 6. *Utilitati publicae obedisse,* impetrata fecisse, ut reip. consulerent. W.

Non rectoris amore. Romanis, etc.] Sic primus hunc locum Gelenius emendavit, audacter satis. Nam in Mſſ. deest negativa particula, et *Romanos* legitur, non *Romanis.* Equidem initio, quid sibi vellet haec Mſſ. lectio, videre non poteram. Adeo saepe veritas in oculos nostros incurrit, nec advertitur tamen. Tandem vero animadverti elegantem in scripta lectione sensum esse: *Idque claris indiciis apparet, utilitati publicae metu barbaros obedisse, rectoris amore Romanos.* Est igitur antithesis Barbarorum et Romanorum: Barbaros metu, Romanos amore Caesaris paruisse dicit: quod sequentia manifeste evincunt. Subiicit enim, *Reges ex pacto,* etc. quod refertur ad Barbaros: deinde *et auxiliarii milites, etc.* quod ad Romanos referendum est. VALES.

6. *Aedificiis habilia*] materias XVII, 10. W.

Et auxiliarii milites.] Plerique, ut ait Vegetius in lib. 2. in auxiliis festinant militiae sacramenta percipere, ubi et minor fudor et maturiora sunt praemia: vitantes laborem in legionibus militandi, ubi graviora arma, plura munera, severior disciplina. Ex quo patet Romanos complures in auxiliis militasse. Auxilia tamen initio de alienigenis dicebantur, ut docet Varro in lib. 4. de lingua Latina p. 24. ed. Scalig. 1581. *Auxilia,* inquit, *appellantur ab auctu, cum accesserint qui adiumento essent alienigenae.* Et ita quoque Festus Pompeius. At Suidas *αὐξίλια* derivat *ἀπὸ τῆς ὀξύτητος τῆς βοηθείας.* Sic enim apud eum in v.

Digitized by Google

ψιλὸς vetus ſcriptor loquitur: αὐξίλια δὲ οἱ ῥωμαῖοι τὰ τοιαῦτα τέλη προσαγορεύουσι, τὸ τῆς βοηθείας ὀξὺ καὶ εὐκίνητον περὶ τὰς χρείας οὕτω προσαγορεύοντες. VALES.

Quinquagenarias longioresque materias.] *Quinquagenarias materias* dixit, id eſt, trabes et arbores valde magnas, ut *centenarias roſas* Tertull. de Corona militis cap. 14. et *centenarios nummos* Lampridius in Alex. Severo c. 39. (ubi vid. Interpretes. W.) *Pecunias maiorinas vel centenionales* L. 1. C. Theod. Si qui pecun. conflav. LINDENBR. Cf. Salmaſ. ad Scriptt. H. A. Tom. 1. p. 450. W.

Quinquagenarias longioresque materias.] Id eſt, trabes quinquaginta pedum longitudine. Sic Vitruvius in lib. 8. cap. 7. fiſtulas quinquagenarias dicit, quarum ſcilicet lemna quinquaginta digitos lata eſſet. Aliter Plinius quinquagenarium thoracem, et quinquagenaria ac centenaria pondera dicit in lib. 7. cap. xx. Tertullianus de Pallio promullidem quinquagenariam; Lampridius in Elagabalo c. 19. vaſa centenaria: id eſt quinquaginta pondo, centum pondo. VALES. Haec apprime conveniunt, quae cum ſolidiore fundamento elaboravit pater libro 1 Pecuniae vet. cap. 3. GRON.

7. *Lupicino.*] Hic primum occurrit. *Severi* Magiſtri equitum, ſed ineficacis [XVII, 10. — *incivilitas* inſolentia, licentia. cf. XXIX, 5. W.

9. *Ne pacatorum terrae corrumperentur.*] Idem refertur a Libanio in Oratione funebri (Reisk. p. 551.): ὁ δὲ ἐχώρει τὴν τῶν ἐνσπόνδων παρεξιὼν, ὅπως μὴ δι' αὐτῶν ἐπὶ τοὺς πολεμίους ἰὼν, ἀνάγκη τι βλάψειε. *Progrediebatur itaque foederatorum agros praeteriens, ne per eos in hoſtem tranſiens, quidquam neceſſario vaſtaret.* VALES.

Ne pacatorum Suomarii, de quo vide ad XVI, 12. init. adſcripta, *terrae corrumperentur*, vaſtarentur. W.

In locum ad comp. pontem.] Ante haec verba videtur quidpiam deeſſe in hunc fere modum: *Iri igitur placuit in locum, etc.* Vel ſane ſcribendum eſt *iri in locum.* et ita nihil deerit. Atque hanc emendationem confirmat Libanius in Orat. cit. (Reisk. 1. p. 551.) ὡς γὰρ βαδίζων καὶ περισκοπῶν τὴν ἀντιπέρας ὄχθην, κατεῖδεν ἐπίκαιρον τόπον, οἷον κατασχεθέντα παρέχειν ἀσφάλειαν τοῖς κατειληφόσι, πλοιά τινα καὶ μοῖραν τῆς δυνάμεως μικρὰν ἀφανῶς ἐν κοίλῳ τινὶ τῆς οἰκείας ὄχθης χωρίῳ καταλιπὼν, αὐτός τε ἐπορεύετο, καὶ τοὺς ἐχθροὺς ἠνάγκαζεν ἴσην πορείαν χωρεῖν. *Nam cum progrediens et adverſam ripam circumſpiciens, locum vidiſſet opportunum, qui occupatus ſecuritatem praeſtare poſſet: navigia aliquot et militum exiguam manum in valle quadam Romanae ripae proxima occultavit: et ipſe incedens, hoſtes quoque ſimul incedere coëgit.* VALES. *Iri* pendet a praecedente *ſuaſerat.* W.

11. *Caeſar certis imperavit Tribunis*] ut cum ſingulari militum manu alio loco flumen traiicerent, eoque in fraudem inducerent hoſtes, donec ipſe cum toto exercitu transiret. W.

12. *Et collecti nocte provecta.*] Libanius poſt ea quae proxime citavi, ſubiicit: ἐσπέρας δὲ στρατοπεδευσάμενος τοῖς καταλειφθεῖσιν ἐκείνοις σημαίνει διαπλεύσασι κρατῆσαι τοῦ χωρίου. καὶ οἱ μὲν πεισθέντες ἐκράτουν· οἱ δὲ ἀναστρέψαντες ἐζεύγνυον, ὁρμώμενοί τε ἐξ οἰκείων καὶ τελευτῶντες εἰς τὸν κατειλημμένον. *Sub*

veſperam autem caſtra metatus, militibus iis quos occultaverat, ſignum dedit, ut traiecto flumine locum occuparent. Atque illi quidem imperata facientes locum occupant. Iulianus vero cum ſuis reverſus eo unde diſceſſerat, pontem iunxit a Romana ripa ad locum qui erat occupatus. Haec Libanii verba clarius quam Marcellini noſtri narratio, ſtrategema illud Iuliani explicant. VALES.

Luſoriae naves] ad obſervandos hoſtes inprimis adhibitae. v. ad XVII, 2. — *remi ſuſpenderentur* inhiberentur. W.

Dum hoſtes noſtrorum ignes obſervant.] Saepe hoc ſtrategemate viri bellatores uſi, ut iam olim ad Hiſtoriam Longobardicam notavi; multaque eius exempla apud Polyaenum aliosque Scriptores paſſim occurrunt. LINDENBR.

Adverſas perrumpere limitis ripas.] Dubitat Erneſt. an legendum ſit e MII. *milites*, quamquam defendi lectio vulgata poſſit ſimili loco XXIV, 8. ubi *rupti riparum termini*. W.

13. *Hortarius rex nobis foederatus*] XVII, 10. *non novaturus quaedam*, non quod fide deſciſcere vellet, *ſed amicus finitimis quoque ſuis* et popularibus. *Reges* imperantes *Regales* regum filios et agnatos *Regulos* ſubregulos. W.

Epulis adusque vigiliam tertiam more gentili extentis.] Hoc eſt, quod Tacit. de Germanis ſcribit c. 22. *Diem noctemque continuare potando nulli probrum.* Vid. Eclogas Legat.* LINDENBR.]

Ullo genere] ullo modo, quod et libri nonnulli habent. Sed nihil mutandum, eſt enim iterum XXXI, 5. — *Quo dubius impetus truſit* quo forte fortuna per trepidationem abriperentur. W.

14. *Vertuntur in pedes*] in fugam. *In barbarico*, ſc. *ſolo* vel *agro*, quod omittunt illius aetatis ſcriptores. Cf. XVII, 12, 21. XXVII, 5, 6. Vid. Cellar. et Tzſchuk. ad Eutrop. VII, 9. W.

15. *Saepimenta fragilium penatium*] caſarum miſellarum, ruinasque minantium. W.

Ad regionem cui Capellatii vel Palas nomen.] *Ditmarus lib. 6. cap. 68. *Palas a Treverenſibus contra Regem firmatur.* †)* Ab hisce nominibus Principem Palatinum appellationem ſumſiſſe, multi hactenus falſo ſibi perſuaſerunt, quorum errores erudite corrigit Vir Cl. Marq. Freherus Origin. Palatin. cap. 2. LINDENBR.

Ubi terminales lapides.] Gloſſar. *Ὁριαῖος λίθος, terminalis lapis. Ὁροθέσιον, terminus, limes, terminatio. ὅρος ἐπὶ χώρας, terminus, finis limitum, hoc terminatum.* Dionyſ. Halicarn. lib. II. pag. 133. *λίθος ἐπὶ τοῖς ὅροις.* Sic lib. XXXI, 4. *plagae terminales*, id eſt, terminis et limitibus regiones confines. *Tertull. de Ieiuniis cap. XI. *Palos terminales figere.** LINDENBR.

Capellatium vel Palas, ubi terminales lapides Alamannorum et Burgundiorum confinia diſtinguebant, qui duo populi de ſalinis in illa regione ſitis ſaepe decertabant XXVIII, 5. Ex his igitur, quo referendum ſit Capellatium vel Palas, facile intelligitur. Eſt nempe, quae ſententia eſt Mannerti Germ. p. 293. cuius ipſa verba dedi, munimentum Romanorum, quod etiamnunc Pfal- ſ. Pohlgraben nominatur. Quod ſi ſumas, duo tantum ſunt loca,

†) Cf. Valeſ. Praef. p. LXIX. W.

Digitized by Google

quo confinia Alamannos inter et Burgundios poni poſſint, vel Schafnaburgum ad Moenum, vel in terris Hohenlohicis. Ad utrumque pertinuit vallum Romanum, ab utrisque haud procul abſunt ſalinae, ſeptentrionem verſus *Kiſſingae* ad Salam Franconicam, meridiem verſus *Halae* Suevorum, quae poſterior magis placet Mannerto, ideo, quod Sala remotior a Schafnaburgo ſit, quam ut de ſalinis oriri lis potuiſſet, ſi fines ad hanc urbem fuiſſent. — Sed operae pretium eſt, Mannertum ipſum adire, qui totam, in qua nunc verſamur, Iuliani expeditionem egregie illuſtravit. Müllero in Geſch. d. Schweiz Abtheil. 1. p. 78. *Capellatium* eſt *Ziegenhayn*. De *Burgundiis* vide infra XXVIII, 5. W.

Macrianus] de quo plura vide in Ind. 1. *et Hariobaudus* fratres utrique e regione Moguntiae, orientem verſus. W.

16. *Vadomarius*] rex terrarum, quae *contra Rauracos* noſtra Brisgovia continentur. Iam antea mentio eius facta XIV, 10. mentio porro fiet. v. Ind. 1. Ex omni narratione Ammiani colligit Mannertus p. 294. Iulianum per terras, quae nunc Principi Haſſo-Darmſtadienſi parent, perque Palatinatus partem progreſſum fuiſſe. W.

Scriptis Conſtantii principis — adlegatis.] „Hae ſunt literae privatae, quae dicuntur *adlegari*; nam *homines* quidem privato conſilio *adlegantur*, publico *legantur*, unde *legati* dicti ſunt.“ Erneſtius. W.

Leniter ſuſceptus eſt, ut decebat.] Duas ultimas voces addidi, quae in Editionibus deerant. In Regio quidem codice [et Colbert.] *ac Toloſ.* perinde ut in Editione Rom. legitur: *Suſceptus eſt: ducebat, etc.* In Florentino Mſ. ſcriptum erat *dicebat.* [Poteſt legi etiam, *ut conducebat.*] VALES.

18. *Urio, Urſicino et Veſtralpo*] De his v. ad XVI, 12. init. adſcripta. — *Interim* nunc quidem non ſtatim *reſponderi poterat.* W.

19. *Conditionum ſimilitudine*] iisdem legibus. — *feſtinatum eſt maxime*, ante omnia urgebatur. W.

CAPVT III.

1. *Caeleſtis corrigit cura.*] Eodem ſenſu *caeleſte oraculum*, L. 10. C. de aſſeſſor. L. 5. C. de iurisd. omn. iud. *caeleſtes litterae*, L. 3. C. Theod. ad L. Corn. de falſo: *caeleſtis indulgentia*, L. 4. de calc. coctor. *caeleſtia ſtatuta*, L. 3 de ſtud. liberal. *caeleſte praeceptum*, Geſta purgat. Caeciliani et Felic. pag. 27. LINDENBR.

Barbationis pedeſtris militiae rectoris] in locum Silvani XVII, 6. cf. omnino Ind. 1. W.

Examen apes facere perſpicuum; ſuperque hoc prodigiorum gnaros conſulenti, etc.] Plinii verbis haec interpretanda ſunt, lib. XI. cap. XVII. *Apes oſtenta faciunt privata et publica, uva dependente in domibus templisve, ſaepe expiata magnis eventibus. Sedere in ore infantis Platonis, tunc etiam ſuavitatem illam praedulcis eloquii portendentes. Sedere in caſtris Druſi Imp. cum proſperrime pugnatum apud Arbalonem eſt, haudquaquam*

perpetua Haruſpicum coniectura, qui dirum id oſtentum exiſtimant ſemper. *Quid *uva* hoc loco, et Iuvenalis oſtendit, et Varro de Re Ruſtica lib. 3. c. de Apibus.* Iuvenal. Satyr. XIII, 67.

Sollicitus, tamquam lapides effuderit imber,
Examenque apium longa conſederit uva
Culmine delubri.

Unde cum Caſſini examen apium ingens in foro conſediſſet, aliudque in templum Aeſculapii convolaſſet, inter prodigia relatum fuit. Livius lib. XXVII. (item XXI, 46. W.) Dio lib. XLVII. 2. Vid. Cicer. de Haruſpic. Reſponſ. Virgil. lib. VII. 64. Val. Max. lib. 1. cap. 6. LINDENBR.

Discrimen magnum portendi] Malum omnino omen habitum, ſi qua apes conſediſſent. vid. praeter Plinii locum a Lindenbrogio allatum Iul. Capitol. in vita Antonini Pii c. 3. et Iulius Obſequens paſſim. W.

Fumo pelluntur et turbulento ſonitu cymb.] De fumo certum eſt; et hodie in eximendis favis adhibetur. *Pallad. de Re Ruſt. lib. 5. c. 8.* Scholiaſt. Apollon. Rhod. lib. II. n. 7. ad illum verſ. (133.) — — — λιγνυόεντι — — — καπνῷ τυφόμενοι· ἐπιπλέον τῷ λιγνυώδει καὶ σποδώδει καπνῷ καπνιζόμεναι ὑποχωροῦσι (αἱ μέλισσαι) τῶν σίμβλων. De ſonitu etiam conſtat: ſed turbulentus ille ſit oportet, unde *inimica et echo eſt reſultanti ſono, quod pavidas alterno pulſat ictu.* Plin. lib. II. cap. 19. Alioquin gaudent plauſu atque tinnitu aeris, eoque convocantur, ut idem ait lib. eod. cap. 20. Varro de Re Ruſtica lib. III. cap. 16. Virgil. Georg. IV. *Virgil. Aeneid. 12, 589.

Incluſas ut cum latebroſo in pumice paſtor
Veſtigavit apes, fumoque implevit amaro:
Illae intus trepidae rerum, per cerea caſtra
*Diſcurrunt.**

Claudian. Panegyr. VI. Conſul. Honorii v. 259.

— — — *Cybeleia quaſſans*
Hyblaeus procul aera ſenex, revocare fugaces
Tinnitu conatur apes, quae ſponte relictis
Deſcivere favis. LINDENBR.

2. *Vanitate.*] inconſiderantia, dementia. Vanus et demens junguntur XVI, 11. W.

Ancilla adſcita notarum perita.] Vid. Notas in Val. Probum et reliquos rei notariae Scriptores. LINDENBR.

Notarum] artis occulte ſcribendi, στεγανογραφίας. *Quam e patrimonio Silvani poſſederat* quae ex familia Silvani in ſuam tranſierat — *deſpecta*, miſſa, repudiata. W.

3. *Reverſis omnibus e procinctu*] h. e. literis et Aſſyriae et Barbationis ex caſtris, ubi tunc verſabatur Barbatio, reverſis. Quod tamen non placet. Ammianum *procinctum* de expeditionibus bellicis uſurpare non ignoro, idem tamen ego, cur Barbatio literas uxoris remiſerit, non video. Malim de ſcholis Palatinis, omninoque aulicis intelligere, nocte ingruente domum reverſis. — *Arbetionem*, magiſtrum equitum. W.

5. *Ex Primicerio Protectorum Tribunus.*] Primicerius Protectorum is eſt, qui Princeps eſt in Schola Protectorum: cuius mentio fit in lege 9. Cod. Theod. de Domeſt. et Prot. Sic etiam

etiam inter Protectores Domeſticos erat quidam Primicerius, ut legitur in eodem titulo. Marcellinus noſter in lib. 25. c. 5. §. 4. *Iovianus eligitur Imperator, Domeſticorum ordinis primus.* Poſt Primicerium erat Secundicerius, et decem primi eiusdem Scholae: quorum mentio fit in utroque codice. Ceterum ex Primicerio Protectorum ad Tribunatum perveniri mos erat. Unde hic legimus Valentinum ex Primicerio Protectorum factum Tribunum. Id teſtatur Marcellinus in lib. 30. c. 7. §. 3. de Gratiano: *Poſt dignitatem Protectoris atque Tribuni, Comes praefuit rei Caſtrenſi per Africam.* Et Imp. in lege XI. Cod. eodem: *Primicerius*, inquit, *poſt acceptum Tribunatum inter eos dignitate potiatur, qui ducatum agere meruerunt.* Denique in Excerptis de geſtis Conſtantini ſic legitur: *Conſtantius D. Claudii opt. Principis nepos ex fratre, Protector primum, exin Tribunus, poſtea Praeſes Dalmatiarum fuit.* Ex quibus intelligendus eſt locus Marcellini noſtri in lib. 16. c. 10. extr. *Provectis ex conſortio noſtro ad regendos milites natu maioribus, adoleſcentes eum ſequi iubemur.* VALES.

6. *Sub Gallo*] v. XIV, 11. *Nobilioris militiae*, magiſterii peditum. *In Iulianum Caeſarem paria confingebat*, XVI, 11. W.

7. *Calliſthenem ſectatorem et propinquum ſuum.*] Ex Hero Ariſtotelis conſobrina natum. Plutarchus in Alexand. c. 55. LINDENBR.

Ad regem Alexandrum] quem in bellis comitabatur. W.

Ut quam rariſſime et iucunde apud hominem loqueretur.] * Val. Maxim. lib. 7. c. 2. *Ariſtoteles Calliſthenem auditorem ſuum ad Alexandrum dimittens, monuit ut cum eo aut rariſſime aut quamiucundiſſime loqueretur.** Amice ſic quidem Ariſtoteles Calliſthenem ſuum (cuius ἀκαιρόν τε παῤῥησίαν, καὶ ὑπέρογκον ἀβελτηρίαν norat) monuit, licet fruſtra. Nam et gravitas viri, et prompta in loquendo libertas, inviſa primo Regi, noviſſime mortis quoque Calliſtheni cauſa fuit. Arrianus ἀναβάσ. lib. IV. c. 2. Curtius lib. VIII. c. 8. LINDENBR.

Ut quamrariſſime et iucunde.] Valerius Max. in lib. 7. cap. 2. *Ariſtoteles*, ait, *Calliſthenem auditorem ſuum ad Alexandrum mittens monuit, ut cum eo aut quam rariſſime, aut quam iucundiſſime loqueretur: quo aut ſilentio tutior, aut ſermone eſſet acceptior.* Ex quo fonte Marcellinum noſtrum hauſiſſe perſpicuum eſt. * Graeci multo elegantius hoc apophthegma efferunt hoc modo: τοῖς τυράννοις ἐντυγχάνειν δεῖ ὡς ἥκιστα ἢ ὡς ἥδιστα: quod dictum Xenophani tribuit Laertius, et Suidas in ἥκιστα.* VALES.

Vitae poteſtatem et necis in acie linguae portantem.] Lib. XXIX. c. 1. §. 19. *Inſtitutum hominis, mortem in acie linguae portantis ad partem peſſimam depravantes.* LINDENBR.

* *Apud hominem, vitae poteſtatem et necis in acie linguae portantem.*] Eleganter in libro Proverbiorum c. 18. v. 21. ἐν χειρὶ γλώσσης ζωὴ καὶ θάνατος. *In acie linguae*, id eſt, in acumine linguae, in ora vel in extremo linguae. Sic in libro XXIX. c. 1. §. 19. de Valente Aug. *Inſtitutum hominis, mortem in acie linguae portantis.** VALES.

9. *Linquentes Orientem anſeres.*] Scripti cod. haec lectio eſt; veriſſima ſane. Non enim grues, ut hactenus hic editum fuit, ſed anſeres roſtra lapillis occludunt, cum Taurum montem prae-

Digitized by Google

tervolant. Plutarchus in libro de garrulit. et utra animalia prudent. Aelianus de Animal. lib. v. cap. 29. Phile cap. 15. *περὶ χήνός*, p. 52. ed. Pauw.

Λίθον δὲ τὸ στόμαθ' ἵνα μὴ κλάγξῃ στέγων,
Ὄνπερ καλοῦσι Ταῦρον, ἀμείβει πάγον.
Τοὺς αἰετοὺς γὰρ φασὶ τοὺς χηνοκόπους
Ἐκεῖσε δεινῶς ἐλλοχᾶν πρὸ ψύχεος. LINDENBR.

Ob calorem] ver appropinquans. — *montem Taurum penetrare*, usque ad eum pervenire, transvolare volentes. W.

CAPVT IV.

1. *Ferarum gentium quas placarat*] XVI, 9. XVII, 5. *adiumentis accinctus*, exercitui suo iunctis. W.

Consilia tart. manibus miscens.] Idem testatur vetus Epigramma inter Catalecta veterum Poetarum p. 184. ed. Scal.

Fata per humanas solitus praenoscere fibras
Impius infanda relligione Sapor:
Pectoris ingenui salientia viscera flammis
Imposuit: magico carmine rupit humum.
Ausus ab Elysiis Pompeium ducere campis, etc.

Quae ad Saporem nostrum pertinere persuasum equidem habeo. In his versibus notandus est ritus Persicae religionis, viscera comburere, quem et Strabo p. 732. Almelov. et Catullus Carm. 90. commemorarunt. VALES. Eustath. ad Iliad. 1. 460. *Τῶν δὲ ἱερείων οἱ μάγοι τὰ κρέα ἑλόμενοι τοῖς θεοῖς οὐδὲν ἀπένεμον, τοῦ δ' ἐπιπλου μικρόν τι ἐπὶ τὸ πῦρ ἐπιτιθέασι.* W.

Praestigiatores consulens.] In Editione Rom. perinde ut in Mss. Flor. legitur *praestionis*; [in Colbertino, *et praestionis omnes consulens:*] Castellus et Accursius *praescitionis* edere maluerunt. Sic Marcellinus in lib. 29. c. 1. *Litato conceptis carminibus numine praescitionum auctore.* In Regio autem exemplari scriptum reperi, *praestigiones consulens*, antepaenultima tamen syllaba duobus punctis subnotata. *In Tolos. scriptum est *praestigionis.** VALES. Ex tot documentis absurdum est dubitare, quin auctor scripserit *praesciones.* Praescius et praescio tunc dixerunt, ut in multis similiter. GRON.

**Prima verni temperie.*] Sic saepe loquitur Eginhardus in Annalibus. Vernum pro vere aetas illa dicebat, ut Petrus Chrysologus in principio Sermonis 12. et 40. Hist. Miscella in libro 6. *ineunte verno*, supple tempore.* [Ita et *hibernum* pro hieme dixerunt: Plinius et Iuvenalis saepe *matutino* dicunt pro mane.] VALES. Miror, si Henricus haec postrema adiecit, non deleviſſe voces priores, in quibus illam aetatem sic dicere statuebat. Sed nec Plinius aut Iuvenalis sunt primi, qui sic loquuntur. GRON.

2. *Comitatensis fabricae.*] Ita Mss. at vulg. *Comitensis fabr.* male. Vid. Notit. Imperii. LINDENBR.

Comitatensis fabrica.] Metaphora est, ut ex sequentibus patet. Intelligit enim delatores aulicos, qui in Comitatu Constantii potiorem locum obtinebant. Frustra igitur Lindenbrogius nos ad Notitiam Imperii reiecerat, quasi hic de Fabricensibus ageretur.

Digitized by Google

[Hoſce aulicos, calumniarum in Comitatu fabricatores perpetuos, vocat infra c. 5. Marcellinus *Palatinam cohortem.*] VALES.

Eamdem incudem diu noctuque tundendo.] Cf. Cic. de Orat. II, 39. Dolos procudere legitur ap. Plautum Pſeud. II. 2, 20. W.

Imperatori ſuſpicaci intendebat Urſicinum] Mire dictum, quod ita poſitum, fateor, non intelligo; intelligerem vero, ſi liceret legere *praetendebat* (ſpiegelte vor) quae vox aptius reſponderet *vultus Gorgonei torvitati*, capiti Meduſae. — *Quaſi penuria meliorum* quaſi non alii aeque periti duces adeſſent. — *Altius anhelabat*, ad maiora adſpiraret. W.

3. *Apud quem multa Conſtantius potuit.*] Urbane et figurate id dictum eſſe nemo non videt. Nimiam enim Euſebii eunuchi potentiam hoc ſcommate perſtringit Marcellinus. Simile eſt, quod memini legere apud Plutarchum, in tractatu *εἰ γέροντι πολιτευτέον*, Attalum Eumenis fratrem, egregium alioquin Regem, diuturnae pacis deſidia adeo infractum eſſe atque mollitum, ut Philopoemeni cuidam (cuius etiam meminit Pauſanias in Achaicis) regendum ſe ac circumducendum traderet. Quamobrem, ait, Romani ſubinde rogabant eos qui ex Aſia venerant, num Attalus apud Philopoemenem gratia valeret: *εἴ τι δύναται παρὰ τῷ Φιλοποίμενι βασιλεύς.* Porro de hac immoderata eunuchorum potentia ſub Conſtantio Libanius, in Apologia adverſus doctrinae ſuae obtrectatores (Reisk. III, p. 437.) ſic loquitur: *ἠγάπα δὲ καὶ περὶ αὐτὸν εἶχε, καὶ συμβούλους καὶ διδασκάλους ἐποιεῖτο ὀλέθρους τινὰς εὐνούχους, οἷς ἀφειστήκει τῶν τῆς βασιλείας ἔργων, αὐτὸς δὲ τοὔνομα παρεῖχε· καὶ ἡ μὲν ἐσθὴς ἐκείνου· ἡ δὲ ἐξουσία τούτων. Amabat porro, et circa ſe habebat, conſiliorumque participes et magiſtros ſumebat peſſimos eunuchos, quibus imperii ſummam tradiderat, ipſe nomine ſolo contentus. Ac veſtis quidem Imp. penes eum, vis penes illos erat.* Idem queritur Libanius paſſim: et Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios, pag. 834. et Mamertinus in gratiarum actione ad Iulianum. Sed de Euſebio ſpecialiter id dicit Libanius in Orat. funebri, pag. 298. *ὁ δ' ἄνευ τοῦ τὸν Κωνστάντιον δεδουλῶσθαι δοῦλος αὐτὸς ὤν.* *Quum eunuchos dico, Cubicularios Imp. dico.* VALES.

Domo ſua non cederet Antiochiae.] Cum tunc temporis Imperatores ob Parthici belli adſiduitatem Antiochiae diutius reſidere ſoliti eſſent, Urbis amoenitate capti; hinc factum eſt, ut omnes paene Imperatoribus proximi domos in ea civitate ſplendidiſſimus haberent. Neque quisquam paullo beatior erat, qui Antiochiae non aedificaret domum, aut emeret, ut teſtis eſt Libanius in Antiochico, pag. 371. (Reisk. I. p. 337.) *ἀλλ' οἵ γε τῆς περὶ τὸν βασιλέα γεγόνασιν ἑταιρείας, πανταχόθεν κάλλη λίθων ἀθροίσαντες, ἐγκατέμιξαν οἰκοδομημάτων κάλλη τῷ ἄστει.* Ex quibus intelligimus, cur eam Urſicini domum Euſebius tantopere concupiſceret. VALES. *Domo ſua non cederet* nollet eam vendere. W.

4. *Coluber copia virus*] (Genit. vix alibi obvius) veneni *exuberans.* W.

Emittebat cubicularios.] Has Euſebii artes commemorat etiam S. Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios: *κινεῖ καὶ τοὺς ἑτέρους σπάδοντας· πολλοὶ δέ, μᾶλλον δὲ τὸ ὅλον εἰσὶν εὐνοῦχοι παρὰ Κωνσταντίῳ, καὶ πάντα δύνανται παρ' αὐτῷ. Mouet etiam alios ſpadones.*

Multi autem, vel ut verius dicam, nulli alii circa Constantium sunt quam eunuchi, qui omnia apud illum possunt. VALES.

Cubicularios] spadones, in quos, uti alibi, v. Ind. I. v. Eunuchus, ita hic inprimis invehitur. *gracilitate vocis,* cf. Iustin. 1, 2. W.

5. *Receptissima inclaruit lege.*] Non tam amore virilitatis, quam odio fratris Titi Vespasiani, cui spadones in deliciis, hanc legem a Domitiano promulgatam Xiphilinus scribit LXVII, 2. Quo tamen nomine eximiam laudem meruit, cetera pessimus Princeps. Statius Papin. Silvar. lib. III. carm. 4. v. 620.

— — — *Nunc frangere sexum,*
Atque hominem mutilare nefas, gaviſaque ſolos
Quos genuit, natura videt.

Idem Silvar. lib. IV. Martial. lib. VI. Epigram. 2. Sueton. in Domitian. cap. 7. Philostratus in Vita Apollonii VI, 17. et ex eo Photius in Bibliotheca pag. 539. Δομετιανὸν φησι τὸν βασιλέα νομοθετῆσαι, εὐνούχους τε μὴ ποιεῖν, καὶ ἀμπέλους μὴ φυτεύειν. Hinc factum ne quis medicorum aliquem castraret absque Praesidis permissu. Iustinus Martyr p. 55. v. 43. Itaque quod bono publico a Domitiano sancitum, alii mox post Impp. Constitutionibus suis plenius confirmarunt; Nerva puta apud Xiphilinum, D. Hadrianus apud Ulpian. L. 4. §. 2. L. 5. ff. ad L. Cornel. de Sicar. D. Pius apud Modestin. L. 11. ff. eod. Constantinus L. 1. C. de Eunuch. Iustinianus Novell. 142. Leo Sophus Novel. 60. Zonaras in Canones Apostolor. 24. 21. 22. 23. LINDENBR.

[*Quis eorum ferret examina, quorum paucitas difficile toleratur?*] In Codice Colbertino lego, *quorum paritas diff. tol.* Legendum omnino est: *Quorum parvitas difficile toleratur?* Parvitas, id est paucitas, raritas. Nam Latini nonnumquam *parvos* et *exiguos* pro paucis; item Graeci μικροὺς pro ὀλίγους dixere. Gregorio Turonico Episcopo Mf. in lib. VIII. capite XXX. *parvi contumaces* sunt ac vocantur pauci contumaces; et in lib. 4. cap. 30. contra *magni viri ex Arvernis* sunt multi viri. Apud Iulianum Toletanum in Wamba: *Parvissimi evasimus gladium: sed pro parvis veniam deprecamur.* Vide quae notavi in Carmen Adalberonis pag. 312.] VALES. *Paucitas.* Sic ante Vales. coniecerat Boxhornius. v. Gronov. Praef. p. XXXI. W.

6. *Ne, ut fingebat* sc. Eusebius *rursus* uti XV, 2. *accitus Ursicinus* sed *cum fors copiam* occasionem obtulisset, cf. Horat. Serm. 1, 2. W.

7. *Nobis*] Ursicino, eiusque comitibus. *Samosatam Commageni regni* (Syriae) *clarissimam* sedem, (hodie *Schemisat*). W.

Et consertis.] In Regio codice et Tolosano, [ac Colbertino,] et in Editione Rom. legitur *concertis.* Unde suspicor ita Marcellinum scripsisse: *Rumoribus densis audiuntur et certis.* Sic enim loqui solet, exempli gratia hoc capite paulo ante *primo rumores, dein nuntii certi.* VALES. An legendum *consertis?* ERF.

CAPVT V.

1. *Intustitia frangi.*] ad paupertatem redigi — *qui spectabant negotium* iudicibus *inclinatis* magis propensis *ad deferen-*

dam potioribus gratiam ut ſecundum potentiores pronuntiarent. — *Ne contra acumina calcitraret* (πρὸς κέντρα λακτίζειν). W.

Confeſſusque debitum, per colludia in nomen fiſci transl.] Hunc locum ſic intelligo. Cum Antoninus urgenti creditori debere ſe confeſſus eſſet metu iudicis, qui in creditoris gratiam erat propenſior: debitum illud in nomen fiſci translatum eſt, et Largitionum Comiti cognitio attributa, qui fiſcalia debita per Palatinos exigebat. Eamdem fraudem refert Symmachus in lib. v. ep. 61. *Piget dicere, quibus technis Apparitio Itali graſſetur aerarii: fertur ſub publici debiti ſpecie privatorum nominum falſa recitari. Invalidos quippe ſtatim vincit impreſſio: validiores autem cum munimenta pro ſe iuris adſciverint, criminoſis verborum interpretationibus implicantur, ut ad damni patientiam ſeſe invidiae timore ſubmittant.* Creditor itaque ius ſuum et actionem fiſco donaverat per conludium, ea fortaſſe conditione, ut Iudex dimidiam debiti partem acciperet: quod vetitum eſt reſcripto Gordiani in lege 2. Cod. ne fiſcus vel reſp. *Cum allegas partem rerum vel actionum dimidiam fiſco, qui magis eius viribus protegaris, velle te donare; huiusmodi litium donationem admitti temporum meorum diſciplina non patitur.* et lege x. Codicis Theodoſiani de Palatinis. Huiusmodi fraudes damnat Theodericus Rex in Edicto ſuo capite 122. Hinc explicare ſoleo locum Gregorii in Carmine adverſus divites pag. 238. VALES.

Rimabatur Reip. membra totius] diligenter inquirebat in provinciarum, praeſertim in re militari ſtatum atque conditionem. W.

Qui vel quarum virium milites.] Utile ſtudium et laudandum, ſi quis pro Republica utatur. Neque enim ſuas vires recte quis aeſtimare poteſt, niſi qui alienas cognitas habet: ut exemplo ſcire datur Pori, qui neminem ſe fortiorem cenſebat, antequam Alexandri virtutem expertus eſſet. Curtius lib. VIII. LINDENBR.

Procinctus tempore quos tuerentur] ubi tempore belli in praeſidiis eſſent. W.

2. *Virorum ſtipenditque*] ἓν διὰ δυοῖν pro militum qui ſtipendia perciperent. *Die adlapſuro*, appropinquante, imminente, XXII, 7, 1. — *Omni vinculo caritatum* cf. XXIV, 1. omnibus, qui ſibi cari eſſent. Eodem ſignificatu illius aetatis ſcriptores utuntur voce *affectus*. v. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. p. 386. et 457. Propertius I, 15, 16. *vincula ſanguinis*. W.

3. *Stationarios milites*] ſc. Romanos. — *Hiaſpis* regio ad Tigridem fluv. in Syria ſita. — *Cum nullus iam poſſeſſorem cum plurimis auderet exigere cauſam veniendi.* Sic ordines verba, itaque mecum intelligas: cum nemini in mentem veniret hominem, qui fundum ibi, familiamque amplam haberet, compellare, quod ad extremos Romanorum fines perveniret. — *Tamſapore* v. ſupra XVI, 9. *antea cognitus* ab Antonino — *cum omni penatium dulcedine*, quicquid domi haberet carum, vel hominum, vel ſupellectilium. W.

Zopyri illius ſimilis Babylonii.] Herodotus in fine lib. III. Ariſtides Orat. κατὰ τῶν ἐξορχουμένων, Polyaenus lib. 7. p. 494. Iuſtinus Hiſtor. lib. I. c. 10. Sex. Iul. Frontinus Strateg. lib. III. cap. 3. Greg. Nazianz. contra Iulian. LINDENBR.

Zopyri illius ſimilis.] Melius Demarati ſimilem dixiſſet. Certe Libanius in Oratione Conſulari ad Iulianum, (Reisk. I. p. 393.)

hunc Antoninum Demarari nomine appellat: *ὁ δὲ κακῶς ἀπαλλάσσεσθαι δημάρατος ὁ τὰ παρ' ἡμῖν ἐπαινῶν πρὸς ἐκεῖνον ἀγαθὰ, καὶ τοῦ χείμωνος φάσκων αὐτῷ πορεύσειν ὥσπερ ἐν κύρτῳ τὰς πόλεις*, etc. Nota historia Demarati Spartani, qui ad Persarum Regem transfugit, ex Herodoto. VALES.

Re contraria, specie Zopyri illius similis.] Hoc vult Ammianus, Antoninum idem quidem posse videri fecisse, quod olim Zopyrus, longe tamen aliam rationem fuisse, cum Zopyrus urbis hostilis, ille patriae proditor extiterit. W.

4. *Palinodiam.*] Pro veteri cantione posuit, non pro contrasia, ut sumi solet. VALES.

Ferit et acidi] immites, lenioris sensus expertes. W.

5. *Vietus quidam senex.*] Terentius in Eunucho actu 4. scena 4.

Hic est vetus, vietus, veternosus senex, Colore mustelino.
VALES.

Per obscuritatem] quem, quum inferiores militiae gradus non transiisset, milites ne a facie quidem nossent. W.

6. *In castris Constantii.*] Id est, in Comitatu: quo etiam sensu in lib. 14. c. 5. dictum est: *Paullus cruore perfusus, reversusque ad Principis castra.* et in lib. 26. cap. 7. *E civitate occulte digressi, Imperatoris castra petivere itineribus festinatis.* Graeci quoque Comitatum Principis vocare solent στρατόπεδον, ut Athanasius in Ep. ad Solitarios, Synesius, et Iulianus in Epistolis, aliique passim. Eius autem appellationis ratio est non obscura, eo quod Impp. semper circa se numeros militum Praesentales cum Scholis habebant. VALES.

Quasi per lustra aguntur et scenam.] Cur quasi per scenam haec acta dicantur, satis intelligere videor. Nam Sabiniano prorsus quasi scenicae personae insignia Magisterii delata sunt, et Ursicinus iisdem exutus. Simili figura Iosephus in lib. 4. de bello Iudaico, de Phania quodam homine vilissimo, cui summum sacerdotium mandaverant Iudaei, dicit: *ἀπὸ γοῦν τῆς χώρας αὐτὸν ἄκοντα σύραντες, ὥσπερ ἐπὶ σκηνῆς ἀλλοτρίῳ κατεκόσμουν προσωπείῳ.* Lustra autem pro ganeis forte sumit. VALES. Ernesti in Glossario de *lustris* plane securus *scenam* ex eo interpretatur, quod de muneribus (dignitatibus) datis ademtis, quae sunt personae, antea sermo fuerit. Idem sine dubio in mente habuit, quod Valesius, sed dixit obscurius. Ego vero malim: aulicos spadones eadem levitate in hoc negotio versatos esse, qua modimperatores in compotationibus vel rei scenicae moderatores, qui modo huic modo illi histrioni partes adsignant. W.

Diribitores.] Diribitores sunt qui populo ad ferenda suffragia tabulas diribebant, et suffragiorum puncta numerabant, ut indicat Varro in lib. 3. de re rustica, cap. 4. *Axius mihi, dum diribentur, inquit, suffragia, vis potius ut villae publicae utamur umbra, quam privati candidati tabella dimidiata aedificemus nobis?* Quem Varronis locum sane illustrem acumen Ios. Scaligeri non intellexit. Est autem hic eius loci sensus. Vis, ut villae publicae (ea erat in campo Martio ubi comitia habebantur) umbra utamur potius, quam tabella dimidiata, in qua candidati nomen erat inscriptum, ad solem opposita umbram nobis aedificemus? Sciendum est Varroni ac ceteris qui ad comitia venerant, datam

Digitized by Google

esse tabellam ex more, in qua omnium candidatorum nomina erant inscripta. Cum igitur eam tabellam conscidissent Axius et Varro, et dimidiatam quidem, in qua scriptum erat candidati eius cui favebant nomen, in cistam coniecissent, reliqua tabellae parte umbram sibi facere poterant. Sed ut ad diribitores nostros redeamus, solebant candidati eorum gratiam emercari, ut docet Ausonius in Gratiarum actione (p. 529. Floridi.): *Vocatis classibus non intromui, nihil cum sequestre depositi, cum diribitore nil pepigi.* Quamquam et Ausonius, et Marcellinus noster hoc in loco diribitores vocasse videntur, quos divisores potius dicere debuerant cum Marco et Quinto Cicerone. Ii erant qui pecunia inter tribules divisa suffragia emebant candidatis. VALES.

Aventer] cupide. cf. XIX, 9. XXIX, 2. W.

Apicis nobilitatis auctoritate.] Cap. 8. de eodem hoc Antonino: *Sublata tiara, quam capite summo ferebat honoris insigne.* LINDENBR.

Quo honore mensae regales participantur] participes fiunt, quibus conceditur convivis esse regis, et quod tiarae gestandae ius *ora meritorum pandit* ad sententias dicendas in Senatu et concionibus, W.

Non contis, nec remulco.] Contus est pertica longa, qua nautae ad promovenda ac regenda navigia utuntur, ut apud Virgilium in 6. Philo in legatione ad Caium, ὕλῃ χρώμενοι, πηδαλίοις, οἴαξι, κοντοῖς. Unde in lege 29. ad legem Aquiliam ubi dicitur: *Parum refert, utrum servaculum ad navem ducendo, an tua manu damnum dederis;* in Basilicis habetur, ὥσπερ ἢ χειρὶ ἢ κοντῷ ζημιώσας, ut testatur Cuiacius in lib. 5. Observ. Servaculum igitur est contus. Remulco autem agi dicitur navis, cum scaphae ducitur fune: quod et promulco agi dicebant veteres, teste Festo. Graeci ῥυμουλκεῖν dicunt, ut videre est apud Suidam in v. ῥῦμα. Quare errant Festus et Isidorus, qui remulcum derivant a remo: cum Graecae originis id vocabulum sit. In Codice Regio et Vat. et Fauch. scribitur *ramulco*, [in Colbertino *ramulo*]. Unde suspicor a Marcellino scriptum fuisse *rymulco*. Sic Grambates pro Grymbate, et Rhandacus pro Rhyndaco in iisdem MSS. legebatur. [Petrus Pithoeus in veteri codice, Valentino ut puto, *ramulo* quoque legi ait, additque *remula* verbo uti Caesarem in libris 2. et 3. de bello civili, et Hirtium in Alexandrino, Solipatrumque in libro 1. ex Hygino proferre haec verba: *Uti solent itineris minuendi causa remulco, quem Graeci πάκτωνα dicunt, navem traducere.* Vide Festum et Nonium in *remulcare.*] VALES.

Rymulci funes, quibus naves trahuntur. Vox ipsa forma Graecam prodit originem. vide Suidam v. ῥῦμα. Verbum ῥυμουλκεῖν est ap. Diodor. Sic. XX, 74. cf. Festum v. Remulcus, et qui optime de hac voce egit Gesnerum in Thesauro v. Remulcus. W.

Id est, non flex. ambagib. et obscuris.] Haec omnia una delenda sunt litura: sunt enim procul dubio scholia, ad explicationem praecedentis metaphorae adnotata. VALES. Et inepta quidem scholia. Sensus enim metaphorae hic est: non lentis usus est parumque efficacibus consiliis, ad prodendam nempe rempublicam, imo properavit cum impetu nec sine successu. W.

Ut Maharbal.] Sumpsit id ex T. Livii lib. 22. c. 51. VALES.

Digitized by Google

Maharbal lentitudinis increpans Hannibalem.] *Livius lib. XXII. c. 51. *Non omnia nimirum eidem Dii dederunt. Vincere scis Hannibal, victoria uti nescis.* Itaque in laude Valentis Imp. ponit Themistius, quod νικᾶν καὶ νίκῃ χρῆσθαι sciret. Orat. 6. p. 70. in 40.* Luc. Florus lib. II. cap. 6. LINDENBR.

7. *Auditorum nactus vigiles* attentos *sensus* et *aurium delenimenta captantes.* — Totus locus Ernestio ad Ciceronem Bruto c. 70. videtur adumbratus. W.

Secundum Homericos Phaeacas.] Odyss. 13, 1. LINDENBR.

Apud Hileiam et Singaram, ubi nocturna.] Eleiam vocare videtur Rufus Festus in Breviario: sic enim dicit c. 27. *Nocturna vero Eleiensi prope Singaram pugna, ubi praesens Constantius adfuit, etc.* Quamquam in Mf. Regio optimae notae quem vidi, deerat vox *Eleiensi.* Huius nocturni proelii historiam describit Libanius in Orat. quae βασιλικὸς inscribitur, et Iulianus in Orat. I. ad Constantium (p. 23—26. Spanhem.): quorum uterque filium Saporis Regis Persarum eo in proelio occubuisse testatur. Meminit et Marcellinus in fine libri. Adeo autem ambiguus eius pugnae eventus fuit, ut tam Persae quam Romani se pro victoribus ferrent: quod declarat praeter citatos Auctores Eutropius X, 10. ac Rufus Festus c. 27. Contigit ea pugna anno Domini 348. Philippo et Salia Coss. ut ponit Idatius in Fastis. Hieronymus in Chronico, anno insequente id retulit. Sed refellere videtur utrumque Iulianus in Orat. I. cit. Postquam enim Singarenam illam pugnam est exsecutus, ad Magnentianum bellum sic transilit. ἦν μὲν γὰρ ὁ χειμὼν ἐπ' ἐξόδοις ἤδη, ἕκτον που μάλιστα μετὰ τὸν πόλεμον ἔτος οὗ πρόσθεν ἐμνήσθην. Sed sine dubio legendum est τρίτον. VALES. De quo tamen vide Harduinum ad orationem I. Themistii. GRON.

Singara. De hac urbe vid. copiose agentem Spanh. ad Iuliani Opp. p. 170. sqq. Hodie Sinjan, Tzschuck. ad Eutrop. X, 10. De ipsa pugna quae accidit A. C. 345. (v. Pagi ad hunc annum) si plura cupis, adi Gibbonum T. IV. p. 214-216. W.

Quasi dirimente quodam medio fetiali.] Feciales, uti omnino belli pacisque apud Romanos arbitri erant, ita etiam aliquando adhibiti, ut acie iam utrimque instructa in medium procederent, aequasque pacis conditiones proponerent. Hoc igitur vult Ammianus, Saporem virtibus victoriaque uti nesciviſſe, sed quasi intercedentis Fecialis, sancti illius et inviolabilis, auctoritate motum atque deterritum Edessam nondum cepisse neque Euphratem traiecisse; *quem tamen dilatare decuerat rem* qui fines debuisset proferre. W.

8. *Inter epulas sobrius perfuga, ubi de apparatu bellorum.*] De hoc Persarum ritu Herodotus lib. I, 133. Μεθυσκόμενοι εἰώθασι βουλεύεσθαι τὰ σπουδαιότατα τῶν πραγμάτων. Τὸ δ' ἂν ἄδῃ σφι βουλευομένοισι, τοῦτο τῇ ὑστεραίῃ νήφουσι προτίθεῖ ὁ στέγαρχος, ἐν τοῦ ἂν ἐόντες βουλεύωνται· καὶ ἢν μὲν ἄδῃ καὶ νήφουσι, χρέωνται αὐτέῳ· ἢν δὲ μὴ ἄδῃ, μετιεῖσι· τὰ δ' ἂν νήφοντες προβουλεύσωνται, μεθυσκόμενοι ἐπιδιαγινώσκουσι. Quem locum laudant Athenaeus lib. 4. c. 5. et Scholiast. Aristoph. in Equitib. ad illum versum, Οἴνου γὰρ εὕροις ἄν τι πραχτικώτερον. Vid. Strabon. lib. XV. pag. 505. LINDENBR.

Graiorum more veterum.] Plutarch. Sympos. lib. VII. Athen. lib. IV. cap. V. Idemque mos apud Germanos olim obtinuit. Ta-

citus de Moribus German. c. 22. *De reconciliandis invicem inimicis, et iungendis affinitatibus, et adſciſcendis Principibus, de pace denique ac bello plerumque in cōnvīviis conſultant: tamquam nullo magis tempore aut ad ſimplices cogitationes pateat animus, aut ad magnas incaleſcat.* LINDENBR.

CAPVT VI.

1. *Neceſſitatum articulo.*] Cf. XVIII, 2, 5. XXIII, 3, 5. *Etiāmſi apud Thulen moraretur*, proverbial. etiamſi in extremis terrae habitabilis finibus verſaretur. W.

2. *Ordines* magiſtratus, Senatores. — *Decretis* et *acclamationibus*, illud ad magiſtratus, hoc ad populos referendum. — *Iniecta manu*, vi quaſi retentum. — Milite *umbratili* deſide, in praeſidiis latente. Sic anteſignanus umbratilis XXVI, 8, 5. Cf. etiam XVII, 11, 1. W.

3. *Famam credimus per aërios tramites praepetem volitare.*] Admodum poëtice per aëra incedit ipſe hiſtoricus. — *Conſiliorum ſumma* cf. XIX, 2, 1. *proponebatur* in conſiſtorium Regis convocatis ducibus — *novello*, deminutive ad contemtum, cf. c. 9. *Perrumperetur Euphrates* vi aliqua celeriter traiiceretur. *Prorſus iretur.* Aliis locis *protinus* ire. cf. XIX, 6. W.

Niſi temporibus Gallieni intactae.] Ruf. Feſtus hiſtoriam narrat c. 23. *Sub Gallieno Meſopotamiam invaſerant, et iam Syriam ſibi Perſae coeperant vindicare, niſi, quod turpe dictu eſt, Odenatus Decurio Palmyrenus,* (coniux Zenobiae reginae, W.) *collecta Syrorum agreſtium manu, acriter reſtitiſſet. Is fuſis aliquotiens Perſis non modo noſtrum limitem defendit, ſed etiam ad Cteſiphontem Romani ultor Imperii, quod mirum dictu eſt, penetravit.* LINDENBR.

4. *Perpetua hieme*] per totam hiemem. W.

5. *Hebrum* flumen Thraciae (Mariza). *Omni cauſatione poſthabita* (absque ulla cauſatione XXIX, 6.) tergiverſatione, excuſatione — *Sine apparitione*, apparitoribus, comitatu — *nullam expeditionem curaturi periculoſam*, ita tamen, ut nihil grave ſuſciperemus, quum ſumma belli Sabiniano demandata ſit. W.

6. *Formatores imperii*] irriſorie, rempubl. tamquam farinae maſſam depſentes — *Perſae fruſtra habiti* ſpe eluſa — *Fortuna ſequior* adverſa. Sic ſequius geſta XXVII, 8. W.

7. *Parvi anguſtique animi*] cf. ad XIV, 5. W.

8. *Oſcitante homunculo*] Ad vivum pingit, ſed acerbo ioco, hominis et animum et corpus. — *Niſibin* (hod. Niſibin l. Niſſabin, Mannert Perſia p. 295.) Meſopotamiae urbem, traditam Perſis ſub Iovīano. v. Ind. 1. W.

**Civitati ſuperuenirent incautae.*] Verbum rei militaris eſt *ſuperuenire*, et *ſuperuentus*, quo Vegetius ſaepe utitur: Petrus etiam Chryſologus non inelegans ſcriptor, in Sermone 12. *Nec in procinctu fidei conſtitutos praeuenire poterit inimica ſubverſio: neque cautos, vigilantes, ſobrios diabolus perturbare ſuis ſuperuentionibus praeualebit.* Et in Sermone 24. *In caſtris*

miles ſuperuenientes nocturnos impetus cauta pernoctatione propellit. VALES.

Superuenirent.] Vox illi aetati ſollemnis, alias opprimerent. cf. XIX, 6, 7. W.

9. *Caſtra Maurorum.*] Iterum occurrunt XXV, 7. ultra Niſibin orientem ſeptentrionemque verſus ſita, haud procul a caſtello *Siſura*. Geographis Arabum *Kaphartuta*, quod cum ſignificet *pagum mororum* (Maulbeerort) Ammianea lectio videri poſſit depravata eſſe. Mannert Perſia p. 308. W.

10. *Puerum torquatum.*] Qui torquem geſtabat. Apud barbaros enim et Syros torques ſignum erat ingenuitatis, ut olim apud Romanos bulla. *Chryſoſtomus in praefatione in Epiſtolam ad Philippenſes hanc bullam puerorum Rom. vocat κόσμον χρυσοῦν, τῆς εὐγενείας δεῖγμα, necnon μανιάκην, id eſt torquem, et toto pueritiae tempore geſtatam eſſe ſcribit, quousque primos pubertatis annos attigiſſent. Idem in Homilia, quomodo educandi ſint a parentibus liberi, pag. 24. eius meminit.* VALES.

Impeditior] cura ſarcinarum et familiae reliquae. W.

11. *Intra ſemiclauſam poſticam*] averſa parte moenium. vid. Valeſ. ad XXI, 22. et Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 675. — *Nec multum fuit* parum abfuit. W.

12. *Quisnam provectus ſit iudex*] h. l. ſummus dux exercitus, ut XXVII, 5. nam Ammianus de omnibus uſurpat, qui imperium habent quodcunque. *Montem Izalam*, cuius et meminit Theophylactus Simocatta I, 13. vid. Valeſius ad §. 16. — *In unum quaeſiti* convocati. W.

13. *Apud Amidam.*] Editio Rom. habet *Amudum*, quam ſecuti ſunt Accurſius ac Gelenius. Amida quidem civitas hic locum habere non poteſt, cum de munimento eoque infirmo Marcellinus ſe loqui teſtetur. Codex Regius, Flor. [ac Colbert.] ſcriptum habent *Amudim:* quae procul dubio vera ſcriptura eſt. Sic enim Procopius in lib. 2. Perſic. pag. 85. appellat. Ubi Georgius Beliſarii Aſſeſſor legatum Regis Perſarum, cum maxima multitudine Daras ingredi cupientem monet, ut ceteros quidem in loco Amudi relinquat, ipſe cum paucis Daras ingrediatur. χρῆν γὰρ τοὺς μὲν ἄλλους ἅπαντας ἐν χωρίῳ Ἀμούδιος καταλιπεῖν. Aberat hic locus ab opido Daras XX. ſtadiis, ac Perſarum ditionis erat aetate Procopii, teſte ipſo Procopio in lib. I. Perſ. ubi Ἀμμώδιος χωρίον bis ſcribitur male. In 2. autem libro περὶ κτισμάτων, exaratum eſt Ἀμμώδους χωρίον. At Theophylactus Simocatta in lib. 5. Hiſt. cap. 8. τὸ Ἀμμώδιον vocat, et XIV. dumtaxat ſtadiis abeſſe ab urbe Daras affirmat. VALES.

Amudim.] Huius munimenti mentionem facere videtur etiam Geographus Ravennas. v. Theoph. Siegfr. Baieri Opuſcula p. 545. — *Diſperſis per pabulum equis.* Erneſtius *per* h. l. idem eſſe putans quod *propter*, conf. iubet Drakenborch. ad Liv. V, 2. W.

Summitatibus ſagi contortis elatius.] Id ſollemne ſignum ait fuiſſe Marcellinus, cum hoſtem appropinquare ſuis ſignificare vellent. Eodem quoque modo apud Procopium in lib. 3. Goth. pag. 278. εἴς τε τὰς ἐπάλξεις ἀνέβαινον ἅπαντες, καὶ τὰ ἱμάτια σείοντες τοῖς ἐν ταῖς ναυσὶ σημαίνειν ἐβούλοντο μὴ πρόσω ἰέναι. *Omnes in murorum propugnacula adſcendentes, motis veſtibus*

Digitized by Google

significabant vectoribus, ne ulterius progrederentur. Et apud Marcellinum noſtrum in lib. 25. cap. 6. *Efficacis audaciae ſignum elatis manibus contortisque ſagulis oſtendebant.* VALES. Ad morem chlamydis extremitatibus contortis et elevatis hoſtium adventum e longinquo monſtrandi alluſiſſe etiam Virgilium Aen. VIII, 712. *tota* veſte vocantem (Nilum) Caeruleum in gremium — victos, ideoque pro *tota* legendum *torta* perſuaſerat ſibi olim Hadr. Valeſius, vide Valeſiana p. 176. Sed nihil mutant recentiores Maronis editores. Ceterum conferri etiam poteſt Veget. III, 5. *mota qua utitur veſte*, ut legendum eſſe poſt Stewechium docuit Beſſel. Miſc. p. 191. W.

14. *Si occupaſſet arctior caſus*] ſi nimis premeremur ab hoſtibus. W.

16. *Meiacarire nomine.*] Eodem itinere Cardarigan Dux Perſarum apud Theophylactum Simocattam in lib. 1. cap. 13. per caſtrum Meiacarire Izalam montem petit: *διὰ τῶν ὀχυρωμάτων τοῦ Μαιαχαρίρι.* Maiocariri dicitur in Notitia Imperii Rom. et ſub diſpoſitione Ducis Meſopotamiae collocatur. Addit Marcellinus, *cui fontes dedere vocabulum gelidi:* quod veriſſimum eſt. *Maia* enim ſeu *Maio* aquam ſignificat; *carire* frigidum lingua Syrorum: unde et Emmaus dicta. Hegeſippus in lib. 4. *Ammaunta*, inquit, *repetit, quae de aquis calidis vocabulum ſumpſit: quid aquarum vapor Syro ſermone Ammaus appellari fertur.* VALES.

Locutus varia] ita, ut ſibi non conſtaret. — *Tamſapore et Nohodare Optimatibus* ducibus. XVII, 12. W.

17. *Amidam* (Diarbekir, Turcis Kara Amid) de qua plura paullo poſt Ammianus c. 9. cet. vid. Gibbon. T. IV. p. 313. et Mannert p. 247. ſſ. — *Poſtea ſecutis cladibus inclytam* XIX, 1-8. W.

In vaginae internis figuris notarum membranam reperimus ſcriptam.] Iul. Frontinus Strateg. lib. III. cap. 13. de emittendo vel recipiendo nuntio: *Nonnulli interiora vaginarum inſcripſerunt.* Vid. quae notat Porta Neapol. de furtivis litterarum notis, lib. II. c. 21. *Vide Aeneam de Re Milit. quem Caſaub. cum Polybio edidit p. 81.* LINDENBR. Plura invenimus apud veteres commenta callida, quibus abſentes de rebus ſcitu neceſſariis certiores facere ſolerent. Ut enim mittam epiſtolas ſagittis alligatas, in obſeſſas urbes miſſas, vel ſchedulas columbarum collis appenſas, quis non meminerit epiſtolae lepori exenterato inſertae Iuſtin. 1, 5. Scytalaeque Laconicae ap. Nepotem et Gellium XVII, 9. — Sed plane novum et ſingulare, quod hic excogitatum narrat Ammianus a *Procopio*, quem ad Perſas cum *Lucilliano* legatum antea dixerat c. 6. Qui, ne *captis baiulis*, interceptis nuntiis, ab hoſtibus *ſcriptorum ſenſu intellecto, materia excitaretur funeſtiſſima*, ne crudelem ab ſeſe ultionem ſumerent Perſae (*materia* pro facinore eſt etiam XXX. 1. ab init.) *conſulta obſcurius* ita ſcripſerat, ut pro veris hominum et locorum nominibus alia poneret: *Amandatis Graecorum* (Romanorum) legatis *Rex longaevus* (Sapor, longaevus non tam vitae, quam imperii annis, nam ſimulac natus eſt, rex coronatus eſſe dicitur) non contentus *Hellesponto* (finibus) *iunctis Granico et Ryndaco* (Anzabae et Tigridis) *pontibus Aſiam* (Romanas provincias) *pervaſurus ad-*

veniet, Incenſore Hadriani quondam ſucceſſore (Antonino proditore c. 5.) W.

18. *Rex longaevus.*] Sic etiam in fine libri 27. Sapor longaevus dicitur. Agathias in lib. 4. ſcribit, Saporem, ſimul atque in lucem editus eſt, Regem eſſe coronatum, et ad LXX. annum vitam ſimul cum imperio perduxiſſe: eumdem anno imperii ſui XXIV. ex foedere cum Romanis inito Niſibin accepiſſe: quod ſi ita eſt, regnare ſimul ac vivere coepit Sapor Acindyno et Proculo Coſſ. anno Domini 340. et hoc anno, qui erat Euſebio et Hypatio Coſſ. annum dumtaxat XX. attigerat. Quomodo igitur longaevus dicitur hic a Marcellino? Annon haec ſatis evincunt, in Agathiae codicibus numeros eſſe corruptos? Accedit, quod in Singarena pugna (de qua ſupra dixi) Saporis filius, qui in ſpem imperii alebatur, occiſus eſt, ut Libanius Iulianusque prodiderunt. Quo argumento conficitur, Saporem triginta ut minimum annis ante eam pugnam regnare coepiſſe. Libanius in Orat. quae *βασιλικὸς* inſcribitur, Saporem 40. ante Conſtantini M. obitum annis regnum tenuiſſe ſignificat, his verbis: *ἀκούων δὲ τοὺς προγόνους ἑαυτοῦ καὶ Ξέρξην ἔτεσι δέκα τὴν κατὰ τῶν ἑλλήνων μετρῆσαι παρασκευήν, αὐτὸς εἰς τέτταρας ἐτῶν δεκάδας ἐκτεῖναι τὸν χρόνον ἠξίωσε.* Scaliger in lib. 3. Iſagogic. Canonum Saporem anno Chriſti 309. regnum iniiſſe ſcribit. At Theophanes anno XIX. Diocletiani initia regni Saporis ponit, qui erat annus Chriſti 303. Sed ex Agathiae rationibus initium Saporis in annum 312. cadere debet. VALES.

20. *Satrapa Corduenae.*] Haec regio cum aliis IV. Transtigritanis poſtea Perſis dedita dicitur a Ioviano Aug. in lib. 25. c. 8. Quare partem eius Romanis, partem Perſis paruiſſe tunc oportet, cum Marcellinus in Corduenam miſſus eſt. Neſcio autem quo caſu factum eſt, ut in Editione noſtra *Gorduenae* excuderetur. Neque enim ita correxeram. Eſt quidem Corduene, ut exiſtimo, eadem quae Gorduene dicitur a Plinio, et a Ptolemaeo, et Appiano in Mithridatico. Strabo et Stephanus *γορδυαίαν* vocant, a Gordye Triptolemi filio nominatam. Sed apud Strabonem in lib. 1. initio *γορτυναίων ὄρη* ſcribitur corrupte. Hi ſunt montes, quorum hic meminit Marcellinus. VALES.

Corduena (etiamnunc Kurden) *Iovinianus.* Sub Galerio Imperatore Maximinianus Caeſar hanc montanam regionem Perſis eripuerat, nec tamen, uti ex hoc noſtro loco apparet, omnes Perſarum Satrapas eiecerat. Mannertus p. 225. — *Obſidatus ſorte*, obſes, pro quo obſidatus pignore XVI, 12. W.

22. *Veſtis claritudine* purpureae gemmisque diſtinctae. W.

Quem iuxta laevus incedebat.] Apud Perſas honoratior locus exiſtimatur medius, in quo Rex conſiſtere ſolet, teſte Plutarcho in lib. 1. Sympoſ. cap. 3. poſt hunc honoratior habebatur ſiniſter; tertius dexter; poſt hunc rurſus ſiniſter, ac deinde dexter; ac ſic deinceps, ut docet Xenophon in lib. 8. de Inſtitutione Cyri. VALES.

Grumbatis rex Chionitarum] quibuscum nuper pacem pepigerat Sapor c. 4. W.

23. *Doriſcum Thraciae oppid.*] Ubi Xerxes exercitum luſtravit. Herodot. lib. VII. c. 60. *ἐξηριθμήθησαν δὲ τόνδε τὸν τρόπον. συνηγάγοντο ἐς ἕνα χῶρον μυριάδα ἀνδρῶπων, καὶ συνάψαντες ταύτην*

Digitized by Google

ὡς μάλιστα εἶχον, περιέγραψαν ἔσωθεν κύκλον. Περιγράψαντες δὲ, καὶ ἀπέντες τοὺς μυρίους, αἱμασιὴν περιέβαλον κατὰ τὸν κύκλον ὕψος ἀνήκουσαν ἀφῆ ἐς τὸν ὀμφαλόν. Atque id eſt, quod Ammian. dicit, *agminatim intra conſaepta exercitus recenſitos.* LINDENER.

CAPVT VII.

1. *Nineve, Adiabenae ingens civitas.*] Hanc urbem, Ninum olim a conditore ſic dictam, Strabo, fereque omnes priſci ſcriptores ut plane everſam commemorant, Tacitus contra Annal. XII, 13. Ptolemaeus et Ammianus (cf. XIV, 8. XXIII, 6.) eandem ſua adhuc aetate ſuperfuiſſe credidere. Ex quo *ingentem*, uti Noſter appellat, *civitatem* in illo tractu, Adiabenae nempe caput vere extitiſſe, (ſed a priſca Ninive plane diverſam et a rege quodam Adiabeno conditam) dubitari non poteſt, eamque ibi ſine dubio ſitam, ubi Niebuhrius locum deſertum *Rimruk* magnasque lapidum moles, rudera pontis, in Tigride ponit. Praeterea Ninive priſca ſi intelligenda eſſet, *Anzaba* fluvius (hodie Zab) idem, qui *Adiabas* XXIII, 6, 21. magis ad meridiem decurrens, prius transeundus fuiſſet a Sapore, quam in illam urbem perveniſſet, cum tamen Ammianus inverſo ordine primum urbem, deinde pontem ponat. Ex his omnibus intelligitur, Ammianum cum Tacito et Ptolemaeo in eo erraſſe, quod primariam Adiabenes urbem cum Nino vel Ninive antiqua confuderint, in errorem deducti eo, quod Adiabenen eandem eſſe, quae olim Aſſyria, huius vero caput fuiſſe Niniven audiviſſent. Haec eſt in breve contracta Mannerti ſententia in Perſia p. 440. ſſ. W.

Pontis Anzabae] „id eſt, *pontis ad Zabam. An* eſt Arabicum עַן quod nonnumquam ſumitur pro עַל, ut Hebr. 1, 3. עַל יָמִין *ad dextram.* Itaque quo loco dicitur, *tranſitis fluminibus Anzaba et Tigride*, (c. 6.) puto delendum *An*, perperam praefixum voci Zaba; quia particula עַן, *an*, ibi loci plane eſt ſuperflua." Bochartus Geograph. Sacr. p. 243, 72. edit. operum Lugd. ERF.

Hoſtiis caeſis] in honorem ipſius fluvii, hos enim a Perſis religioſe cultos pluribus exemplis comprobavit I. F. Gronovius in Obſſ. p. 639. Ammiani non immemor. W.

Nos] ego cum comite. *Reſiduam plebem*, exercitum cum calonibus et impedimentis. W.

2. *Magno neceſſitatis ducente ſolatio*] erectus eo, quod aliter fieri non poſſet. *Absque ulla circuitione* ſine ambagibus, aperte. Ita Terentius Andr. 1, 2. 31. *ita aperte ipſam rem locutus, nihil circuitione uſus.* nec aliter ipſe Cicero. W.

3. *Caſſianum Meſopotamiae Ducem* (militarem) *et Euphronium rectorem* (civilem). *Carras oppidum*, (hodie oppidulum Haran vel Charan, antiquiſſimum tamen, cuius iam Moſes 1, 11. eodem nomine mentionem fecit. cf. et infra XXIII, 3.) W.

4. *Cum iam ſtipula flaventi turgerent* (frumenta) meſſe igitur inſtante, quae illo ſub coelo in Aprilem noſtrum Maiumve incidit. v. Gibbon. T. IV. p. 318. — *Herbas pubentes* cummaxime creſcentes. cf. *pubem variorum ſeminum* XXIV, 5. W.

copii perpetuo Conſtantina tam in Perſicis quam in lib. 2. περὶ κτισμ. nominatur. Praeterea in Notitia Imperii Rom. ſub Duce Meſopotamiae Conſtantia ponitur, et apud Menandrum Protect. in lib. 2. et 8. Hiſtoriae. Poſtremo Evagrius in lib. 1. Hiſt. Eccl. Sophronium memorat Κωνσταντιναίων Epiſcopum, qui in Indice Epiſcoporum, qui Chalcedon. Synodo ſubſcripſerunt, *Conſtantinop. Epiſcopus* dicitur provinciae Osdroenes: corrupte, cum *Conſtantinenſis* ſcribi debeat. Ex huius opidi nomine Conſtantinenſis pugna dicitur a Ruſo Feſto. VALES.

Conſtantina oppidum] in honorem Conſtantini reſtauratoris, antea *Antoninopolis* dicta, v. c, 9. et Mannertum p. 302. 303. W.

Euphratem nivibus tabefactis inflatum.] quod plerumque menſibus Iulii et Auguſti evenit. Plin. Hiſt. nat. v, 21. v. Gibbon. T. IV. p. 318. W.

10. *Urgenti conſilio*] h. l. ni fallor, pro *concilio* (Kriegsrath) uti XV, 5. — *Conſideratione ea, qua rectus pergeret hoſtis, intactarum.* Satis obſcure: eam ob cauſam (ſic conſideratio et alibi XXVI, 5. 6. cet.) *qua* i. e. quod *rectus* (hoc oppoſite ad praecedentem *circuitum*) *hoſtis pergeret*, nosque, hoſtem longiorem viam ingreſſurum eſſe, ſuſpicari non poſſemus, *intactarum* a nobis, Romanis, non devaſtatarum. — *Barzola* in Tabula Mannerti Barzalo et *Laudiae*, parva caſtella. W.

CAPVT VIII.

1. *Samoſata* (Schemiſat). *Pontium iuncturis* pontibus iunctis *apud Zeugma* ob id ipſum Graece ſic dictum, quia ibi pons erat (hodie *Bir*, v. Mannert Kleinaſien B. 1. p. 502.) *et Caperſana* (infra XXI, 7. Capeſſana) fortaſſe eadem, quae *Porſica*, Mannert Perſia p. 273. utraque in Syria ſita. W.

2. **Duarum turmarum equites ſeptingenti.*] Lipſius in l. 2. de Militia c. 7. hic improprie ſumi *turmam* aſſerit, (nam turma nonniſi triginta equitibus conſtabat. W.) ac forte *ſeptuaginta* corrigendum eſſe: niſi abuſive *turmas* pro alis poſuit. Sic *Velites* ab Ammiano abuſive dici pro levi armatura idem Lipſius notat in lib. 3. capite 1. Vide tamen Marcellinum in Libr. XVI, 12, 7. XXI, 11, 2. et XXIV, 3, 1. VALES.

Praeſidium per eos traductus agentes.] *i. e. per eos tractus.* LINDENBR.

Ab aggeribus publicis.] Gloſſar. *Agger, ſtrata, via publica.* Servius Aeneid. V. et ex eo Iſidor. Origin. XV. *Agger eſt media ſtratae eminentia, coaggeratis lapidibus ſtrata.* L. 2. C. Theod. Ne quis in Palatin. *Remotae ab aggere publico civitates.* L. 4. de itin. mun. *Studia cunctorum ad reparationem publici aggeris conducibili devotione volumus feſtinare.* Sulpic. Severus lib. III. de Vita Mart. *Per aggerem publicum plena militantibus viris fiſcalis rheda veniebat.* Acta Mſſ. Martyrii Cantii et Cantiani: *Ubi quis vehiculis apparatu diſpoſito per aggerem publicum egreditur, illic non fuga dicenda eſt, ſed profectus.* Beda in Martyrolog. IV. Eid. Octob. *Exſtat per totum aggerem publicum loquentibus tumulis ſepultura Sanctorum.* Eodem modo *itinera-*

rius

rius agger. Ammian. lib. XIX. c. 8. §. 2. **Militaris agger*, Tit. Cod. de milit. aggere non rump.* LINDENBR.

5. *Sublata tiara.*] Salutationis hunc ritum Euſtath. in Dionyſ. notat. Λέγεται (inquit) καὶ σύμβολον εἶναι ἀσπασμοῦ παρὰ Πέρσαις τὸ ἀφελέσθαι τὴν τιάραν τῆς κεφαλῆς. Cl. Claudian. Paneg. in IV. Conſul. Honorii v. 70.

> *Perſarum proceres cum plebe (patre* Geſner. W.) *ſedentem*
> *Hac quondam videre domo, poſitaque tiara*
> *Submiſere genu.*

Vide Briſſon. de Reg. Perſar. lib. II. LINDENBR.

Sublata tiara.] Sic Perſae ſalutare conſueverant, ut docet Heliodorus in lib. 7. VALES.

Tiara quam capiti ſummo ferebat.] Apicem ſupra vocavit Marcellinus c. 5. §. 6. *Apicis*, inquit, *nobilitatus auctoritate, quo honore participantur menſae regales, etc.* Id erat ornamentum ex auro et margaritis contextum, quo Perſarum magnates Regis permiſſu capita redimibant. Etenim apud Perſas nec anulo aureo, nec cingulo, nec fibula, nec alio eiusmodi ornatu cuiquam uti licet, niſi cui Rex conceſſerit, ut praeter Xenophontem lib. 8. Cyrip. tradit Procopius in lib. 1. Perſ. qui κόσμον τῆς κεφαλῆς apicem hunc appellat, eamque maximam eſſe dignitatem ait apud Perſas. Idem in lib. 4. Goth. de Isdiguna legato Perſarum: εἵποντο δὲ αὐτῷ καὶ δύο τῶν ἐν πέρσαις λογιμωτάτων, οἳ δὴ καὶ διαδήματα ἐπὶ τῶν κεφαλῶν χρυσᾶ ἐφόρουν. Id eſt: *Sequebantur autem eum duo apud Perſas clariſſimi, qui diademata aurea capite geſtabant.* VALES.

Quam capiti ſummo ferebat honoris inſigne.] *Ita. quam capiti ſummum fereb. hon. inſig.* Summus enim honor ille apud Perſas, quo qui nobilitatus, menſae regali adhibebatur, conſiliorumque particeps fiebat, uti id Ammiani aliorumque Scriptorum auctoritate docet Barnab. Briſſon. de Reg. Perſar. lib. II. LINDENBR.

Manus poſt tergum connectens, quod apud Aſſyrios ſupplicis indicat formam.] Supplicum hic mos non Aſſyriorum tantum eſt, ſed multarum quoque gentium aliarum: quo etiam Iudaei Petronium acceſſerunt deprecaturi, ne ſtatua in templo collocaretur. Philo Iud. legation. ad Gaium pag. 721. Ἐπεὶ δὲ ὁ Πετρώνιος ἐξ ἀπόπτου κατεφάνη, πᾶσαι αἱ τάξεις καθάπερ κελευσθεῖσαι προσπίπτουσι εἰς ἔδαφος, ὁλολογήν τινα μεθ' ἱκετηρίων ἀφιεῖσαι· παραινέσαντος δὲ ἀνίστασθαι καὶ προσελθεῖν ἐγγυτέρω, μόλις ἀνίσταντο, καὶ κατασχεθέντες πολλὴν κόνιν, καὶ ῥέοντες δακρύοις, τὰς χεῖρας ἀμφοτέρας εἰς τοὐπίσω περιαγαγόντες τρόπον ἐξηγχωνισμένων προσῆσαν. Et apud Scythas uſitatum fuit, εἰς τοὐπίσω περιάγειν τὼ χεῖρε ἐν ταῖς ἱκετηρίαις. Lucianus in Toxare, Suid. in ἐπὶ βύρσης ἐκαθέζετο, Apoſtolius Byzant. in Proverb. Quem morem a captivorum habitu originem duxiſſe certum eſt, qui manibus poſt tergum ligatis abducuntur. Itaque hoſtibus ſe dedentes, quo miſerabiliores videantur, hoc quoque geſtu veniam precari ſolent. Sic legati, quos Decebalus ad Traianum miſerat: ἔῤῥιψαν καὶ τὰ ὅπλα, καὶ τὰς χεῖρας ὄπισθεν δήσαντες ἐν αἰχμαλώτων τάξει ἐδέοντο τοῦ Τραϊανοῦ εἰς λόγους ἐλθεῖν Δεκεβάλου. Pet. Patricius in

Fragmentis legation. Sic Quadi *manus ad dimicandum aptatas armorum abiecto munimine pone terga vinxerunt: reſtareque ſolam ſalutem contemplantes in precibus, affuſi ſunt veſtigiis Auguſti.* Ammian. lib. XVII. c. 13. §. 28. Quod et ipſum ut faciat, Denatum Sapor iubet, ni maioribus poenis affici velit: Καὶ νῦν εἰ βούλεται ἐλαφροτέρας κολάσεως τυχεῖν, ὀπίσω τὰς χεῖρας δήσας προσπεσέτω. P. Patr. in Frag. legat. LINDENBR.

6. *Ampliſſime Comes.*] Magiſtri militum, qualis erat Urſicinus, Comites etiam dicebantur. Sic in lege 2. et 13. Cod. Theod. de re militari, et lege 18. de erog. milit. annonae. Ita apud Marcellinum in lib. 29. c. 5. §. 46. Theodoſius Magiſter militum: *Comes*, ait, *Valentiniani ſum, orbis terrarum domini.* et Ambroſius in Ep. ad Eugenium Aug. *Aderat*, inquit, *ampliſſimus honore magiſterii militaris Bauto Comes.* Et in veteri Inſcriptione Stilicho dicitur *Comes et Magiſter utriusque militiae.* VALES.

Flagitatores] importuni creditores. W.

7. *Poſtſignani*] in ſecunda acie collocati. W.

8. *Hoſti concurſatori miſcemur.*] *Statarium militem concurſatori* opponit Livius XXVII, 18. VALES.

9 *Ripas alte exciſas* altiores — *Lacunarum vertigine vorabantur.* Lacunae opponuntur praecedentibus *vadis*, ſunt igitur loca profundiora, atque voragines, quibus milites merſi. — *Tauri montis exceſſus*, ubi terminatur. W.

11. *Verennianus*] Idem ſine dubio qui XV, 5. *Verinianus* — *Collega*, nam Ammianus itidem Protector Domeſticus. — *Antecedentibus* i. e. praecurſatoribus. W.

Rependo] H. l. non poteſt eſſe lentius incedendo, ſed reſpondet graeco ἕρπειν, quod de quovis ingreſſu adhiberi conſtat. ERF.

Sciſſis collibus] anguſtiis montis. W.

Molinae.] Sic molas et piſtrina ſequior Latinitas vocavit. In veteribus Gloſſis *molinae ὑδραλεσίαι*, et *molinarius ὑδραλέτης*, et *ὑδρομύλη*, *aquae molina* explicantur. P. Victor in regione XIV. urbis Romae ponit *Dianae molinas.* [Gregorius Turonicus in libri III. Hiſtoriae capite XIX. de Divione ſic ſcribit: *Ante portam fluvius molinas mira velocitate divertit.* Marius Aventicenſis Epiſcopus in Chronico: *Pontem Genavacum, molinas, et homines per vim deiecit.*] Exſtatque id vocabulum in lib. 8. Legum Wiſigoth. quam etiamnum vocem Gallica lingua retinet. Porro hic locus ſic legendus videtur: *Quem ſciſſis collibus molinae ad calles artandas aedificatae denſius conſtringebant.* In Editione Auguſt. legitur, *quem ſciſſis cautibus, etc.* VALES.

12. *Eodem ictu*] impetu, ut XXI, 9, 4. et ſaepius. W.

13. *In ſuburbanis peregrina commercia circumacto anno.*] Cf. *Batnen* Anthemuſiae urbem XIV, 3. ubi eiusmodi annuae nundinae eadem fere anni tempeſtate celebratae. W.

14. *Cum exitio* exitialiter, letaliter *ſanctis.* Sic ap. Livium *cum ſtudio, cum cura, cum fide* pro ſtudioſe, diligenter, fideliter. W.

Digitized by Google

CAPVT IX.

1. *Hanc civitatem*] Amidam, de qua urbe praeter Mannertum iam ſupra ad c. 6. laudatum conſuluiſſe haud poenitebit Baierum in Opuſculis, de numo Amideno p. 535 — 561. inpr. de hoc Ammianeo loco agentem p. 544. 562. 563. — *Brevem* parvam, parvi ambitus. *Antoninupolin* cap. 7. *Conſtantinam*. W.

2. *Geniculato Tigridis meatu.*] Id eſt, inflexo in modum geniculi. Procopius tamen in lib. 1. Perſ. ait Tigrim ortum ex Armeniae monte absque ullo flexu recta Amidam ferri, et ad Septemtrionalem eius partem perlapſum, in Aſſyriam pergere: quae cum Marcellini Hiſtoria pugnant. VALES.

Tigridis meatu ſubluitur alluitur *propius emergentis* haud procul inde orientis. Ex hac parte editior fuit. vide XIX, 5, 4. W.

Nymphaeo amni] Nymphaeus amnis eſt in Sophanene ſeu Sophene Martyropoli proximus: trecentis autem ſtadiis diſtans ab Amida, ut teſtis eſt Procopius in lib. 1. Perſicorum. Proinde quomodo vicina Nymphaeo fluvio dici poſſit Amida, equidem non video. Et Procopius quidem Nymphium ſemper hunc fluvium appellat, perinde ut Theophylactus Simocatta, et Piſides Diaconus in rebus geſtis Heraclii, his verſibus qui leguntur apud Suidam:

Καὶ τὸν μέγιστον ἐκπεράσας Νυμφίον,
Ὅστις Τίγρητος ταῖς ῥοαῖς ἐπιῤῥέων
Ἀποστερεῖται τοῦ καλεῖσθαι Νυμφίος. VALES.

Ammianum adverſus Valeſium defendit Baierus in Opuſcul. p. 563. W.

Gumathenam contingit, regionem uberem.] Scribe *Comagenam.** LINDENBR.

Gumathenam aliis Corineam. Mannert Perſia p. 222. W.

3. *Quinta Parthica legio*] Parthicae legiones ſex laudantur; quarum primae et ſecundae meminit Ammian. lib. XX. Spartianus in Caracalla: *Praefectus legionis ſecundae Parthicae.* Vetus Inſcript. LEG. II. PARTHICAE SEVERIANAE. Item Romae in via Ardeatina: LEG. III. PARTHIC. P. F. Columna vetus nomina legionum continens: I. PARTHIC. II. PARTHIC. III. PARTHIC. *Et in aliis vett. Inſcriptionibus laudantur *Clibanarii Parthi Primanorum, Parthi Secundanorum, Parthi Tertianorum, Parthi Quartanorum.** Quarta Parthica Beroeae praeſidio deſtinata erat, ut Quinta Parthica Amidae. Theophylactus Simocat. Hiſtoriarum lib. II. pag. 99. et ex eo Photius in Biblioth. pag. 41. Φασὶ τοῦ καταλόγου γεγονέναι τῶν Κουαρτοπαρθῶν· οὕτω τὴν προσηγορίαν ἐπιφερομένων τῶν ἐν Βεροίᾳ τῇ πόλει Συρίας τὰς διατριβὰς ποιουμένων. Sexta Parthica, ſub diſpoſitione viri Illuſtris Magiſtri militum per Orientem, in Notitia Imperii laudatur. LINDENBR.

Ut fallaces et turb. ad Orientem venire.] Milites erant a Magnentio conſcripti, atque ex ſuo ac fratris nomine Magnentiaci ac Decentiaci nuncupati: quos confecto bello Conſtantius ad Orientem transtulit prudenti conſilio, ne ſeditiones amplius concitarent. Sic etiam Vitellius Othonianos milites in Britannias ablegavit, ut ſcribit Tacitus in libro 4. Hiſt. VALES.

Tricenſimani Decimanique fortenſes.] Tricenſimani dicebantur, qui in legione XXX. Ulpia militabant, cuius meminit vetus Inſcriptio: *Eraniſta. leg.* XXX. *Ulpiae.* Decimani vero Fortenſes,

milites ſunt legionis x. Fortenſis, quae in vetuſtis Inſcriptionibus legio x. Fretenſis dicitur, et in Notitia Imperii ſub Duce Palaeſtinae. Vetus Inſcriptio: *A. Atinio. Trib. mil. leg.* x. *Fretenſ.* Ii poſtea Fortenſes dicti, corrupto per uſum vulgi vocabulo. ut videre eſt in Notitia Imperii Romani, et fortaſſe ob fortitudinis gloriam. Sic enim Vopiſcus in Probi vita de iisdem loquitur: *Qui Aurelianus Probo Decimanos fortiſſimos exercitus ſui, et cum quibus ipſe ingentia geſſerat, tradidit.* [Caeſar in lib. 1. de bello Gallico, *legioni decimae propter virtutem ſe maxime confidiſſe* ſcribit.] VALES.

Decimanique Fortenſes.] In Notitia Imperii, ſub diſpoſitione viri Illuſtris Magiſtri militum Praeſentalis, Fortenſes collocantur, qui *et alibi in eodem libro laudantur. Eorum etiam meminit Imp. Marcus in Epiſtola ad Senat. Rom. apud Iuſtinum Martyrem in Apologia pro Chriſtianis 2. p. 79. καταλαμβανόμενος δὲ ἥμην ἐν μεγίθει πλήθους ἀμίκτου καὶ στρατευμάτων λεγεῶνος πρίμας δεκάτης, Γεμινατρεντησίᾳ μίγμα κατηριθμημένον.* Sed FRETENSES vera videtur lectio, ſi priſcis monumentis fides: praeſertim Columnae antiquae Capitolinae, in qua ordine multarum legionum nomina recenſentur: NOMINA LEG. II. AUG. II. ADIUT. IIII. SCYTH. VI. VICT. IV. FLAV. XVI. FLAV. XX. VICTR. VII. CLAUD. VI. FERRA. VIII. AUG. I. ITALIC. X. FRETE. Lapis prope Capuam: L. MAGIO. M. F. FAL. VETERANO LEG. X. FRETENSIS M..... O. L. PATRONO ET SIBI. LINDENBR.

Superventores et Praeventores] levioris armaturae milites. v. Ind. II. v. Praeventores. *Aeliano iam Comite*, ad quam dignitatem erat evectus, quod Protector adhuc ad Singaram rem fortiter geſſiſſet — quod *retulimus* in libro aliquo deperdito. W.

CAPVT X.

1. Sapor a *Bebaſe* c. 7. per *Horren*, *Melacarire* c. 6. et *Charcha* XXV, 6. quae nonniſi oppidula fuerunt. W.

Charcha.] Theophylactus Simocatta in lib. 5. χαρχὰς vocat urbem Meſopotamiae ſupra Niſibin, omni fructuum genere et incolarum frequentia abundantem. In Notitia Imperii Charta dicitur ſub Duce Meſopotamiae. VALES.

Ut transiturus] ſimulans Amidam ſe petere. *In municipali* ordine in ſenatu municipali. Cf. XXV, 4. *Circumſpecti* (*περιβλέπτου*) clariſſimi. W.

3. *Cuiusnam uxor eſſet, Craugaſii, comperiſſet.*] In vernacula interpretatione ſic legi et diſtingui maluerat b. Wagnerus: *quaenam* vel *ubinam c. e. Craugaſii.* Quam emendationem cum non commemoraverit in Commentario, abieciſſe eam, et recte quidem, videtur. ERF.

Absque labra ipſa.] Mirum ut ferre talia potuerint Valeſii: et praecipue cur Hadrianus in praefationis ea parte, ubi tangit aliqua ſingularia, quae Latinam linguam Marcellini ſpectant, non de hac etiam locutione prorſus non toleranda retulerit. Adſentior patri, qui editioni Lindenbrogianae adſcripſit, *adusque labra*, quae et leniſſima mutatio, et commodiſſima ſententia; ut princi-

Digitized by Google

pio libri ſeq. *adusque finem diei*, ac ſaepius. GRON. Arridet Gronovii coniectura etiam Erneſtio propterea quod etſi *absque* ſaepius Ammiano ſit idem quod *praeter*, nuspiam quarto caſui iungatur. Eadem ſe obtulit Reineſio, qui tamen putat fortaſſe adverbialiter poſitum eſſe *absque* pro *praeterquam*. W.

Hoc praemio Niſibenam ſe proditionem mercari poſſe arbitrabatur.] cf. XIX, 9. W.

4. *Virgines Chriſtiano ritu cultui div. ſacratas.*] Adeo etiam Gentiles reverebantur hoc praecipuum Chriſtiani nominis decus: quod etiam teſtatur Athanaſius in Apologia ad Conſtantium: ταύτας δὲ ἕλληνες ὁρῶντες, ὡς ναὸν οὔσας τοῦ θεοῦ θαυμάζουσι· παρ' οὐδενὶ γὰρ ἀληθῶς τὸ σεμνὸν τοῦτο καὶ οὐράνιον ἐπάγγελμα κατορθοῦται ἢ παρὰ μόνοις ἡμῖν τοῖς χριστιανοῖς. *Has cum vident Gentiles, non ſecus ac templum Dei ſuſpiciunt. Etenim nullibi gentium grave illud ac caeleſte praeceptum niſi apud nos Chriſtianos ſerio exercetur.* Similia apud Origenem contra Celſum, et apud Baſilium legas et Chryſoſtomum, aliosque ſanctiſſimos Patres. Quamobrem merito reprehendendi ſunt Novatores noſtri, qui eius graviſſimi propoſiti ne veſtigium quidem ullum apud ſe exſtare voluerunt. VALES. Apage hanc, ut nihil aliud dicam, intempeſtivam reprehenſionem, et vanitatis oſtentationem! Quid enim? an hic patet gentiles reveritos hoc praecipuum (ſic vocat; ſed ſperó ipſi Henrico adfuiſſe magis praecipua) Chr. n. decus? An non ipſe Ammianus fatetur ita eum praecepiſſe per ſimulationem, et ut cauſam ſuam faceret favorabilem? longe abeſt, ut in iſtis Valeſianis veteratoribus id probarit, nedum reveritus ſit. Sed ſic et in partibus Hiſtoriae Eccleſiaſticae rapit omnem occaſionem tangendi ulceris; et ipſe τὸν πάνυ mire imbecillum Pariſiis in ſermone vario cognovi. GRON.

Virgines Chriſtiano ritu cultui divino ſacratas] uno verbo moniales. W.

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XIX. C. I.

1. *Nostrorum captivitatis*] quod in castellis XVIII, 10. quosdam cepisset. W.

2. *Ferreus equitatus*] cataphractarii. W.

3. *Aureum capitis arietini figmentum interstinctum lapillis pro diademate gestans.*] Dubio procul hunc habitum Persae ab Aegypti Regibus sumsere, quibus in more positum antiquitus fuit, leonis, draconisve, aut alterius effigiem animalis pro diademate capiti imponere. Diodor. Sicul. Biblioth. lib. 1. c. 62. Ἐν ἔδει εἶναι τοῖς κατ' Αἴγυπτον δυνάσταις περιτίθεσθαι περὶ τὴν κεφαλὴν, λεόντων, καὶ ταύρων, καὶ δρακόντων προτομὰς, σημεῖα τῆς ἀρχῆς· καὶ ποτὲ μὲν δένδρα, ποτὲ δὲ πῦρ, ἐστὶ δ' ὅτε καὶ θυμιαμάτων εὐωδῶν ἔχειν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς οἰὰ ὑλίγα, καὶ διὰ τούτων ἅμα μὲν ἑαυτοὺς εἰς εὐπρέπειαν κοσμεῖν, ἅμα δὲ τοὺς ἄλλους εἰς κατάπληξιν ἄγειν καὶ δεισιδαίμονα διάθεσιν. *Atque inde est, quod in nummis antiquis Lysimachi, Antigoni, Demetrii Reg. arietina cornua diademati adfixa videmus. Quem morem viri militares postea imitati sunt, et galeis suis cornua quoque addidere. Livius lib. XXVII. c. 33. init. de Philippo Persei fratre: *Expeditione ea, qua cum populatoribus agri ad Sicyonem pugnavit, in arborem illatus impetu equi ad eminentem ramum cornu alterum galeae perfregit.* Plutarchus de Pyrrho: ἐγνώσθη τῷ τε λόφῳ διαπρέποντι, καὶ τοῖς τραγικοῖς κέρασιν.* Vid. Diod. Sicul lib. 5. cap. 30. Paschal. de coronis pag. ultima lib. ultimi. *Galeae ursinis pellibus ad terrorem tectae,* Veget. pag. 37. *Ut verosimile sit ab hac etiam origine esse, quod in quorumdam nobilium gentiliciis insignibus cornua in cassidibus vel sola, vel leone, elephanto, aliove quo παρασήμῳ addito, pingantur. LINDENBR.

Multiplici vertice dignitatum] varii generis optimatibus. Sic saepe vertices ap. Nostrum XIV, 7. XV, 3. 5. it. apices, v. c. XXIX, 2. W.

4. *Viso*] scil. *se.* Plura eiusmodi omissorum nominum vel pronominum exempla ex Ammiano congessit Valesius ad XVI, 12, 7. W.

5. *Dum se prope ingerit*] nimis audacter moenibus appropinquaret — *Tragulae ictu.* Tragula erat genus teli, dicta, quod scuto infixa traheretur. Sic Festus, ubi tamen interpretes non a *trahendo,* sed *traiiciendo,* quali e *traicula* contractam, dici rectius monent. W.

Digitized by Google

7. [*Grumbates Rex Chionitarum.*] In codice Colbertino nunc *Grymbates Cionitarum Rex* dicitur, nunc *Rex Chionitarum Grambates.*] VALES.

Telo forte contiguum] cum intra iactum esset, ut posset feriri. *Contemplator* collineandi *peritissimus.* W. Ernesti *contemplator* explicat: speculator e muris obsessae urbis. ERF.

Thorace perforato persodit.] Editio Romana habet *praesudit*, eodemque modo Vatican. [et Colbert.] et Fauchetii codex. At in exemplari Regio, et Augustana Editione legitur *profudit*: quod equidem praetulerim. VALES.

8. *Ne caperetur*] ne spolia detraherentur et cadaver eius in urbem deportaretur. *Ratione iusta* fas atque officium esse putantes. W.

9. *Apud Troiam quondam super Comite Thessali.*] Homerus copiose tota Iliade. LINDENBR. *Thessali ducis* Achillis *comite* Patroclo. W.

10. *Indicto iustitio*] quo ab armis otiarentur. Solebat autem iustitium esse post exsequias. Vid. laudatus ab Ernestio Salmasius ad Scrr. Hist. Aug. Tom. I. p. 319. *Propriae* peculiaris, uti explicat Ernestius. Fortasse tamen legendum est *proprio.* — *Figmenta hominum mortuorum* cerea? *pollincta*, fasciis involuta. Cf. Salmas. ad Scrr. Hist. Aug. To. II. p. 422. — *per contubernia*, qui eodem tabernaculo degerent, et *manipulos* cohortes. W.

11. *Lacrymare cultrices Veneris saepe spectantur in sollemnibus Adonidis sacris.*] Vid. inf. lib. XXII. c. 9. LINDENBR. De Adonide, Veneris amasio, apri dentibus lacerato vide Theocriti Eidyll. XXX. Anacreontis editionibus plerumque additum. Fabulantur poetae, Venerem pactam esse cum Proserpina, ut Adonis sex menses apud inferos esset, apud superos totidem. Mythus ex eo ortus, quod omnino naturae vis genetrix in personam Veneris mutata, regno praesertim, quod vegetativum appellamus, ita moderetur, ut per hiemes quasi emortuum, vere accedente denuo vigens appareat. Laeti illius temporis annua celebratio ab Oriente profecta ad omnes fere nationes, aliis tamen nominibus, divulgata est. Sic *fletus super Thammuz* Ezech. VIII, 14. hoc idem Adonidis festum est. Cf. Baruch VI, 30. 31. Vide omnino Lucianum de Dea Syria T. IX. Bipont. p. 88. *Heyne* ad Apollodor. p. 826. inpr. tamen *Manso* Versuche über einige Gegenstände der Mythologie S. 242. ff. W.

CAPVT II.

1. *In argenteam urnam contecta.*] Scribendum videtur esse *contecto.* Ceterum hic sepulturae ritus ad Chionitarum morem referendus, non autem ad Persarum, ut fecit Gruterus in Notis ad hunc locum. Etenim Persae tunc quidem temporis cadavera non cremabant, sed nuda et insepulta proiiciebant extra opida, eosque beatissimos putabant quorum cadavera a bestiis aut volucribus quamprimum essent laniata; ut scribit Agathias in lib. 2. Hinc est, quod foedere illo quod inter Iustinianum Aug. et Chosroem ictum fuit, cautum est, ut Christianis in Perside positis liceret

Digitized by Google

mortuos humo condere, eisque more Rom. iusta facere; ut refert Menander in lib. 1. Hist. denique Procopius in lib. 1. Pers. legibus Persarum nefas esse dicit, cadavera humo condere. VALES. v. Brisson. de Reg. Persar. p. 320. W.

Busto urbis] incendio et deflagratione. W.

2. *Pacis modo*] tamquam pax esset. vid. Tacitus Hist. IV, 15. *Pacis more* dixit Noster XXII, 12. extr. et XXIII, 5. *Agros* Gumathenos et Amidam circumiacentes. *Clementi* lento *gradu*. W.

3. [*Veriae meridiano lateri sunt destinati.*] Ita scriptum omnes Editiones Ammiani praeferunt: at in codice Colbertino legitur: *Cuius mer. lateri sunt destinati*, forte pro *Cuni*, vel *Chuni*, ita ut Hunni designentur ab Ammiano Marcellino, quos Persis confines fuisse Historici docent.] HADR. VALES. *Veriae* equidem loco movere nolui, quippe qui infra c. 8. iterum occurrant. W.

Segestani] Hos in provincia Persica Drangiana habet Oberlinus. De populis h. l. memoratis cf. omnino Gibbon. T. IV. p. 315. W.

4. *Indimensos.*] immensos, aciem oculorum fugientes, innumerabiles — paullo post: inaestimabiles. *Salutis rata* certa *desperatione*. W.

5. *Acies immobiles stabant.*] Hoc primo die hostes eo tantum consilio apparuerant, ut numeros suos ostentarent. *Eadem figura* acie structa. *Cum supereesset exiguum noctis* diluculo proximae diei. W.

6. *Hastam infectam sanguine ritu patrio, nostrique more coniecerat fecialis.*] De Feciale, eiusque in agrum hostilem hastae iaculatione, ex Livio 1, 32. Dionys. Halicarn. A. Gellio *lib. 6. c. 4. Servio Aeneid. lib. 9. v. 53. Isidor. Orig. lib. 8. c. XI.* satis constat. *Ovidius Fastor. VI. 207.

Hinc solet hasta manu belli praenuntia mitti:
*In Regem et gentes cum placet arma capi.**

Illud tantum nunc monendum, mutatum hunc morem posteriore saeculo, et pro hasta gallum obiectum. Tzetzes Hist. Chiliad. V. cap. XV.

Τὸ πρότερον τὸ γένος μὲν Ῥωμαίων τῶν Λατίνων
Οὐχὶ συνῆπτε πόλεμον ἀκηρυκτὶ πρὸς ἔθνος,
Ἀλλὰ τῇ χώρᾳ πρότερον ἐθνους τοῦ πολεμίου
Δόρυ σημεῖον ἐρρίπτεν, ἔχθρας ἀρχὴν σημαῖνον.
Ἔπειτα δὲ κατήρχετο πολέμου πρὸς τὸ ἔθνος.
Τοῦτο φησὶ Διόδωρος, πᾶς τε λατῖνα γράφων.
Καὶ τοῦτο μὲν ἦν παλαιὸν τὸ ἔθος τοῦ πολέμου,
Νῦν δ' ὡς δοκεῖ μοι, πέπαυται, ἀλέκτορα δὲ μόνον
Ῥίπτουσιν, οἱασπερ μέλλουσι πόλεμον συγκροτῆσαι. LINDENBR.

Belli turbo crudescit.] Cf. XXX, 10. Apud Tacitum Hist. III, 10. *crudescere seditio* legitur observante Ernest. W.

7. *Scorpionum*] machinarum, quibus *moles saxeae* emittebantur, uberius descriptarum infra XXIII, 4. W.

8. *Direpta Singara*] cf. ad XVIII, 5. W.

10. *Tenebrae hubetaverant strages.*] Non satis commoda translatio. W.

11. *Achaemenem appellantibus et Artaxerxem.*] Eleganter hunc locum reſtituimus, quem P. Caſtelli audacia corruperat. Nam cum in Editione Rom. legeretur, *Saan Saan app. et Piroſe*, haec portenta quaedam eſſe nominum ratus *Caſtellus* ita correxit ut hactenus editum eſt. Ego vero cum in codice Regio et Vaticano Editionis Rom. ſcripturam deprehendiſſem, [in Colbert. *Saan Saan app. et Piroſen*;] non ſum veritus eam poſtliminio reſtituere. Eſt autem Saanſaan lingua Perſica Rex Regum, ut teſtatur Marcellinus. Saa enim Perſice Regem ſignificat. Unde Vararanem Regem Perſarum cognominatum eſſe Seganſaa, ſeu σεγανσαὰν, ut in veteri ſcheda reperi, tradit Agathias in lib. 4. quod eius pater Segeſtanos (quorum etiam hic meminit Marcellinus) bello viciſſet: *δύναται γὰρ τοῦτο τῇ ἑλλήνων φωνῇ σεγεστανῶν βασιλεύς.* Idem de altero Vararane ſcribit, qui Cermaſaa eſt cognominatus: quem P. Teixera in relatione de Regibus Perſarum lib. 2. cap. 27. Baharon Kermonxa indigitat, quod eſt Carmaniae Rex. Iam quod ſpectat ad Piroſis nomen, quo bellorum victorem ſignificari ait Marcellinus, eius origo difficilior eſt indagatu. Niſi placet id derivari a Perſico vocabulo *Phiras*, quod victorem ſignificat, ut ex Vocabulario Perſico docuit me vir Cl. doctiſſimusque I. Gauminus. Fuitque hoc nomine quidam Perſarum Rex, pater Cavadis, avus magni illius Choſrois, qui Iuſtiniani ac Iuſtini Tiberiique temporibus imperavit. Ab hoc Piroſe dicti videntur milites Piroſitae, ut a Chosdroe Chosdroitae, quorum mentio fit in Hiſt. Miſc. lib. 18. In Regio *Toloſanoque* codice ſcriptum reperi *Pyroſen*. Sed Vaticanus et Flor. *Piroſen* habent. Valentinus, teſte Loiſello, *Picorſen*. Fauchetianus *Pyorſen*. VALES. De voc. Perſica *Saanſaan*, i. e. Rex Regum, v. Sylloge nova Epp. Vol. v. p. 123. et de voc. *Pyroſes* (Firus) i. e. victor, Tychſen in fine libri *Heereniani: Ideen über d. Politik, d. Verkehr u. d. Handel der Völker der alten Welt*, T. II. p. 798. W.

13. *Cunctis temere prorumpentibus.*] Codex Regius ſcriptum habet, *cunctis de more pr.* *Toloſanus,* [Colbertinus,] et Editio Romana *demere.* VALES.

Ut opinari dabatur] cf. XXVI, 10. et alibi. *Neutrubi inclinato*, ancipiti, *proelio*, dubio Marte. W.

Exſurgebant enim.] In codice Regio [et Colbertino] legitur: *Exurebant enim terrentiumque clamores.* In Editione Rom. etiam legitur, *terrentiumque clamores*, ut deeſſe quidpiam facile appareat. Placet autem: *Exurebant enim ruentium ferientiumque clamores.* Sic in cap. v: *clamoris ululabilis incendio.* VALES. Fortaſſe nihil deeſt, et vetus ſcriptura innuit, aliquas literas quae repeti deberent, negligenter intercidiſſe. *Exurebant verberantium terrentiumque clamores.* GRON.

Prae alacritate ſervore *conſiſtere ſine vulnere* locum a telis tutum eligere. W.

14. *Legionibus ſeptem*] Ammianus cum adnumeratis tamen et utriusque ſexus incolis et advenis et aliis militibus nonniſi viginti hominum millia Amidae tum conſtipata fuiſſe tradat, Gibbonus T. IV. p. 98. recte inde colligit, numerum militum, quibus olim legiones conſtabant, valde imminutum fuiſſe, easque non niſi mille, ad ſummum mille et quingentis militibus conſtitiſſe. W.

Digitized by Google

15. *Pro possibilitate*] utcunque posset — *spiritus reluctantes*, qui *cruore exhausto* vim tamen vitalem integram sentirent. W.

Prostrati animis in ventum, etc.] Huius loci vulnus texit potius quam sanavit P. Castellus. Sic enim in Editione Rom. erat excusum: *Prostrati curam animis in ventum solutis proiiciebantur extincti.* Neque aliter Valentinus codex habuit quem Loisellus inspexerat, [et Colbertinus.] In codice Regio ita scriptum inveni, *prostrati cum iam animis, etc.* [Forte legendum *prostrati coram.*] VALES.

Confossi mucronibus prostrati etc.] Haec non placent; quid enim facias τῷ *prostrati?* Ad *mucrones* referri non potest, hi enim pendent a *confossi* — neque ad sequentia trahi, ubi eadem notio est in proiiciebantur. Sed totus locus est corruptus et mancus. Valesii admisso commento sensus existit hic: alii confossi, et humi iacentes, pro mortuis habiti et, ne impedimento essent, proiecti. W.

Offensionibus cassis] contactu et obligatione vulnerum inutili. *Vellendis sagittis*, cum sagittas ipsi extrahere auderent. W.

CAPVT III.

1. *Ursicinus*] non ipse Amidae praesens, sed fuga ad Tauri radices elapsus, XVIII, 8. *Etiamtum sepulcris haerentem* XVIII, 7. *Velitaribus* quos imperio regere se ipsum velle Ursicinus sine dubio addixit Sabiniano. *Stationibus* hostium extremis *interceptis*, oppressis et interfectis. *Nocturnas excubias* ipsum eorum exercitum noctu *adgrederentur.* W.

2. [*Ut ansam omnem adipiscendae laudis decessori suo circumcideret.*] In Colbertino codice lego *amplam omnem.* Et ubicumque *ansae* apud Ammianum fit mentio, in codice isto *amplam* scribi observo: quod semel notasse sufficiat.] HADR. VALES.

CAPVT IV.

1. *Multitudo cadaverum humandi officia superaret*] maior esset, quam ut iusta facere omnibus possemus. — *Vario plebis languore* nimio militum labore. W.

2. *Nimietatem frigoris aut caloris.*] Oribas. ad Eunap. lib. III. Ὁ περιέχων ἡμᾶς ἀὴρ συνεχῶς ἡμῶν τρέπει τὰς κράσεις, ὅταν θερμότερος ἀμέτρως, ἢ ψυχρότερος, ἢ ξηρότερος, ἢ ὑγρότερος γινόμενος. Vid. Heraclid. Pontic. in Allegor. LINDENBR.

Philosophi] naturae indagatores. — *Febrium tepore arescunt*, febrili ardore torrentur. W.

3. *Defudaret*] summos labores et pericula subiret, *ne peregrinus*, Paris *poenas dissociati regalis matrimonii* Helenae cum Menelao initi *lucraretur* i. e. ne impune dissociaverit matrimonium. Exemplum huius significationis vide in Gothofredi Glossar. Nomico ad Cod. Theodos. v. Lucrari. Ernest. Cf. Wernsd. ad Himer. p. 72. W.

Digitized by Google

Telis Apollinis periere.] Nimietatem caloris homines et animalia reliqua cum pati nequeant; ſagittis Apollinis, qui Sol putatur, id eſt calore radiorum ſolarium pereunt. Euſtathius in Homer. Rhapſod. α. Stat. Papinius in extremo Thebaid. 1. *Servius in lib. Aeneid. 3. ad illum verſum, (138.) *Corrupto caeli tractu: Hic eſt ordo peſtilentiae, ut Lucretius* (VI, 1118. ff.) *docet, primo aëris corruptio, poſt aquarum et terrarum, mox omnium animalium.** LINDENBR.

Qui Sol aeſtimatur,] Heraclid. Pontic. in Allegor. pag. 96. *Vid. Aleandrum in Tabulam Heliacam pag. 15. *Tela Apollinis in eadem tabula apparent.* Vid. Aleandr. ibidem pag. 58.* LINDENBR.

4. *Ut Thucydides exponit, clades illa quae in Peloponneſiaci.*] Thucyd. lib. II. c. 47. Plutarch. περὶ τῶν βραδίως τιμωρουμένων. LINDENBR.

Ferventi Aethiopiae plaga cet.] cf. XXII, 7. W.

6. *Terrarum halitu* vaporibus *denſiore craſſatum* (cf. XX, 3.) graviorem factum *aëra emittendis corporis ſpiraminibus* transſpirationi *reſiſtentem — animalia iugiter* catervatim *prona* mortua. W.

Homero auctore, et experimentis deinceps.] Homeri locus exſtat Iliad. α. 50. Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο, καὶ κύνας ἀργούς. Quem etiam laudant, et uberius haec explicant Plutarchus Sympoſ. lib. IV. Probl. 1. Heraclides Ponticus Allegor. pag. 106. Macrobius Saturnal. VII. cap. 5. LINDENBR.

7. *Pandemus appellatur.*] Oribaſ. ad Eunapium lib. III. c. 1. Πανδήμους καὶ κοινὰς νόσους τὰς πολλοῖς ἅμα συμπιπτούσας ὀνομάζουσιν, ὧν ὥσπερ ἡ γένεσις, οὕτω δὲ ἡ αἰτία κοινή. LINDENBR.

Interpellari] Fortaſſe Ammianus ſumſit de vocis uſu praecluſo, ut homines ſuffocentur. W.

Secunda epidemus.] Galen. in lib. 1. Hippocrat. de Morb. vulgar. Ἔνια μὲν τῶν νοσημάτων κοινῇ πολλοὺς καταλαμβάνει, ἃ δὴ λέγεται κοινά. ἔνια δ' ἕκαστον ἰδίᾳ, τὰ σποραδικὰ προσαγορευόμενα. Τῶν δὲ κοινῶν τὰ μὲν ἐνδημά τέ εἰσι, τὰ δὲ ἐπίδημά τε καὶ ἐπιδήμια, διὰ τῶν δ ἢ ε συλλαβῶν, ὡς εἴρηται, γραφόμενα καὶ λεγόμενα. Τούτων δὲ τὰ χαλεπώτατα λοιμώδη καλεῖται, τὴν αἰτίαν ἐκ τῆς περὶ τὸν ἀέρα κατασκάσεως ἔχοντα, καὶ αὐτὰ καθάπερ ὅλον τὸ γένος τῶν ἐπιδημίων νοσημάτων. LINDENBR. Graeca iſta vocabula, quae Ammianus adhibuit, notum eſt alio ſignificatu ab Aeſculapiis noſtris uſurpari. W.

Tempore] certis anni tempeſtatibus. — *Concitat periculoſos humores,* malim *tumores.* W.

8. *Concreto ſpiritu et craſſato,* nimis ſpiſſo gravique aëre, *ſoſpitas* XVII, 5. *retenta,* reſtituta, recuperata eſt. W.

CAPVT V.

1. *Inquies*] nihil ceſſans. *Vimineis plutei.* Feſtus: Plutei dicuntur crates corio crudo intentae, quae ſolebant apponi militibus opus facientibus. — *Turres frontibus ferratis,* ut vel pars

ea, quae hoſtes ſpectaret, vel margines ſummi ferro eſſent tuti atque muniti. W.

2. *Ut praediximus*] XVIII, 9. *pernicium*, agilium, promtorum. W.

3. *Precantibus*] Reineſius *praecaventibus*. *Nequeuntes*. Participium, cuius non aliud exemplum afferunt Grammatici et Lexicographi, niſi Arnobii adv. gentes Lib. I. p. 13. W.

4. *Hiabant*] voraginem aperiebant. W.

Cavatis fornicibus ſubterraneis.] Graeci σύριγγας appellabant eiusmodi meatus, per quos ad hauriendam aquam furtim deſcendere obſeſſi ſolebant. Sic Strabo in lib. 12. de Amaſia, ἐκεῖ δὲ, inquit, ὑδρία ἐντὸς ἀναφέρεται συρίγγων τεμνομένων δυοῖν, τῆς μὲν ἐπὶ τὸν ποταμὸν, etc. Euſtathius in Il. τ. συριγγίμβολοι dici ait, δι' οὗ ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ὕδωρ πορίζονται οἱ πολιορκούμενοι, *per quod plerumque obſeſſi aquam petere ſolent*: idque corrupte τυρίμβολον ſua aetate dictum eſſe teſtatur in Il. 7. Eiusmodi fornices fuiſſe Hieroſolymis prodit Dio in lib. 66. c. 4. et Tacitus Hiſt. lib. 5. c. 12. Gregorius Turon. de urbe Convenis loquens in lib. 7. *Fons*, ait, *magnus ad radicem montis erumpens, circumdatus turre tutiſſima: ad quem per cuniculum deſcendentes ex urbe, latenter aquas hauriunt*. VALES. Cf. Michaelis Götting. Magaz. Jahrg. 3 St. 6 S. 801. W.

Scalae.] Id' eſt, via cavatis gradibus in modum ſcalarum exciſa: κλίμακας eodem ſenſu dixit Polybius in lib. 5. ubi Seleuciam ad Orontem deſcribit, et Strabo in libro 17. de Heptaſtadio loquens. VALES.

Fabre politae factae, complanatae. Munimentum fabre politum habes XXIII, 5, 1. W.

5. *Ex agmine regio* ſatellitum. *Ad contignationem turris tertiam* pluribus enim tabulatis conſtabant, ad quae per ſcalas ex averſa parte adſcenderent, quorum ſummum quum pinnis eſſet munitum, facile potuerunt occultari. — *Bxtnanitis pharetris, proiectisque ad pedes*, ut praeſto haberent, *ſagittis*. *Clamoris incendio* quaeſite pro ſumma contentione. W.

8. *Curas* exacerbationem. *Iaculantes diverſa miſſilia lacertis ſortibus incumbebant*. Ad vitandam κακοφωνίαν pr. iaculantibus diverſis etc. Erneſt. — *Degentes* tentoria habentes, (tendentes.) *Vulnerum acri repulſa disiecti* vulneribus repulſi et disiecti. W.

CAPUT VI.

1. *Adſpiravit*] Hoc verbum, ut afflare Virgil. Aen. 1, 591. monente Erneſt. in utramque partem dicitur de vi praeſentiaque divina, quum repente immittitur aliquid vel ſuppeditatur. De *aura* idem conferri iubet Gesnerum in Commentt. Societ. Gotting. T. 1. p. 77. it. 99. et Salmaſ. ad Scrr. Hiſt. Aug. T. II. p. 584. *Ztata caſtello* Meſopotamiae. *Hoſticum* ſc. agrum. Eodem modo *pacatum* dicitur Livio VIII, 34. quem locum affert Erneſtius. W.

Digitized by Google

2. *Servituri*] ſervi futuri — *Suris* ſurarum nervis et *ſuffraginibus* talis pedum *exſectis* cf. XXIII, 5. XXV, 3. XXXI, 7. W.

3. *Galli milites*] Magnentiani. *Rationabili* probabili, laudando. *Primis ordinibus*, qui medii erant inter Tribunos et Centuriones. W.

4. [*Utque dentatae in caveis beſtiae.*] Sic vulgati Marcellini libri. Loquitur autem Marcellinus de feris, quae ad ſpectacula publica et amphitheatralia caveis incluſae ſervabantur, quales erant tigres, urſi, leones, et elephanti, magnitudine utique ſua et viribus, quam dentibus multo notabiliores, ita ut a canibus, faelibus, muribus, aliisque minutis animalibus *dentatarum beſtiarum* appellatione diſtingui non poſſint. Petrus Pithoeus ad marginem Ammiani ſui notavit pro *dentatae* in Mſſ. legi *tentatae*. In codice Colbertino recentiore quidem, ſed optimo, diſerte ſcriptum inveni, *tentatae*. Quae haud dubie vera eſt lectio. *Tentatae in caveis beſtiae*, id eſt tentae, detentae. Sic *terras ſaepe vaſtitatas* Ammianus ipſe in libro XVI. c. 4. dixit pro *vaſtatas: denſitatas acies* paullo infra pro *denſatas*, ex codice Colbert.] VALES. Valeſium *tentatae* in textum reponentem imitari nolebam, cum *dentatae* occurrant XXXI, 10. W.

Repagulis verſabilibus illiduntur.] Nimirum caveae ſervandis beſtiis ferreis undique cancellis (clathris) erant munitae, in ſuperiori autem parte cylindrus erat aptatus verſatilis, ut ferae adſilientes, ſi ungues adiicere vellent, volubilitate axis excuterentur. Cylindrus iſte Calpurnio Bucol. Ecl. VII. 51. dicitur *rutulus*, ubi tamen de repagulis pretioſioribus eboreis ſermo eſt, poſt quae ferae in ipſo amphitheatro mox emittendae detinebantur: *Sternitur adiunctis ebur admirabile truncis, Et coit in* rutulum, *teretique lubricus axe Impoſitus ſubita vertigine falleret ungues, Excuteretque* feras. Vide ibi Wernsdorfium T. II. Poetar. minor. p. 169. it. Salmaſium ad Probum Hiſt. Aug. T. II. p. 676. et ad Solinum p. 167. W.

Saepe egreſſi in pluribus eruptionibus *parta pertulerunt*, iisdem periculis ſe expoſuerant, laudemque virtutis reportaverant. W.

5. *Paullisper* ad noctem usque. *Pergerent prorſus*, ulterius progrederentur. XVIII, 6. — *ſi impetraſſent*, perfecissent, XIV, 3. W.

6. *Expugnatio ſtruebatur operibus lentis*] Haec verba obſcuriora ſunt, ſed nihil mutandum: vox *ſtruebatur* ad utrumque, ad aggeres et *expugnationem* trahenda. — *Moles vel nimia propugnatorum pondera duraturae* tam firmae et amplae, ut plurimos defenſores capiant et ſuſtineant, (nihil cedant). W.

7. *Galli morarum impatientes, ſecuribus gladiisque ſuccincti.*] Frequens huius armaturae apud Gallos uſus, quam etiam Agathias notat lib. II. pag. 36. τὰ ὅπλα ὥσπερ ἑκάστῳ φίλον, παρεσκευάζοντο, ὡδὶ μὲν γὰρ πελέκεις ἐφήγοντο πολλοὶ, ὡδὶ δὲ τὰ ἐπιχώρια δόρατα οἱ ἀγγῶνες. Procopius Gothicorum libro II. de Francis irruptionem in Italiam facientibus: ξίφος τε καὶ ἀσπίδα φέρων ἕκαστος, καὶ πέλεκυν ἕνα. οὗ δὴ ὁ μὲν σίδηρος ἀμφότερα τε καὶ ὀξὺς ἑκατέρωθι ἐς τὰ μάλιστα ἦν, ἡ λαβὴ δὲ τοῦ ξίφους βραχεῖα ἐς ἄγαν. (v. Gronov. Praet. p. XIX. W.) Τοῦτον δὴ τὸν πέλεκυν ἰέντες ἀεὶ ἐκ σημείου ἑνὸς, εἰώθασιν ἐν τῇ πρώτῃ ὁρμῇ τάς τε ἀσπίδας διαῤῥηγνύναι τῶν πολεμίων, καὶ αὐτοὺς κτείνειν. Sidon.

Apollinar. Sigismeris Regii iuvenis pompam deſcribens, ſic de ſociorum eius ornatu addit, lib. IV. Epiſt. 20. *Eo quo comebantur ornatu, muniebantur, lanceis uncatis, ſecuribusque miſſilibus dextrae refertae, clypeis laevam partem adumbrantibus.* LINDENBR. Gallos cum Francis confudiſſe Lindenbrogium contendit Valeſ. in Praef. p. LXX. Secures ſecum tuliſſe videntur, ut pluteos turresque, ſi fortuna faveret, conciderent. W.

Poſtica, averſa ab hoſtibus moenium porta. W.

Obſervata nocte ſqualida et interluni.] Haud veroſimile eſt bellicis artibus exercitatos, lunares noctes inſidiis captaſſe. Ea de re qui vim dictionis Marcell. non ſatis percepere, reſcribere conati ſunt: — — *nocte ſqualida et illuni.* Cui lectioni ſtabiliendae facere viſus eſt locus conſimilis lib. 17. c. 2. *Pertimeſcens ſollertiſſimus Caeſar, ne obſervata nocte illuni, barbari gelu vinctum amnem pervaderent.* Sed non temere quid mutandum. *Interlunis* enim *nox* eſt, quam alii *noctem ſilentis Lunae* vocant, cum ſcilicet Luna, ut dicitur, in coitu eſt, nec lucem ullam ſpargit. Unde et *interlunium* Plinio lib. XVI. cap. 39. Gloſſar. *Interlunium, ἀπόχρουσις σελήνης.* Vide Sotion. apud Caſſ. Baſſ. de Agricult. lib. I. cap. 13. LINDENBR.

Regiae] tabernaculo regis, Praetorio. W.

Si proſperior illuxiſſet eventus.] Ita correxit Sig. Gelenius, cum ex Caſtelli coniectura ante legeretur, *ſi proſperior iſſet eventus.* In Editione Rom. perinde atque in codice Regio, [et Colbertino] *ac Toloſ.* legitur, *ſi proſperioribus iſſet eventus:* unde coniicio ita a Marcellino ſcriptum fuiſſe, *ſi proſperior iuviſſet eventus.* VALES. Etiam prope ad Mſſtos accederet, *ſi proſperior id ſiviſſet eventus.* GRON.

8. *Audito ruentium ſonitu.*] Et haec ſcriptura Gelenium habet auctorem. Nam in Editione Rom. excuſum erat: *Audito licet reve.... dentium ſonitu.* Ex quo P. Caſtellus hanc lectionem effinxerat, *audito lixarum ruentium ſonitu:* quod merito improbatum eſt a Gelenio. Etenim inter caeſos non lixae tantum, ſed Optimates erant ac Satrapae, ut ſubiicit Marcellinus. *In Toloſano codice legitur: *Audito licet ruentium ſonitu.** In exemplari Regio ſcriptum eſt: *Audito licet revertentium ſonitu:* et ad oram emendatum eſt *ruentium.* In Mſ. Flor. [et Colbertino] legitur: *Audito licet revetempdentium ſon.* Quamobrem non inepte coniecerit quispiam ita eſſe ſcribendum: *Audito licet levi tendentium* (ſupple Gallorum) *ſonitu, gemituque caeſorum.* Etſi enim Galli quantum fieri poterat occulte ac tacite properabant, fieri tamen non poterat, quin armis ſuis ſonitum ederent. VALES. Cuius coniecturam ut longe propius accedentem ad Mſſ. codices repoſui in contextum eiecta Geleniana, ita impudente, ut integram vocem *licet* ne quidem attendat. Poſſis tamen literis quae in Regio et Florentino ſparſae ſunt, ordinatius collectis, commodiſſimum credere *Audito licet brevi* (i. e. parvo) *ferientium ſonitu.* GRON.

Cum iam undique.] Ante haec verba punctum in Mſſ. et Editionibus omnibus, Romana ſcilicet, Aug. et Baſilienſi notatum eſt, eaque interpunctio mihi quidem magis arridet. VALES.

9. *Nullo tergā vertente evadere feſtinabant*] Fere uti de Antonino ſupra XVIII, 8. narratur, non averſi, ſed firmo gradu re-

Digitized by Google

trogredientes. — *Repedantes* pedem referentes XVII, 2. XXV, 1. *ſub modulis*, ad tibiarum cantum. *tubarum* hoſtilium. W.

Urbis oppoſiti moenibus.] Legendum arbitror *appoſiti*: ſed ſequentia longe corruptiora ſunt. In Regio codice ſic leguntur ſcripta: *Urbis opp. moenib. nudaret ni porta viri ſortes ſuſciperentur innoxii.* In Editione vero Romana ſic excuſum eſt: *Nudarent nupta viri ſortes, etc.* Mſ. Florentinus, teſte Lindenbrogio, ſcriptum habet; *Nudarent nuperia viri ſ. etc.* [Codex Colbertinus: *Nudarent nuperta viri ſortes, etc.*] *Toloſanus: *Nudarentur importa viri, etc.** VALES. Primum conatum iſtum in mutando verbo *oppoſiti* valde iuvenilem eſſe docebunt exempla, quae collegit pater in notis ad Livium XXIII, 29. Media quum ſint perquam corrupta, poſtrema videntur innuere in Mſſ. *nudarent; unde ita viri ſortes ſuſciperentur innoxii*, vel, ut pater, *nudarent opera viri.* GRON.

Ut ſtationibus praeſidentes — viri ſortes ſuſciperentur innoxii.] Locus conclamatus, cuius ſenſum quodammodo coniicere, ſed e verbis ſic poſitis ad liquidum perducere non poſſis. Dolum igitur commenti ſunt Amidenſes hunc, ut, relictis tantum paucis, qui machinis ſtrepitum ad abſterrendos hoſtes ederent, partem aliquam moenium nudarent defenſoribus, eo conſilio, ut a parte oppoſita in urbem reciperentur Galli fortes. Omnes equidem ingenii nervos intendi, ut aliter vel interpungendo, vel transponendo, vel coniectura aliqua medicinam quandam loco corrupto adferrem, ſed nihil profeci. Erat aliquando, ubi fortaſſe luxatum locum crederem, quem transponendo et voculas quasdam addendo iuvare poſſem ita: *ut ſtationibus praeſidentes, poſt interemtos ſocios urbis oppoſiti moenibus nudatis, pone* (retro) *agerentur*, machinarum ſtrepitu abſterrerentur *iguari, id agi* (hae enim voculae ſunt, quas inſeri ob ſoni aliquam ſimilitudinem poſſe autumabam) *ut viri fortes ſuſciperentur innoxii.* Sed mitto locum, cui nonniſi libri meliores ſanitatem reſtituere poſſunt. W.

11. *Prope confinia lucis* diluculum matutinum. *Perniciose* letaliter, XXXI, 13. — *Rhoeſum*, alii *Rhaeſum*, *Rheſum*, Thraciae olim regem, ab Diomede et Ulyſſe noctu oppreſſum et interfectum, de quo vide Homerum Il. IX. W.

Non Roeſum, nec cubitantes.] Homer. Iliad. κ. LINDENBR.

12. *Horum Campiductoribus.*] De Campidoctoribus et Armorum doctoribus abunde diximus ſupra ad XV, 3. Ceterum dubitari poteſt, ſintne iidem Campiductores cum Campidoctoribus. Diverſum enim eorum munus fuiſſe reperio. Quippe Campiductores, quod et ipſius nominis origo demonſtrat, agmen praeibant. Unde Chryſoſtomus in Ep. ad Innocentium Papam: καμπιδούκτορας, inquit, ἀντὶ διακόνων προηγουμένους ἐχοντες. Et in Mauricii Tacticis Campiductores explorare loca et itinera complanare iubentur. Iidem etiam Campigeni videntur dicti. Vegetius in lib. 2. *Campigeni*, ait, *hoc eſt anteſignani, ideo ſic nominati, quod eorum opera atque virtute exercitii vis creſcit in campo:* quae cum Marcellini verbis optime conveniunt. Sic enim ait Marcellinus: *Horum Campiductoribus ut ſortium factorum anteſignanis, etc.* Si quis tamen Campiductores nihil a Campidoctoribus differre contenderit, equidem non vehementer repugnabo. VALES. *Campiductores* h. l. nil niſi duces. W.

Digitized by Google

Armatas ſtatuas.] Ita Veſtritio Spurinnae triumphalis ſtatua ob res ſtrenue geſtas collocata fuit: Plin. lib. II. Epiſt. 7. LINDENBR.

Apud Edeſſam] in ipſa urbe Edeſſa. *in regione celebri* foro. W.

13. *Fortunam aliam alibi*] modo hanc modo illam calamitatem iacturámque. *Regum*, Saporis et Grumbatis, *arbitrantium, per ſtationes muris obiectas irrupiſſe Romanos*, culpam tribuendam ſtationariis incurioſis et negligentibus. W.

CAPVT VII.

1. *Vis* aggrediendi, murosque ſcalis conſcendendi. *Operibus* machinis. W.

2. *Exſiliente luciſero* primo mane. — *Agitantes humilius*, non tam alto loco, inferius ſtantes. paullo poſt: *in humiliora ex ſupernis valentes. Disiectabant*, dispellebant, XVI, 3. W.

3. *Ferrea munimenta membrorum* galeae, thoraces, clypei cet. — *Crates vimineas praetendentes*, quos milites ſinguli geſtabant ad corpus muniendum, donec ad manus venirent. W.

4. *Laxarunt aciem* rariores ordines facti, turbati, non ita conferti ſtabant. Similis locus XVI, 12. *agminis noſtri laxare compagem tentabant. Cataphracti hebetati* repreſſi et ab impetu remittentes. Cf. XVII, 5, 1. W.

5. *Loco dispari*, non aeque commodo. *Eventu disſimili*, nos multo magis vulneribus patebamus, quam hoſtes. W.

6. *Caute.*] Hanc vocem retulerim ad *collocati*, non ad *translati*. W.

7. *Citra vulnerum noxas* ſine vulneribus. *Obtriti magnitudine ponderum*, turrium et machinarum eliſi. W.

Retinere magiſtri non poterant.] In Mſ. Flor. *recere* ſcriptum eſſe teſtatur Lindenbrogius: unde quis ſuſpicari poſſit legendum eſſe *regere*, quod etiam ad oram Regii exemplaris adſcriptum invenimus: "et ita habet codex Toloſanus:" [at Colbertinus, *retere mag. non potuerunt*, et correctum eadem manu *retinere.*] VALES. *Regere* et *ipſos magiſtros* etiam *Rectores* dicit Livius XXVII, 49. GRON.

8. *Qui numquam adeſſe certaminibus cogitur*] qua immunitate libenter uſos novimus Xerxem et Darios. *Alternans regibiles acies*, modo huic, modo illi parti exercitus imperio ſuo ſubditi adequitans. — *Mortium* (Genit. rarior) abſtr. pro concreto: mortuorum. W.

CAPVT VIII.

1. *Innoteſcente iam luce.*] Inſolite dictum de oriente ſole. W.

Ex aggeſtis erectis intrinſecus.] Suidas: Ἔγεστα (ſive ἄγεστα) πολεμικὸν μηχάνημα ἐκ λίθων καὶ ξύλων καὶ χοῦ ἐγειρόμενον.

Digitized by Google

μενον. Ammian. lib. xx. c. 11. §. 20. *Sublimes aggeſtus, qui iam conſummati muris altius imminebant.* Eodem libr. et cap. §. 23. *Prunas unius aggeſti inſeruere iuncturis.* Procopius, cum hasce machinas deſcriberet, vocem quoque retinuit, Perſicor. lib. II. pag. 83. Προκαλύμματα ἐκ τραγείων τριχῶν, ἃ δὴ καλοῦσι κιλίκια, πάχους τε καὶ μήκους διαρκῶς ἔχοντα, ἀρτήσαντες ἐκ ξύλων μακρῶν ἐπίπροσθεν ἀεὶ τῶν τὴν ἀγίστραν ἐργαζομένων, ἐτίθεντο· οὕτω γὰρ τὸ ποιούμενον τῇ λατίνων φωνῇ ἐκάλουν Ῥωμαῖοι. Quem locum Suidas exſcripſit. Dicuntur etiam *ſuggeſtus.* Ammian. lib. XXIV. c. 4. *Ardui ſuggeſtus erigebantur.* LINDENBR.

2. *Proelium ſtetit*] anceps fuit. *Cum ſors partium eventu regeretur indeclinabili,* cum inevitabile malum alterutri parti ſubeundum eſſet. — *Spatium quod hiabat,* foſſa profunda. — *Ceſſabat,* nihil agere amplius potuit. W.

Itinerario aggere (Chauſſée W.) *vel ſup. ponte.*] Utrumque iungit etiam Tacitus in lib. I. Annal. c. 61. *Praemiſſo Caecina ut occulta ſaltuum ſcrutaretur, pontesque et aggeres humido paludum et fallacibus campis imponeret.* Idem in lib. 4. c. 73. *Proxima,* inquit, *aeſtuaria aggeribus et pontibus traducendo graviori agmini firmat.* Similiter et Livius in lib. 26. et 30. Porro utrumque fuit inter munera militaria, ut patet ex Herodiano in lib. 4. c. 7. πᾶν ὡς στρατιώτης ἔπραττεν, εἴτε ὄρυγμά τι ὀρύττειν ἔδει, σκάπτων πρῶτος, εἴτε ῥεῖθρον γεφυρῶσαι ἢ βάθος χῶσαι. Id eſt: *Omnia perinde ac gregarius miles factitabat: ſive foſſam fodere, ſive rivo pontem imponere, ſive aggerem ſtruere opus erat, primus operi manum admovens.* VALES.

4. *Actis*] coactis, congregatis omnibus. W.

Oppletae ſunt corporibus foſſae.] Sic fecit Valeſius, quum ex Florentino citaret Lindenbrogius *appellatae,* et ex prioribus editis *repletae,* quod et ipſe videtur in ſuis inveniſſe. Sed inde pater meus colligebat *oppilatae,* longe elegantius et verius. GRON.

5. *Diſtringeretur*] occupata eſſet — *poſtica, per quam nihil ſervabatur,* quam cuſtodire nihil opus eſſe videbatur. — *Squalentium locorum* viarum aſperarum. W.

6. *Incedendi nimietate* ob curſum effuſum *ſuperarer* ſc. laſſitudine *ut inſuetus ingenuus,* liberaliter educatus. W.

7. *Nudo*] ſine ephippio. *Infreni,* indomito, feroci. *Habenam* lorum, *qua ductabatur,* non regebatur. W.

Dorſualis comprehenſi ſervitio.] Gloſſ. Νωτιφόρος, *dorſualis.* Sic *aſellus dorſuarius.* Varr. de Re Ruſtic. lib. II. cap. 6. (et 10. W.) LINDENBR.

8. *Profundum bene vidimus puteum.*] Certum eſt ſic Ammian. ſcripſiſſe, non *profundum paene,* ut in retro Editionibus. Sic lib. XXII. c. 4. *Eadem accipere bene conſuetos.* — — *Longo exinde intervallo bene* *) *eſt inſula.* Lib. XXX. *Spoliis bene redierant onuſti.* Quomodo etiam Tribonianus *actiones bene mul-*

*) Locum non inveni. Legerim tamen *paene.* W.

Digitized by Google

tas dixit, Inſtitut. lib. 4. Tit. 6. §. 12. *Arnob. lib. 6. p. 101. *Arietem nobilem bene grandibus cum teſticulis deligit.* Et iterum apud eumdem p. 101. Atque ita decies apud Hirtium de Bello Hiſpan.* LINDENBR. Vid. notata ad XIV, 2, 17. W.

Neceſſitate poſtrema] ultima, ſumma, XXVI, 6. W.

Indumenta lintea quibus tegebamur.] Haec ad tunicas lineas referre ſoleo, de quibus eleganter Hieronymus in Epiſt. ad Fabiolam de vellitu ſacerdotali. *Solent*, inquit, *militantes habere lineas, quas camiſias vocant, ſic aptas membris et adſtrictas corporibus, ut expediti ſint vel ad curſum, vel ad proelium, dirigere iacula, tenere clypeum, enſem librare, et quocumque neceſſitas traxerit.* Idem in Epitaphio Nepotiani. *Referret*, inquit, *alius, quod in palatii militia ſub chlamyde et candenti lino corpus eius cilicio tritum ſit.* Nonnus quoque in lib. 35. Dionyſ. de iisdem militum lineis loquitur v. 197. 98.

Καὶ λινέῳ κόσμησε δέμας χιονώδεϊ πέπλῳ,
Οἷον ἔσω θώρηκος ἀεὶ φορέουσι μαχηταί.

Poſteriores Graeci ἐπικάμισα dixerunt, teſte Euſtathio in Iliad. χ. ubi contendit χιτῶνα ſimpliciter non eſſe tunicam interulam. Libanius in Orat. ad Curiam Antiochenſem contra Severum pag. 621. (Reisk. III. p. 233.) δεύτερον χιτῶνα λινοῦν appellat. VALES.

Centonem quem ſub galea.] Pileum intelligo, quem ſub galea milites interdum geſtare ſolent, ne ferri aſperitate caput oblaedatur. In Suidae Lexico πῖλος, κέντουκλον. Quam ad rem uſui fuit apud veteres Ἀχίλλειος σπόγγος, Achillea ſpongia, ita ab Achille inventore dicta. ne ferreae caſſidis rigor cervicem offenderet. ὑποκείμενος ἁπαλῶς ταῖς περικεφαλαίαις, καθ' εὕρεσιν ἴσως Ἀχιλλέως, ἵνα μὴ σίδηρος τρίβῃ τὴν κεφαλήν, ut ait Euſtathius in Il. IX. Spongiae autem dicebantur huiusmodi centones, quod eſſent ex lana coacta, molles ſpongiarum inſtar. Unde et ſpongiam vocarunt Romani, teſte Livio, munimentum pectoris eamdem ob cauſam. Sed ut ad centonem noſtrum redeamus, Graeci πῖλον eum appellabant. Homerus de Ulyxis caſſide in Iliade κ. πῖλος δ' ἐνὶ μέσσῃ ἀρήρει: ubi notat Euſtathius omnibus galeis ſecundum antiquos commune eſſe, ut pileum ſeu centonem intus habeant: recentiores vero, quaſi novum ac proprium quiddam in Homerico verſu intelligeretur, pictoribus perſuaſiſſe, ut pileum Ulyxi adderent: quod primus feciſſe dicitur Apollodorus ὁ σκιαγράφος. Quamquam Plinius in lib. 35. primum e pictoribus Nicomachum Ulyxi pileum dediſſe ſcribit. Erat autem hic pileus prorſus ſimilis ei quam vernaculo ſermone calottam dicimus, ut in Ulyxis imaginibus viſitur etiamnum. Idque teſtatur D. Hieronymus in Ep. ad Fabiolam. *Quartum*, ait, *genus eſt veſtimenti, rotundum pileolum, quale pictum in Ulyxeo conſpicimus, quaſi ſphaera ſit diviſa, et pars una ponatur in capite.* VALES.

Ad peniculi ſpongiae *modum.* Penicilli, ſi etymologiam ſpectes, fuerunt caudae animalium, quibus ad abſtergendas purgandasque menſas, calceos cet. utebantur, qua ſignificatione ſaepe apud Comicos de ipſis ſervorum perſonis occurrit. W.

Sitim qua hauriebamur.] Mallem *urebamur*, ut coniecit etiam Gruterus. VALES. Et forſan ſupervacuae literae clamant legendum, *qua ita urebamur.* GRON. Recte monet Erneſti in Gloſſario, quum *haurire* flammae incendioque tribuatur, (Liv. 5, 7.

Zo, 5.) ut ſignificet *abſumere*, tropice etiam *ſiti* adiunctum explicari poſſe per *affligi, propemodum enecari*. Deinde, pergit, nec oſtenſum eſt exemplis *uri ſiti* dixiſſe Ammianum. *Exuri* Lucretio dici ſcio, quae erat emendatio et ad lectionem receptam magis accedens, et ad Ammiani conſuetudinem dicendi, qui hoc verbo ſaepius uſus eſt. W.

10. Terga *viantum* noſtra, viam noſtram ſecurius proſequentium. *Viare* vox aliis, Ammiano tamen non infrequens. XV, 10. XX, 9. XXIV, 8. W.

11. *Terrigenas illos non ſinibus terrae emerſos.*] Utitur eodem hoc exemplo in ſimili re Eunapius in Fragmentis legation. Fabula autem narratur ab Apollodoro Bibliothecae lib. III. c. 4. Palaephato ſab. VI. Ovidio Metam. III. fab. 3. Hygino fab. CLXXVIII. Placid. Lactant. in Stat. Theb. lib. I. Tzetze Hiſtor. Chiliad. X. cap. CCCXXXII. LINDENBR.

Sparti vocitati.] Apollod. Biblioth. lib. III. c. 4. Κάδμος κτείνει τὸν δράκοντα, καὶ τῆς Ἀθηνᾶς ὑποθεμένης τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ σπείρει. τούτων δὲ σπαρέντων ἀνέτειλαν ἐκ γῆς ἄνδρες ἔνοπλοι, οὓς ἐκάλεσαν Σπάρτους. LINDENBR.

Vetuſtate ut cetera fabuloſius extollente.] Fabulam adtribuunt Phoenicibus: unde Φοινικικὸν τὸ ψεῦδος, ἀπὸ τῶν κατὰ δράκοντα καὶ τοὺς Σπάρτους καὶ τὸν Κάδμον ψευδῶς λεγομένων. Magn. Etymolog. LINDENBR.

Melitinam, minoris Armeniae oppidum] poſtea temporis *Malatiae* nomine ſatis celebrem, patriamque Abulfaragii, Geographi nobiliſſimi. Cf. Weſſeling. ad Anton. Itin. p. 209. W.

CAPVT IX.

1. *Interea Sapor et Perſae.*] Sic primus reſtituit Gelenius, cum in Editione Rom. aliisque eam ſecutis Editionibus legeretur: *Iam Imperator et Perſae.* Codex Regius ſcriptum habet: *Iam peracta re Perſae.* VALES.

Autumno praecipiti XXX, 5. in hiemem vergente XXXI, 9. — *haedorumque improbo* (poët.) *ſidere* quorum ortus (pridie Non. Oct.) imbres et tempeſtates minaretur. W.

2. *Aeliano Comite* XVIII, 9. — *ſtrages multiplicatae* ad triginta enim millia deliderafſe Saporem infra ipſe Ammianus dicit. *Transtigritani* reſpectu non Romanorum, ſed Perſarum. Non uno apud Noſtrum loco nominantur, v. Ind. I. inprimis tamen XXV, 7. ubi plura vide. W.

3. *Uxor Craugaſii* XVIII, 10. W.

4. *Accidentia* futura, XXII. 1. *Viduitatem*, ſeparationem a marito. W.

Per Zagrum montem.] Haec ſcriptura tolerari non poteſt, cum Zagrus mons ſit in Media, teſte Ptolemaeo. Strabo eum locat in Chalonitide, et Mediam a Babylonia eo monte dirimi ſcribit: cui accedit Polybius in lib. 5. Merito igitur ſcripturam Editionis Rom. reſtituimus, quae Regii codicis et Valentini, *Toloſani* ac Florent. auctoritate firmatur. Eſt autem Izala mons in

Digitized by Google

Mesopotamia non procul a Nisibi, ut testis est Marcellinus in lib. 18. c. 6. §. 12. his verbis: *Audissentque Ursicinum paullo ante urbem ingressum, montem Izalam petere.* Porro Izalae monti alter adnexus est Aizumas nomine, instar iugi seu vertices, e quo duo veluti pedes procurrunt: ex quibus deinde Izalas surgit, paullatimque progrediens in altum, et exinde rursus paullatim in declive delabens, usque ad Tigrim porrigitur: atque ad Caucasum usque pertingeret, nisi brevi discidio utrumque montem natura disiunxisset. Arzamon autem fluvius ad pedes Izalae praetersluit. Mons ipse vino atque omnium fructuum genere abundat, et incolarum multitudine frequentatur, ut prodit Theophylactus Simocatta in lib. 2. initio. VALES.

Castella duo, Maride et Lorne.] Procopius in lib. 2. de aedificiis Iustiniani, σμάρδις τε καὶ λούρνης nominat castella sita in itinere, quod est Daras inter et Amidam. Theophylactus in lib. 2. τὸ μάρδις vocat, idque castellum in dioecesi Amidensis Episcopi fuisse scribit. Idem in lib. 3. et 5. μάρδες appellat, et ab urbe Daras parasangis tribus abesse memorat. μάρδις etiam vocatur a Menandro Protectore in lib. 8. *In veteri Notitia provinciarum Patriarchae Antiocheni, in provincia Mesopotamiae superiore, sub metropoli Amyda recensetur *castrum Mardes, castrum Lornes.** VALES.

Maride] hodie castellum *Mardin* Mannert p. 301. *Nisibin* etiam tum ditionis Romanae. *Arcanis vitae secretioris* coniugalis, quae praeter eam et maritum nemo unus scire posset. *Auditis quae contigerint*, se ita reverenter habitam a rege. *Beate* feliciter nec sine honore. W.

6. *Postliminio reversus.*] Notum est, servum qui in hostium potestatem pervenit, si ad suos postea redierit, reverti in eius potestatem cuius antea fuerat, idque iure postliminii, ut scribit Aelius Gallus. Sed quando in eum locum de postliminiis incidimus, pauca de veteri Iure adnotare placet. Sciendum igitur est, apud veteres postliminium in eo locum habuisse, qui in aliam civitatem liberam, aut foederatam sese dicaverat, si in suam civitatem postea redire vellet; ut eleganter disputat Cicero pro Balbo. Dicatio autem illa de Romanis tantum civibus intelligenda est, qui duarum simul civitatum cives esse non poterant; ut ibidem docet Tullius. Verumtamen Ciceroni non assentitur Proculus in lege 7. D. de capt. et postlim. *Non dubito*, inquit, *quin foederati et liberi nobis externi sint: non tamen inter nos atque eos postliminium esse. Etenim quid inter nos atque eos postliminio opus est, cum et illi apud nos libertatem, et dominium rerum suarum aeque atque apud se retineant, et eadem nobis apud eos contingant?* Sed Proculo responderi facile potest, retinere quidem integrum ius libertatis, amitti tamen civitatem, si verbi gratia civis Rom. esse desinit. Is postea si Romam rediisset, iure postliminii civitatem recuperabat, ut praeter Ciceronem docet Aelius Gallus in lib. 1. signif. quae ad ius pertinent: *Cum populis liberis et cum foederatis, et cum regibus postliminium nobis est ita, uti cum hostibus.* Quae verba refert Festus in v. *Postliminium.* Sed fatendum est, saltem post Edictum Caracallae quo omnibus in orbe Rom. agentibus civitas data, hoc iure postliminii opus non fuisse. VALES.

Digitized by Google

7. *Quam paucos per menſes amiſerat.*] Editio Rom. eamque conſecutae omnes excuſum habent, *paucos poſt menſes:* nec ſecus codex Regius, [Colbert.] *ac Toloſanus:* quare coniectura adductus ſic purgandum hunc locum exiſtimavi: *Quam paucos poſt menſes amiſit, erat, etc.* plano ſenſu et aperto. VALES.

Erat ſecundi loci poſt Antoninum, ſecundus ab Antonino, *ut ait poeta praeclarus* Virgil. Aen. v, 320. *longo proximus intervallo.* W.

8. *Conſiliis validis ſufficiebat in cuncta, quae conabatur*] quae animo conceperat conſilia ad eventum perducere valuit. *Natura ſimplicior*, mitioris ingenii, *nominis tamen itidem pervulgati*, qui tamen ab omnibus magni aeſtimaretur. W.

9. *Securitatem referens vultu.*] Legendum eſſe videtur *praeferens.* VALES.

Armorum armatorum, XXIII, 1. cf. Liv. III, 14. *Diſcenes Tribunus* ex parte Romanorum per inducias ſine dubio miſſus, ut cadavera ſuorum humanda curaret, *quae numerata ſunt hac discretione facilius* facile discerni potuerunt a Perſis, quod *cadavera noſtrorum mox fatiſcunt et defluunt*, Liv. XLI, 15. quae quomodo intelligenda, apparet ex oppoſitis ſtatim ſequentibus. *Vita parcior* durior, temperantior. *Exuſtae caloribus terrae*, quibus corpora omnino magis exareſcunt. — In ipſis craniis Perſarum et Aegyptiorum diverſitatem obtinuiſſe eam, ut illorum admodum tenuia, horum craſſiora invenirentur, teſtatur Herodotus III, 12. W.

CAPVT X.

1. *Tertullus, Praefectus Urbis*] vide Corſini p. 225. *Irrationabiliter*, iniuſte, ſine cauſſa. *Ventorum procellae reflantium* ventorum contrariorum vehementia. W.

Introire portum Auguſti.] Antoninus Aug. in Itinerario maritimo p. 493. Weſſeling. mentionem portus huius facit, et modo *Portum Auguſti*, modo *Portum Urbis* vocat. *Aethicus in Coſmographia p. 20. ed. Simler. *Tiberis inſulam facit inter Portum Urbis et Oſtiam.* Vide Cod. Theod. L. 1. de Saccar. port. L. 2. de can. frum. L. ult. de Navicul. Symmach. lib. III. Epiſt. 58. Calliodor. Variar. lib. IX. Epiſt. 9.* LINDENBR.

2. *Saepe Praefectus ſeditionibus agitatus.*] Frequentes Romae ſeditiones ex annonae paenuria naſcebantur. Seneca in lib. de Brevitate vitae, ad Paullinum Praefectum annonae c. 18. *Cogita praeterea*, inquit, *quantum ſollicitudinis ſit, ad tantam te molem obiicere. Cum ventre humano tibi negotium eſt: nec rationem patitur, nec aequitate mitigatur, nec ulla prece flectitur populus eſuriens.* Nec ſolum in Praefectos et miniſtros annonae, ſed in ipſos etiam Principes populus Rom. eſuriens ſaeviebat, ferrumque et ſaxa et ignes minabatur: ut ſubiungit Seneca de Caligula.* VALES.

Urebat] Poſſis ſcribere *urgebat*, ſed illud eſt magis Ammianeum — *Accidentia* h. l. inexſpectata et novitatis gratiam habentia. *Prudenter* callide *obiecit* repraeſentavit. W.

Digitized by Google

3. *Abolitis* interfectis XXIX, 3. *nihil triſte accidere poſſe* inopiae veſtrae mederi, vitamque redimere eorum morte poſſe putatis. W.

4. *Reſpondit*] oraculis editis? W.

Dum Tertullus apud Oſtia in aede ſacrificabat Caſtorum.] *Ita. apud Oſtiam in aede.* Et accommodate ad locum hunc Aethicus in Cosmographia p. 20. ed. Simler. *Tiberis inſulam facit inter Portum Urbis et Oſtiam civitatem: ubi Pop. Rom. cum Urbis Praefecto vel Conſule, Caſtorum celebrandorum cauſa egreditur ſollemnitate iucunda.* LINDENBR.

Apud Oſtia in aede ſacrificat Caſtorum.] Oſtiam urbem intelligit, quam in neutro *Oſtia* vocat, ſecutus nominis originem, et Graecos auctores qui ita appellant. Ceterum de hoc ſollemni Caſtorum ſacro praeter Aethicum, quem hic citat Lindenbrogius, loquitur vetus Epigramma:

Litoribus noſtris quoniam certamina laetum
Exhibuiſſe iuvat, Caſtor venerandeque Pollux:
Munere pro tanto faciem certaminis huius,
Magna Iovis proles veſtra pro ſede locavi
Urbanis Tatius gaudens me faſcibus auctum.

"Manſit hic Caſtorum cultus Romae diutiſſime: ut patet ex epiſtola Gelaſii Papae ad Andromachum Senatorem. Porro haec ſollemnitas Maiuma vocabatur: quam deſcribit Suidas in voce Μαϊουμά." VALES.

In aede ſacrificat Caſtorum] Caſtoris et Pollucis, Plin. Hiſt. Nat. VII, 22. Tacitus Hiſt. II, 24. Capitolin. in Maximinis c. 16. Appoſite ad hunc Ammiani locum laudare ſibi videbantur Lindenbrog. et Valeſius Aethicum in Cosmographia p. 20. edit. Simler. ibi tamen Wernsdorfius ad poëtas minores T. III. p. 432. lectionem aliam, *Caſtrorum* nempe pro *Caſtorum* praefert, quibus *Caſtris* aptior, quam Diis, addita vox celebrandis. *Caſtra* vero (alias etiam Vernalia et Maiumae) vocabantur hi ludi, quod in nemore multis tabernaculis poſitis, vel caſis ex fronde myrtea plexis agebant. v. Pervigil. Veneris v. 5. et 44. Sed de his vernalibus h. l. Ammianum non cogitaſſe addit Wernsdorfius, immo vero Tertullum rectius credit ſacrificaſſe in aede Caſtorum, qui inter arbitros maris habebantur, ut tranquillitatem maris claſſi frumentariae Romam pervehendae impetraret. Nec irritae preces fuere, nam *tranquillitas mare mollivit.* Sic ap. Aurel. Victor. de viris illuſtribus c. 22. *mollities maris*, ubi v. Interpretes. W.

CAPVT XI.

1. Inter has et Orientis et Occidentis calamitates *Conſtantium* Sirmii hiberna *quiete* (in otio) agentem, excitarunt *Limigantes Sarmatae* v. ſupra XVII. 12. 13. *Poſthabitis locis*, intra fines ſe non continentes. W.

Aliquid molirentur inimicum.] In Editione Rom. legitur, *aliquid molirentur in eum*, inepte, ut apparet. Codex Regius ſcriptum habet, *molirentur in con.* [Codex Colbert. *in cum:*] quo fere modo in Mſ. quoque Florent. ſcriptum eſſe teſtatus eſt Lin-

Digitized by Google

denbrogius. Forte ſcripſerat Marcellinus, *aliquid molirentur incommodum;* ut loquitur in lib. XXI. c. 3. init. *Comperit Alamannos a pago Vadomarii exorſos, unde nihil poſt ictum foedus ſperabatur incommodum.* VALES. Fortaſſe tamen *novum.* GRON. Poſſit etiam legi *inquietum,* ut XVII, 1, 13. nihil inquietum acturos. ERF.

2. *Quae ſuperbius incitanda propediem Imperator dilato negotio credens,* quam inſolentiam mox auctum iri, ſi diutius indulgeret, *necdum adulto,* primo *vere* egreſſus eſt, *gemina conſideratione* duabus potiſſimum de cauſis. W.

Anatolio regente tunc per Illyr. Praefecturam.] Anatolius Syrus Beryto oriundus, cum ſcientiam Iuris civilis in patria didiciſſet, Romam profectus, admiſſusque in palatium, per omnes honorum gradus ad Praefecturae culmen adſcendit. Vir etiam inimicorum iudicio admirabilis, ut ſcribit Eunapius in Proaereſio p. 149. ed. Commelin. quem iucundum erit legere. Erat autem ſacrificiis et Graecanicae religioni inprimis addictus, teſte ibidem Eunapio. Unde fere adducor, ut credam eum ipſum eſſe quem Photius in Bibliotheca Vindanium Anatolium appellat Berytium, qui de re ruſtica ſcripſit, cultu ethnicum, ut Photius teſtatur. In Excerptis Geoponic. Vindamonius Anatolius Berytius nominatur: quod unius viri nomen eſt, non trium, ut Cornarius interpres exiſtimavit. Eius porro induſtriam, vigilantiam, integritatem, magnitudinem animi, et eloquentiam magnopere commendat Libanius in Epiſt. XV. Qui cum Praefecturae codicillis donatus, iamque in Illyricum profecturus Imperatori valediceret, haec inter cetera dixiſſe fertur: Poſthac, Imperator, neminem nocentem dignitas a ſupplicio liberabit: ſed quisquis leges violarit, ſive iudex, ſive militaris, non abibit impune, ut narrat Libanius in Ep. 451. Fuerat primo Conſularis Galatiae, teſte Libanio in Epiſt. 572. deinde Vicarius Africae lege 18. Cod. Th. de appellat. et lege 28. de Decurionibus: quae leges coniungi inter ſe debent. Poſtea Praefectus Praet. fuit Limenio et Catullino Coſſ. ut eſt in eodem tit. Cod. Th. de Decurionibus. *Vide Excerpta Himerii Sophiſtae ex encomio in Anatolium Praefectum. (p. 297. ed. Wernsd.)* VALES.

Vehicularіae rei iacturis relevatae.] Idem quoque teſtatur Aurelius Victor in Traiano his verbis (de Caeſar. c. 13.): *Simul noſcendis ocius quae e Republ. gerebantur, admota media publici curſus: quod quidem munus ſatis utile, in peſtem orbis Rom. vertit poſteriorum avaritia: niſi quod his annis ſuffectae vires Illyrico ſunt Praefecto medente Anatolio.* VALES.

3. *Diſpoſitionibus (disponere* de annona itidem ſupra XIV, 7. cf. Gothofredi Gloſſar. nomicum ad Cod. Theodoſ. v. Diſpoſitio) alias *proviſionibus annonariis.* v. Caſaubonum ad ſcriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 123. 306. 785. *Praefecturae* praefecti. — *Correctione titubantium* rerum, medela calamitatibus adhibita *benivola* leni et *ſollerti* efficaci — *Vehicularіae rei iacturis* damnis rei familiaris, quae ſiſtendis ter quotidie ad curſus publicos, commeatusque vehendos, equis aliisque iumentis fieri ſolebant. *Clauderentur,* deſertae ſtarent. W.

Et cenſuali profeſſione.] Cenſualis profeſſio duo continebat, modum agrorum (Grundſteuer W.), et numerum capitum (Kopf-

ſteuer W.) tam liberorum quam ſervilium. Modus agrorum iugatio, numerus capitum capitatio dicitur in Codice utroque ſaepiſſime. Hinc iugatio et capitatio interdum iungi ſolent, ut in lege 9. Cod. de agricolis et cenſitis: terrenae, et animales functiones in lege 23. de cenſib. et cenſit. quae ſunt ſynonyma. Terrenae enim functiones iugationem ſignificant; animales capitationem. Adde legem unicam in Cod. de colonis Thracenſibus. Utrumque etiam iungit Auctor Panegyrici Conſtantino dicti Flavienſium nomine c. 6. *Habemus enim*, inquit, *et hominum numerum qui delati ſunt, et agrorum modum.* VALES.

Cenſuali profeſſione relevatae.] Quoties ſeu privati, ſeu civitates fundos ſuos nimio cenſu gravatos eſſe conqueſti erant, adeo ut agri ſteriles et inculti modum adſcripti cenſus ferre non poſſent; mittebatur a Principe peraequator ſeu inſpector, qui an iuſtae eſſent querimoniae diligenter inſpiceret: qui prout retulerat ad Principem, cenſum Princeps relevabat. Hanc relevationem intellexit Spartianus in Peſcenn. Nigro c. 7. *Palaeſtinis*, ait, *rogantibus ut eorum cenſitio levaretur, reſpondit: Vos terras veſtras levari cenſitione vultis; ego vero etiam aerem veſtrum cenſere vellem.* Et auctor Panegyrici Flavienſium ad Conſtantinum (Eumenius c. 10.): *Relevaturus cenſum definiſti numerum.* et paullo poſt: *Septem millia capitum remiſiſti, quartam amplius partem noſtrorum cenſuum.* Sane Euſebius in lib. 4. de vita Conſtantini cap. 2. quartam partem cenſuum poſſeſſoribus ab eo quotannis donatam eſſe teſtatur. Ad hanc etiam relevationem referre ſoleo locum Eunapii in Proaereſio ſub finem p. 161. Commelin. ἐμέτρει μὲν γὰρ ὁ βασιλεὺς τὴν γῆν τοῖς ἕλλησιν εἰς τὸν φόρον. Theodoritus in Epiſtola 43. et 47. κουφισμὸν vocat, et κουφισθῆναι relevari. Et haec de relevatione paſſim loquuntur Impp. in Cod. tit. de Cenſitoribus peraequat. et Priſcus Rhetor in Excerptis legationum: συνεισφέρειν πάντας ἠνάγκασε δασμὸν εἰσπραττομένους καὶ τοὺς κατὰ χρόνον τινὰ τὴν βαρυτάτην κουφισθέντας τῆς γῆς ἀποτίμησιν εἴτε δικαστῶν κρίσει εἴτε βασιλέων φιλοτιμίαις. *Omnes conferre cogebantur, etiam ii qui olim graviſſimo cenſu agrorum relevati fuerant ſive iudicum ſententia, ſive liberalitate Principum.* Euſebius in lib. 4. de vita Conſtantini cap. 3. ἐπεὶ δὲ ἕτεροι τὰς τῶν πρότερον κρατούντων τῆς γῆς καταμετρήσεις κατεμέμφοντο, βεβαρῆσθαι αὐτῶν τὴν χώραν καταιτιώμενοι, πάλιν κἀνταῦθα ἄνδρας ἐξισωτὰς κατέπεμπε τοὺς τὸ ἀζήμιον τοῖς δεηθεῖσι παρέξοντας. Id eſt: *Cum vero nonnulli deſcriptiones agrorum a ſuperioribus Principibus factas reprehenderent, et poſſeſſiones ſuas praegravatas eſſe quererentur, his rurſus peraequatores miſit, qui a ſupplicantibus damnum omne removerent.* Vide Caſſiodorum in formula, qua cenſus relevatur ei, qui unam caſulam poſſidet praegravatam, in lib. 7. VALES.

Speciosa fiducia] ſpe certa facta, fore ut a principe impetraret. *Querelarum ſopitis materiis* occaſionibus quibusque ad lites, querelasque mutuas. *Deteſtanda exquiſitorum titulorum nomina* hoc vel illo turpi nomine impoſita onera. W.

Per offerentes ſuſcipientesque.] Offerentes ſunt poſſeſſores, qui tributa inferunt, qui frequentius Collatores dicuntur in Codice. Sic Offerentes dicuntur in lege 7. et 8. Cod. Th. de Tironibus, et apud Caſſiodorum in Epiſt. 7. lib. x. Gloſſae veteres, *oblator* συντελεστής. Suſcipientes vero ſunt, qui vulgo Suſceptores nomi-

Digitized by Google

nantur, de quibus abunde notavi in ſuperioribus libris. (ut XVII, 10. W.) Hi a Graecis *ὑποδέκται* dicuntur. Athanaſius in Epiſtola ad Solitarios, Georgium *ὑποδέκτην τοῦ ταμειακοῦ* appellat. Gloſſae *χρυσυποδέκτης, ſuſceptor aurarius.* *Chryſoſtomus in oratione 2. de Lazaro: *καθάπερ γὰρ ὑποδέκτης τις βασιλικὰ δεξάμενος χρήματα*, etc. VALES. *Criminoſe* invidioſe. W.

His propagari ſibi nitentibus poteſtates.] Nollem Sig. Gelenium huius depravatae ſcripturae auctorem fuiſſe. Quomodo enim ferri poteſt de Suſceptoribus viliſſimis poteſtates dici, quae nonniſi de ſummis Magiſtratibus dici ſolent? Ego vero cum in Editione Rom. et Mſſ. omnibus legi ſcirem *his propugnari*, unius apicis mutatione locum integritati ſuae reſtitui. Senſus autem hic eſt: dum provinciales enituntur, ut iudices provinciarum ſibi propugnent, ſeque ab Suſceptorum avaritia tueantur, contraque Susceptores properant Collatorum opes evertere, ac ſe ita demum tutos fore ſperant: iudicibus forte cum Suſceptore colludentibus miſeros poſſeſſores ad inopiam redactos, partim proſcriptos eſſe, partim ſuſpendio vitam finiiſſe. Intelligit autem Valentiniani et ſequentium Principum tempora, quibus Illyrici tributorum onere funditus oppreſſi ſunt, ut ipſe dicit in lib. 30. Ceterum ad pleniorem huius loci notitiam ſciendum eſt, moris tunc fuiſſe, ut provinciales ſeſe in potentiorum ac militarium, maxime Ducum patrocinia conferrent, ut ſibi adverſus Suſceptores auxilio eſſent. Ac ſaepe Suſceptores ipſi qui ad ſuſcipiendos publicos titulos venerant, male multati e vicis revertebantur, ut queritur Libanius in Orat. *περὶ προστασιῶν.* VALES.

Se fore tutos] ſe tuto poſſidere corraſas pecunias poſſe vel tutos eſſe a querelis et criminationibus. *Proſcriptiones* vel hominum, vel domorum venum expoſitarum. W.

4. *Inſtrumentis ambitioſis*] ſplendidis apparatibus. W.

Valeriam venit partem quondam Pannoniae, ſed ad honorem Valeriae Diocletiani filiae et inſtitutam et ita cognominatam.] GAL. VALERIA AUG. ut eſt in priſcis numis, Diocletiano patre nata, Gal. Val. Maximianum maritum habuit, qui (ut eſt apud Aur. Victorem in Caeſarib. c. 40.) *vulnere peſtilenti conſumptus eſt, cum agrum ſatis Reip. commodantem, caeſis inmanibus ſilvis, atque emiſſo in Danubium lacu Pelſone* (*Peiſone* legendum monuit me V. Cl. Marcus Velſerus Duumvir Aug.) *apud Pannonios feciſſet. Cuius gratia provinciam uxoris nomine Valeriam appellavit.* Valeriam provinciam inter Danubium et Dravum Rufi Breviarium ponit, et ex eo Iordanes in lib. de Succeſſ. Reg. qui duas Valerias facit; puta mediterraneam unam, alteramque ripenſem. Unde Notitia Imperii Ducis Valeriae ripenſis meminit, et praeſidia quae ſub eo, deſcribit. LINDENBR. Cf. XVI, 10, 20. XVII, 12, 6. W.

Sub pellibus] in caſtris ſtativis, ubi tabernacula militum, praeſertim frigidiore anno pellibus muniri ſolebant. *Amicitiae velamento* praetextu. Infra XXV, 9, 8. *amictu* eodem ſenſu. *Hiemis duriſſimo* hieme duriſſima, aſperrima. W.

Cum necdum ſolutae nives amnem pervium fac.] Hic mos Barbaris, qui trans Danubium agebant. *Ovidius in libro 3. Triſtium elegia 10. id de Getis dicit.* Florus in fine lib. 4. *Daci*, inquit, *quoties concretus gelu Danubius iunxerat ripas,*

Digitized by Google

decurrere ſolebant, et vicina populari. Et Plinius in Grat. actione c. 12. *An audeant*, inquit, *qui ſciant te adſediſſe ferociſſimis populis eo ipſo tempore, quod amiciſſimum illis, difficillimum nobis, cum Danubius ripas gelu iungit, duratusque glacie ingentia tergo bella transportat.* Et ut ad Conſtantii tempora veniamus, idem ſcribit Libanius in *βασιλικῷ* (Reisk. III. p. 303.) *τὰς προτέρας*, inquit, *καταδρομὰς, πρὸς ἃς ἀντιβλέπειν μὲν οὐκ ἐξῆν, μιᾶς δὲ εὐχῆς τυγχάνουσιν ἐγίγνετο σώζεσθαι· αὕτη δὲ ἦν μὴ παγῆναι βέβαιον ἐν ἴστρῳ χρύσταλλον, ὥστε καὶ ἐπιλθεῖν παρέχειν. Priores excurſiones Scytharum, adverſus quas ne oculos quidem attollere licebat: ſed unicum ſupererat votum, cuius compotes ſalvi eſſemus: ne ſcilicet Danubius ſolida glacie conſtringeretur, adeo ut tranſitum barbaris daret.* VALES.

Subdivales moras] *ὑπαίθρου παραχειμασία.* Polyb. III, 87. 2. W.

Varii] Alias *per varia, per diverſa*, i. e. paſſim. *Pulſarent* appropinquantes turbarent. Cf. XVI, 2, 7. W.

6. *Principem exorabant in veniam.*] Inſolenter addita praepoſitio. W.

**Quietem Deam.*] De Quiete Dea vid. Auguſtinum l. 4. de Civ. Dei cap. 16.* LINDENBR.

Quietem colentes tamquam ſalut. Deam.] *Eleganter Graeci dicunt θύειν ἡσυχίᾳ, ut loquitur Philoſtratus in libro 1. de vitis Sophiſtarum, de Aeſchine, qui fugiens Athenis, Rhodum ſe recepit, ibique reliquum vitae transegit, θύων ἡσυχίᾳ καὶ μούσαις.* Eadem figura Chion in Epiſtola ad Clearchum Heracleotarum Tyrannum p. 54. Cober. *πραεῖαν θεὸν* vocat *ἡσυχίαν· ἡ πραεῖα*, inquit, *ἐπισταίη θεὸς ἡσυχία καὶ ταῦτα λέγοι*, etc. VALES. Fanum Quietis eſt ap. Livium IV, 21. W.

7. *Sine ullo pulvere* (ἀκονιτὶ) opera, periculo. — *Proletarios.* Sic vocabant Romani cives pauperrimos, qui reip. nonniſi prole procreanda prodeſſent, deinde viles omnes et inutiles. Proletarii igitur milites ſunt, qui numeros tantum explent, ceterum imbelles et ignavi. *Tirocinia* tirones. vid. Caſaub. ad Scrr. Hiſt. Aug. T. II. p. 664. W.

Aurum gratanter prov. corporibus dabunt.] Senſus eſt, provinciales libentius aurum quam tirones daturos eſſe. Sic corpora pro tironibus ſumuntur in lege 2. 7. et 14. Cod. Theod. de tironibus, et in lege 1. de filiis milit. Eodem ſenſu *σώματα* Graeci interdum pro tironibus uſurpant, ut Procopius in lib. 4. Goth. de Narſete: *χρήματα οὖν καὶ σώματα καὶ ὅπλα ἐπαξίως πρὸς τοῦ βασιλέως κεκόμισται τῆς ῥωμαίων ἀρχῆς.* *Gratanter* igitur hic poſitum eſt pro *gratantius*, poſitivus pro comparativo: quae locutio familiaris eſt Marcellino. Sic in lib. 17. c. 12. §. 19. *Obſequi defenſoribus, ut in malis, optabile, quam ſervire ſuis manciptis arbitrati.* Et in lib. 28. c. 1. §. 18. *Suſpicatus parum quam oportuerat miſſum.* Et alibi tum in Auctore noſtro, tum apud Tacitum aliosque. VALES. Ammianei moris immemor Reineſ. ante *corporibus* inſeruerat *pro.* Facilius utique. W.

Quae ſpes rem Rom. aliquoties aggravavit.] Ea certe avaritia Valentem ac ſimul Remp. Rom. paene perdidit, ut docet Marcellinus in lib. 31. c. 4. et Socrates in lib. 4. Hiſt. Eccleſ.

cap. 28. Praeclare Vegetius in lib. 1. cap. 7. *Quantum*, ait, *usu experimentisque cognovimus, hinc tot ubique ab hostibus illatae sunt clades; dum longa pax militem negligentius incuriosiusque legit.* VALES.

8. *Prope Acumincum.*] In exemplari Regio [et Colbert.] *ac Tolos.* et Editione Augustana *Acimincum* scribitur, neque aliter in Notitia Imperii Rom. sub Duce Pannoniae secundae. Sed a Ptolemaeo Ἀκούμιγκον dicitur opidum inferioris Pannoniae. VALES. Hodie *Slankemen*, Mannert German. p. 754. W.

Innocentio quodam Agrimensore.] Iohannes Sichardus in prologo quem Editioni Codicis Theod. praefixit, eum ipsum esse existimat, qui de Notis Iuris scriptum librum reliquit. Sane librum Innocentii de Notis litterarum, una cum ceteris Agrimensoriae rei scriptoribus in Bibliothecis exstare dudum accepi: eumque non semel in scriptis suis adducit Cl. Salmasius. Memoratur etiam ab Eunapio in Chrysanthii vita p. 186. Commelin. Innocentius quidam Iurisconsultus, avus Chrysanthii, ὃς νομοθετικὴν εἶχε δύναμιν παρὰ τῶν τότε βασιλέων ἐπιτετραμμένος: qui an idem sit cum Agrimensore nostro, alii viderint. VALES. *Agrimensore* geometra? W.

9. *Nil tamen praeceps fingentes.*] Ita primus excudit Gelenius. Nam in Editione Rom. legitur, *nil tamen praeter fingentes.* In codice autem Regio, [et Colbert.] *ac Tolos.* *Nil tamen preces fingentes.* Fortasse iunctis utriusque codicis lectionibus scribendum est: *Nil tamen praeter preces fingentes, etc.* VALES.

10. *Calceo in tribunal contorto.*] Calceum sibi detractum in alium coniicere apud alias gentes, v. c. Arabes et Lusitanos erat e contrario signum fidei praestandae. v. Balduin de calceo ed. Nilant. p. 217. — *Marha* haud dubie nil nisi incitatoria ad pugnam vox, ceterum nudus et sine mente sonus. Reinesio tamen legendum potius videbatur *Warra — Warra —* Guerre. W.

11. *Cum militibus vidisset.*] Et hanc lectionem primus Gelenius excogitavit. In Rom. certe Editione legebatur, *cum milibus vid. retectisque gladiis et ver. iam propinqua pernicie.* Accursius autem sic edi iussit, ex coniectura, ut arbitror. *Cum missilibus vidisset, retectisque gladiis et verutis, iam propinqua pernicie etc.* Optime meo quidem iudicio. In Regio codice exaratum est, *cum millibus:* [in Colbert. *cum milibus vidisset, retectisque gladiis et verutis iam propinquam perniciem:* bene omnino.] *In Tolosano, *cum militibus.* VALES. Videtur scripsisse *plena omnia discurrentis turbae tumultibus.* GRON. Ernest. f. v. Millia mavult *in vallibus* vel *convallibus.* Mihi unice placet *cum militibus* hoc sensu: *plena omnia et barbarorum et Romanorum.* De qua voc. *milites* significatione vid. Vales. ad XVI, 12, 47. W.

Verutis] hastis. (veruta missilia XVI, 12.) — *Neque cunctandi neque cessandi.* copia orationis: ne minimum quidem temporis perdendum. W.

12. *Ignis more inundantes.*] Elegans locutio, ut in Glossar. *Undantia flammis*, βρύοντα. *Tertull. de Iudicio Domini cap. x. p. 1089.

Tunc avidus rapido eſt incluſus tartarus igne,
Atque procelloſis flamma intus fluctuat undis.

Anaſtaſius Bibliothecar. in Vitis PP. p. 218. *Habitatio — — flamma ignis exundante combuſta.* Aliud exemplum notat Scaliger ad Auſon.* LINDENBR. Sic ſaepe, poetae inprimis, contraria ſibi elementa miſcent. W.

Sella regalis] Eius formam ſiſtunt numi qui Allocutiones principum praeferunt. W.

13. *In abrupto ſtaret*] in ſummo verſaretur periculo. *Salutis faſtu fidentior* vitae principi ſervandae ſpe laeta magis excitati. — *Semitectus* raptis ſubito, quae praeſto eſſent, armis. — *Sonorum et Martium fremens* truci clamore ſublato. W.

14. *Sine parcimonia*] XV, 4. XVII, 10. W.

15. *Spem uſurpando*] fovendo. W.

In receptum canentibus lituis.] Vulg. τὸ in deeſt, ſed nos fidem Mſ. codicis ſequuti ſumus, quam Ammian. ipſus adſtruit. Sic enim lib. XX. *In receptum canentibus ſignis.* Lib. XXI. c. 12. *Datoque ſigno in receptum.* (item XXV, 1. W.) Graecis eſt ἐπὶ τὴν ἀναχώρησιν; cui contrarium ἐς μάχην. Procopius Gothicor. lib. 2. pag. 245. οἱ ταῖς σάλπιγξιν τὸ παλαιὸν ἐν τῷ ῥωμαίων στρατῷ χρώμενοι, νόμους τινὰς ἡπίσταντο δύο, ὧν ἄτερος μὲν ἐγκελευομένῳ τε ἐπιπλεῖστον ἐῴκει, καὶ τοὺς στρατιώτας ἐς μάχην ὁρμῶντι, ὁ δὲ ἄλλος ἐπὶ τὸ στρατόπεδον ἀνεκάλει τοὺς μαχομένους. LINDENBR.

Ordo fatalis] mors XXIII, 5. W.

17. *Pro ſecuritate militum.*] Mallem ſcribi *limitum.* VALES.

Caeleſtis ratio repelleret] voluntas Deorum prohiberet. W.

CAPVT XII.

1. *Litui inflabant.*] Buccas imples, mi Ammiane! *Colorata* fucata quaſi, ficta. W.

Saepe dicendus ille Notarius.] In Regio codice perinde ut in Flor. ſcriptum reperi *ſaepe dictaneus,* [in Codice Colbert. *ſaepe dictanens,*] *in Toloſano *ſaepe dictus,** in Editione Rom. *ſaepe dictanes.* [Legendum omnino eſt, *ſaepe dictandus*, id eſt ſaepe dicendus, ſaepe a nobis memorandus. Quippe verbis frequentativis gaudet Ammianus, ac frequenter uti conſuevit: ſicut ſupra *terras ſaepe vaſtitatas* in libro 16. *denſitatas acies* in hoc libro, alia alibi uſurpavit.] Ceterum huius peſtiferi Pauli meminit Iulianus in Epiſt. ad Athen. et Libanius in Orat. pro Ariſtophane, et in Orat. funebri, pag. 298. VALES. Cf. XIV, 5, 6. XV, 3, 4. 6, 1. W.

Ut laniſta] Laniſtae erant gladiatores rude donati, gladiatorias familias alentes, ut vel in funeribus nobilium atque optimatium ad rogos decertaturos (buſtuarios) traderent, — hoc eſt Ammiano *Libitinae commercium* — vel ad munera in Amphitheatris exhiberent, certamque pro caeſis pecuniam acciperent. W.

Ex commerciis libitinae vel ludi.] Libitinae nomine intelligo funebres ludos: quippe in funeribus Optimatum gladiatores

Digitized by Google

dare moris olim fuit: eos gladiatores Cicero buſtuarios appellat. De iisdem Hieronymus ad Sabinianum Diaconum. *Hoc*, ait, *plango, quod te ipſe non plangis, quod te non ſentis mortuum, quod quaſi gladiator paratus libitinae, in proprium funus ornaris.* Ludi vero nomine familiam gladiatoriam intelligi notum eſt: quamquam ludi vocabulo poſſunt etiam intelligi ſpectacula gladiatorum, quae a Magiſtratibus exhibebantur populo Romano. VALES. Immo quid notius, quam ludum eſſe ipſum aedificium et locum, in quo incluſi gladiatores inſtruebantur et docebantur ab laniſta, ut ſecutorum in ludo Caeſaris Capuae fuiſſe quinque millia ait Cicero VII ad Attic. epiſt. 14. Et ſaepe apud Suetonium. GRON.

2. *Furtis*] clandeſtinis machinationibus. *Innocentibus exitiales cauſas adſtringens* cauſis eos capitalibus implicans, *dum in calamitoſis ſtipendiis verſaretur*, quaeſtum ex calamitatibus aliorum faceret. W.

Beſae Dei localiter appellati.] Accurate hunc locum interpretatur Petrus Pithoeus I. C. Adverſarior. lib. 1. cap. 2. *Localiter* autem dixit, ut Tertull. de Pall. cap. 2. *Rurſus orbis alius idem mutat, et nunc localiter habitus.* *Idem de Spectac. cap. 20. *Spectaliter vel localiter.** Calliodor. Var. 1. Epiſt. 35. *Localiter certis ſolet deſaevire temporibus.* Ita lego, non *deſervire*, ut perperam in vulgatis libris habetur. LINDENBR.

Beſae Dei] Fruſtra nos Lindenbrogius ad P. Pithoei Adverſaria reiicit. Is enim vir alioquin doctiſſimus atque inter praecipua Galliae ornamenta cenſendus, parum feliciter in hoc Marcellini loco explicando verſatus eſt. Quare ad huius loci illuſtrationem nihil ex eo afferri poteſt. Sed Caſaubonus in Notis ad Hiſtoriam Auguſtam (Adriano c. 14) exiſtimare ſe dicit, Beſam Deum fuiſſe apud Aegyptios, a quo urbs appellata ſit Beſa, quae poſtea Beſantinous dicta eſt, Helladii patria, ex duobus numinibus Beſa et Antinoo compoſita dictione. Cuius doctiſſimi viri coniecturae eo libentius accedo, quod obſervavi multa ſimilia vocabula, praeſertim propria, ex binorum nominibus Deorum ab Aegyptiis compingi ſolita. Sic Serapammon et Heraclammon apud Vopiſcum; Hermammon in Hiſtoria Euſebii; *Apammon, et Hermanubis apud Gregorium in Carminibus de vita ſua;* Phoebammon et Nilammon in Syneſii, et Iſidori Peluſiotae Epiſtolis; Hermapion apud Marcellinum noſtrum, Horapollon, et alia alibi memorantur. Adeo verum eſt, quod ait Lucianus in Dialogo pro imaginibus, Aegyptios, tametſi ſint omnium hominum religioſiſſimi, tamen Deorum nomina ſibi imponere, ita ut plerique apud eos nomen e caelo tractum habeant. *Porro Beſam nomen Aegyptium eſſe, teſtatur Dionyſius Alexandrinus apud Euſebium in Hiſtoriae Eccleſ. libri VI. capite XLI. ὁ ἀνδρειότατος ὁπλομάχος τοῦ θεοῦ Βησᾶς. et Pauli Aegyptii Sophiſtae pater, *Beſarion*, ſeu potius *Beſapion* dictus eſt, teſte Suida.* VALES.

3. *Abydum*] Antiquiſſimis temporibus *This*, unde Dynaſtia regum Thinitenſium, Heeren Ideen über Politik cet. P. 1. p. 356. et 486. hodie, uti Anvilius vult *Memoires* p. 185. *Madſune*, vel, uti Savary in Aegypto ſua P. 2. p. 58. putat, monaſterium priſcum adeo nomen ſervans *Scheik Abadeh*. Haud procul inde ſita fuit alia urbs *Antinoe*, l. *Antinoupolis*, (nunc *Euſene*, quod placet

Anvilio p. 178. pro quo tamen Abulfeda *Enfineh*, vel *Befantinoë* ex Befae nempe et Antinoi nomine compofita, uti Caſaubonus ad Spartiani Hadrianum c. 14. ex Helladio apud Photium Cod. 279. docet. Fortaſſe vero, quae ſententia eſt *Iablonskii* in *Pantheo* Aegypt. P. 3. p. 201. Befae cultus ex Abydo in ſerius conditam Antinoen translatus eſt. De ipſo *Beſa Deo* locus noſter eſt claſſicus. Referendus autem ille ad Deos minorum gentium, nonniſi in ſingulis provinciis urbibusve cultos, (indigetas, ἐγχωρίους, *localiter dictos* ait Ammianus) quorum ſatis amplum dedit catalogum *Th. Reinneſius de Deo Endovellico* in *Creuti Muſeo philol.* P. II. p 333. facile tamen illum augendum. Beſa ceterum vel rariſſime, vel numquam apud alios ſcriptores occurrit, nec Valeſius, vir diffuſae lectionis, locum indagare potuit niſi Dionyſii Alexandrini ap. Euſebium Hiſt. Eccl. VI. 41. Iablonskius l. l. Dei aeque ignarus homines tamen inveniſſe plures ſibi videtur, qui nomen ab illo traxerint. Praeter alia in exemplari quod mecum eſt, ipſius Iablonskii ad hunc etiam locum adſcripſerat vir olim doctiſſimus: „Forte Embes Propheta, cuius in Theſ. Gruteri p. „414. Inſcr. 2. mentio occurrit, a *Beſa* etiam nomen habuit. „Nam Ἐμ — βὴς ſignificat *Beſiacum, vel conſecratum Beſae,*“ quod idem fere fuiſſe videtur cum Dionyſii ὁπλομάχῳ. Eiusmodi ex Deorum nominibus compoſita vel Deorum vel hominum nomina ubique obvia, quorum magnam nubem coegit Valeſius nec oblitus, qui ap. Ammian. ipſum eſt XVII, 4. Hermapionis cf. elegantiſſ. libellum Heinrichii Hermaphroditorum artis antiquae operibus illuſtrium origines et cauſae. Kilon. 1805. p. 13. Oraculum Beſae praeter Ammianum nemo commemorat. W.

Quondam] Hanc voculam, a ſciolo quippe ſerius intruſam, eiiciendam eſſe iudicabat van Dalen de Oraculis p. 521. propterea, quod e tota Ammiani oratione hoc oraculum ſua aetate adhuc conſultum eſſe pateat, neque edicta Conſtantini M. et ſucceſſorum ad abolendas eiusmodi ſuperſtitiones valuerint, id quod ex alio loco XIV, 7. appareat, ubi *templi* itidem *fatidici* mentio iniicitur. Equidem nihil offenſionis video, cum *quondam* ſignificare poſſit *inde a longo tempore.* W.

4. *Deſideriorum indice miſſa ſcriptura.*] De Heliopolitani Dei oraculo idem tradit Macrobius in lib. 1. Saturn. cap. 23. *Conſulunt hunc Deum et abſentes miſſis diplomatibus conſignatis: reſcribitque ordine ad ea quae conſultatione abdita continentur.* Ad eum morem referenda ſunt Libanii verba in πρεσβευτικῷ ſub finem: ἔχω σοῦ γράμματα παρὰ τῷ θεῷ κείμενα. VALES.

Miſſa ſcriptura.] Hanc eandem rationem et Delphis, et in oraculo Mopſi in Cilicia, et Heliopolitano ſervatam fuiſſe, uberius probat van Dalen de Oraculis p. 118. ſſ. W.

Supplicationibus expreſſe conceptis.] Erant apud veteres illos ſupplicationum ſollemnes formulae, quas migrare religioſum habebatur. Ideoque mos erat, ne quid verborum praeteriretur, de ſcripto praeire aliquem, rurſusque alium cuſtodem dari qui attenderet, ut ait Plinius in lib. 28. cap. 2. Iuvenalis Sat. 6. 390.

— — — ſtetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Protulit, ut mos eſt.

Digitized by Google

Hi cuſtodes a Tertulliano in Apologetico Monitores dicuntur. *Illuc*, ait, *ſuſpicientes Chriſtiani manibus expanſis, quia innocuis, capite nudo, quia non erubeſcimus, denique ſine monitore, quia de pectore oramus.* Ubi Tertullianus habitum orantium Chriſtianorum opponit Gentilium mori. Gentiles enim fere complicitis manibus et capite velato, et adhibito cuſtode ſeu monitore orabant. VALES.

5. *Anguſti pectoris*] anguſti et teneri XIV, 5. *Obſurdeſcens etiam in aliis nimium ſeritis* minime credulus in longe gravioribus. *In hoc titulo* rerum genere, XXI, 16. XXVIII, 4. Cf. laudatum ab Erneſtio Liv. III, 67. W.

Ima quod aiunt auricula mollior.] Cicero lib. 2. ad Quint. fratrem Ep. 15. *Auricula infima ſcito molliorem.* Catull. Epigram. XXV. 1.

— — — *mollior cuniculi capillo,*
Vel anſeris medullula, vel imula oricilla. LINDENBR.

Minutus] timidus. Reineſ. μικρόψυχος. — *Acri felle concaluit* ad iram exardeſcere coepit. W.

Audiri efficeret cauſas.] Audiri efficeret, ait, non autem audiret. Nam cauſarum cognitio Modeſto Comiti (poſtea Praefecto Praetorii XXIX, 1. W.) mandata erat. Paulus autem Notarius ad urgendum iudicium dumtaxat erat miſſus, ut Modeſtum in accuſatos laeſae maieſtatis acrius incitaret. Neque dubito, quin Paulus Notarius honoris cauſa Modeſto iudicanti adſederit cum aliis Honoratis. Interdum etiam Notarii a Principe miſſi pro tribunali cognoſcebant. Sic in Collatione Carthaginenſi iudex ſedebat Marcellinus V. Cl. Tribunus et Notarius: et Sozomenus in lib. 4. cap. IX. Notarium a Conſtantio miſſum Alexandriam, multos civium ſupplicio affeciſſe dicit: βασιλικός τις ταχυγράφος, ἐκ τοῦ τάγματος τῶν καλουμένων νοταρίων ἀποσταλεὶς τιμωρῆσαι πολλοὺς Ἀλεξανδρέων ἐβασάνισε. Denique apud Sulpicium in lib. 3. de vita Martini, Tribuni (non militares, ſed Notarii, ut opinor) ſumma poteſtate praediti, et cum iure gladii ad Hiſpanias delegantur a Maximo. Ceterum nomina eorum, qui praeſentes adſtiterant, cum cauſa iudicaretur, adnotabantur in actis, ut patet ex Collatione Carth. et ex lege 5. Cod. Theod. de fide teſtium. VALES.

6. *Hermogenes enim Pont. Praef. Praet.*] Hic Muſoniano ſeu Strategio ſucceſſerat, ut ait Libanius in Orat. de vita ſua, ubi eum a lenitate morum commendat, perinde ac Marcellinus hoc in loco. VALES.

8. *Civitas in Palaeſtina Scythopolis*] Bethſan, hod. Baiſan. v. Surita et Weſſeling. ad Antonini Itinerar. p. 197. *Secretior*, in qua tam triſtia ſpectacula tutius hominum oculis et auribus ſubtrahi poſſent. W.

Philippi ex Praefecto et Conſule.] Conſul fuit (Philippus) cum Sallia anno Domini 348. eodemque anno Praefectus Praetorio Paulum ex Conſtantinop. ſede, quam Romani Pontificis litteris munitus receperat, expulit iuſſu Conſtantii, impiumque Macedonium reſtituit, ut ex Athanaſii Apologia ad Conſtantium, et ex Actis Pauli Conſtant. aliisque diſcimus. *Oriundus fuit Theſſalonica urbe Macedoniae, ut ait Sozomenus in libri 3. capite 8.

Digitized by Google

Idem teſtatur vetus Inſcriptio Neapolitana, quam refert Gruterus pag. 1908.* Idem Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios eumdem Philippum nondum vertente anno, quo Paulum crudeliter occiderat, Praefectura bonisque ſpoliatum ac relegatum miſere periiſſe teſtatur: quod equidem demiror. Nam Zoſimus in lib. 2. c. 46. ubi Magnentianum bellum commemorat, eiusdem meminit paullo ante Murſenſe proelium. Κωνστάντιος ἐκπέμπει Φίλιππον ἐν μεγίστοις ἀξιώμασιν ἄνδρα καὶ φρονήσει προέχοντα. VALES. Plura de Philippo, et accuratius quidem Valeſio Ritter. in Proſopograph. Cod. Theodoſ. T. II. 2. p. 75. W.

Elogio iuſſu, ut ſaepe. *Qui* princeps *in his caſibus nec peccatum aliquando dederat* condonaverat, *nec erratum pietati* hominibus ſibi addictiſſimis? *Immaculato* illaeſo *corpore.* W.

Corpore immaculato lata fuga damnatus.] Inſeruimus vocem ex Mſ. nam in vulg. τὸ *lata* deeſt. Explicando loco faciunt Marciani I. C. verba ex L. 5. ff. de interd. et releg. *Exſilium triplex eſt, aut certorum locorum interdictio, aut lata fuga, ut omnium locorum interdictio, praeter certum locum, aut inſulae vinculum, id eſt, relegatio in inſulam.* LINDENBR.

Lata fuga.] Exſilii triplex genus eſſe ait Marcianus in lege 5. D. de interdictis et releg. aut certorum locorum interdictionem, puta cum alicui interdicitur ne Aegyptum adeat: aut latam fugam, ut omnia loca interdicantur praeter certum locum; verbi gratia cum quis extra territorium civitatis ſuae digredi prohibetur: aut denique inſulae vinculum. Lata fuga igitur eſt latum exſilium, collatione facta ad inſulare vinculum. Id genus exſilii intellexiſſe videtur Libanius in Orat. pro Ariſtophane (Reisk. I. p. 430.): μόνος δὲ οὗτος ἐκολάζετο περιγραπτοῖς ὅροις, ὧν ἐκτὸς οὐκ ἦν κινεῖσθαι. *Hic autem ſolus punitus eſt circumſcriptis finibus, extra quos egredi non licebat.* VALES.

10. *Parnaſius ex Praefecto Aegypti.*] Huius meminit Libanius in Epiſt. 352. et in Oratione luculenta pro Ariſtophane Corinthio. (Reisk. I. p. 429.) ἐπεθύμησε, ait, δυστυχῶς τῆς Αἰγυπτίων ἀρχῆς Παρνάσιος, etc. ubi multa de toto hoc negotio Parnaſii habes, quo involutus et ambuſtus fuit Ariſtophanes. Eidem Parnaſio ob reditum ab exſilio gratulatur in Epiſtola 718. quae ſic incipit: καὶ ὁπηνίκα τοῖς πολλοῖς ἀβυδηνοῖς ἐκείνοις περιέπεπτώκεις, ἤλγουν, καὶ νῦν εἰλημμένου σου τῆς κορίνθου καὶ τῶν πατρῴων ἀγαθῶν χαίρω. Id eſt: *Et cum in multos illos Abydenos incidiſti, dolebam: et nunc Corinthum, et paterna te bona recuperaſſe gaudeo.* Ubi in Abydenorum nomine iocus eſt elegans: nam Abydeni Graeco proverbio calumniatores dicebantur, et negotium illud quo vexatus fuerat Parnaſius, ex Abydo initium ſumpſerat, ut Marcellinus hic docet. In illis autem verbis: καὶ τῶν πατρῴων ἀγαθῶν videtur ad Patras alludere, quae fuit Parnaſii patria. VALES.

11. *Andronicus claritudine carminum notus.*] Huius meminit Libanius in Epiſtola ad Themiſtium 69. Ἀνδρόνικος ὁ ποιητὴς οὕτω διέθηκε πρὸς αὐτὸν τὰς μέχρι Αἰθιόπων πόλεις, etc. Eiusdem meminit in Orat. de vita ſua, pag. 50. Photius in Bibliotheca, poſt excerpta ex Helladio, ait in eodem volumine fuiſſe opera Andronici Decurionis Hermopolitani ad Phoebammonem Comitem Cynopolitanum: eumque fabulas et diverſi generis poëmata ſcripſiſſe:

Digitized by Google

pſiſſe: qui an diverſus ſit*) ab hoc noſtro, alii viderint. *De hoc intelligendus eſt Themiſtius in Oratione adverſus eos, qui Sophiſtam ſuum male interpretantur. καὶ εἰ μέν τις οἷόν τέ ἐστι ξυντιθέναι τραγῳδίαν καὶ ἐπη καὶ διθυράμβους, ὥσπερ ἔναγχος ἐπιδημήσας Αἰγύπτιος νεανίσκος, ἀλλ' ἀμαθής γε εἶναι ὁμολογεῖ τὴν ὑψηλοτέραν σοφίαν. VALES.

Purgando ſemper et fidentius] in amovendis refellendisque ſuſpicionibus perſtans. W.

12. *Demetrius Chytras cognom. Philoſoph.*] Hic eſt, ni fallor, Philoſophus Cynicus, qui Chytron dicitur a Iuliano in Orat. ad Heraclium p. 224. ed. Spanhem. quomodo Cynice ſit philoſophandum, ubi Cynicos omnes recenſet, qui ad Conſtantii Aug. Comitatum ſe contulerant ἀνῆλθεν ὁ Ἀσκληπιάδης, εἶτα ὁ Σεξτιανὸς, εἶτα ὁ Χύτρων, εἶτα οὐκ οἶδα παιδάριόν τι ξανθὸν καὶ εὔμηκες, εἶτα σύ. Quid enim haec Marcellini verba, *et corpore durus et animo*, annon aperte Cynicum denotant? Χύτρων autem et Chytras (ſic enim ſcribendum eſt) plane idem eſt. Obſervavi tamen huiusmodi ſcurrilia cognomenta fere per *as* efferri ſolere. Sic ſupra Euſebius Pittacas, et alter Euſebius Mattiocopas commemorati ſunt. Et Dioſcorides Φακᾶς cognominatus eſt, teſte Suida. Ammonius Philoſophus Σακκᾶς: Conſtantinus Magnus Τραχηλᾶς, teſte Cedreno; in Victoris Epitome c. 61. *Trachala:* Iohannes quidam Iuſtiniani temporibus Φαγᾶς, Procopio teſte, iisdemque temporibus alter Iohannes Δακνᾶς eſt dictus, ut refert Agathias in lib. 4. VALES.

Confutatus] convictus — *Scrutatis* paſſive, ut XXVIII, 1. Sed nec ſic ſatis capio. — *Nec enim quemquam hoc noverat affectare* neminem ſe credere ea de re oraculum conſuluiſſe. — Eadem *oraret* cauſſam pro ſe dicens oratione iuſta. W.

Quaſi e prompt. cella.] Eleganter Regius codex * et Toloſanus* ſcriptum habent, *quaſi e prompt. cella.* Sic Plautus in Amphitryone Actu 1. Sc: 1, v. 4. *Quaſi e promptuaria cella depromar ad flagrum.* In Editione Rom. excuſum eſt, *quaſce prompt. cella.* VALES.

E promptuaria cella.] Gloſſar. *Penuria cella et promptuarium,* ταμεῖον. Plaut. Amphitr. 1, 1, 4. *Velut e promptuaria cella depromar ad flagrum.* LINDENBR.

Egitque complures.] In Regio et Flor. codice, [Colbert.] *ac Toloſano* et in Editione Rom. legitur, *egerentque complures.* Unde nulla propemodum mutatione locum a Caſtello mirifice corruptum priſtino nitori reſtitui hoc modo: *Paulo ſuccentore fabularum crudelium quaſi e prompt. cella fallaciarum et no-*

*) Reineſius adſcripſerat: „Eſt. Iſte enim Ammiani e Caria fuit, hic Aegyptius Hermopolitanus, eique κοινοπολίτης Phoebammon, Comes ſc. Aegypti.“ Andronicus Car poſt iniuſte accuſatus apud Valentem damnatus eſt, id quod idem monuit Reineſius laudato Zoſimo IV, 15. W.

Digitized by Google

cendi ſpecies ſuggerente complures. quam ſcripturam veram huius loci eſſe vel ſonus ipſe demonſtrat. Poſſet etiam legi *egerente.* Porro ſuccentor fabularum is eſt, qui ὑποβολεὺς Graeco vocabulo dicitur, qui actoribus modos ac numeros ſuggerebat, ut docet Plutarchus in tractatu qui πολιτικὰ παραγγέλματα inſcribitur: μιμεῖσθαι τοὺς ὑποκριτὰς τοῦ ὑποβολέως ἀκούοντας καὶ μὴ παραβαίνοντας τοὺς ῥυθμούς. Et Dio in fine libri 61. de Nerone qui citharoedico habitu prodibat in ſcenam, καὶ αὐτῷ, inquit, ὁ Βοῦῤῥος καὶ ὁ Σενέκας καθάπερ τινὲς διδάσκαλοι ὑποβάλλοντές τι παρειστήκεσαν. Nec aliunde ſumpta metaphora S. Athanaſius dixit in Orat. 1. contra Arianos ſub finem: ὑποκρίνονται μὲν οὗτοι ἅπερ ἂν αὐτοῖς ὑποβληθῇ: et ſic intelligo quod in titulo Comoediarum Terentii toties legitur, *Modos dedit Flaccus.* VALES.

Prope dixerim.] Hac formula uti ſolemus, ubi plus nimio nos dicere ſentimus ipſi. cf. Miſc. Obſſ. T. x. p. 48. *Incedentium* tum in toto orbe terrarum viventium. W.

14. *Si quis remedia quartanae.*] Tale erat vetus illud ABRACADABRA, quod hemitritaeo depellendo ſalutiferum putabant: de quo Q. Ser. Sammon. c. 52. Et Marcell. Empir. cap. xv. remedium valde certum et utile faucium doloribus ait, ſi in charta, quae in Phoeniceo obvoluta lino colligatur, colloque ſuſpenditur, hi verſus ſcribantur:

Εἶδον τριμερῆ χρύσεον Τοάναδον,
Καὶ ταρταροῦχον Τουσάναδον,
Σῶσόν με σεμνὲ νεητέρων ὑπέρτατε.

*Tertull. adverſus Gnoſt. *de ſcorpii venenis*: —— *In remediis naturalia plurimum, aliquid et magia circumligat, medicina cum ferro et poculo occurrit,* c. 1.* O praeclarae artis ingens ludibrium! Sed ſuperſtitioſi illi φυσικὰ περίαπτα haec vocant, iisque arcanam quandam ſecretioris potentiae vim ineſſe aiunt, quae ab occultis tribuit miracula verbis: magno profecto errore. *Non enim (ut praeclare Tatianus inquit,) ὁ μεμηνὼς σκυτίδων ἐξαρτήμασι θεραπεύεται.* Itaque exſtirpando errori etiam artium ſecretarum curioſiſſimos magnam diligentiam adhibuiſſe ſcimus. Spartian. in Caracalla c. 5. (ubi vide Caſaub. p. 716. it. 718. cf. et Hemſterhuſ. ad Ariſtoph. Plutum p. 189. W.) *Damnati ſunt et qui remedia quartanis tertianisque collo annexa geſtarent.* Sancti ſane Patres in primogenia Eccleſia ſummo ſtudio anniſi ſunt, qui malum hoc prohiberent. *Chryſoſtomus ad Antiochenos Orat. 21. *Quid vero diceret aliquis de his, qui carminibus et ligaturis utuntur, et de circumligantibus aurea Alexandri Macedonis numismata capiti vel pedibus?** Exſtat ea de re Synodi VI. in Trullo can. LXI. ad quem Balſamonis haec verba ſunt: φυλακτήριοι, *hoc eſt remediorum ſeu amuletorum praebitores dicuntur, qui fraude daemonis eis qui a ſe decipiuntur, vincula quaedam ex ſericis filis contexta, quae et πύγγια dicuntur, praebent, quae aliquando quidem intus habent ſcripturas, aliquando vero falſa quaedam alia, quaecunque inciderint. Dicunt autem haec iuvare, ſi ex collis eorum, qui illa accipiunt, perpetuo pendeant, ad omne malum vitandum.* Et quid aliud, τὸ πρῶτον τοῦ κατὰ Ἰωάννην εὐαγγελίου, vel Pythagorae τὸ τρίπλουν τρίγωνον collo appendere, quam vetitis artibus levamen dolorum inde exſpectare? adeo nec

noſtro quoque ſaeculo tam peſtilens ſuperſtitio inviſa! LINDENBR.

Si qui remedia quartanae.] Huc referenda eſt lex 6. Cod. Theod. de Maleficis et Mathem. data ad Taurum Praef. Praet. Euſebio et Hypatio Coſſ. Sic enim emendanda ſubſcriptio.*) VALES.

Sive per monumentium tranſiſſe.] Ad magiam rite perficiendam *vel membrorum medelam,* etiam mortuorum *aut ora, ut Apuleius Mileſ. 2. p. 55 Floridi ait, paſſim demorſicabantur, aut* oſſa iam carioſa conquirebantur. Porphyrius de Abſtinentia ab eſu animal. lib. II. pag. 33. (p. 190. Rhoer.) Τῶν ἀτάφων — — σώμασιν, οἷς καὶ οἱ γόητες καταχρῶνται πρὸς αὐτῶν ὑπηρεσίαν, βιαζόμενοι τὴν τοῦ σώματος, ἢ μέρους τοῦ σώματος κατοχήν. Apuleius* Mileſ. lib. 2. p. 53. Floridi: *Oppido formido caecas et inevitabiles latebras magicae diſciplinae. Nam ne mortuorum quidem ſepulcra tuta dicuntur: ſed et buſtis et rogis reliquiae quaedam et cadaverum praeſegmina ad exitiabiles viventium fortunas petuntur.* *Idem Mileſ. III. p. 87. Floridi: *Apparatu ſolito inſtruxit feralem officinam, omne genus aromatis, et ignorabiliter laminis litteratis, et infelicium manium durantibus calvis deſletorum, ſepultorum etiam cadaverum expoſitis multis admodum membris.** Tatianus adverſus Graecos p. 203. Τῶν ῥιζῶν αἱ ποικιλίαι, νευρῶν τε καὶ ὀστέων παράληψις, οὐκ αὐταὶ καθ' ἑαυτὰς δραστικαί τινές εἰσι, στοιχείωσις δέ ἐστι τῆς τῶν δαιμόνων μεχθηρίας.* Unde gravis haec querela Iohan. Chryſoſtomi Hom. 38. in Matthaeum: Εἰς τοῦτο ἤγχονται μαγγανείας, ὡς μηδὲ τὰ ὀστᾶ τῶν κατοιχομένων κινεῖν ὑκνεῖν. LINDENBR. cf. Canidiam Horatii, Epod. 17, 47. 48, W.

Ludibria vana inanes larvas *colligens* captans, ſollicitans. W.

15. *Clarum*] Ioniae oppidum, ubi Apollinis Clarii oraculum. *Dodonaeae arbores* Iovi ſacratum nemus, ubi antiquiſſimum omnium orculum, *effata Delphorum olim ſollemnia.* W.

Effata Delphorum.] Oracula Delphica: quo ſignificatu libro XXVIII. c. 1. *Parentis effata, quid augurales alites vel cantus monerent oſcinum adprime callentis.* *Varro de Ling. Latin. lib. 5. p. 54. ed. Scalig. 1581. *Effata dicuntur, quod augures finem auſpiciorum caeleſtium extra urbem agris ſunt effati.** Vid. Hadriani Iunii Animadverſ. lib. III. cap. 10. LINDENBR.

16. *Fatum eius ingens.*] In codice Regio, [et Colbertino,] *ac Toloſ.* ſcribitur *vigens.* VALES.

*) „Non autem video rationem emendationis tuae. Ego vero potius corrigere malim locum *Arimini*, et legere *Sirmii;* ibi enim praeſens tum in ſynodo fuit Imp. A. 358. Datiano et Cereali Coſſ., ut teſtatur editio. Occaſione Synodi, quae A. 359. Euſebio et Hypatio Coſſ. Arimini fuit habita, putavit Valeſ. et Imperatorem ibi tum fuiſſe, quod ſecus eſt. Fuit enim Conſtantinopoli." Haec adſcripſit Reineſius. W.

Digitized by Google

17. *Inquiſitum fortius*] ſeverius. Sic Graeci *ἰσχυρῶς ἀναζητεῖν*. Cf. Miſcell. Obſſ. novae T. x — xii. p. 342. *Cuius* (ſalutis principum) *redimendae* ſervandae. Laudat Erneſtius Drakenborchium ad Liv. v. 51. — *Maieſtas pulſata* laeſa. W.

Nullam Corneliae leges exemere fortunam.] Exſtat nunc ea de re Conſtitutio Valentiniani, Valentis, et Gratiani, L. 1. C. Theod. et L. 4. C. Iuſtin. ad L. Iul. Maieſtat. nam Corneliae Legis, in qua de maieſtatis crimine plenius actum, uti hoc loco Ammianus et Cicero, C. Cornelium hac lege accuſatum defendens, arguunt, verba periere. LINDENBR.

Corneliae leges.] Legem Corneliam maieſtatis memorat Cicero in Piſonem c. 21. Sed poſtquam Iulius Caeſar leges Cornelias emendavit ac ſupplevit, lex Iulia maieſtatis exinde ſemper dicta eſt, ut patet ex Iure Civili. Atque hinc eſt, quod Suetonius in Nerone legem Iuliam vocat, quae eſt Cornelia de ſicariis et veneficis. Nam Locuſtae excuſanti minus veneni Britannico datum ad occultandam caedis invidiam, reſpondet Nero: *Sane*, inquit, *legem Iuliam timeo.* Ceterum quod ait Marcellinus, in crimine maieſtatis nullam haberi dignitatis rationem, ſic effertur Graece in Homilia xiii. Chryſoſtomi ad populum Antiochenſem: *ἔνθα γὰρ ἂν ᾖ καθοσίωσις, ἀξίωμα οὐδὲν ὠφελεῖ.* VALES. Cod. Theod. Lib. ix. Tit. 35. in maieſtatis crimine omnibus aequa eſt conditio. W.

19. *Daphne amoenum et ambitioſum* magnificum *Antiochiae ſuburbanum προάστειον* Dio 51, 7. Libanius in Antiochico Vol. i. p. 301. Reisk. rectius vicus haud procul ab urbe, nam ſuburbana non ſemper proxime ſunt ad pomoerium ſita, ſed pluribus paſſuum millibus diſtant, vid. ad xxvi, 4, 3. Nobilitatus is vicus erat maxime luco temploque Apollinis et Dianae, ubi Antiochenſes aliique finitimi ad celebranda feſta convenire ſolebant, xxii, 13, 1. Strabo Lib. xvi. p. 750. Liban. l. c. p. 350. ſſ. Priſcarum amoenitatum nihil hodie reſtat, v. Volney Reiſen Th. ii. p. 117. locusque iam olim terrae motu, imperante Traiano, deſtructus teſte Euſtathio ad Dionyſ. Perieget. p. 190. Conf. Gisb. Cuperi Sylloge nova Epp. T. i. p. 376. et Tzſchuck. ad Eutrop. vi, 14. W.

Infans ore gemino.] Sic tempore Apollonii Tyan. apud Syracuſas infans capite trigemino natus, tribus Impp. Galbae, Vitellio, Othoni tragicum exitum portendit. Philoſtrat. lib. v. cap. 5. Et Mauricio Imp. triſte omen, in proaſtio Urbis C P. puer natus quadrupes, alius biceps. Additque Theophyl. Simocat. qui hiſtoriam narrat, lib. vi. *λέγουσι οἱ τὰς ἱστορίας μετ' ἐπιμελείας συγγράψαντες, μὴ εἶναι εἰς ἀγαθὸν τὴν ταῖς πόλεσιν ἐπιφάνειαν.* Atque id ipſum eſt, quod Ammianus ait: *Partus ita diſtortus praemonebat Rempub. in ſtatum verti debere deformem.* Vid. Iul. Obſequent. et Cedren. in Theodoſ. LINDENBR. Vid. Heynii proluſ. de Ammiano p. cxxxv. W.

20. *Non expiantur ut apud veteres.*] D. Hieronymus Epiſt. 63. *Legamus veteres hiſtorias, et maxime Graecas et Latinas, et inveniemus luſtralibus hoſtiis, ſecundum errorem, portentoſas ſoboles tam in hominibus, quam in armentis ac pecudibus ex-*

Digitized by Google

piatas. Eius rei plura exempla apud T. Livium et alios leguntur. LINDENBR. De expiatione *(procuratione)* portentorum vid. Cicero de Divinat. II, 63. W.

CAPVT XIII.

1. *Isauri diu quieti*] cf. XIV, 2. Sub Valente denuo insurrexere XXVII, 9. — *Praetenturas* in praesidiis stantes milites XIV, 3. — *Ex usu* diuturna consuetudine. W.

2. *Lauricius, adiecta Comitis dignitate.*] Huius Lauricii Comitis per Isauriam meminere Scriptores Historiae Eccl. eumque una cum Leona (quem Marcellinus in lib. XX. c. 9. Quaestorem nominat) interfuisse ex more narrant Synodo quae Seleuciae in Isauria habita est hoc ipso anno, Eusebio et Hypatio Coss. Apud Socratem in lib. 2. λαυρίκιος ὁ τῶν κατὰ τὴν Ἰσαυρίαν στρατιωτῶν ἡγούμενος dicitur. VALES. Isauriā *Comites* habebat rectores, uti Castricium XIV, 2. W.

Digitized by Google

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XX. C. I.

1. *In Britanniis cum Scotorum Pictorumque gentium ferarum.*] Claudian. de Bello Gothico v. 417.

Venit et extremis legio praetenta Britannis,
Quae Scoto dat frena truci, ferroque notatas
Perlegit exsangues Picto moriente figuras. LINDENBR.

Scoti Pictique] qui primum hic iuncti in historia occurrunt, Mannert p. 90. Plura de iis infra ad XXVII, 8. W.

Quiete condicta] pace cum Constante Augusto facta, quam expeditionem uberius in deperditis libris, uti paullo post ipse ait, Ammianus descripserat. — Hic locus monente Ernestio fugiebat Gronovium Obss. I, 1. demonstrare conantem, et honeste dici *condicere* et alia, praeter coenas et inducias, condici. Conf. XXVI, 6, 14. W.

Vicina vastarentur.] Cum in Mss. omnibus atque in Editione Romana legatur *vastarent*, sic totum locum scribendum esse censeo: *Cum Scotorum, Pictorumque gent. fer. excursus rupta quiete condicta, loca lim. vicina vastarent.* VALES.

Fecisse Constantem.] Constans Aug. in Britanniam insulam traiecit: ut barbaros coerceret qui insulam infestabant; quam expeditionem Marcellinus noster in gestis Constantis non praetermiserat quinetiam occasione sumpta, ut solet, tractum Britanniae descripserat, ut ipsemet testatur in lib. 27. Ea autem Constantis expeditio contigit post victoriam de Francis, teste Libanio in Orat. quae *βασιλικὸς* inscribitur. Haec porro victoria de Francis refertur ab Idatio et Socrate Consulatu Constantii III. et Constantis II. qui annus erat Domini 342. Proinde in sequentem annum cadit expeditio Britannica. Quod etiam ex subscriptione legis 5. Cod. Theod. de extraordin. acute notavit Iac. Gothofredus in Notis ad Expositionem totius mundi. VALES.

2. *Mittere igitur ad haec loca ad rationes componendas.*] Haec est P. Castelli coniectura: nam in Editione Rom. excusum erat hoc modo: *Ire igitur ad haec ratione vel componenda, etc.* prout etiam in Regio ac Flor. codicibus scriptum reperi. Unde proclive erat veram scripturam deprehendere. Sic enim in fine libri superioris locutus est Auctor noster: *Ad quos vi vel ratione sedandos Lauricius missus est Rector.* VALES.

Digitized by Google

Lupicinum, Magiſtrum armorum (XVIII, 2. equitum, quod idem eſt) *ſupercilia erigentem ut cornua* (i. e. altius. Sic elatus in arduum ſupercilium XVI, 10. 12.) *et de tragico cothurno ſtrepentem* ſublimibus et ſesquipedalibus verbis, nec ſine impetu loquentem. W.

3. *Velitari auxilio*] levis armaturae ſociis, vid. Notitia Imp. p. 1829. Graev. *Aerulis et Batavis*, qui iunguntur etiam XXVII, 1. 8. Batavi, olim Germani, Catti, iam ante Iul. Caeſaris tempora a popularibus domicilia transferre coacti ad Vahalin fluvium conſederant. Aeruli (Heruli) origine Gothi, ſedes deinde fixerunt in Gallia, Mannert Germ. p. 394. W.

[*Numerisque Moeſiacorum duobus.*] Numeros Ammianus Marcellinus modo pro legionibus, modo pro cohortibus tantum aut auxiliis ſumit. Nomine autem hoc non tantum Marcellinus et Notitia Imperii Rom. aliique eorum temporum Scriptores, ſed etiam veteres Auctores utuntur. Hirtius in libro VIII. de bello Gallico c. 54. *Cn.* inquit, *Pompeius legionem primam, quam ad Caeſarem miſerat confectam ex delectu provinciae, Caeſari eam tamquam ex ſuo numero dedit. Caeſar tamen Pompeio legionem remiſit, et ex ſuo numero Quintamdecimam, quam in Gallia citeriore habuerat, ex SC. iubet tradi. Ex ſuo numero dare,* aut *tradere legionem,* idem eſt, atque ex copiis ſibi Senatusconſulto attributis, vel ex ſuo exercitu, quem SC. obtineat. In libro I. de bello civili c. 20. *Omnes Domitium circumſiſtunt et cuſtodiunt, legatosque ex ſuo numero ad Caeſarem mittunt.* Sermo eſt de cohortibus XXX. quae Corfinium ſub Domitio tenebant. *Ex ſuo numero,* id eſt, ex ſuo corpore, et nomine totius praeſidii. Suetonius in Auguſto capite XVII. ſcribit, eum *turbatum nuntiis de ſeditione militum, quos ex omni numero confecta victoria Brundiſium praemiſerat, repetiſſe Italiam. Ex omni numero,* id eſt, ex omnibus legionibus. Et in Veſpaſiano cap. 6. ſex militum millia, ſeu *bina e* III. *legionibus Moeſiacis millia, numeros* appellat. *Et tum quidem,* ait, *compreſſa res eſt, revocatis ad officium numeris parumper.* Cedrenus tradit Marcianum qui poſtea imperavit, tum gregarium militem, e Graecia ad bellum Perſicum cum ſuo numero profectum eſſe. στρατιώτης λιτὸς ὢν πρὸ τούτου Μαρκιανὸς κατὰ τοῦ ἰδίου νουμέρου ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος κατὰ Περσῶν ἀπῆει: *cum ſuo numero,* id eſt, cum ſua legione. Moeſiacos porro in duos minimum numeros diviſos fuiſſe, indicant ſupra laudata Marcellini verba. Nuper repertus eſt in urbe Mettis lapis, cum munitionum fundamenta iacerentur, ita inſcriptus: D. M. APOLLINARI EX ORDINE MESIACORUM HOC MONUMENTUM COMMILITONES POSUERE. *Meſiacorum* heic mendoſe ſcriptum pro *Moeſiacorum:* ut mihi affirmavit vir clariſſ. atque doctiſſimus humaniſſimusque, a quo ipſam Inſcriptionem accepi, Aimericus Bigotius Rotomagenſis, inter amicos meos haud poſtremo loco numerandus. Ex ea Inſcriptione iudicari poteſt, Moeſiacos tum Mediomatricis ſeu Mettis urbi clarae praefediſſe: quos ſolum intra Gallias tum militaſſe docet Marcellinus. Sed poſtea ſub Valentiniano eiusque ac Theodoſii filiis Mettis in praeſidio fuit legio *prima Flavia,* quae principatu Conſtantii, ſive aetate Ammiani Marcellini noſtri, una cum legione prima Parthica Singarae in Meſopotamia praefederat: ſicuti in Notitia Galliarum obſervavi, Notitiam Imperii Rom. ſecu-

Digitized by Google

tus. In lapide quem laudavi, Apollinaris *ex ordine Moesiacorum* fuisse dicitur, id est, ex corpore Moesiacorum, ex numero, vel ex legione Moesiacorum. Mentio autem *Deorum Manium* indicat aperte, hominem a Christiana religione alienum, et vano Deorum cultui addictum fuisse.] VALES.

Dux antedictus Bononiam venit.] Tabula Itineraria vetus: *Gesforiaco, quod nunc Bononia.* *Annal. de Gestis Caroli Magni p. 180. *Bononiam Gallicam civitatem maritimam.** Galli *Bologne* vocant. Vid. Explicat. Fragmentorum Tabulae antiquae Marc. Velseri pag. 37. LINDENBR. Vid. Mannert Gallia p. 164. W.

Ad Rutupias sitas ex adverso.] Anglosaxonibus hodie *Richborow* dicitur. Vid. Guilel. Cambdeni Britanniam, et quae notat M. Velserus ad Fragm. Tabulae antiquae, pag. 19. LINDENBR.

Rutupiae aliis Ritupae (Richborough.) Vid. Wesseling. Itinerar p. 463. Mannert Britannia p. 179. *Lundinium* (London) Wesseling p. 471. — De reditu Lupicini e Britannia vid. infra c. 9. W.

CAPVT II.

1. *Post oppugnationem*] durante adhuc obsidione. cf. XIX. 3. *Ut praediximus* XVIII, 5. W.

2. *Arbetionem* v. Ind. 1. *et Florentium Magistrum Officiorum* XV, 5. W.

3. *Eusebius Cubiculi Praepositus*] cuius commendatione Sabinianus magister equitum creatus erat. W.

4. *Qui audiebatur*] reus. Tali circumscriptione et alias utuntur Romani, v. c. is, *a quo petitur*, i. e. debitor de aere alieno accusatus. *Emendata fide* meliora et veriora edoctus. — *Defrustandae* Romanorum imperio eripiendae. Eadem vox est XXXI, 2. W.

5. *Immodico saltu promoto.*] Lib. XXII. c. 4. *Ab egestate infima ad saltum sublati divitiarum ingentium.* Lib. XXVI. c. 6. *Promotus repentino saltu Patricius.* L. 8. C. de advoc. diversi. iud. *Permutationum saltibus superiore gradu captato.* Sic in Iure Canonico *per saltum promoveri*, c. 1. dist. 52. et cap. unic. de Cler. per saltum prom. LINDENBR.

Agilone — immodico saltu promoto ex Gentilium Scutariorum Tribuno, cum nondum Comes fuisset. De ipso homine vide Ind. 1. W.

CAPVT III.

1. Per Orientis tractus sol defecerat, unde Ammianus ad eclipses Solis et Lunae digrediendi occasionem captat, in quo tamen scientiam iustam et accuratam facile desiderabunt periti. Magis perspicue de iis exposuit Seneca de Benefi. V, 6. — *Diutius* solito. *Lunae cornicudantis*, falcatae, XXII, 14. W.

Digitized by Google

In ſpeciem auctum ſemenſtrem.] Semenſtrem pro ſemimenſtrua poſuit: quam ſpeciem Graeci διχόμηνον vocant. Sic in Gloſſis veteribus, *ſemenſtre*, ἡμιμήνιον: *ſemenſtris*, ἡμιμηνιαῖος. Vetus Poëta Aſtronomicῶν in Catalectis Scaligeri p. 240.

Iam cur ſemenſtri non ſemper palleat orbe,
Inflexi praeſtant obliquo tramite curſus.

*Poſtremo vetus Scholiaſtes Iuvenalis in ſatiram 7. *Semeſtris*, inquit, *Luna dicitur, quum menſis medium permenſa eſt ſpatium.* Sed et Apuleius in libro 1. Metamorphoſeos non procul ab initio: *Earumque media ſemeſtris Luna flammeos ſpirabat ignes.** VALES.

2. *Cum ad inaequales curſus intermenſtruum Lunae ad idem revocatur.*] Inf. *Niſi tempore intermenſtrui deficere viſam nusquam Lunam.* Cleomedes: ὅπερ ἐν μόνῃ τῇ πανσελήνῳ συμβαίνειν δυνατόν. Lib. II. cap. 6. περὶ τῆς σελήνης ἐκλείψεως. Q. Curt. lib. IV. c. 10 *Scirent temporum orbes implere deſtinatas vices, Lunamque deficere, cum aut terram ſubiret, aut Sole premeretur.* Vid. Geminum cap. περὶ ἐκλείψεως τῆς σελήνης. Plin. lib. 2. cap. 10. LINDENBR.

Intermenſtruum Lunae.] Intermenſtruum pro plenilunio uſurpat Marcellinus infra, cum ait nonniſi tempore intermenſtrui deficere viſam usquam Lunam. Sed in loco quem prae manibus habemus, ineptum eſt de plenilunio intelligere. Itaque paene adducor ut credam ſic Marcellinum ipſum ſcripſiſſe: *Cum iter menſtruum Lunae ad idem revocatur initium.* VALES. Hoc ego ſolum verum putans recepi. W.

In domicilio eiusdem ſigni in eodem ſigno. *Lineamentis rectiſſimis* linea recta, vid. infra XXII. 15, 31. et Daviſ. ad Cicer. Acad. II, 36. *Minutis* punctis. W.

Atque in his paullisper conſiſtit minutis.] Quod Latinis *minutum*, id Graecis eſt τὸ λεπτόν. Pappus Alexandr. ἡ δὲ μοῖρα (ἔχει) λεπτὰ ξ. Auguſtin. de Civit. Dei cap. v. lib. 2. *Non ad minuta incomprehenſibilia, ſed ad temporum ſpatia pertinet, quae obſervari notarique poſſunt.* LINDENBR.

Partes appellat.] Mſ. *partium partes appellat.* Plin. lib. II. cap. 10. *ſcripula partium* dixit. LINDENBR.

3. *Cauſarum intelligibilium* adſpectabilium — *Perenni diſtinctione* eadem ſemper diſtantia — *velut libramento quodam* directione rectiſſima media inter *igneum orbem* ſolem, et adſpectum noſtrum *opponitur*, curſum peragit. W.

4. *Parili comitatu*] aequali ſemper ſpatio diſtantes. *Proprios circulos.* Proprium motum opponunt Aſtronomi *communi*, quo ſtellae omnes ab oriente ſole occidentem verſus feruntur. W.

Ptolemaeus exponit.] τῆς μαθηματικῆς συντάξεως lib. VI. LINDENBR.

ΕΚΛΕΙΠΤΙΚΟΥΣ ΣΥΝΔΕΣΜΟΥΣ.] Cleomedes in lib. 2. etiam συναφὰς dici adnotat: ὥστε οὕτως ἔχων τὸν διαμέσου κατὰ δύο σημεῖα τέμνει ἀναγκαίως, ὃς ἡλιακὸς καὶ ἐκλειπτικὸς καλεῖται. ταύτας οὖν τὰς τομὰς οἱ μὲν συναφὰς, οἱ δὲ συνδέσμους καλοῦσιν. Hinc Sol apud Nonnum in lib. 38. Dionyſ. monens Phaëthontem ſic loquitur 253.

Digitized by Google

Ἄκρα δὲ συνδέσμοιο φυλάσσεο, μὴ σχεδὸν ἕρπων
Ἁρμασιν ἡμετέροις ζοφοειδέα κῶνον ἑλίξας
Φέγγος ὅλον κλέψειεν ἐπισχιόων σέο δίφρῳ.

Adde Chalcidium in Timaeum Platonis. VALES. Nos: *auf- und abſteigende ecliptiſche Knoten.* W.

Praeſtrinxerint] leviter tetigerint, et obliquius. *Defectus erit dilutior,* ita ut pars tantum ſolis obumbretur. W.

6. *Sol autem geminus.*] Exempla adducit Plin. lib. 11. cap. 31. *Albae duo Soles viſi.* Livius lib. 17. pag. 323. LINDENBR.

Aeternorum ignium ſolis *propinquitate colluces*, ubi ſolis ſplendor, in ſolidum quippe corpus incidens, denſitate eius reflectitur, ideoque alterum quaſi ſui exemplar *tamquam e ſpeculo puriore* repraeſentat. W.

7. *Partibus*] gradibus. W.

8. *Circa terrenam mobilitatem* terram mobilem *locata et a coelo totius pulchritudinis* omnium pulchrorum coeli luminum *extima* infima — *ferienti ſe ſubſerit luci* eum locum obtinet, ut feriri poſſit a ſole, ſed *obiectu metae noctis in conum deſinentis anguſtum* umbra terrae in coni formam eum tegente *parumper* ex aliqua tantum parte *latet umbrata.* (Cicero de Divinat. II, 6. *Incurrit in umbram terrae, quae eſt meta noctis.* Idem de Nat. Deor. II, 40. (Luna) *tum ſubiecta atque oppoſita ſoli radios eius et lumen obſcurat: tum ipſa incidens in umbram terrae, cum eſt e regione ſolis, interpoſitu interiectuque terrae repente deficit.)* — Tum vero *nigrantibus involvitur globis*, totus obſcuratur, ſi *ſol ſphaerae inferioris* terrae *curvamine circumfuſus* obtectus, vel quod perſpicuitatis cauſa adiectum: *mole obſiſtente terrena*, nam idem eſt cum proxime praecedentibus (omnino eiusmodi pleonasmi per totum caput obvii, qui vel gloſſatori antiquo debentur vel ipſi Ammiano, qui, quae ſuo more quaeſitius dixiſſet, dilucidius deinde et minus docte efferre voluit.) W.

9. *Aequis partibus*] linea recta. W.

Μήνης *Graece σύνοδος dicitur.*] Ita membranae antiquae. Codex Flor. *univae Graec.* vulgati libri, *mene Graece ſynod.* Eſt autem τῆς μήνης σύνοδος, quae σεληνιακὴ σύνοδος Gemino pag. 152. LINDENBR.

ΜΗΝΗΣ *Graece* ΣΥΝΟΔΟΣ.] Luna a Graecis olim dicebatur μήνη. Varro in lib. 5. de lingua Lat. *Sic menſis*, ait, *a Lunae motu dictus, dum ab Sole profecta rurſus redit ad eum Luna, quod Graece olim dicta* μήνη: *unde illorum* μῆνες, *ab eo noſtri.* et D. Ambroſius in Ep. 83. denique Theon in Arati Prognoſtica: μὴν etiam a Graecis vocata eſt Luna, ut ſcribit Cleomedes in lib. 2. ubi quatuor τοῦ μηνὸς ſignificationes affert. Prima eſt Lunae, tunc cum corniculata eſt: ἡ σελήνη, ὅταν ἡ σιγμοειδὴς τῷ σχήματι, μὴν καλεῖται. Ceterum Editio Rom. excuſum habet hoc in loco, *unine Graece ſynodos.* Codex autem Regius, *quae Graece ſynodos dicitur:* [Colbertinus, *univae ſynodos dicitur;*] *Toloſan. ſimpliciter, *Graece ſynodos dicitur.* VALES. Cur igitur in editis hic ordo non ſervatur? GRONOV.

10. Addit quaedam Ammianus in univerſum de *phaſibus*, quas vocant, Lunae. *Naſci* in novilunio. *Mortalitati* quaelite pro hominibus, ut XIV, 11. XV, 1. XXI, 1. W.

Digitized by Google

Ad quintum pervenerit ſignum.] Scribendum eſt *ad quartum:* ut ex ſequentibus patebit. Nam Luna cum LXXXX. partibus, quos vulgo gradus vocant, a Sole receſſerit; tum διχότομον σχῆμα exhibet: quam dividuam ſeu dimidiam Lunam vocant Apuleius et Marcianus Capella. VALES.

Fit Graeco ſermone διχόμηνος] Agnoſcunt hanc lectionem retro Editiones, licet in quibusdam libb. διχότομος ſcriptum ſit, in Mſ. *dichomenis:* utramque vocem retinuit Achilles Statius in Arati Phaenom. cap. περὶ σελήνης, pag. 92. Ἀνατέλλει δὲ *(Luna)* οὐχ ὅλον τὸ φῶς ἔχουσα περιφερὲς, ἀλλὰ μηνοειδὴς, μέχρι δὲ τοῦ ἡμίσεως αὐξηθεῖσα γίνεται διχότομος. Ἐὰν δὲ τὸ δίμοιρον περιφωτισθῇ, καλεῖται ἀμφίκυρτος· πληρωθεῖσα δὲ γίνεται πληροσέληνος, πανσέληνος, καὶ διχόμηνις. Πεντεκαιδεκαταία γάρ ἐστι πληρωθεῖσα, ὅ ἐστιν ἥμισυ μηνὸς, διχαζομένων τῶν λ. ἡμερῶν· καὶ πάλιν αὖ ἀπὸ τῆς πανσελήνου ἄρχεται μειοῦσθαι, καὶ γίνεται πρῶτον ἀμφίκυρτος, εἶτα μηνοειδής. Cleomedes κυκλικῆς θεωρίας lib. II. ex eo Hero Alexandr. Eratoſthenes, Theon Alexandr. in Arati Phaenom. ad illum verſum, Οὐχ ὁράας, ὀλίγη μὲν ὅταν κεράεσσι σελήνη. Papp. Alexandr. εἰσαγωγ. τῶν ἀποτελεσμ. pag. 27. Macrob. in Somn. Scipion. lib. I. Marcian. Capella. LINDENBR.

ΔΙΧΟΜΗΝΟΣ.] In Regio et Flor. *Toloſ. Vatic.* [ac Colbertino] exemplaribus, et in Editione Rom. legitur *dichomenis*, quod idem eſt. διχόμηνον autem pro διχοτόμῳ hic ponitur: ut apud Alexandrum Aphrod. in lib. I. problem. de Luna: ἐν μὲν γὰρ τῷ διχομήνῳ σχήματι ὑγρὰ καὶ θερμὴ πῶς ἐστιν, ἐν δὲ τῷ πανσελήνῳ θερμὴ καὶ ξηρὰ πῶς· ἐν δὲ τῇ ἀποκρούσει ξηρὰ καὶ ψυχρά· ὅτε δὲ ἀφώτιστος, ὑγρὰ καὶ ψυχρά. Ubi manifeſte διχόμηνον poſuit pro διχοτόμῳ. Similiter Nonnus in lib. 4. Dionyſ. 381.

Ἀμφιφανὴς, διχομηνὶς, ὅλῳ στίλβουσα προσώπῳ.

Alias διχόμηνος, et frequentius, pro plenilunio ſumitur, ut apud Geminum et Achillem Tatium in Arati Phaenomena. Et Scholiaſtes Apollonii, διχομηνὶς, ait, idem eſt ac παντέληνος. Unde Gelenius cum mendum hic eſſe putaret, διχότομον correxerat: ſed falſus eſt, ut dixi. VALES.

II. *Diſiunctiſſimoque ſigno arrepto.*] Sic primus edidit Caſtellus, inepte: quem miror tamen comitem erroris habuiſſe Sig. Gelenium. Sed Accurſius edere maluit, prout in Mſ. codice ſuo repererat, *diſiunctiſſimo quintoque ſigno.* Neque aliter habet Editio Rom. et codex Regius ac Flor. *Toloſ. Vatic.* [ac Colbert.] Proinde non dubitavi, quin ita ſcribendum eſſet leviſſima mutatione: *Procedens deinde iam diſiunctiſſime, quintoque ſigno, etc.* VALES.

Figuram monſtrat ἀμφικύρτου.] Pappus Alexand. Ἀμφίκυρτος δὲ ἐστὶν, ὅταν εἰς τὸ ἑπόμενον μέρος τοῦ ἡλίου ἀποδιαστῇ μοίρας ιγ. ἐπὶ τριγώνου πλευρᾶς καθεστῶσα. LINDENBR.

ΑΜΦΙΚΥΡΤΟΥ.] Gleomedes in lib. 2. ſcribit antiquos tres tantum Lunae formas atque habitus agnoviſſe, τὸ μηνοειδὲς, τὸ διχότομον, τὸ πεπληρωμένον, id eſt, corniculatam Lunam, dimidiam, ac plenam: recentiores vero quartum addidiſſe τὸ ἀμφίκυρτον σχῆμα, quam protumidam Lunam vocat Apuleius de Deo Socratis: quae maior quidem eſt dimidia, minor autem plena, quod ego inventum a Philippo Medmaeo Aſtrologo exiſtimo. Sic enim

Digitized by Google

Plutarchus in libro, quo docet non posse iucunde duci vitam ex Epicuri secta: Εὐκλείδην γράφοντα τὰ διοπτικὰ, καὶ Φίλιππον ἀποδεικνύντα περὶ τοῦ σχήματος τῆς σελήνης. Seleuco tamen id tribuit Clemens lib. 6. VALES.

Vocamus Πανσέληνον] Mſ. *vocamus* ACTOKPICIN. Stephani Editio ἀπόκρισιν: unde coniicere possumus ἀπόκρουσιν in quibusdam exemplaribus scriptum fuisse. Pappus Alexand. Ἀπόκρουσις ἐστὶν, ὅταν ἡ σελήνη παραλλάξῃ τὴν κατὰ διάμετρον ἡλιακὴν μοῖραν. LINDENBR.

Vocamus ΑΠΟΚΡΟΥΣΙΝ.] Cum in Mſ. Vatic. [Colbertino,] Fl. et Falch. exstare intellexissem ἀστόκρισιν; in Regio autem reperissem αὐτόκρισιν: non dubitavi quin legendum esset ἀπόκρουσιν: maxime cum in Editione Basilienſi ἀπόκρουσιν legeretur. Est autem ἀπόκρουσις ille Lunae habitus, quem Medici barbaro vocabulo declilunium vocant: ut in Alexandri Aphrod. loco quem proxime citavi, et apud Clementem Alex. in lib. 6. Stromat. In Glossis *interlunium* vertitur ἀπόκρουσις σελήνης. *Hinc ἀποκρουστικὴ σελήνη dicitur a Proclo in Hesiodi dies pagina 170. quum minuitur.* VALES.

Easdem formas] quas crescendo induerat, decrescens. W.

12. *In aethere*] in nostro finitore (ὁρίζοντι). *In mundo inferiore*, partibus nobis oppositis. W.

In mundo interiore.] Mallem *inferiore*. VALES.

Terra spiritus cuiusdam interni motu suspensa.] Plerique veterum terram sustineri ab aere crediderunt. Sed ex his alii ab aere externo quasi comprimi, et in statione sua contineri eam aiebant, quod egregie explicat vetus Isagoge in Arati Phaenomena. Anaximenes quidem, qui terram planam esse dicebat, eam ab aere vehi affirmabat, teste Plutarcho in lib. 3. cap. 15. de placitis Philosoph. Alii vero ab aere interno et quasi congenito portari terram aiebant, teste Seneca in lib. 6. Nat. quaest. cap. 16. in qua opinione videtur fuisse Marcellinus noster. Vide et Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 21. ut Lucanum Claudianumque praeteream. VALES.

Nunc coelo infixas suspicere stellas — arbitrari.] Sensus quidem apertus: stellas nunc coelo fixas et immobiles esse, nunc moveri loco homines existimare. Sed non una premit difficultas locum. Quod opponuntur *nunc* et *aliquoties*, insolitum quidem alias videri possit, nec tamen Ammiano, vide XIV, 2. XXIV, 7. cet. Minus placent verba, *quarum ordo est sempiternus*, quae sic posita, non suo loco stare, et glossema sapere videntur; haereo tamen potissimum in voce *suspicere*, quae unde pendeat, vel quo referenda in sequentibus sit, fateor me non videre. Facile quidem, quod et mihi accidit, praesertim ob sequentem Infinitiv. *arbitrari*, in eam sententiam adduci possis, ut τὸ *suspicere* itidem Infinitivum putes verbi *suspicere*, sursum videre, quae tamen significatio huc nullo modo quadrat. Manet praeterea incommodum, ut, unde Infinitivi *suspicere* et *arbitrari* pendeant, non appareat. Aliam igitur viam ingressus tentavi, an proficerem aliquid, si *suspicere* syllaba penultima producta legerem, (ut persona esset 2. Praes. Coni. verbi suspicari) tum vero *arbitrari* mutarem in *arbitreris*. Vel sic tamen locus manet hiulcus eo, quod post *puncti* aliquid excidisse, fortasse vocula *ut* videatur: *ut suspiceris — arbitreris*. W. Mira sane dictionis affectatio,

Digitized by Google

ſed nihil mutandum. Infinitivos *ſuſpicere* et *arbitrari* ſic explico, ut ſubintelligam *eos*, ſc. obtutus. Eadem inſolentia dixit *variae opiniones collegerunt* XX, 3. ERF.

CAPVT IV.

1. *Urebant Iuliani virtutes.*] Urere proprie de invidia dicitur. Sic Horatius Ep. II, 1, 13.

Urit enim fulgore ſuo, qui praegravat artes
Infra ſe poſitas.

et Livius in lib. 40. c. 14. *Quin tu*, inquit, *omiſſa iſta nocturna fabula ad id quod doles, quod invidia urit, praeverteris?* Petrus quoque Chryſologus in Sermone 48. *Inter ſuos poſſe, morſus eſt: aduſtio eſt, inter cives eminere. Proximos proximorum urit gloria. Propinqui, propinquo ſi honorem debeant, computant ſervitutem.* Et in Sermone 12. 28. et 122. Et generaliter quidquid pulcritudine excellit, urit oculos, ut apud Terentium in Eunucho, et eumdem Horatium in Odis: *Urit me Glycerae nitor, etc.* VALES.

Vehens adoreas celſas] Adoreae quum proprie eſſent frumenta pro praemiis militibus poſt victoriam data, deinde pro laudibus gloriaque, magis tamen poetis uſurpata, cf. XXV, 3. W.

2. *Metuensque ne augeretur in maius.*] Invidia igitur et metu (quae vitia Principibus familiaria ſunt) adductus Conſtantius Iulianum Caeſarem deprimere conſtituerat. Ac de invidia quidem teſtatur Mamertinus in Panegyrico ad Iulianum, et Libanius in Orat. Conſulari his verbis: ἀλλὰ γὰρ οἷς τοὺς πολεμίους ἐξέπεμπτες, τὸν διὰ σοῦ νικῶντα ἠνίας. οὕτω δύσμαχόν τι νόσημα φθόνος. Idem in Orat. funebri pag. 282. et Zoſimus in lib. 3. c. 8. VALES.

Stimulante (ut ferebatur) Florentio.] Ita certe prodit Iulianus ipſe in Epiſt. ad Athen. VALES.

Stimulante Florentio Praefecto] ſc. Galliarum, quem maligno in Iulianum animo fuiſſe novimus ex XVII, 3. — *Aerulos et Batavos* de quibus ad c. 1. *Petulantibus* (vid. Ind. II.) iuncti h. l. *Celtae*, ut XXI, 3. XXXI, 10. W.

Ex numeris legionibus *aliis trecentenos*, ſatis multos, ſi diſtributive ſumas. — *Primo vere.* Gibbonus T. V. p. 225. memoriam fefelliſſe Ammianum exiſtimat eo, quod, cum c. 1. *hiems adulta* et hoc noſtro loco *primum ver* nimis exiguo temporis intervallo diſtent, milites e Gallia in Syriam ante menſem Septembrem pervenire non potuiſſent. Sed iniuriam facit Ammiano meo: namque, ut ex tota narrationis ſerie patet, Conſtantius hoc conſilium copias a Iuliano poſtulandi ſtatim poſt captam Amidam praecedentis anni autumno ceperat, iuſſaque ſua miſerat in Galliam eo tempore, quo *Lupicinum cum Aerulis et Batavis in Britanniam abiiſſe nondum compererat.* W.

3. *Lupicinus conventus eſt*] „i. e. iuſſus, ſ. coactus eſt. Hoc ſignificatu occurrit hoc verbum in Cod. Theodoſiano.“ Sic Erneſt. W.

Sintula iubetur.] *Singula* dicitur tum in Editione Rom. tum in Mſ. Regio, [Colbertino] ac Florentino. In Epiſtola Iuliani ad

Athen. Γιντόνιος. τὸ στρατιωτικὸν ἅπαν ἀδιαλείτως τὸ μαχιμώτατον ἀπαγαγεῖν τῆς γαλατίας ἐκέλευσεν, ἐπιτάξας τοῦτο τὸ ἔργον Λουπικίνῳ τε καὶ Γιντονίῳ. VALES.

Sintula Tribunus ſtabuli] v. Ind. II. W.

6. *Magiſtri equitum*] Lupicini. W.

Olim paullo ante *Viennam ſpecie annonae parandae digreſſum* (idque omnino ad munus eius pertinebat, nam quum exercitum ducere Magiſtri militum eſſet, Praefectus tamen Praetorio necellitates omnes exercitui parare debebat) revera autem, ut, quas praevidiſſet, *turbas militum* ex iuſſis Conſtantii a ſe ſtimulati, v. ſupra et quae ſtatim ſequuntur, orituras effugeret. W.

7. *Numeros barbaris iam formidatos*] qui, uti hucusque Alamannis formidabiles fuiſſent, ita et Perſis metum eſſent iniecturi. W.

8. *Ab Imperatore nusquam diiungi* praeſentem eſſe *debere Praefectum* (v. Ind. II. v. Praefectus Praelens) *in ardore terribilium rerum*, ubi pericula reip. imminerent. W.

Si procurare diſſimulaſſet.] In Regio codice ſupraſcriptum eſt eadem manu *procurrere*, quam equidem coniecturam valde probo. VALES.

Procurrere] in conſpectum venire, ad comitatum redire. *Diſſimularet*, negligeret, uti XXI, 3. *Glorioſum eſſe — oppetere.* Deeſt *magis* vel *potius* more Graeco. vid. Valeſ. ad XXVI, 4. W.

Iuſſa morte oppetere.] Cum ſcilicet ad iuſſum et alterius arbitrium anima ponitur, id eſt, morte biothanata, ut ait Firmic. lib. III. cap. 6. *Tacitus Annal. 16. cap. 17. *Accepto iuſſae mortis nuntio ſemet interfecit.* Idem Annal. 15. cap. 68. *Iuſſam poenam ſubiit.* Seneca Natural. Quaeſt. lib. 2. cap. 59. *Quid intereſt, utrum ad mortem iuſſi eamus, an ultronei?** Contrarium eſt, *ſua morte defungi*, apud Sueton. in Caeſare c. 89. Firmicus lib. III. cap. 18. *Longaevus, in ſenectute felix, et qui ſua morte moriatur.* LINDENBR.

Interitum ſibi aſſignari.] Sic primus edidit Gelenius, cum in Editione Rom. legeretur, *quam et provinciarum interitum aſſignari:* prout etiam in exemplari Regio [et Colbertino] *ac Toloſ.* ſcriptum reperi. Ego vero non dubito quin legendum ſit, *quam ei provinciarum interitum aſſignari.* VALES.

9. *Conſiliorum*] conſiliantium, Praefecti et Magiſtri militum, quorum alter non poſſet, alter nollet adeſſe. W.

Via ſollemni.] In exemplari Regio [et Colbertino] *ac Toloſano,* et in Editione Rom. legitur, *vita ſollemni.* Unde Gelenius ex coniectura, ut arbitror, emendavit, *via ſollemni*, id eſt, militari ſeu publica: quod equidem non damno. Coniiciebam tamen aliquando, gravius hic vulnus latere, ac fortaſſe ita ſcribendum eſſe, *teſſera data ſollemni.* Sic in lib. 14. c. 2. *Rectores militum teſſera data ſollemni armatos omnes celeri eduxere procurſu.* VALES.

10. *Famoſum quidam libellum.*] Zoſimus lib. III. c. 9. ἀνώνυμα γραμμάτια τῶν στρατιωτῶν ἐν μέσῳ κατὰ τὸ λελησθὲς διαῤῥίψαντες, etc. LINDENBR.

Caritates vero noſtrae.] Libanius in Orat. funebri p. 284. ait uxores ex quibus milites liberos ſuſceperant, pueros et infantes

mammis applicitos militibus oſtendiſſe, orantes et obteſtantes, ne ſe ipſas, ne liberos prodere vellent. Ex quibus patet, militibus tunc temporis licuiſſe uxores habere: quod confirmat etiam lex 6. et 7. Cod. Theod. de tironibus. VALES.

11. *Clavularis curſus facultate.*] Clabularis curſus, ὁ διὰ τῶν ὀχημάτων δρόμος. Mentio eius in multis Conſtitutionibus Cod. Theod. et L. 22. C. Iuſtin. de curſu publico. *Clabulae* vox apud Varronem exſtat de Re Ruſtica lib. 1. cap. 40. et Non. Marcel. in voce *Taleis*. LINDENBR.

Clavularis curſus.] Clabularis (ſic enim ſemper in Codice ſcribitur) curſus militibus concedebatur, quoties ex aliis in alia loca celeriter transferri eos oporteret, ut eſt in lege 22. Cod. de curſu publico. Et Marcellinus noſter in lib. 21. c. 13. §. 7. de Conſtantio: *Ut vehiculis*, ait, *publicis impoſitum paullatim praemitteret militem.* Denique Sulpicius in Dialogi 2. de virtutibus beati Martini capite IV. *Interim*, inquit, *per aggerem publicum plena militaribus viris fiſcalis reda veniebat.* Ceterum clabulare a veredo, biroto, et reda diſtinguit Imperator in lege 2. Cod. Theod. de Curioſis. *Ne redam*, inquit, *uſurpet, cui birotum, vel veredum poſtulare vel clabulare permiſſum eſt.* Reſtat igitur, ut clabularis curſus idem ſit qui angarialis: quod confirmare videtur lex 5. Cod. tit. Angariae autem erant capaciſſima vehicula ac ſolidiſſima, utpote quibus mille et quingenta pondo imponerentur, cum redae mille dumtaxat imponi deberent, ut eſt in lege 30. Cod. Theod. de curſu publico. Aegrorum autem militum dumtaxat cauſa hic clabularis curſus permittebatur, ut opinor: et id innuit lex XI. Cod. eodem. *De clabulari curſu locus eſt inſignis in Excerptis Iohannis Philadelphenſis Lydi, de menſibus et feſtis Romanorum. Κλαβουλάριος (inquit) ὀχηματικὸς δρόμος. κλάβον γὰρ τὸν ὄλκα καλοῦσιν.* [Clabularem vel clavularem curſum diverſum eſſe a curſu publico notat P. Pithoeus ad oram Ammiani ſui: et curſus quidem publici Ammianum meminiſſe in libris XX. ac XXI.] VALES.

Clavularis (rectius clabularis) *curſus facultate permiſſa* quam nonniſi principes dare poterant, cf. infra c. 8. extr. Vid. omnino Ind. II. v. Curſus publicus. W.

Placuit per Pariſios homines tranſire.] Contra conſilium et monita Iuliani, qui id maxime diſſuaſerat, veritus ne, id quod accidit, milites viſo Caeſare res novas agitarent: ut ſcribit Libanius in Orat. funebri, et Iulianus ipſe in Epiſt. ad Athenienſes. VALES.

12. *Princeps occurrit ex more.*] Sic exiſtimavi locum hunc interpungi debere, quod Iulianus in dicta Epiſtola confirmat. ἦλθε τὰ τάγματα· ὑπήντησα κατὰ τὸ νενομισμένον αὐτοῖς. Id eſt: *Adveniunt militares ordines. Ego eis obviam ex more proceſſi.* Ipſi quinetiam Auguſti legionibus obviam procedere honoris ſolebant cauſa. Oroſius in lib. ult. de Arcadio: *Et dum Imp. Arcadius ſecundum conſuetudinem ad portas occurrit exercitui remeanti, etc.* Zoſimus etiam in lib. 5. c. 7. eamdem narrans hiſtoriam: ὑπαντῆσαι τοῖς στρατιώταις εἰσίναι μέλλουσιν παρεκάλεσε τὸν βασιλέα Γαΐνης· ταύτης γὰρ τῆς τιμῆς ἠξιῶσθαι τοὺς στρατιώτας ἔλεγε σύνηθες εἶναι. *Gainas Imperatorem militibus occurrere monuit: hunc enim militibus honorem haberi conſue-*

visse. Omitto Claudiani versus ex lib. 2. (v. 344. 366.) in Rufinum. Nec longe abhorret ab hac consuetudine, quod refert Theophyl. Simocatta in lib. 3. initio, morem antiquum fuisse, ut Magister militum ad regendas legiones missus a Principe, occurrentibus sibi honoris causa militibus equo descenderet, et inter armatos medius incedens, universos comiter salutaret: quem morem cum sprevisset Priscus, merito in offensionem militum venit. VALES.

14. [*Omnes petivere Palatium.*] Eius Palatii apud Parisios infra (hoc ipso capite) sic meminit Marcellinus. *Milites occupavere volucriter Regiam.* Ib. *Aliquis Palatii Decurio*, etc. Et infra c. 8. *Nocte in unum collecti Palatium obsedere.* Iulianus in litteris ad Constantium Aug. *Nocte in unum collecti Palatium obsedere, Iulianum Aug. vocibus magnis appellantes et crebris.* Amplum autem fuisse hoc Palatium indicat hisce verbis: *Omnes petiverant Palatium, et spatiis eius ambitis, ne ad evadendi copiam quisquam perveniret*, etc. In capite v. Disceptationis de Basilicis observavi, in hocce Palatio Parisiaco Iulianum biennio, Valentinianum quoque maiorem 2. annis hiemem egisse, quam Regiam nostri *domum Thermarum, et Palatium Thermarum* appellaverint. Iam tum ergo clara erat urbs Lutecia, et omnibus ad capiendum alendumque Comitatum Imperatorium rebus necessariis instructissima, cum et Palatium spatiosum extra insulam suam, et ampla suburbana, ac campum magnae multitudinis capacem, in quo milites exercebantur, iam haberet. *Suburbana* Luteciae, id est domos extra insulam et ultra pontes positas praesertim ad meridiem versus memorat Marcellinus in libro XX. *Placuit per Parisios homines* (i. milites) *transire: eisdemque adventantibus, in suburbanis Princeps occurrit ex more.* Campi apud Parisios ibidem meminit Marcellinus: *Edicto, ut futura luce cuncti convenirent in Campo; progressus Princeps* (Iulianus) *ambitiosius solito tribunal adscendit.* Eo in Campo Iulianus et a militibus Gallicanis congregatis Augustus per vim est appellatus, et concionem ad milites habuit, ac paullo post repetitis acclamationibus militum ac populi in Imperio est confirmatus. *Ingressus Parisios Leonas, postridie Principi progresso in Campum cum multitudine armata pariter et plebeia, quam de industria convocarat, et Tribunali ut emineret altius superstanti, scripta iubetur offerre.* Et in libro XXI. c. 2. init. *Cum apud Parisios adhuc Caesar Iulianus quatiens scutum variis motibus exerceretur in Campo: territis ut omine diro praesentibus cunctis, etc.* id est, militibus, qui et ipsi ibidem exercebantur. Exercitationes autem istae militares in Campo extra urbes fieri consueverant: ut appareat Campum, in quo Iulianus cum militibus suis apud Luteciam exercebatur, extra urbem fuisse: quod et ipsum campi nomen indicat. Quare et Suetonius hasce exercitationes, quae in Campo Martio Romae fieri solebant, *exercitationes campestres* appellat in Octavio Augusto capite 83. *Exercitationes*, inquit, *campestres equorum et armorum statim post bella civilia omisit.* Locus erat VII. ab urbe Constantinopoli millibus distans, *Hebdomon* vel *Septimum* ob id dictus, Basilica S. Iohannis Baptistae, et *Campo* ubi milites exercebantur, ac *tribunali* insignis, in quo Augusti nuncupabantur. De eo Campo Hebdomi, qui semper extra urbem fuit, auctor Historiae Miscellae in libro XVII. sic scribit: *Tum Phocas Macrobium Scribonium*

Digitized by Google

Soniam iuſſit ſagittari apud Septimum, pendentem in lancea in qua tirones exercebantur, quaſi conſcium inſidiarum ſuarum. Armorum doctores, quorum opera et virtute milites exercebantur in Campo, a loco exercitii nomen habuere, et *Campidoctores* atque *Campigeni* ſunt appellati. HADR. VALESIUS.

Palatium] a Normannis poſtea dirutum. Vide Gibbonum T. v. p. 233. ſq. W.

Magnitudine ſonus] ſoni. Sed et alibi, v. c. XXVII, 1. *ſonus* pro ſono. W.

15. *Mente fundata*] conſtanter. cf. XXIX, 5. XIV, 9. W.

Nunc indignari ſemet oſtentans.] Hoc in loco triumphat Libanius, tum in Orat. funebri citata. tum in προσφωνητικῷ ad Iulianum: ὡς καλὸν μέν σου τὸ διωθεῖσθαι τὴν δόσιν, κάλλιον δὲ ἐκείνων τὰ κατεπείγειν τὴν λῆψιν. Vide Iulianum in Ep. ad Athen. Ex quibus apparet vi ac militum ſeditione coactum Iulianum diadema ſumpſiſſe; idque etiam confirmat Eutropius in lib. ult. et ex Chriſtianis Socrates atque Sozomenus. Quae cum ita ſint, immerito S. Gregorius in στηλιτευτ. 1 obiicit Iuliano: καὶ τὸ μὲν πρῶτον αὐτῷ τῆς αὐθαδείας καὶ ἀπονοίας ἑαυτὸν ἀναδῆσαι καὶ τῇ μεγάλῃ προσηγορίᾳ κοσμῆσαι, ἣν οὐχ ἅρπαγμα τύχης, ἀλλ' ἀρετῆς ἆθλον, ἢ χρόνος, ἢ ψῆφος βασιλέως χαρίζεται, ἢ τῆς συγκλήτου βουλῆς ὡς τὸ παλαιὸν κρίσις. Id eſt: *Ac primum temeritatis eius ac veſaniae illud fuit, quod ipſe ſibi diadema impoſuit, ac Auguſtum nomen aſſumpſit: quod non fortuito rapi, ſed in praemium virtutis aut temporis lapſu, aut Principis lectione, aut Senatus, ut olim, iudicio dari conſueverat.* Ecquid vero amplius in Tyrannum dixiſſet? Nam ἀπόνοια proprie de iis dicitur, qui Imperium per vim occupant. Tertullianus in lib. 1. ad Nationes, cap. 17 veſaniae crimen appellat, et Marcellinus Comes in Chronico, ubi de Gildone. Aurelius Victor in Severo dementiam appellat: *Cum omnes praecipueque poſteri ſic habent, illa ingenia niſi publico latrocinio ac per dementiam opprimi non potuiſſe.* Item in Conſtantio ubi de Silvano loquitur. Quo etiam pertinent verba illa Ciceronis in 4. Catilinaria: *Qui autem ex numero civium dementia aliqua depravati hoſtes patriae ſemel eſſe coeperunt:* et ſimiliter in Philipp. 4. ac 5. Denique Livius in lib. 4. de Sp. Maelio. VALES.

17. *Impoſitusque ſcuto pedeſtri.*] Ritus huius ſollennia iam olim ad Hiſtoriam Longobard. notata: itaque in praeſentiarum Zoſimi tantum verba hic adſcribere lubet, rem eandem narrantis lib. 3. c. 9. Σὺν οὐδενὶ κόσμῳ κατάγουσι τὸν Καίσαρα, καὶ ἐπί τινος ἀσπίδος μετέωρον ἄραντες, ἀνεῖπόν τε σεβαστὸν αὐτοκράτορα, καὶ ἐπέθεσαν σὺν βίᾳ τὸ διάδημα τῇ κεφαλῇ. *Vid. Aimoinum, qui optime de hoc ritu libro III. capite LXI. Vid. Conſtant. Imp. de Adminiſt. Imperii cap. 38. p. 120.* LINDENBR.

Impoſitusque ſcuto pedeſtri.] Libanius in προσφωνητικῷ de hoc ſcuto: ὦ μακαρίας ἀσπίδος, ἣ τὸν τῆς ἀναῤῥήσεως ἐδέξατο νόμον, πρεπωδεστέρας σοι παντὸς εἰωθότος βήματος. *O felix ſcutum, in quo ſollemnis inaugurationis mos peractus eſt, omni tibi tribunali convenientius!* VALES.

Scuto pedeſtri ampliori, quo pedites uterentur, *impoſitus.* De hoc more, ante Iulianum inuſitato, vide praeter Pithoei Ad-

verſaria II, 6. p. 97. ſſ. *C. G. Schwarzii* Diſſ. *de antiquo ritu elevandi principes inaugurandos* Altorf. 730. vel ſororem eius natu minorem praeſide Klotzio a Wohlfahrtio quodam Halae 1770. in ſcenam productam. W.

Nullo ſilente.] Sic Accurſius emendavit non male, atque ita coniecit P. Pithoeus in lib. 2. Adverſ. p. 98. Sed cum Mſſ. Regius et Flor. [ac Colbertinus] Editioque Rom. praeferant *pullo ſilente*, erit fortaſſe, qui eam ſcripturam tuebitur: ut Marcellinus his verbis deſignet horam diei, qua Iulianus ab exercitu coronatus eſt. Id autem contigiſſe ὥρᾳ που τρίτῃ, ait Iulianus in Ep. ad Athen. p. 284. ed. Spanh. Igitur *pullo ſilente* hora eſt qua ſilent galli, quos pullos antiqui vocabant. Sic apud Evangeliſtam in Mſ. Bibliothecae Regiae legitur, *tertio pullo ter me negabis.* *Sic in Mſ. exemplari Evangelii ſecundum Matthaeum titulus capitis 27. ita concipitur: *Petro dicit, quod tertio pullo abnegaturus eum eſſet.* Et in Actibus Mſſ. Iohannis Evangeliſtae capite 9. de vocatione S. Apoſtoli: *Et a primo pullorum cantu agens myſteria Dei, omnem populum usque ad horam diei tertiam allocutus eſt.** VALES.

Nullo ſilente] i. e. uno omnium ore, ut XV, 8, 15. *Nemo poſt haec finita reticuit.* Cellarius ad Zoſimum III, 9. p. 570. Reitem. ubi Ammiani locus laudatur, neſcio unde legit: ſublatus *eminus populo* ſilente. Magis arridet, quam plures Codd. praeferunt, lectio: *pullo ſilente*, i. e. ubi galli canere deſinunt, tertia hora, qua Iulianus haec peracta eſſe ipſe teſtatur in Ep. ad Athenienſes. Ad pullos defendendos attulerat Valeſius aliquot loca ex Evangeliariis Mſtis, ubi in hiſtoria paſſionis dominicae de Petro legitur *tertio pullo* ter me negabis. Huic lectioni favere quodammodo apud ipſum Ammianum XXII, 14. obvia *gallicinia ſecunda* recte monuerat Erneſtius; tum vero ita pergit: Enimvero, quum neque in Blanchini Evangeliario, neque apud Sabaterium reperire nobis licuerit confirmationem illius lectionis, quod futurum utique erat, ſi Mſſ. illi bonae notae fuerint: in hanc ſuſpicionem adducti ſumus, ut vanitatis illud omne praeſidiorum genus merito accuſari debere cenſeremus. Hactenus Erneſtius, qui tamen non perſuaſit. Etiamnunc praetulerim, doctiorem quippe et exquiſitiorem, ſcripturam *pullo*, nec tamen in contextum recepi. W.

18. *Qui rem male geſſit apud Succorum anguſtias, Petulantium tunc haſtatus.*] Meminiſſe pudet erroris, qui olim hunc locum foedarat. Sed bene, quod tandem melius habere coepit. Et quidem *Petulantium* crebra hic mentio; et in Notitia Imp. habentur *Petulantes iuniores, Petulantesque ſeniores*, quorum ea tempeſtate confidentia creverat ultra modum, ut inquit Ammian. lib. XXII. c. 12. Ex hoc ergo numero Maurus quoque fuit ſignifer, homo venalis ferociae et ad cuncta mobilis, ut de eodem iterum (cum rem apud Succorum anguſtias male geſſiſſet) Ammianus loquitur lib. XXXI. c. 10. LINDENBR.

Abſtractum ſibi torquem.] Idem tradit Libanius in Orat. funebri, et Iuiianus in Ep. citata. Sed omnium optime Zonaras, cuius verba plane cum Marcellini verbis conſentiunt. ζητουμένου δὲ τοῦ διαδήματος, ἵν' αὐτίκα τούτῳ ταινιωθείη, ἐκεῖνος μὲν ἔχειν ἐξώμνυτο· τινῶν δὲ κόσμον αἰτούντων γυναικεῖόν τινα, ἵν' ἐκ τούτου σχεδιασθείη διάδημα, παρῃτήσατο τοῦτο Ἰουλιανὸς ὡς ἀπαίσιον οἰω-

νόν· ἐπεὶ δὲ χρύσειόν τις τῶν ταξιαρχῶν ἐφόρει στρεπτὸν λίθους ἔχοντα χρυσοδέτους, τοῦτον λαβόντες τῇ ἐκείνου προσήρμοσαν κεφαλῇ. Id eſt: *Cum autem diadema quaereretur, quo confeſtim coronari poſſet, ipſe quidem iurabat ſibi nullum eſſe: ſed cum illi ornamentum aliquod muliebre poſcerent, ex quo tumultuarium diadema componeretur; Iulianus id tamquam omen infauſtum recuſavit. Cum igitur quidam ordines ducens, torquem aureum haberet, in quo lapilli erant auro vincti, eum capiti ipſius circumdederunt.* VALES.

Torquem, quo ut Draconarius utebatur.] Modeſtinus lib. de vocab. rei mil. *Signiferi qui ſigna portant, quos nunc Draconarios vocant. Dracones enim per ſingulas cohortes a Draconariis feruntur ad proelium.* De torque ibidem quoque Modeſtinus addit: *Torquarii duplares, torquarii ſimplares, quibus torques aureus ſolidae virtutis praemium fuit.* Ita Maximus Imp. cum adhuc vulgaris eſſet, ob robur corporis quod in lucta militari oſtendit, torque aureo donatus fuit, ut Iordanes ex Symmacho refert. *Sic Hypatium, cum contra Iuſtinianum Imp. coniuraſſet, torque aureo pro diademate redimitum loca Imperatoris occupaſſe ſcribit Iordanes de Regnor. Succeſſ. p. 63.* LINDENBR.

Torquem quo ut Draconarius utebatur, capiti Iuliani impoſuit.] Socrat. Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 1. ὡς δὲ στέφανος βασιλικὸς οὐ παρῆν, εἷς τῶν δορυφόρων ὃν εἶχε περιτραχήλιον ἑαυτοῦ στρεπτὸν λαβὼν περιτίθησι. Caſſiodorus Hiſtor. Tripart. lib. VI. cap. 1. *Quumque corona deeſſet Imperialis, unus ſignifererum torquem quem habebat in collo, ſumens Iuliani capiti circumpoſuit.* LINDENBR.

**Torquem, quo ut Draconarius utebatur.*] Cl. Salmaſius iampridem per litteras admonuit me, mendum heic ſubeſſe. Draconarios enim longe differre ab Haſtatis. Nam Haſtatus erat unus ex quinque Ordinariis: quorum primus dicebatur Centurio primi Pili: ſecundus dicebatur primus Princeps: tertius primus Haſtatus: quartus ſecundus Haſtatus: quintus Triarius prior, ut docet Vegetius in libro II. Quae nomina ex vetere militia remanſerant, abolita iam legionis in Haſtatos, Principes ac Triarios diviſione. At Draconarius erat, qui draconem portabat. Quocirca cenſet vir doctiſſimus, ſcribendum heic eſſe: *quo ut Ordinarius utebatur.* Sane Zonaras Maurum hunc ταξίαρχον vocat, id eſt Ordinarium. Sed forſitan melius ſit ac verius, nihil mutare. Potuit enim Maurus, Haſtatus cum eſſet, draconem gerere, vel privilegio ac conceſſione Ducis, vel ex more. Nam ut Primipilus aquilae praeerat, interdumque eam portabat, teſte Lipſio libri 2. de Militia capite 8. ſic etiam Haſtatum draconi praefuiſſe credi poteſt. Ceterum non placet Lipſii ſententia, qui in libro 2. de Mil. capite 1. Haſtatos ait ab Ammiano dici, qui haſtis ſtabilibus, non autem velitaribus pugnent, et qui in Gloſſis κοντοφόροι dicantur.* VALES.

Quinos aureos] ſolidos etiam aevo Conſtantiniano dictos, viginti quinque denariis, vel centum ſeſtertiis pares, quibus ad valorem noſtrum computatis Imperiales habebis quatuor, et quod excurrit. Plura vide ap. Gronovium de Seſtertiis Lib. IV. c. 13. *Argentique ſingula pondo*, noſtrae monetae Imperiales viginti et ſedecim groſſos. VV.

20. *Aliquis Palatii Decurio.*] Decuriones Palatii viri Clariſſimi dicebantur aetate Symmachi, ut legitur in Auctario Epiſtolarum eiusdem. Praeerant autem, ut videtur, Silentiariis. Nam in Codice Iuſtin. titulus peculiaris eſt de Silentiariis et Decurionibus eorum: ac fere cum Silentiariis iunguntur, ut in lege 5. Cod. Theod. de diverſis officiis, et lege 4. de glaebali onere, in qua ſacri Conſiſtorii Decuriones vocantur. Eorumdem mentio fit in lege un. Cod. Theod. qui a praebitione tironum. Iulianus in Epiſt. ad Athen. p. 285. Spanh hanc rem commemorans, Decurionem hunc Palatii delignat: τὸν τῶν ἐπιτεταγμένων τῇ πρόοδῳ τῆς ἐμῆς γαμετῆς. Id eſt: *Qui procedentis in publicum uxoris meae anteambulonibus et officiis praepoſitus erat.* Decanum deſcribere voluiſſe exiſtimes. Nam Decani cum faſcibus Imperatori praeibant, ut poſtea dicam. Sane Decanus et Decurio parum inter ſe differunt. *In Statuto Vigilii Papae de tribus Capitulis, Theodorus quidam memoratur, *Vir Magnificus Decurio Palatii.* Idem in Collatione 1. Synodi V. CP. *Vir Spectabilis Silentiarius* dicitur. VALES. Vid. Ind. II. v. Decurio. W.

Clam interemptum.] Libanius in Orat. funebri revera conſpirationem in caput Iuliani initam eſſe teſtatur, corrupto eius Cubiculario a Conſtantii fautoribus: ſed conſpiratione brevi patefacta, ne Cubicularium quidem ipſum poenas dediſſe. Iulianus in Epiſt. ad Athen. p. 285. Spanh. ait, a Conſtantianis diviſam clam eſſe pecuniam inter milites, eo conſilio ut aut diſcidium inter eos excitarent, aut in Iulianum ipſum impetum facerent. VALES.

21. *Criſpantes* vibrantes, XIV, 2. XXVII, 10. *Domeſticorum Comes Excubitor nomine* ſcil. huius viri proprio, uti paullo ante Maurus *nomine* quidam. Alia ratio eſt loci XXIII, 5, 12. ubi τὸ *nomine* gloſſema Stewechio videtur. W.

CAPVT V.

1. *Convenirent in campo.*] Militaris ſermo, ut inf. cap. 9. §. 6. *Principi progreſſo in campum cum multitudine armata.* Lib. XXVII. *Progreſſus in campum, tribunal adſcendit.* Veget. de Re mil. lib. II. cap. 22. *Ad decurſionem campi exeunt milites.* Lib. III. cap. 4. *Campi curſionem (ut ipſi vocant) inſpectionemque armorum aſſidue faciant.* *Tertull. ad Martyres cap. 3. *Etiam in pace labore et incommodis bellum pati iam ediſcunt:* (milites) *in armis deambulando, campum decurrendo, foſſam moliendo.** LINDENBR. Cf. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 473. W.

Ambitioſius] magnificentius Auguſtae dignitatis inſignibus decoratus. W.

Signis aquilisque circumdatus et vexillis.] Haec fere ſemper occurrunt in his libris, quoties Imp. milites ad concionem clallico convocatos alloquitur. Ineſt autem in iis mos antiquus obiter notandus: quem unice declarat Georgius Cedrenus. Scribit enim vexilla a Latinis dici vela quadrangula ex auro et purpura contexta. Ea longis ſuſpenſa contis geſtantes, circa Imperatoris latus incedunt, eumque ſic protegunt: ταῦτα ἐξαρτῶντες ἐπὶ μα-

Digitized by Google

χρῶν δοράτων κύκλῳ παραπορευόμενοι τῶν βασιλέων κατασκέπουσιν αὐτούς. Exemplum eſt apud Tacitum in lib. I. Hiſt. c. 36. *Tantusque*, ait, *ardor, ut non contenti agmine et corporibus, in ſuggeſtu, in quo paullo antea Galbae ſtatua fuerat, medium inter ſigna Othonem vexillis circumdarent.* Et in lib. 2. c. 29. *Laudantes gratantesque circumdatum aquilis ſignisque in tribunal ferunt.* VALES.

Saeptusque totis.] In Mſ. Regio, [et Colbert.] et in Editione Rom. legitur *ſeptusque totius*; unde effeci, *ſaeptusque tutius.* VALES.

2. *Ut intelligi poſſit*] Haec verba gloſſam ſapiunt. *Simplicibus* popularibus, ſine ornatu. W.

3. *Vitam obieciſtis*] abieciſtis, animarum fere prodigi. — *Ad poteſtatum omnium columen* culmen, ſummam Auguſti dignitatem, paullo poſt: altius faſtigium maieſtatis. — *Ut remedia permutatae rei rata colligantur et cauta*, ut cum ſemel eo perventum ſit, quid porro prudenter et tuto agendum, diſpiciamus. W.

4. *Vobiscum perſpicuus*] ubique praeſens. — *Diſperſa gentium confidentia*, plurium Germaniae populorum audacia repreſſa. *Pauca* Erneſti ſupplet: hoſtium millia, ego vero malim referre ad *civitatum excidia*, quibus aptiora ſunt quae ſequuntur *ſemi-integra* et *perſultaret.* W.

5. *Vigore uſusque diuturnitate fundati*, ad fortitudinem diuturna conſuetudine obdurati. *Paucis relictis* amiſſis. *Celebri laude* memoriam eorum laudibus celebrando. W.

6. *Si plene*] ſi hoc addatis, ut *defendatis.* W.

7. *Nec honores ambitio praeripiat clandeſtina.*] Non abſimilia Impp. Arcadii et Honorii ad Stiliconem verba: *Honoris augmentum non ambitione, ſed labore ad unumquemque convenit devenire.* Iulianus Imp. ad Agentes in rebus, l. 4. C. Theodoſ. de Curioſis: *Ceſſet omnis ambitio atque ſuffragium in ſchola veſtra.* LINDENBR.

Ambitio praeripuit aliis magis meritis *clandeſtina*, ambitus crimine, illicitis ſuffragia colligendi modis. — *Sub reverenda conſilii veſtri facie.* i. e. ſpecie et auctoritate. Sic Erneſti ſ. v. Facies provocans ad Taciti Hiſt. II, 54. Idem ſ. v. Conſilium rectius fortaſſe legi putat *concilii*, non negans tamen in huius aetatis ſcriptoribus utrumque vocabulum promiſcue dici, quam in rem conferri iubet Gothofred. in Gloſſar. Nomic. Cod. Theodoſ. W.

Praeter merita.] Beata nempe illa Respublica, in qua non fraudi vel ambitioni, ſed meritis decus conceditur virtutis! ut praeclare Stiliconem laudans Cl. Claudianus cecinit lib. II. 121.

— — — non obruta virtus
Paupertate latet: lectos ex omnibus oris
Evehis: et meritum, numquam cunabula quaeris:
Et qualis, non unde ſatus.

Fuitque hoc dictum Nervae Imp. Τὴν ἀρετὴν, ἀλλ' οὐ τὴν πατρίδα ἐξετάζειν δεῖ. Xiphil. pag. 339. LINDENBR.

Non ſine detrimento pudoris honoris, non ſine infamia. W.

Digitized by Google

8. *Miles dignitatum iamdiu expers et praemiorum.*] Lego *exſpes*. OISELIUS. Repugnantibus codicibus et ſine cauſa. Senſus enim conſtat. HADR. VALES.

9. *Pro Actuariis.*] Actuarii numerorum militarium ratiocinia tractabant, ut dicitur in lege 16. Cod. Theod. de erogatione militaris annonae. Marcellinus in lib. 25. c. 10. §. 7 *Ex Actuario*, ait, *ratiociniis ſcrutandis incubuit.* Hi annonam a Suſceptoribus accipiebant, iisque authentica pittacia dabant, in quibus continebatur quantum a Suſceptoribus accepiſſent. Ipſi deinde annonam militibus erogabant, ut patet ex Cod. Theod. de erogatione milit. annonae, et in titulo de Num Actuariis De his Aurelius Victor in Victorini geſtis (xxxiii, 13.): *Tantum Actuariorum in exercitu factiones vigent: genus hominum praeſertim hac tempeſtate nequam, venale, callidum, ſeditioſum, habendi cupidum, atque ad patrandas fraudes velandasque quaſi ab natura factum, annonas dominans, eoque utilia* leg. vilia) *curantibus, et fortunis aratorum infeſtum.* Hos Conſtantinus lege lata conditionales eſſe iuſſit, ut et annonarios Suſceptores: eosque absque cingulo utilitati publicae inſervire, poſt exactum integre officium dignitatibus afficiendos, lege 3. Cod. Theod. de Num. Actuariis. Erant autem ſub diſpoſitione Praefecti Praet. ut leges de eorum officio latae teſtantur: ad quem cura militaris annonae ſpectabat, ut ſupra dixi. VALES.

10. *Per quietem*] Alius ſomnii, quod ante declarationem Auguſtam viderit, mentionem ipſe facit Iulianus in Epiſt. ad Oribaſium p. 384. Spanh. W.

Per quietem aliquem viſum, ut formari Genius publicus ſolet.] Eamdem rem iterum tangit lib. xxv. c. 2. *Vidit ſqualidius, ut conſeſſus eſt proximis, ſpeciem illam Genii publici, quam, cum ad Auguſtum ſurgeret culmen, conſpexit in Galliis.* Putabant nempe paganae ſuperſtitionis cultores, ut animae naſcentibus adtributae ſunt (vid. *Manſo Verſuche über einige Gegenſtände aus der Mythologie* p. 463. ff. W.) ſic populis urbibusque Genios ſuos impertitos. Symmachus in relat. ad Valentin. pro veteri Deorum cultu: *Varios cuſtodes urbibus mens divina diſtribuit. Ut animae naſcentibus, ita populis fatales Genii dividuntur.* *Tertull. de Idololat. cap. 22. *Deos ſuos vel colonlae Genium propitios imprecetur.** Quam opinionem ſtrenue impugnat Aur. Prudentius, cuius haec verba ſunt in Symm. II, 442.

Romam dico viros, quos mentem credimus Urbis,
Non Genium, cuius fruſtra ſimulatur imago.
Quamquam cur Genium Romae mihi fingitis unum?
Quum portis, domibus, thermis, ſtabulis ſoleatis
Adſignare ſuos Gentos, perque omnia membra
Urbis, perque locos Geniorum millia multa
Fingere, ne propria vacet angulus ullus ab umbra.

*Arnob. lib. 1. *Civitatumque Gentos.** Hinc Genii Pop. Rom. templum laudat Dio Cocceius libb. 47, 2. et 50, 8. Sextus Rufus et Pub. Victor, ſacellum Genii Sangi in regione Urbis VII. ſive Via Lata ponunt, ut et aediculam Genii liberorum et Genii Larum in Alta Semita. Qui Genii qua forma effigiari *ſoliti, infra notat Ammian. lib. xxv. c. 2. ubi hanc ipſam rem narrat: nimirum velato capite cum cornucopiae. Idque in nummis vett. Impp.

Digitized by Google

Conſtantini, Maximiani, et aliorum apparet, cum hac inſcriptione, GENIUS PUBLICUS, apud Piſonem, Choul, et qui porro hac de re ſcripſerunt.* LINDENBR. Gradile Genii templum memorat Ammianus XXIII, 1. W.

Olim, Iuliane.] Eadem fere leguntur apud Suetonium in Galba c. 4. *Sumpta*, ait, *virili toga, ſomniavit Fortunam dicentem, ſtare ſe ante fores defeſſam, et niſi ocius reciperetur, cuicumque obvio praedae futuram.* Quae Dio Coccelanus LXIV, 1. Graece ſic dicit: *τήν τε γὰρ τύχην ἐδοξεν αὐτῷ λέγειν, ὅτι χρόνον ἤδη συχνὸν αὐτῷ παραμένοι, καὶ ὅτι οὐδεὶς αὐτὴν εἰς τὴν οἰκίαν αὐτοῦ εισδέχοιτο· καὶ δὴ ἐὰν ἐπὶ πλεῖον εἰρχθῇ, πρὸς ἕτερόν τινα μεταστήσεται.* VALES.

CAPVT VI.

1. *Transmiſſo ſollemniter Tigride*] ſacris in ponte factis. vide XVIII, 7. init. *Singaram* (Arabibus *Sendſiar*) cuius rudera aliqua vidit adhuc Niebuhr II, 390. Cf. omnino *Mannert Perſiam* p. 308. W.

2. *Per turres discurrebant et minas.*] Lib. XXIV. c. 2. *Excellebant minae murorum — — Celſarum turrium minas. Circumfuſi per turres ac moenium minas.* Lib. XXIX. c. 6. *Celſarum turrium minas expediit.* Feſtus Avienus in Ora marit. — — *Montium minae caelo inferuntur.* *Tertull adverſ. Marcionem lib. IV. p. 1071. *Excelſas turres, et moenia ſaeva malorum, Surgentesque minas.** Virgil. Aeneid. 4, 88. *Minaeque murorum ingentes.* Ubi Servius, *minas eſſe*, ait, *eminentias murorum, quas pinnas dicunt.* Ideo Rufinus modo *pinnas*, modo *minas* vocat, quas Joſephus *ἐπάλξεις*, Belli Iudaici lib. III. cap. 7. *Murum die noctuque operando ad XX. cubitorum altitudinem erexerunt: crebris etiam turribus in eo conſtructis, minisque validiſſimis aptatis.* Id Joſephus dixit: *δι' ἡμέρας τε καὶ νυκτὸς τὸ τεῖχος ἤγειραν εἰς εἴκοσι πήχεις τὸ ὕψος, καὶ συχνοὺς μὲν πύργους ἐνῳκοδόμησαν αὐτῷ καρτερόν τε ἔπαλξιν.* Lib. eodem cap. 8. *Per murorum pinnas.* Joſephus *περὶ τὰς ἐπάλξεις*, *cap. 9. ibidem.* LINDENBR. Male igitur Meurſius in Crit. Arnobiano p. 28. *minas* mutari iuſſit in *ruinas*. W.

3. *Parietum*] rectius moenium, nam parietes alias aedium privatarum ſunt. cf. tamen XXI, 12. XXXI, 15. W.

4. *Ad interiora ferocius ſe proripientes*] muris audacius appropinquantes hoſtes. W.

Unde reſeratam urbem obſidio ſuperiore.] Tunc cum Singara quam Perſae traiecto Tigri occupaverant ac munierant, a militibus Romanis capta et expugnata eſt, ut narrat Libanius in *βασιλικῷ*, et Iulianus in Orat. I. ad Conſtantium, Philippo et Sallia Coſſ. ut ſupra adnotavi. VALES.

Libro ſuperiore docuimus] in libro deperdito. Acciderat autem haec obſidio A. C. 348. Philippo et Salia Coſſ. W.

6. *Dimicabatur arctiſſime*] denſis ordinibus. *malleolis* qui erant genus telorum, quae ignibus armata in turres oppugnantium urbes hoſtium coniici ſolebant. Capite ſequenti: *quali ar-*

Digitized by Google

dentes pice et bitumine illiti. cf. et XXIII, 4. ubi forma eorum sic describitur *Sagitta est cannea inter spiculum et arundinem multifido ferro coagmentata, quae in muliebris coli formam — concavatur ventre subtiliter et plurifariam patens, atque in alveo ipso ignem cum aliquo suscipit alimento.* Conf. Spanhem. ad Iuliani Opp p. 193. *Glandis* lapidum rotundorum. W.

Madoreque etiamtum infirmium.] Sic loquitur etiam in lib. 30. c. 1. *Infirmati periculoso madore.* Quam locutionem hausisse videtur ex Sallustio, qui in lib. 4. Hist. *Quasi par, inquit, in opido festinatio, et ingens terror erat, ne ex latere nova munimenta madore infirmarentur.* Ceterum τὸ *infirmium* restituimus ex fide codicis Regii [ac Colbert.] et Basilienſis Editionis. Ac ne quis barbarismum putet, sciat Fl. Caprum in lib. de Orthographia affirmare, utrumque dici, tam *infirmus* quam *infirmis.* Eadem licentia Marcellinus noster in lib. XV. cap. 9. dixit: *Geryonis et Tauriſci saevium tyrannorum.* Sic enim scriptum est in exemplari Regio, et in Editione Rom. Et in lib. 29. cap. 5. *Suppliciorum saevium repertorem,* ut habent codex Valentinus et Regius. VALES.

7. *Promisce.*] Sic h. l. aperte, alias *promiscue.* Sed illud Ammiani aetate frequentatum. v. Salmas. ad Scriptt. H. A. T. I. p. 564. Ruhnken. ad Rutil. Lupum p. 19. W.

9. *Sub pellibus*] in tentoriis, v. XIX, 11. W.

Numquam labenti Singarae.] At Theophylactus Simocatta ob eam maxime causam inexpugnabilem esse Singaram dicit, quod omnis in circuitu regio arida ac siticulosa sit. Et hic quidem τὸ Σιγγάρων φρούριον appellat familiari ipsi terminatione: Iulianus in Orat. 1. τὰ Σίγγαρα. Apud Athanasium in Epist. ad Solitarios perperam excusum est, εἰς τὰ Σίγγερα τῆς Μεσοποταμίας. Sita est autem Singara ad fluvium Tigrim, ut Ptolemaeus dicit, et in Tabula Peutingerorum notatur: quadraginta millibus distans a civitate Nisibi. Proinde aut fallitur Uranius apud Stephanum, qui Singara urbem esse ait Arabiae iuxta Edessam, hoc est, in vicinia Euphratis: aut de altera eiusdem nominis urbe loquitur, de qua etiam Plinius in lib. 4. VALES. Hoc quum vir doctissimus ante tot iam annos observaverit; quid potest fingi ineptius Ioh. Harduino in nummis, ut vocat, illustratis scribente pag. 455. quum ex Plinio et Stephano probasset esse urbem Arabiae? *Ibi Singarensis pugna Constantii Imp. adversus Chosroen Persarum regem, de qua nos egimus in Notis ad Themistium orat.* 1. GRON. *Labenti* iam expugnatae. W.

CAPVT VII.

1. *Memor nimirum quae saepius ibi pertulerat.*] Ter omnino est a Persis obsessa Nisibis, sed maiore sui detrimento, dum obsedit, hostis affectus est, ut ait Rufus Festus. Prima quidem Nisibis obsidio contigit anno Domini 337. Feliciano et Titiano Coss. ipso anno quo Constantinus Magnus excessit, ut ait auctor Chronici Alexandrini: σαπώρης ὁ περσῶν βασιλεὺς ἐπῆλθε τῇ μεσοποταμίᾳ πορθήσας τὴν Νίσιβιν καὶ παραλαβίσας αὐτὴν ἡμέρας ζγ΄. καὶ μὴ κατισχύσας αὐτῆς ἀνεχώρησε. Hieronymus in Chronico

hanc obsidionem ponit anno Domini 338. *Sapor*, inquit, *Mesopotamia vastata duobus ferme mensibus Nisibin obsidet.* Sed priorem Chronici Alexandr. sententiam sequi malo. Etenim Libanius in βασιλικῷ Persas ait post obitum Constantini ripam Tigris superare aulos non esse. Secunda autem obsidio Nisibis accidit anno Domini 350. Sergio et Nigriniano Coss. ut legitur in Chronico Alexandrino, et apud Cedrenum recte. Etenim Iulianus in Orat. 1. et 2. in quibus eam obsidionem elegantissime describit, Persas ait tempus observantes, quo Constantius adversus Tyrannos in Occidentem erat profectus, maximis cum copiis in Mesopotamiam irrupisse, et Nisibin quatuor prope mensium spatio obsedisse: sic enim dicit in Orat. 2. ταύτην δὲ τὴν πόλιν στρατὸς πολὺς πλήθει παρθυαίων σὺν ἰνδοῖς περιέσχεν, ὁπηνίκα ἐπὶ τῶν τυράννων βαδίζειν προύκειτο. Idem confirmat Themistius in fine Orat. 14. Denique Zonaras qui in gestis Constantini filiorum commemorandis solito diligentior fuit. Ex quo et ex Volagesi Nisibeni Episcopi qui Iacobo successerat, Epistola, tota huius obsidionis historia petenda est. Eius Epistolae partem refert auctor Chronici Alexandrini. Ex his apparet falli Hieronymum, qui in anno Domini 348. scribit: *Rursus Sapor tribus mensibus obsidet Nisibin.* Nam haec trimestris obsidio biennio post contigit, ut dixi. Volagesus centum dies durasse scribit. Tertia demum obsidio fuit anno Domini 359. Eusebio et Hypatio Coss. cuius meminit Ammianus noster in lib. 18. cap. 7. et Zonaras, ut ad eum locum adnotavi: ac postremo Zosimus in lib. 3. c. 8. Sed hic tertiam hanc obsidionem paucorum dierum cum secunda illa confudit, ut recte notavit vir eruditissimus D. Petavius in Iuliani Orat. 1. p. 70. ed. Spanh. VALES. Conf. omnino Heynius ad Zosim. III, 8. W.

Institutores] conditores, XIV, 8. De *Bezabde* munimento in peninsula ad Tigridem sito, cui Phoenicae oppidum inditum ab Alexandro Magno, cf. Mannert Persia p. 306. *Loca suspecta* non satis tuta. W.

Sagittariis pluribus Zabdicenis.] Horum mentio fit in Notitia Imperii sub Duce Mesopotamiae: *Cohors quartadecima Valeria Zabdenorum Maiocariri.* Hos Romano tunc Imperio paruisse ait Marcellinus: sed paullo post cum aliis regionibus Transtigritanis dedita est a Ioviano Zabdicena, ut Marcellinus, Zosimus, Petrusque Patricius affirmant. In ea regione erat opidum Bezabde teste Marcellino: quod vocabulum Zabdicenorum Syro sermone significare videtur, seu potius domum Zabdae, ut Scaliger ad Eusebii Chronicum adnotavit. Eamdem et Phoenicam Graeco vocabulo Macedones appellarunt ab urbe Epiri Phoenica. VALES. Habitabant Zabdiceni circa Bezabden ad utramque Tigridis ripam. W.

3. *Caduceatoribus*] legatis de pace agentibus, qui caduceum praeferentes, inviolabiles habebantur. W.

6. *Pergebant introrsus*] versus moenia. Cf. XIX, 9. W.

7. *Christianae legis*] Eodem sensu dicitur in Cod. Theodos. lex sanctissima, catholica cet. v. Glossar. Nomicum h. v. W.

9. *Velut regentibus penetralium callidis*] quum machinarum rectores, tamquam in ipsa urbe nati, *contemplabiliter* manifeste,

Digitized by Google

(vel *perite*, uti xxx, 5. *contemplabili dextera* Ernest.) partes debiliores ferirent. W.

10. *Manualium saxorum*] quae manibus provolverentur, paullo post *molarium*. — *Quali* i. e. malleoli, quam ipsam vocem reponendam putabat Reinesius praeter necessitatem. Vid. quae notavimus ad c. 6. §. 6. W.

12. *Agitantes arietes*] ad promovendos vel retrahendos arietes ordinati milites, qui pro machinae pondere plures numero essent. *Fomentis ignium*, materiis ignem facile concipientibus et nutrientibus. W.

13. *Casus flammeos*] pericula ex ignibus coniectis. *Repsit* lente processit, *nisibus magnis* quamquam rectores omnes nervos intenderent. *Laxatam* iuncturis lapidum dissolutis. W.

14. *Arctius* vehementius *proelium*. W.

15. *Plebis immensae ponderibus*] innumerabili hostium multitudine. W.

17. *Quod accidit*] v. infra c. 11. ubi Constantius hoc munimentum, frustra tamen, recuperare voluisse narratur. — *Interceptis* captis, cf. infra c. 10. W.

Virtam adoriri disposuit.] Βίρθα dici videtur a Ptolemaeo opidum in Mesopotamia iuxta Tigrim. VALES.

Virtam] Ptolemaei sine dubio *Bithiga*, v. *Mannert Persia* p. 307. hodie Tekrit, d'Anville Geographie ancienne T. II. p. 201. *Instructione varia* apparatibus et munitionum generibus. W.

18. *Poenas cruciabiles*] sensu activo more illius aetatis. — *Multis* i. e. pluribus. vid. Vales. ad xxvi, 4. W.

CAPVT VIII.

1. *Statariae pugnae*] oppositae velitationibus vagis, cf. xiv, 2, 8. *Emicuere*, eminuerunt. W.

Auxilia super his Scytharum.] Id inter praecipuas Constantii laudes numerat Libanius in Orat. quae *βασιλικὸς* inscripta est, quod Scythas infensissimos antea pop. Rom. non solum pacaverit, sed etiam, quod numquam antea contigerat, adversus Persas auxiliares habuerit, (Reisk. III. p. 303.) *πάλαι ἐξῆλθε στρατόπεδον σκυθικὸν, τῇ μὲν ῥωμαίων χειρὶ συμβαλούμενον, τῇ δὲ δυνάμει περσῶν ἀντιταξόμενον*, etc. Post Constantium ceteri Impp. Scytharum auxiliis adversus Persas usi sunt: ut Iulianus, teste Marcellino in lib. 23. c. 2. principio: et postea Valens, ut est in lib. 30. c. 2. HENR. VALES. [Primus autem Gothorum auxiliis contra Persas usus est Galerius Maximianus Caesar; et postea in bello Liciniano Constantinus Maximus Aug. cui et Gothi XL. suorum millia adversus varias gentes obtulerunt: uti scribit Iordanes in Geticis. Contra tamen in Excerptis, quae frater meus edidit, dicitur Licinius Aug. apud Chrysopolim cum Constantino pugnans, auxiliares secum Gothos habuisse: *Deinde apud Chrysopolim Licinius maxime auxiliantibus Gothis, quos Aliquaca Regalis deduxerat: quum Constantini pars vincens* XXV, *millia armatorum fudit partis adversae, ceteris fugientibus.* Ob id Constantinus

poſt oppreſſum Licinium Gothis bellum intulit, victisque obſides imperavit, ac cum eis pacem, mox et foedus iniit.] HADR. VALES.

4. *Decentii*] c. 4. *Cubiculariorum, qui ad Caeſarem aliqua portavere ſollemnia*, h. e. tributorum in Galliis exactorum debitam partem Iuliano attulerant, (quae eadem *ſollemnium* ſignificatio eſt XXII, 7.) W.

Non repugnanter, tamen nec arrogantibus verbis.] Manifeſta in his eſt oppoſitio, quae tamen perire videtur, ſi verba *non repugnanter* exponas non contumaciter, modeſte, nam verbis non arrogantibus ſcribere etiam modeſtiae eſt. Quod ſi vero ita ſumas, ut non ad Conſtantium referantur, ſed ad exercitum, cui in obtrudenda Auguſti dignitate *repugnare* noluerit Iulianus, durum tamen et hoc ſit atque coactum. Fortaſſe aliud verbum pro *repugnanter* Ammianus poſuerat, cui ſignificatio ineſſet ea, ut Iulianus non *demiſſe* quidem, immo aperte ſcripſerit, quod totius epiſtolae ſuadet argumentum. W.

Ne videretur ſubito declinaſſe.] Sic placuit P. Caſtello, cum in Editione Rom. legeretur *reclinaſſe:* quod equidem praetulerim, metaphora ſumpta ab equis immorigeris qui ſe reclinant, ut ſeſſorem excutiant: ἀφηνιάζειν et ἀναχαιτίζειν Graeci dicunt. In Mſ. Flor. et Valent. [ac Colbert.] legitur *redundaſſe.* In Regio codice *repugnaſſe,* ex coniectura, ut opinor: quam tamen minime probo, cum ſuperiore linea id verbum poſitum ſit. Et in prima ſententia acquieſco, quam confirmat alter locus ex lib. 14. c. 7. ubi Gallus dicit: *Montius nos ut rebelles, et maieſtati recalcitrantes Auguſtae per haec quae ſtrepit incuſat,* et in lib. 22. cap. 11. HENR. VALES. An volunt iſtae in Mſſtis varietates *renuntiaſſe?* ut *renuntiare vitae* vel *foro?* GRON.

5. *Propoſiti mei fidem*] propoſitum; ita me vitamque omnem compoſui. *Quoad ſuit* hoc ſatis aperte. W.

6. *Inde ut*] i. e. ex quo — ut *apparitor fidus* cf. XVI, 7. et alibi. *tuas aures implevi* iucunda tibi nuntiare gaviſus. — *Diffuſis permiſtisque paſſim* pluribus diſſitis, ſed conſociatis *Germanis.* W.

7. *Si quid novatum*] (modeſte dictum) ſi non eadem nunc, quae antea, ſit noſtra invicem relatio. — *Miles olim deliberatum implevit* iamdudum captum conſilium exſecutus eſt. — *Nullas vices rependi,* praemia nulla dari. W.

9. *Amandatus*] interiora palatii petens, ſecedens, abſens. Amat omnino Ammianus hoc verbum, cf. XVI, 12. XXVII, 10. W.

Salutem muſſatione quaeritabam.] Haec emendatio a Gelenio profecta eſt. In Editione Rom. exculum eſt, *ſalutemus latione,* perinde ac in Mſ. Flor. [et Colbertino]. Unde Caſtellus ineptiſſime correxerat: *Salutem cum latibulo quaeritabam, et latebris,* quae ταυτολογία ferri non poteſt. Aut igitur ex codice Regio ſcribendum eſt, *ſalutem ſimulatione quaer. etc.* aut emendationi Gelenii acquieſcendum. VALESIUS. Ex tot Mſſ. quibus accedit editio Romana, videtur nullo negotio et bono ſenſu fieri *ſalutem velatione quaer. et latebris.* Simulatio utique nulla hic fuit GRON. Sane quidem ſimulationis notio locum hic non habet, ubi Iulianus probare Conſtantio vult innocentiam; nec tamen placet, quam ſubſtituit Gronovius, *velatio,* quae vix diſtingui a ſequentibus latebris poſſit. In vernacula interpretatione le-

Digitized by Google

gendum conieci: *ſalutem ſimul dilatione quaeritabam et latebris;* cuius emendationis non eſt quod me poeniteat. *Simul — et* pro *et — et* familiare eſt Noſtro. v. XXVI, 10. — *ſimul — atque* XXIX, 5. W.

Libero pectoris muro, ut ita dixerim] Sentit ipſe, hoc μείλιγμα addens, tropi duritiem. W.

10. *Mecumque ipſe conteſtans.*] Ad oram codicis Regii ſcriptum eſt *coniectans* eadem manu VALES. Ammianeum profecto eſt *coniectans.* v. XVII, 3. paullo poſt: *cum animo disputans. Conteſtans* Erneſtius explicat cogitans. W.

11. *Actum ſecus*] ac par, aequum, iuſtum eſt. Sic nude poſitum *ſecus* ſine oppoſitione haud infrequens. — *Ad compendia ſua* ſibi conſulentes, lucri cauſa. — *Adulatione vitiorum altrice* obiurgatio ſatis acerba, nec minus gravia quae ſequuntur: quae ego *cum ratione* non ſine aequitate *poſco,* non tam poſco, ut mihi impetrem, *quam a te utilia probari et recta,* qui tuus non ſemper mos eſt. W.

Excellentiſſimam virtutum omnium iuſtitiam.] Iamblichus ad Anatolium: Ἐπ' αὐτὸ δὴ τὸ τῶν ὅλων ἀρετῶν τέλος, καὶ τὴν συναγωγὴν αὐτῶν συμπασῶν, ἐν ᾗ δὴ πᾶσαι ἔνεισι συλλήβδην κατὰ τὸν πάλαι λόγον, γένοιτο ἄν τις, εἰς τὴν δικαιοσύνην ἀγόμενος, apud Stobaeum Serm. LI. pag. 187. *Polus apud Stobaeum: δοκεῖ μοι τῶν ἀνδρῶν τὰν δικαιοσύναν ματέρα τε καὶ τιθήναν τῶν ἄλλων ἀρετῶν προσειπεῖν. Chalcidius in Platon. p. 159. *Optima ſymphonia eſt in moribus noſtris iuſtitia, virtutum omnium principalis, per quam ceterae quoque virtutes ſuum munus atque opus exſequuntur.* Vid. Cicer. 2. de Officiis. Theognis: Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρέτ' ἐστίν. LINDENBR.

13. *Equos praebebo curules Hiſpanos.*] Equorum Hiſpani ſanguinis mentio in L. unic. C. Theod. de equis curulib. *Chronicon Sangallenſe de Carolo M. lib. 2. *Imperator Regi Perſarum direxit nuntios, qui deferrent equos et mulos Hiſpanos.** LINDENBR.

Equos praebebo curules Hiſpanos, etc.] Eadem tradit Zonaras his verbis: ἐπαγγελλόμενος δὲ καὶ τοὺς ἀμιλλητηρίους ἵππους ἐξ ἱσπανίας ὡς ἔθος, καὶ τοὺς ἐπιλέκτους ἄνδρας ἐκ γαλατῶν ἐτησίως στέλλειν αὐτῷ. Additque Iulianum Caeſaris, non Auguſti nomen litteris inſcripſiſſe, ne inſcriptione ſtatim offenſus Conſtantius eas averſaretur: quod confirmat etiam Iulianus in Ep. ad Athen. VALES.

Lectos quosdam.*] Confirmat hanc ſcripturam Zonaras verbis ſupra allatis, ἐπιλέκτους ἐκ Γαλατῶν. Sed cum in MSS. codicibus, Regio, [Colbertino,] ac Toloſ. ſcriptum invenerim, *aduleſcentes Letos quosdam,* alias *Laetos:* non dubito, quin haec ſcriptura verior ſit. Sunt autem Leti, ut ad librum 16. c. 11. notavi, ſemibarbari quidam qui Gallias habitabant; vel (ut Ammianus noſter ſubiungit) *cis Rhenum edita barbarorum progonies. VALES.

14. *Ordinarios iudices*] magiſtratus civiles et duces exercitus, et *ſtipatores,* ſatellites, protectores, ſcholas palatinas. W.

15. *Deſperatione pereunt.*] In MSS. Regio [et Colbertino,] et in Editione Rom. Auguſt. et Baſil. legitur *pereant:* et paullo

Digitized by Google

ante *affliguntur* ſcriptum habet codex Regius [et Colbertinus] cum Editione Romana. Quocirca ſic ſcribendum eſſe coniecerim: *Ne conſumpta penitus iuventute, ut affliguntur praeterita recordantes, ita deſperatione pereant impendentium.** Sic in cap. IV. libro XXV.* VALES.

Ne deſperatione pereant impendentium] qui ne nunc quidem tuti ſint ab incurſibus barbarorum ideoque adiumentis ipſi potius tuis indigeant. W.

17. *Ne quid ſublatius dicam cum imperio congruens*] ne Auguſta dignitate ſuperbius uti velle tibi videar. *Rerum acerbitates conclamatas*, ſumma reip pericula. W.

18. *Secretiores alias Conſtantio offerendas.*] Has mordaces litteras non eo tempore, ſed poſtea miſſas a Iuliano ſcribit Zonaras, tunc cum Leonas qui legatus ad Iulianum fuerat, re infecta ad Conſtantium rediit. ἀπογνοὺς μέντοι δυνήσεσθαί τι τῶν αὐτῷ προστεταγμένων ἀνύσαι, ὑπέστρεψε μετὰ γραμμάτων τοῦ τυραννήσαντος ἀναιδῶς ὀνειδιζόντων τὸν αὐτοκράτορα ὡς πλεῖστα ἐξαμαρτόντα κατὰ τοῦ γένους αὐτοῦ, καὶ ἀπειλούντων αὐτὸν γενήσεσθαι τιμωρὸν τῶν ἀδίκως παθόντων. *Leonas igitur deſperans ſe quidquam eorum quae ſibi mandata erant perficere poſſe, reverſus eſt cum Iuliani litteris, quibus impudenter Imp. obiurgabat, utpote qui in propinquos ſuos multa deliquiſſet, et minabatur ſe eorum iniurias ulturum.* VALES. Iulianus ipſe in Ep. ad Athenienſes p. 285. 6. communi legionum nomine datas litteras inſuper memorat: ἅπαντα τὰ παῤ ἐμοὶ τάγματα πρὸς αὐτὸν ἐπεμψεν ἐπιστολάς, ἱκετεύοντα περὶ τῆς πρὸς ἀλλήλους ἡμῖν ὁμονοίας. W.

19. *Pentadius*] vide Ind. I. *Eutherius Cubiculi Praepoſitus* XVI, 7. W.

20. *Coeptorum*] acceptae a Iuliano dignitatis Auguſtae. W.

22. *Publici curſus uſu permiſſo.*] v. ſupra c. 4. W.

CAPVT IX.

1. *Iudices celſiores*] rectores provinciarum, quae transeundae erant. *Oblique tenebantur*, maligne retinebantur. Erneſt. W.

Apud Caeſaream Cappadociae etiamtum degentem, invenere Conſtantium, Mazacam antehac nominatam.] Stephan. περὶ πόλεων. Μάζακα πόλις Καππαδοκίας, ἣ νῦν Καισάρεια. Atque id quidem in confeſſo eſt, Mazacam Caeſaream poſtea dictam: ſed a quonam ſic dicta ſit, in eo variant antiqui. Conſtantinus Porphyrogen. omnes civitates Caeſareas a Iulio Caeſare cognominatas putat, deque hac Mazaca ita ſcribit: Καισάρεια μητρόπολις ἡ ἀπὸ τοῦ μεγάλου καίσαρος Ἰουλίου ὠνομασμένη, ἥτις πρότερον ἐκαλεῖτο Μάζακα, ἀπὸ Μουσὼχ τοῦ τῶν Καππαδόκων ἀρχηγόνου. At Rufus Feſtus in Breviar. non a Iulio, ſed ab Auguſto Caeſ. ita vocatam adſerit: *Semper inter auxilia noſtra fuere Cappadoces, et ita maieſtatem coluere Romanam, ut in honorem Auguſti Caeſaris Mazaca civitas Cappadociae maxima Caeſarea cognominaretur.* Ab utrisque diſſentit Sozom. et Claudio adtribuit, quod illi a Iulio vel Auguſto Caeſ. factum adſernnt, Hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. 4. περὶ δὲ τὸν αὐτὸν χρόνον καὶ τὴν πρὸς τῷ Ἀρ-

Digitized by Google

γείῳ Καισάρειαν μεγάλην, καὶ εὐδαίμονα, καὶ μητρόπολιν οὖσαν τοῦ Καππαδοκῶν κλίματος, ἐκ τοῦ καταλόγου τῶν πόλεων ἐξήλειψεν ὁ βασιλεὺς, καὶ τῆς ἐπωνυμίας τοῦ Καίσαρος ἀφείλετο, ἣ πάλαι ἔτυχεν ἐπὶ Κλαυδίου καίσαρος. Μάζακα τὸ πρῶτον ὀνομαζομένη. Sic enim locus hic legi debet: nam vulgatam lectionem Μάζα κατὰ τὸ πρῶτ- corruptam esse certum est. Et recte apud Calliodor. habetur Histor. Tripart. lib. VI. cap. 4, *Ea quoque tempestate Caesaream Cappadociae maximam ac felicissimam civitatem ita vocari prohibuit, eique appellationem antiquam Caesaris abrogavit, quam a Claudio Caesare promeruerat: nam prius Mazaca dicebatur.* LINDENBR.

Caesarea (etiamnum *Kaisarie*) Mazaca Eusebia etiam dicta, pascuisque et equis famosa, v. Belin de Ballu ad Oppianum p. 224 ff. Caput fuit Cappadociae. Caesareae nomen traxit a Tiberio, Eutrop. VII, 11. Tillemont T. I P. I. p. 108. vel ipso Augusto *Manhert Klein-Asien* Th. II. p. 255. ff. W.

2. *Limibusque oculis.*] Ita Mss. Flor. et Cod. V. Cl. P. Pithoei, quem vid. Adversar. lib. I. cap. 2. LINDENBR. *Limibus* pro limis, uti XVII, 7. W.

4. *Leonam Quaestorem suum.*] Is est, qui Seleucensi Synodo interfuit, ut supra dixi. Eius dignitatem sic describit Socrates in lib. 2. συμπαρῆν δὲ αὐτοῖς εἷς τῶν ἐν τοῖς βασιλικοῖς ἐκφανῶν ὀνόματι Λεωνᾶς. Sozomenus autem in lib. 4. συνελήλυθει δὲ αὐτοῖς καὶ Λεωνᾶς ὁ ἐν ἀξιώμασι λαμπροῖς ἐν τοῖς βασιλείοις στρατευόμενος. Sed neuter Quaesturae honorem satis expressit. Unus Zosimus in lib. 5. c. 32. sic Quaesturam egregie circumscribit: Σαλούστιος ὁ τὰ βασιλεῖ δοκοῦντα τεταγμένος ὑπαγορεύειν, ὃν Κοιαίστορα καλεῖν οἱ ἀπὸ Κωνσταντίνου δεδώκασι χρόνοι. Id est: *Salvius, cuius officium erat iussa Principis dictare: quem inde a temporibus Constantini Quaestorem appellari mos est.* Ex quibus coniicere est, eam dignitatem a Constantino primum institutam fuisse. Idem officium sic describit Rutilius in lib. I. 171.

Huius facundae commissa palatia linguae:
Primaevus meruit Principis ore loqui.

Quippe Quaestor leges dictabat, ut est in Notitia Imperii, et apud Calliodorum in formula Quaesturae. Dicebantur autem hi Quaestores sacri Palatii, ad differentiam Quaestorum, qui erant in Senatu Rom. de quibus agit Ulpianus in tit. de officio Quaestoris. Isti de quibus posteriore loco dixi, magistratus erant populi Rom. et ex iis quidam Candidati Principis dicebantur, ut ait Ulpianus: qui scilicet commendati erant a Principe, sine repulsa et ambitu designandi, quemadmodum loquitur Tacitus in lib. I. Ann. Eodemque sensu Praetores Candidati, et Tribuni Candidati dicebantur. Ut in veteri Inscriptione Graeca: ΤΑΜΙΑΝ ΚΑΝΔΙΔΑΤΟΝ. ΔΗΜΑΡΧΟΝ ΚΑΝΔΙΔΑΤΟΝ. et in hac Latina: *C. Caerelio, etc. Quaestori. Candidato. Imp. Caesaris M. Aurelii Antonini. Trib. pl. Candidato.* Et in altera *Praetor. Kandidatus. Quaestor. Kand.* Ex quibus intelligendus est Spartiani locus in Severo c. 3. *Praeter designatus a Marco est, non in Candida, sed in competitorum grege.* Id est, non inter Candidatos Principis. Verum, ut dixi, ab his distinguendus est Quaestor sacri Palatii. VALES.

Nihil novatorum se asserens suscepisse] arrogatum a Iuliano Augusti nomen ratum habere non posse. W.

Digitized by Google

Intra Caesaris se potestatem continere.] Idem scribit Victoris Epitome c. 65. *Hinc a militibus Gallicanis Augustus pronuntiatur. Hunc Constantius urgere legationibus, ut in statum nomenque pristinum redeat. Iulianus mandatis mollioribus refert, se sub nomine celsi Imperii multo officiosius pariturum.* VALES. Aliter Zosimus III, 9. qui ne Caesaris quidem nomen Iuliano concessisse Imperatorem affirmat. Iulianus ipse in Epist. ad Atheniensis p. 286. Constantium sibi, nulla dignitatis vel deponendae vel retinendae facta mentione, salutis tantum fidem dedisse testatur, Conf. et Zonaram Lib. XIII. p. 20. ff. et Reitemeierum ad Zosimum p. 571. W.

5. *Intentatorum*] minarum. W.

In locum Florentii.] Quod etiam refertur a Zonara his verbis: τῷ μέντοι Κοιαίστορι ἐπέτρεψε καὶ τοὺς τὰς ἀρχὰς ἐκεῖσε ἀνύοντας παραλῦσαι τῆς ἐξουσίας, καὶ αὐτὸν τῶν πραιτωρίων ἔπαρχον, ἑτέρους τε ἐς ταύτας ἐγκαταστῆσαι οὓς ἐκεῖνος εἰς ἑκάστην ὠνόμασεν. *Quaestori mandavit, ut eos qui promoti ad magistratus erant in Galliis, potestate discingeret, et in his Praefectum ipsum Praet. alios vero quos ipse nominaverat, in eorum locum subrogaret,* VALES. *Felicem Notarium.* Cf. XXIII, 1. W.

8. *Libellis antea respondentem.*] Id est, Magistrum Libellorum. Quatuor enim erant Scrinia sacra: singulis praeerant Magistri. Post Magistros erant Proximi, qui et Priores dicebantur: iique in unoquoque Scrinio plures fuere, ut patet ex lege x. Cod. Th. de Proximis. Proximos sequebantur Melloproximi, deinde Exceptores, lege 16. Cod. cit. Ex his patet Proximos Scriniorum a Magistris distingui. Quare non assentior doctissimo viro qui in Notis ad Historiam Aug. Proximos Scriniorum ait dici Magistros. Atqui diversi sunt in Codice tituli de Magistris Scriniorum, et de Proximis. Et in lege unica Cod. Th. qui a praebitione tironum. Proximi Scriniorum a Scriniorum Magistris longo intervallo separantur. Deinde Proximi Vicariis exaequabantur, ut est in tit. de Proximis. *Hinc in actione I. Concilii Chalcedonensis *Mamas vir Spectabilis* dicitur *Comes et Proximus sacri scrinii Libellorum, et sacrarum Cognitionum:* et similiter Caltorius quidam. At Magistri praeferebantur Vicariis lege un. de Magistris Scrin. Denique ad Proximatum quidem ordine militiae perveniebatur, ut docet lex 6. et 17. Cod. cit. Magisterium vero a Principe conferebatur. Sic in lib. 29. c. 2. Festus quidam ex Advocato Consularis Syriae, ex Consulari Magister Memoriae, deinde Proconsul Asiae fuisse dicitur. VALES.

9. *Lupicinus homo superbae mentis et turgidae*] v. supra c. 1. W.

Nullas ciere potuit turbas.] Callide excusat factum Iuliani, qui Lupicinum ex Britannia reversum comprehendi iussit, et in libera custodia habuit, cum aliquot aliis: quod Constantius obiiciebat Iuliano, ut refert Iulianus in Epist. ad Athen. VALES.

CAPVT X.

1. *Obtricensi Mosae oppido.*] Idem hic nodus, qui lib. XVIII. c. 2. §. 4. ubi de Tricesima agitur. Locus autem in Mf. sic le-

Digitized by Google

gitur: — *commonitus Obtricenſimae oppido propinquabat.* Viderint alii. LINDENBR.

Obtricenſi Moſae oppido.] Sic primus edidit Gelenius, cum in Editione Rom. legeretur *Obtricenſimae*, prout etiam habet Editio Auguſtana, et codex Regius, Flor. et Valentinus [ac Colbertinus.] At Caſtellus audacter emendaverat *Taſandro*, quod opidi nomen alicubi legerat. Ego vero non dubito quin legendum ſit *Tricenſimae opido:* cuius meminit in lib. 18. c. 2. *Caſtra Herculis, Quadriburgium, Tricenſimae, Noveſium, Bonna.* HENR. VALESIUS. [Ego in Notitia Galliarum pagina 150. docui obſervavique, Coloniam Traianam, Caſtra Ulpia, et Triceſimam tria unius eiusdemque loci nomina eſſe: quem locum Marcellinus infra, in libro 18. *Triceſimam* vel *Tricenſimam*, in libro XX. *Obtricenſimam opidum* dicat ab hibernis legionis Triceſimae Ulpiae Victricis. Tu Notitiam conſule in Colonia Traiana.] MADRIANUS VALES.

2. *Rheno exinde tranſito.*] Ter, cum adhuc Caeſar eſſet, Rhenum traiecit Iulianus, ut ipſe dicit in Ep. ad Athen. primum poſt Argentoratenſem pugnam, ut memorat Marcellinus initio lib. 17. anno D. 357. deinde anno 358. et 359. teſte Marcellino noſtro. Haec autem quarta traiectio tunc contigit, cum iam Auguſtus eſſet anno D. 360. Conſtantio X. et Iuliano III. Coſſ. De hac autem ſua in Germaniam expeditione loquitur Iulianus in Ep. ad Maximum Philoſophum, eamque trimeſtrem fuiſſe teſtatur. Meminit etiam Libanius in Orat. funebri (Reisk. I. p. 557.): ἐλθὼν δ' ἐπὶ τὸν Ῥῆνον, καὶ δείξας τοῖς βαρβάροις τὴν κεφαλήν, καὶ δευτέροις ὅρκοις τὰς ὁμολογίας ἐνδήσας ἔτρεχεν ἐπὶ τὸν ἀκούσιον ἀγῶνα. *Cum veniſſet ad Rhenum, oſtenſo barbaris vultu, ac iteratis ſacramentis firmato foedere, ad civile bellum ſe invitus accinxit.* Quinta demum ac poſtrema traiectio accidit Tauro et Florentio Coſſ. ut eſt in lib. 21. IDEM.

Regionem ſubito pervaſit Francorum, quos Atthuarios vocant.] Variant in nominis huius editione exemplaria priſca. Lazius *Advarios*, alii *Antuarios*, vel *Anſivarios*, aut *Anſuarios* ſe reperiſſe teſtantur. Quae mutatio etiam in aliis libris invenitur: ut in Charta diviſionis inter Karulum et Hludovicum: *Ad Baiuvariam totam Toringiam, Ribuarias, Atoarias.* Alia eiusdem diviſionis charta: — *Batua. Hattuarias.* *Ado in Chronicis A. C. 717. p. 197. *Saxones terram Matuariorum devaſtaverunt.* Dubio procul legendum, *terram Atuariorum.** Sed et Lotharius Imp. in donatione Anſrido Palatino facta *Atthuariam pagum* laudat: eaque ſcriptura proximius ad eam, quam in Ammiano reperimus, accedit. Donationis ipſa verba publicavit V. Cl. Marq. Freherus in Originib. Palatin. pag. 31. 38. LINDENBR.

Quos Attuarios vocant.] Horum mentio fit in Geſtis Francorum Epitomatis, cap. 19. de Danis: *Theodorici pagum Attuarios, vel alios devaſtantes.* [De Attuariis vide Notitiam Galliarum.] VALES.

Quos Attuarios vocant] Reineſius: „Cluverio Anſivarii.“ Chaſuarii dicuntur Tacito et Ptolemaeo, Chattuarii Straboni, Cattuarii et Attuarii Velleio II, 105. Habitabant ad Rheni inferioris partem occidentalem in ducatu Geldriae. Mannert German. p. 228. f. W.

CAP.

Digitized by Google

CAPVT XI.

2. *Suis rationibus ſtringeretur*] ſuis partibus accederet. W.

3. *Olympiada et copulaverat coniugem, ſponſam fratris.*] Id quidem Conſtantio inter cetera crimina obiicit Athanaſius in Ep. ad Solitarios, p. 856. οὕτω γὰρ καὶ εἰς ἀδελφὸν ἀσεβεῖν τετόλμηκε· καὶ προσποιεῖται μὲν οἰκοδομεῖν αὐτῷ μνημεῖον, τὴν δὲ μνηστὴν αὐτοῦ τὴν Ὀλυμπιάδα βαρβάροις ἐξέδωκεν, ἣν ἐκεῖνος ἄχρι τελευτῆς ἐφύλαττε, καὶ ὡς ἰδίαν ἀνέτρεφεν ἑαυτῷ γυναῖκα. *Adeo enim etiam in fratrem impius eſſe ſuſtinuit, ac ſepulcrum quidem ei ſe aedificare prae ſe fert: ſponſam autem ipſius Olympiadem barbaris dedit; quam ille quoad vixit cuſtodiebat, nec ſecus ac propriam coniugem educabat.* VALES.

Ablabii.] De Ablabio, iam Conſtantini Magni aetate Praetorii Praefecto, vide, ſi tanti eſt, quae collegit Tillemontius T. IV. P. I. p. 346. ſſ. W.

4. *Melitinam minoris Armeniae oppidum* alias Melita, hod. Malathiia, Malatia, Mannert VI, 2. p. 290. et *Lacotena* ubi nunc urbs *Meraſch* vel *Marhas*, Mannert ib. p. 296. *Samoſata* (Shemiſat) *Edeſſam* (Sic Erneſtius. Valeſ. habet *Aedeſſam*) Meſopotamiae urbem, Callirrhoen etiam dictam, unde et nunc nomen adhaeſit *Orfa, Orrhoa* vel *Rhoa*, Mannert Tomo V. P. 2. p. 276. W.

5. *Qui aerarium tuebatur.*] Duo fuere tunc temporis aeraria: alterum privatum, alterum publicum; quae utriusque aerarii nomine frequenter in Codice deſignantur. Privatum aerarium id eſt, quod frequentius res privata dicitur. Sic apud Symmachum in Epiſt. 43. lib. 4. Cui praeerat Comes rei privatae. Publicum autem aerarium erat illud, quod ſacrae Largitiones vulgo dicebatur. Et hoc eſt, quod nunc intelligit Marcellinus. Urſulus enim, de quo hic ſermo eſt, Comes erat Largitionum ſacrarum: ut videre eſt in lib. 22. c. 3. ad quem ſpectabat ſtipendia militibus erogare, ut docet Vopiſcus in Probo c. 23. *Annonam e provincialibus daret nullus; ſtipendia de Largitionibus nulla erogarentur.* Et Mamertinus in Grat. actione c. 1. *Nam cum me*, ait, *aerarium publicum curare voluiſti, idque eo tempore quo milites anteactis temporibus ludo habiti praeſens ſtipendium flagitarent, quoquo modo videbar honorem onere penſare.* Denique Agathias in lib. 3. de Rufino quodam Comite Largitionum: παρῆν δὲ αὐτός τε οὐχ ὥστε στρατηγὸς ἢ ταξίαρχος, ταμίας δὲ μόνον τῶν βασιλέως χρημάτων, οὐ μὴν τῶν ἐκ τῆς δασμοφορίας ἐρανιζομένων, (ἄλλῳ γὰρ ἐπετέτραπτο ταῦτα) ἀλλὰ τῶν ὅσα ἐκ τῶν βασιλείων θησαυρῶν ἐπιπόμφει, ἐφ' ᾧ τοὺς ἀριστεύοντας ἐν ταῖς μάχαις τὰ προσήκοντα κομίζεσθαι γέρα. *Aderat autem ille neque ut Magiſter militum, neque ut Tribunus: ſed ut dispenſator aerarii regii, non quidem eius pecuniae quae ex re tributaria colligitur; (haec enim alteri commiſſa eſt,* nempe Praef. Praet.) *ſed illius quae ex Principis theſauris advecta erat, ob id ut qui in praeliis fortiter feciſſent, munerarentur.* VALES. Urſulus adfuit iam XVI, 8. W.

Quibus animis] quam fortiter. Ironia acerba. *Imperii opes iam fatiscunt* aerarium exhauritur. W.

6. *Inſtaurata*] a Sapore, cf. c. 7. W.

8. *Atque cum illi.*] Hunc locum ſic legendum eſſe exiſtimo: *Ad quae cum illi obſtinatione nativa reniterentur, ut clare nati, periculisque et laboribus indurati, cuncta obſidioni congrua parabantur.* Simili locutione in lib. 16. c. 9. dixit: *Caſſiano Comite ſtipendiis et discriminibus indurato diverſis.* VALES.

Reniterentur] Sic confidenter ſuadente Valeſio poſui pro *retinerentur*, quod nihili eſt. W.

9. *Laxatis d. ad diem unum animis.*] Sic primus edidit Caſtellus, cum in Editione Rom. legeretur, *ad diem unum indomis*, prout etiam codex Regius ſcriptum habet [et Colbert.] ac Florentinus. Videndum tamen ne potius ita ſcripſerit Marcellinus: *Laxatis deinde ad diem unum indutiis.* VALES.

Defenſores obtentis ciliciis.] Simili arte Ioſephus in obſidione Iotapatae, dum muri urbis altius extolluntur, ſuos incolumes praeſtitit: uti id narratur de bello Iudaico lib. III. cap. 7. LINDENBR.

Obtentis ciliciis] Cilicia panni erant, e pilis caprarum hircorumve contexti. Vegetius de re militari IV, 6. „Saga ciliciaque „tenduntur, quae impetum excipiant ſagittarum: nec enim facile „tranſeunt ſpicula, quod cedit et fluctuat.“ W.

11. *Cum ſpes noſtrorum inferior.*] Haec ſcriptura a Gelenio profecta eſt. Nam in anterioribus Editionibus, Romana ſcilicet aliisque eam ſecutis legebatur *interior*, quemadmodum etiam in Mſ. Flor. et Regio, [in Colbert. *Cum ſpe noſtrorum interior.*] Mihi non dubium eſt quin ſcribendum ſit: *Cum ſpes noſtrorum interiora cuncta maerore compleret.* Quam emendationem poſtea in exemplari Regio ſupraſcriptam, *in Toloſ. autem contextu exaratam* reperi. Confirmatur autem ex ſimili loco capitis V. hoc libro. VALES. Senſus: cum ſpes tantum nobis creſceret, quantum oppidanis minueretur. W.

Antiochia — exciſa] ſub rege Chosroe. *Faberrime* cf. XXIX, 3, 4. *aptata*, artificioſe compoſita, ut diſſolvi in plures partes poſſet. v. paullo poſt. W.

12. *Omni arte*] Et haec ſcriptura auctorem habet Gelenium. Caſtellus enim et Accurſius Editionis Rom. ſcripturam retinuerant, quae eſt huiusmodi, *Omni argenteo*, perinde ac in Mſ. etiam Flor. [et Colbertino] ſcriptum eſt. In codice Regio *et Toloſano* exaratum diſtincte reperi, *omni argumento*; quemadmodum coniecerat Lindenbrogius. Eſt autem *argumentum* idem quod argutia, et induſtria ſeu μηχανή: ab eademque origine *Ars* dicta eſt. Sic apud Virgilium in lib. 7. v. 791. argumentum ingens pro opere eximio ponitur. VALES. *Argutiae* ſic XXVI, 9. W.

13. *Malleolos et incendiaria tela.*] Vid. Veget. lib. IV. cap. 18. LINDENBR.

Humectis ſcortis et centonibus erant opertae.] Adhibebant interdum cruda boum coria, vel, ut Graeci dicunt, *βύρσας νεοδέρους βοῶν*, ut ignis humore langueſceret. Ammian. *Aries humectis taurinis opertus exuviis.* Ioſeph. de bello Iudaico lib. III.

Digitized by Google

cap. 13. Veget. lib. 4. cap. 15. *Vitruvius lib. 10. cap. ult. Vid. Aelian. et in eum Caſaub. cap. 33. pag. 97.* LINDENBR. Aeneam (Tacticum) voluit ſcribere, aut Galli manum eius prave adſequuti ſunt. GRONOV.

Humectis ſcortis.] *ἰσ. hum. ſcorteis.* *Varro de Ling. Lat. lib. 6. cap. 78. *Antiqui dicebant ſcortum, ſed etiam nunc dicimus ſcortea ea, quae ex corio et pellibus ſunt facta.* Et ſane *humectis ſcorteis* Ammian. ſcripſiſſe reor. ut lib. 24. c. 6. *Operimentis ſcorteis equorum omni multitudine defenſa.** Gloſſar. *Scortea, δερματοχειτών.* Dionyſ. Halicarn. lib. VII. pag. 477. *Μαλλωτοὶ χιτῶνες οὓς ἔνιοι χορταίους καλοῦσι.* Corrig. *σκορταίους καλ.* *Neque enim placet viri doctiſſimi denominatio, qui *ἀπὸ τῆς χόρτου* deduxit.* Tertull. adverſus Marcion. cap. XI. *Exinde in ſcorteis veſtibus, ſed ante ſine ſcrupulo nudus.* Vid. Felt. *et Caſaub. de Satyr. lib. 1. c. 4. p. 141.* LINDENBR.

Unctae alumine diligenter] Gell. lib. XV. cap. 5. *Lupus Servatus in Vita S. Wigberti cap. 21. *Videres lignorum ſimplicem materiam, nec prorſus alumine oblitam, amoliri a ſe ignis potentiam.* Liber hic editus eſt cum Hincmaro.* LINDENBR.

Unctae alumine, ut ignis in eas laberetur.] Vide Agellium in lib. 16. initio, ubi idem aluminis miraculum refert ex Annalibus Quadrigarii. VALES. Hanc ignis arcendi vim alumini tribuit etiam Gellius XV, 1. quam tamen vim large ſaturato vitrioli acido potius ineſſe docet *Beckmann Geſchichte der Erfindungen* B. II. S. 208. W.

15. *Aries maximus.*] Arietis tam frequens apud veteres deſcriptio, ut de eo iterum hic quid velle dicere, id vero operam eſſet ludere. Videndi Tactici et rei militaris Auctores. LINDENBR.

Illaqueatam altrinſecus laciniis retinuere.] Vid. Veget. lib. IV. cap. XXIII. et quae ab eius Scholiaſte adducuntur. LINDENBR.

Ne *retrogradiens* retro tractus *reſumeret vires* ictu graviori moenia feriret. *contemplabiliter* manifeſte, v. ſupra ad c. 7. *Stabant machinae* inefficaces erant. Sic *proelium ſtetit* XIX, 8. W.

17. *Nihil impetrato*] alias nullo impetrato, ut XVII, 5. W.

18. *Amplioribus*] pluribus. v. XVI, 2. W.

21. *Latiusque ſeſe pandente.*] Supple *certamine.* Sed haec ſcriptura meo quidem iudicio ferri non poteſt. Itaque emendo: *Latiusque ſeſe pandentes Romani, etc.* Quod cum ſequentibus verbis optime convenit. Atque ita loquitur Marcellinus in fine libri 27. *Latius ſeſe pandens exercitus, etc.* VALES.

22. *Tamquam per tranſennam.*] Tranſenna funis eſt extenſus, ut eſt apud Servium et Iſidorum, qui ſcilicet olim extendi ſolebat in curriculis, ut dato ſigno et demiſſo fune, ex aequis ſpatiis curſores exſilirent. Gloſſae veteres, *βρόχος ἐν ἀφετηρίαις τετραμένος, tranſenna.* Sic Marcellinus noſter in lib. 25. c. 6. *Tamquam*, inquit, *e tranſenna ſimul emiſſi, ſpe citius ripas occupavere contrarias.* VALES. *Tamquam per tranſennam* auf ein Tempo. W.

24. [*Ut vero certaminibus finem veſpera dedit incedens.*] *Veſpera incedens* quid ſit, haud facile dixerim, aut quis ita locutus ſit. In codice Colbertino legitur: *Ut vero certaminibus finem veſpere dedit incendens.* Legendum itaque puto: *Ut vero certaminibus finem veſpera dedit intendens*, id eſt, veſpera intenta, plena, provecta.] HADR. VALES. Atqui eſt imitatio Virgiliana ex fine Eclogae VII. *Et invito proceſſit veſper Olympo.* Et Hadrianus nunc pronunciat contra fratrem ad lib. XXXI, XI, ubi ex Tacito citatus locus omnino hunc locum tuetur. GRON.

Veſpera incedente] Equidem cum Gronovio et Erneſtio nihil mutandum eſſe arbitror, cum Ammianus *incedere* et aliis rebus iungat, quibus alias iungi non ſolet, v. c. *incedit inopia* XXII, 13. W. Graeci ſic uſurpant verbum χωρεῖν, v. c. Aeſchyl. Perſ. 382. καὶ νὺξ ἐχώρει. ERF.

ſerum tempus] anni ſcilicet, hiemisque appropinquantis. *repellebat*, diſſuadebat. W.

26. *Arcus caeleſtis conſpectus aſſidui, quae ſpecies unde ita figurari*] *Lucretius lib. VI. 523.

Hinc ubi Sol radiis tempeſtatem inter opacam
Adverſa fulſit nimborum aſpergine contra;
Tum color in nigris exſiſtit nubibus arqui.

Apul. de Mundo p. 727. ed. Floridi: *Irim vulgo arcum eſſe aiunt, quomodo imago Solis vel Lunae humidam et cavam nubem denſamque adinſtar ſpeculi colorat, et medietatem orbis ſui ſecat.* De hac re plenius mathematici tractatores. LINDENBR.

Expoſitio de rebus oſtendet.] Ita primus hunc locum reſtituit Gelenius, quem Caſtellus mirum ac prodigioſum in modum ante corruperat. Sed emendationem Gelenii equidem probare non poſſum. Nam quis umquam ſic locutus eſt? *Expoſitio de rebus oſtendet.* In codice Regio et Editione Rom. totus hic locus ſic legitur: *Unde itaque igurari et ſolita expoſita durebis oſtendet:* niſi quod in Editione Rom. excuſum eſt *durabis:* *In Toloſ. *dura vis:** [In Colbertino: *Unde itaque ignari et ſolita expoſita dura bis oſtendet.*] Ex cuius licet inquinatiſſimae ſcripturae veſtigiis hanc veriſſimam loci huius emendationem ſum odoratus: *Quae ſpecies unde ita figurari ſit ſolita, expoſitio brevis oſtendet.* VALES.

Humoris ſpiramina] vapores calidi humidique. *Aſpergines parvas*, pluviam tenuem. W.

Splendida facta.] Codex Regius [et Colbert.] Editioque Rom. ſcriptum habent *ſplendide facta.* Unde ſuſpicor Marcellinum uno verbo ſcripſiſſe *ſplendefacta.* *Sic *nitefacta* apud Iuvencum l. 1. Hiſt. Evangelicae, et *candificare* apud Auguſtinum in Pſalm. 67. VALES.

Contra igneum orbem ſupinantur] Soli e regione opponuntur. *In noſtro mundo*, in coelo, *quem ſphaerae dimidiae partiationes phyſicae ſuperponunt*, quem terram noſtram amplecti hemicycli forma phyſici putant. W.

27. *Lutea — flaveſcens, punicea, purpurea, coeruleo concreta et viridi*] Cur hi potiſſimum, non alii colores exiſtant, et unde

Digitized by Google

fiat, ut hoc, non alio ordine ſeſe excipiant, id ſubtiliter magis et poetica dictione expoſuit, quam ad veram ſcientiae ſubtilitatem. W.

28. *Dilutior*] languidior. *Excitatior* vividior. W.

Receptatione ſpiritus.] Sic primus edidit Gelenius. Nam Caſtellus ediderat *pro receptatione ſpiritus:* cum in Editione Rom. ſic legeretur: *Pro recitatione ſpiritus fulgores eius puriſſimi e regione deflorat.* In Mſ. Flor. *pro reticatione* legi monuit Lindenbrogius, [ut legitur in Colbert.] Ego vero in codice Regio *et Toloſano* ſcriptum reperi, *pro reciprocatione ſpiritus.* VALES.

Pro receptatione ſpiritus fulgores eius puriſſimi deflorat.] Locus vel Ammiani, vel librariorum culpa obſcurus. Si pro *receptatione* legas *reciprocatione,* quod nonnulli Codd. habent, ſi *ſpiritum* pro aëre poſitum ſumas, (uti xx, 3. terra *ſpiritus* cuiusdam interni motu ſuſpenſa) ſi voci *deflorare* metaphoram exuas, ut ſit quaſi *decerpere, ſibi ſumere, arripere:* tum aliqualem ſenſum habebis, nempe hunc, quod fulgores ſolis puriſſimi repercuſſis per aëra radiis ad ſe rapit. — *Purpurat,* purpureum colorem, ſed quem nos violaceum ſolemus appellare, exhibet. W. Vereor ut ſcribendum ſit *puriſſime.* ERF.

Radiorum ſplendorem conſpuens.] Huius ſcripturae auctor eſt Gelenius. Caſtellus enim et Accurſius Romanae Editionis ſcripturam retinuerant, quae omnium ſcriptorum exemplarium conſenſu firmatur. Ea autem eſt, *radiorum ſplendor conſpiciens, etc.* Unde ſic ſcribendum eſſe coniicio: *Quod intermicante aſperginum denſitate, per quas hauritur radiorum ſplendor, conſpicientibus oſtendit adſpectum flammeo propiorem.* Ceterum de coloribus Iridis eorumque cauſis videndus eſt Ariſt. in lib. 3. Meteor. cap. 3. Eſt etiam elegans arcus caeleſtis deſcriptio in Ep. 44. Magni Baſilii ad Gregorium Nyſſenum. VALESIUS. Quanto lenius colligitur ex tot clariſſimis verae ſcripturae indiciis? *quod intermicante aſperginum denſitate, per quas moritur radiorum ſplendor, conſpiciens offendit adſpectum flammeo propiorem.* Nullus dubito, quin auctor ita ſcripſerit. Unde ſic edere ſuſtinui. ORON.

Moritur ſplendor] exſtinguitur, langueſcit. *Conſpiciens,* ſc. homo vel oculus. W.

30. *Apud Poëtas legimus ſaepe, Irim de coelo mitti, cum praeſentium rerum ſit ſtatus mutatio*] Hinc eſt, quod Iris ἄγγελος θεῶν vocatur. Plato in Cratylo. Euſtath. in Homer. Iliad. 3. pag. 296. τὴν Ἶριν ὁ μὲν μῦθος δαίμονα χρυσόπτερον βούλεται εἶναι, εἰρουσαν, ὃ ἐστὶν ἀγγέλλουσαν τὰ τῶν θεῶν. *Val. Flaccus Argonaut. lib. 4. v. 77.

Velocem roſeis demittit nubibus Irim:
Vt Phrygas Alcides, et Troiae differat arma:
Nunc, ait, eripiat dirae Titana volucri.
Diva volat, deſertque viro celebranda parentis
Imperia.

Idem lib. 7. v. 186.

Digitized by Google

— — Volucrem tunc aspicit Irim,
Festinamque iubet monitis parere Dionae,
Et iuvenem Aesonium praedicto sistere lucro.

Lucianus περὶ θυσιῶν (T. III. Bip. p. 74.) ἡ Ἶρις καὶ ὁ Ἑρμῆς ὄντες ὑπηρέται καὶ ἀγγελιαφόροι τοῦ Διός. Vid. Virgil. Aeneid. IX. et ibid. Servium. LINDENBR.

Cum pr. rerum sit status mutatio.] Hic locus ex Augustana Editione egregie est restitutus, quem Gelenius foede pro arbitrio corrúperat. In Editione Rom. et Mss. Flor. [ac Colbert.] *et Tolos.* verba transposita erant hoc modo: *Legimus saepe nimirum* **de coelo** *hinc verti necesse mitti cum praesentium rerum sit status. Suppetunt, etc.* Sed Accursius, sive ex Ms. suo codice, sive ex coniectura eam luxationem restituit, laudem certe non mediocrem meretur. In exemplari Regio scriptum inveni: *Legimus saepe nimirum de caelo mitti, cum verti necesse sit praesentium rerum status.* VALES.

31. *Urebat eius anxiam mentem.*] Comparat tacite Constantium Tiberio, illumque sic describit verbis, quae Suetonius de hoc edidit cap. 66. *Urebant insuper anxiam mentem varia undique convicia.* Male paulo post Gallica editio *revertetur.* GRON.

Velut patefacta ianua divitis domus.] Metaphora est a plebeiis hominibus, qui postquam iudicis domum vix exorato ostiario ingressi sunt, haud impetrato quod acturi venerant revertuntur: vel certe translatio est ab effractoribus, qui noctu expugnata divitis cuiuspiam domo, concursu tamen familiae frustrati repelluntur. Ita Constantius post maximos apparatus traiecto Euphrate, re infecta, nec expugnata Bezabde redire cogebatur. VALES. Istarum comparationum neutra satis digna Imperatore, quod pace vel Valesii, vel Ammiani potius dixerim. W.

32. *Aerumnosam perpessus aestatem.*] Hanc scripturam excogitavit Castellus, temere et absque iudicio, ut solet. Quippe Constantius post aequinoctium autumnale Euphratem traiecerat, ut Bezabdem obsessum iret, teste Marcellino supra c. 7. Autumnum igitur, non aestatem corrigere debuerat: sed longe aliter Editio Rom. [et Colbert. codex.] *Erumnosam perpessus etulerint, sed atrocia, diuque deflenda.* Atque ita plane Regius codex, nisi quod *eculerint* habet. [Forte scribendum est: *Aerumnosa perpessus, ut retulimus, et atrocia diuque deflenda.*] VALESIUS. Aut fallor, aut hoc est Ammiano dare novum Castellum. Hoc enim digna est illa coniectura, non ingenio Valesiano, sive illam Henrici dicere debeamus, a quo adnotatam in eius exemplari Hadrianus inclusam uncis evulgando auxit fraterna commentaria, sive ipsius Hadriani, qui sustinuit tam aliena et arcessita inferere contextui, quem curavit. An quia τὸ *tul* occurrit in scripta lectione, inde reliqua sic violente tractanda fuerunt? Vel unus hic locus merebatur novam editionem huius auctoris, quem sic molliſſime fingens restitui: *Redit in Syriam aerumnosam, perpessus et ulcerum sed atrocia diuque deflenda.* Omnino eam fides Mstorum postulat, ut *aerumnosam* referamus ad *Syriam*, ut *aerumnosum salum* dixit Tullius. In reliquis nihil praeter Mstos. Hinc reddidi Ammiano suum. ORON. Valesiana correctio facillimum,

Digitized by Google

fateor, praebet ſenſum, frigere tamen verba *ut retulimus* videntur. Non erat vero, quod Gronovius ideo more ſuo, id eſt, inurbane inveheretur in Valeſios; nec video, quid ſit, quod unus hic locus mereatur novam editionem Ammiani; quem cum *molliſſime fingens* reſtituiſſe iactat, mihi non mollis, ſed dura admodum iſta emendatio et contorta videtur. Ut enim taceam, *aerumnoſam* ad Syriam relatam non placere, quid voculae *ſed* agam non magis exputo, quam unde *ulcerum* pendeat (qua voce profecto novum ulcus Ammiano inflixit) niſi Graecam rationem in mente habuerit, ut *ulcerum atrocia* eadem ſint, quae *ulcera* atrocia. Erneſtius totum locum intactum reliquit, quod nollem factum. W.

Fatali conſtellatione ita regente diverſos eventus.] Ita vocat vim illam, quam dicimus fati, quae ſtellarum agitatione perficitur. Aldhelm. lib. de Virginit. *Fato et geneſi gubernantur futura, iuxta Mathematicorum conſtellationem.* Tertull. de Idololatr. cap. 9. *Homines non putant Deum requirendum, praeſumentes ſtellarum nos immutabili arbitrio regi.* Ea de re plura Firmic. Mathem. lib. 1. cap. 3. LINDENBR.

Evenerat hoc quaſi fatali conſtellatione.] Cur hoc? quidni et hic, uti aliis locis, inprimis XVI, 10. mi Ammiane, aperte confeſſus es, Conſtantium, ſi quid feliciter geſſerit, per Duces geſſiſſe? W.

Digitized by Google

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XXI. C. I.

1. *Intercluſo*] praepedito, occupato. W.

Iulianus agens apud Viennam] Huc pertinent quae de Iuliano ſcribit Gregor. Nazianzen. Orat. 1. gemini illum criminis accuſans, et quod Auguſti appellationem malo more uſurpavit, et quod Conſtantium armis infeſtis ultro impetiit. *ἐπ' αὐτὸν ἐστρατεύει, καὶ τῆς δύσεως ἀπανίσταται, προφάσει μὲν ὡς ἀπολογησόμενος ὑπὲρ τοῦ διαδήματος, ἔτι γὰρ ἐδόκει κρύπτειν ἑαυτοῦ τὴν ἀπόνοιαν, τὸ δ' ἀληθὲς, ὡς μεταστήσων εἰς ἑαυτὸν ἅπαν τὸ κράτος.* LINDENBR.

3. *Tutiſſimum ratus inimicum ſe monſtrare.*] Huius conſilii ſui rationem explicat ipſe Iulianus in Ep. ad Iulianum avunculum. *Primum*, inquit, *Dii ita iuſſerant, ut ei bellum inferrem, ſalutem quidem polliciti, ſi parerem; cunctanti vero perniciem. Deinde ita exiſtimabam, ſi me ei hoſtem oſtenderem, fore ut ei incuterem metum, atque eo facto ad aequiores conditiones res eſſe venturas: quod ſi proelio res decerneretur, Fortunae ac Diis immortalibus eventu permiſſo, quaecumque ii decreviſſent, exſpectare.* VALES.

Per amicitias fictas inſidiis falleretur occultis.] Itaque Antigonus Rex hoc a Diis immortalibus precabatur, a fictis et ſimulatis amicis uti ſe praeſervarent. *Οὗτος θύων τοῖς Θεοῖς, ηὔχετο φυλάττειν αὐτὸν ἀπὸ τῶν δοκούντων εἶναι φίλων. Πυνθανομένου δέ τινος, διὰ ποίαν αἰτίαν τοιαύτην εὐχὴν ποιεῖται, ἔφη, ὅτι τοὺς ἐχθροὺς γινώσκων φυλάσσομαι.* Stobaeus Serm. CCXIII. *Vide omnino elegantes Palladae verſus Antholog. lib. 1. Tit. 75. *εἰς Κόλακας. Οὐχ οὕτω βλάπτει.* Adde interpretationem Alardi pag. R. 6. b. et Lucilii *εἰς Δολίους.** LINDENBR.

4. *Quinquennalia Auguſtus iam*, Caeſaribus quippe non licebat, *edidit* celebravit. W.

Diademate lapidum fulgore diſtincto.] Libanius in Orat. Conſulari de Iuliani levatione loquens: *προστιθεῖσα θαλαττίῳ χλαμύδος βαφῇ λιθοκόλλητον ταινίαν φέρουσάν τι καὶ αὐτὴν καρποῦ θαλαττίου. Adiiciens marinae paludamenti tincturae diadema lapillis ornatum, in quo ineſt etiam neſcio quid foetus marini:* quibus verbis margaritas intelligit. Idem in Orat. funebri (Reisk. 1. p. 386.) *ταινίαν χρυσῆν* nominat. Primus autem ex Imppp. Romanis Aurelianus diadema capiti innexuit, ut legitur in Victoris Epitome c. 35. (qui tamen ſibi non conſtat: nam diu ante Cali-

gulam diademate uſum fuiſſe narraverat. W.) Mamertinus in Panegyrico ad Maximianum Aug. c. 3. *Trabeae*, inquit, *veſtrae triumphales, et faſces Conſ. et ſellae curules, et haec obſequiorum ſtipatio, et fulgor, et illa lux divinum verticem claro orbe complectens, veſtrorum ſunt ornamenta meritorum.* Cedrenus tamen huius conſuetudinis auctorem facit Conſtantinum Magnum. Φασὶ δὲ αὐτὸν πρῶτον τῶν βασιλέων πάντων διαδήματι χρήσασθαι καὶ μαργαρίταις καὶ ἄλλοις λίθοις περιεργότερον κοσμηθῆναι. Quae verba ex Victoris Epitome verſa videntur, in qua ſic legitur de Conſtantino c. 41. *Habitum regium gemmis, et caput exornans perpetuo diademate.* Sed ne Victorem pugnantia loqui dicamus: Aurelianum quidem primum ex Rom. Principibus diadema capiti innexuiſſe ſentiendum eſt: ſed non perpetuo uſum fuiſſe, verum in feſtis dumtaxat ac ſollemnioribus diebus, perinde ac Reges hodie ſolent. Conſtantinus vero primus perpetuum diadema geſtavit: idque exinde inter inſignia Auguſti Imperii haberi coeptum eſt, nec Caeſaribus erat conceſſum, ut ex ſuperiore Libanii loco et Marcellini noſtri perſpici poteſt. In diademate autem Principum Chriſtianorum ſignum Crucis erat depictum, ut teſtatur D. Hieronymus in Ep. ad Laetam de inſtitutione filiae: *Regem purpuras et ardentes diadematum gemmas patibuli ſalutaris pictura condecorat.* Ceterum Conſtantinus ob religionem potius quam ambitionis cauſa videtur diadema perpetuo geſtaſſe. Clavus enim Dominicae Crucis illud connectebat, ut narrat D. Ambroſius in Orat. de exceſſu Theodoſii. VALES. Cf. Arntzenii notas ad Aurel. Victor. Epit. 35. inprimis vero Spanhem. ad Iuliani Caeſares p. 71. ubi et Conſtantini et Iuliani capita diademate cincta ex numis exhibentur. W.

Xyſtarchae ſimilis.] Tertull. ad Martyr. cap. 3. *Bonum agonem ſubituraе eſtis, in quo Agonothetes Deus vivus eſt: Xyſtarches Spiritus ſanctus.* Heſych. Ξυστὸς, τόπος ἔνθα οἱ ἀθληταὶ γυμνάζονται. Inde Ξυστάρχης ὁ ἐπιστάτης τῆς ἀθλητικῆς γυμνασίας: quos purpuratos praeſediſſe hic Ammiani locus indicat. Vid. quae notat Ampliſſ. Petrus Faber, Semeſtr. lib. 1. cap. 22. LINDENBR.

Xyſtarchae ſimilis purpurato.] Xyſtarchae ſunt, qui frequentiori vocabulo Gymnaſiarchae dicuntur, ut ex Heſychio et Suida notum eſt: quos purpuratos fuiſſe praeter Marcellinum, docet Lucianus in Anacharſi (T. VII. Bip. p. 157.) ἀλλ' οὐδὲ ὁ ἄρχων οὑτοσὶ διΐστησιν αὐτοὺς καὶ λύει τὴν μάχην. τεκμαίρομαι γὰρ τῇ πορφυρίδι τῶν ἀρχόντων τινὰ τοῦτον εἶναι. Hos etiam coronatos fuiſſe hic Marcellini locus videtur evincere, quod alibi legere non memini. Agonothetas quidem coronatos fuiſſe conſtat et purpuratos, ex Suetonio in Domitiano cap. 4. et Libanio in Orat. de vocationibus ad epulum Olympiorum (Reisk. III. p. 110.) ubi Φασγανίου τὸν στέφανον ἔχοντος idem valet atque ἀγωνοθετοῦντος. Eodem refero verba haec Dionis in lib. 60. de Nerone: ἐν δὲ τῷ γυμνικῷ ἀγῶνι πορφυρίδα καὶ στέφανον χρυσοῦν ἐλάμβανεν. VALES. Diverſos a Xyſtarchis fuiſſe Gymnaſiarchas, ſine cauſſa nonnulli contendunt. Plura dabit van Dalen in Diſſertatt. p. 630. ſſ. W.

5. *Helenae coniugis defunctae ſuprema.*] *Suprema* ſunt τὰ λείψανα. *Arnob. lib. 6. p. 189. *in Didymaeo Mileſio Cleochum dicit habuiſſe ſuprema Leandrius.** Solin. cap. XV. *Suprema*

non contentus prosequi sumptu funeris, crinem tonsus est. Ammian. inf. XXI, 15. *Supremis cum gemitu conclamatis.* Lib. XXII. *Collectis supremis aedes illis exstruerentur.* Lib. 25. c. 10. *Suprema et cineres.* Lib. 30. c. 10. *Post conclamata Imperatoris suprema.* Solin. p. 18. *Priscorum molem testantur etiam Orestis suprema, cuius ossa Olympiade quinquagesima et octava Tegeae inventa.* Ammian. lib. 25. c. 9. *Cum Iuliani supremis Procopius mittitur.* LINDENBR.

Helenae coniugis defunctae.] Quam alii in puerperii doloribus interiisse in palatio Iuliani, alii expulsam e palatio scripsere, ut ait Zonaras: ἐν τούτοις καὶ ἡ αὐτοῦ γυνὴ τελευτᾷ, ὡς μέν τινές φασι, τίκτουσα παρ' αὐτῷ· ὡς δέ τινες, ἤδη ἐκβεβλημένη. Fuerunt et quidam, qui veneno a Iuliano necatam esse dicerent, ut docet Libanius in Oratione Ms. adversus Polyclem. Decessit autem, postquam Iulianus ab exercitu creatus erat Augustus, teste Iuliano in Ep. ad Athen. (Idque patet etiam ex XX, 4. ubi deficiente diademate, uxoris ut purpuream vittam arcessi iuberet, milites postulasse dicuntur. W.) In nummis antiquis FL. IULIA. HELENA. AUG. dicitur, si Goltzio fides. VALES.

Soror eius, Helenae, *Constantina*, de qua vide XIV, 1, 2. 11, 22. W.

Sepulta est Constantina.] In Regio codice *Constantia* scribitur non hic solum, sed etiam in lib. 14. et ita plerique Scriptores eam nominant, Zosimus in lib. 2. c. 45. Petrus Patricius in Excerptis legationum, Zonaras, Auctor Chronici Alexandrini, denique Nicephorus Callistus. Sed *Constantina* scribi debet. Sic enim in veteribus nummis insculptum esse testatur Goltzius, FL. IUL. CONSTANTINA. AUG. Et ita eam appellat Victoris Epitome, [et Codex Colbertinus.] In Excerptis de gestis Constantini Constantiana dicitur manifesto duplicis scripturae vestigio. Haec porro adhuc virguncula aedem in suburbano viae Nomentanae (vid. Liv. III, 52. W.) construxerat S. Hagnae sacratam, in qua postea sepulta est. Hinc porta Nomentana hodie S. Hagnes appellatur: aedes autem ipsa ab auctoris nomine Sanctae Constantiae dicitur, corrupto, ut fieri solet, vocabulo. Nam Constantinam dici debere testatur vetus Acrostichis quae in eo templo etiamnum visitur, et a doctis viris publicata est. VALES.

6. *Accidebat autem.*] In Editione Rom. legitur *Accidat*: in Regio codice *Accendit.* HENR. VALES. [in Colbertino *Accidat.*] HADR. VALES. Hi codices forsan indicant *excibat autem*, ut in fine huius libri, *Supremis cum gemitu conclamatis, excitisque lamentis et luctu* cap. 13. Et sic alibi *Turbinibus excitis occurramus.* GRON.

Accidebat] Malim *acuebat*, nisi forte aliquid deest. — *Conficiens.* Melius coniicientis, ut referatur ad eius. W.

7. *Studioso cognitionum omnium*] Idem iisdem verbis dixit XXV, 4, 7. W.

Praenoscendi futura.] Notat id ipsum in Iuliano Greg. Nazianz. Κατὰ πρόγνωσιν ἐπὶ τὴν ἐκστρατείαν ἀρθείς. LINDENBR.

Malivoli — pravas artes assignant.] Hinc sumit occasionem Ammianus de arcana futura praenoscendi arte, quae sapientibus viris contingere possit, subtiles et argutas ratiunculas afferendi,

quas si semel admiseris, nihil est in hoc genere, quod refellas. Sic vere Heynius in Prolus. de Ammiano Marcellino p. CXXXV. W.

8. *Perennium* immutabilium, aeternorum, *spiritus* omnia permeans, *semper et ubique vigens* praesens et efficax ideoque et praescientiens. *Substantiales potestates*, daemones (intelligentias etiam barbare vocant) cf. XIV, 11. vano modo *placatae* conciliatae. W.

Ex perpetuis fontium venis.] Castalii fontis fatidicas venas intelligit, oraculo Apollinis claras. Niceph. in Synes. LINDENBR. Quum sic priscae editiones, atque etiam Gallica Henrici, nec notetur ulla varietas, unde Hadrianus illam auctoritatem, ut ederet *sortium?* GRONOV.

Numen praeesse dicitur Themidis.] Copiose hunc locum interpretatur vir eruditiss. Steph. Pighius in lib. cui Themis Dea titulus, pag. 72. LINDENBR.

Iovis vigoris vivifici, per quem omnia vivunt, *Theologi veteres collocarunt.* Iupiter est Dominus totius naturae. Themis praeest legibus, ordini naturae, et oraculis: serius iustitiae Deam esse voluerunt Mythologi. Iovi πάρεδρος (quod Ammiano est in cubili solioque) occurrit ap. Pindarum Olymp. VIII, 28. v. Arnaldum de Diis Paredris p. 154. Hemsterhusium ad Aristoph. Plut. p. 14. et omnino Groddeck de hymnis Homericis p. 71. W.

10. *Extis pecudum, in species converti suetis innumeras*] quae tam multis modis, situ, sanitate cet. differunt. W.

Tages nomine quidam monstrator, ut fabulantur, in Etruriae partibus emersisse subito visus.] Marcian. Capell. lib. VI. *Etruria regio tam indigetis Aeneae foedere, quam remediorum origine, atque ipsius Tagetis exaratione celebrata.* Vid. Livius, Gellius, Censorin. de die Natal. LINDENBR. Conf. de Tagete, quae notata sunt ad XVII, 10. W.

11. *Aestuant*] per enthusiasmum, uti recte Ernesti. W.

Sed loquuntur divina.] Id est, Dii ore eorum loquuntur. Sic apud Graecos τὸ θεῖον pro Deo sumitur: et apud Marcellinum in fine libri 22. c. 16. *Sed si intelligendi divini additionem multiplicem, etc.* Ita Arnobius in lib. 6. initio: *Ipsum caput ac dominum summum, ipsum Regem, cui debent nobiscum divina quod esse se sentiunt.* Omitto Cassiodorum lib. XI. Ep. X. *Malim tamen hic legere, *et loquuntur divina.* Sic daemones *pronuntiare divina* dicuntur apud August. lib. X. de Civitate cap. XXVI. et XXVII.* VALES.

Sol — nostras mentes ex sese velut scintillas diffunditans] Nos omnes igitur, quotquot sumus, particulae Solis fuimus? W.

Crepitus vocum] soni aurem subito ferientes. *Occurrentia signa* phasmata. *Siderum sulci*, astra ad speciem e coelo delabentia sulcosque trahentia per aërem. W.

12. *Somniorum autem rata fides.*] De somniorum certitudine Aristotel. περὶ τῆς κατ' ὕπνον μαντικῆς, et in eum Themistius, Hippocrat. περὶ ἐνυπνίων, Synes. περὶ ἐνυπνίων, et in eum Niceph. Artemidor. et Achmes, (cf. Gronov. Praef. p. XVI. W.) ex quorum libris plenior huius rei notitia percipienda. LINDENBR.

Digitized by Google

Fixa et ſtabilia] fide digna et eventum habitura. *rectiſſime* directe, vid. ad XV, 7, 3. W.

13. *Kanities*] vanitas; ſed citerior latinitas plures eiusmodi formas admittit, v. c. magnities, minuties, pinguities. v. Wernsd. ad poët. min. III, 319. — *Subſiſtit* ceſſat, pretium amittit. W.

14. *Tullius.*] Locus eſt in lib. 2. c. 4. de Natura Deorum. [Idem Cicero in libro 1. c. 52. de Divinatione ſic ſcribit: *Male coniecta maleque interpretata, falſa ſunt non rerum vitio, ſed interpretum inſcientia.*] VALES.

Extra calcem longius quam par eſt, *decurrens.* Proverbium ſumtum a linea vel ſulco calce (poſtea creta) expleto, unde equi in Circo decurrentes emiſſi revertebantur. *Proſpecta* praeviſa. W.

CAPVT II.

1. *Cum apud Pariſios adhuc Caeſar Iulianus quatiens ſcutum variis motibus exerceretur in campo.*] Sunt qui χειρολαξίας ludum hic intelligunt; ego ad exercitationem militarem potius referendum puto, de qua Veget. lib. II. cap. 14. LINDENBR.

Quatiens ſcutum.] Inter exercitationes militares fuit olim ſcuti concuſſio atque rotatio. Sic enim Vegetius in lib. 2. cap. 14. *Qui,* inquit, *dimicare gladio, et ſcutum rotare doctiſſime noverit, qui omnem artem didicerit armaturae.* Et in lib. 4. cap. 1. *Norit iactare ſcutum, et obliquis ictibus venientia tela deflectere.* Et Sidonius in Panegyrico ad Maiorianum Aug. v. 248.

clypeumque rotare
Ludus, et intortas praecedere ſaltibus haſtas.

et Lucanus in Panegyr. ad Piſonem, in Catalect. poët. p. 121. Scalig.

Arma tuis etiam ſi forte rotare lacertis, etc.

Veteres Latini id *ventilare* dicebant: unde in Gloſſis legitur, γυμνάσαι, *exercere, ventilare:* et *ventilator,* ὁπλομετής. Eamque ventilationem intellexit Propertius in lib. 4. El. 4. v. 19. de Tarpeia:

Vidit arenoſis Tatium proludere campis,
Pictaque per flavas arma levare iubas.

et Manilius in lib. 5. 88.

Aut ſolo vectatus equo nunc arma movebit.

Quem quidem verſum recte Firmicus de militaribus armaturis accepit, et immerito ab Scaligero reprehenditur. Etenim inter armaturae ſeu pyrrichae partes non poſtrema fuit haec ventilatio, ut egregie docet Claudianus in Conſulatu VI. Honorii. De hoc etiam more intelligendus eſt Hegeſippi locus in lib. 5. cap. 37. *Namque is,* inquit, *ſucceſſu laetus certaminis dum tripudiat atque exſultat, concuſſoque clypeo ſimul ac gladio proludit.* Haec cum ita ſint, non aſſentior Turnebo, qui in libro 27. Adverſ. hunc Ammiani noſtri locum de trocho intellexit. HENR. VALES. Haec Turnebi concuſſio non decuit Henricum Valeſium, quum eam diu civis eius iam praecepiſſet Paſſeratius ad Propertium 3, 14, qui et Mercurialem illic citat. Nimis igitur tarda et captata. ORONOV.

[De ea iactatione ſcuti, populo etiam exhiberi ſolita in ſpectaculis, elegans eſt epigramma XXXIX. libri IX. apud Martialem; ubi Agathinus dicitur ita parmam rotaſſe ac ventilaſſe, ut numquam caderet, ſed ſemper aliqua parte corporis excipereiur, et vel pedi, vel tergo, vel etiam ungui inſideret.] HADRIANUS VALES. Vid. Caſaubonum ad Scr. Hiſt. Aug. T. I. p. 238. Salmaſ. ad eosdem T. II. p. 600. W.

Axiculis quibus orbis erat compaginatus.] Orbem pro ſcuto poſuit, non pro trocho, ut putabat Turnebus. Sic Valerius Flaccus in lib. I. Arg. v. 452.

clari decus adiicit orbis,
Quem genitor geſtavit Abas.

et Claudianus de bello Gildonico v. 211.

clypeique recanduit orbis.

Denique Ennodius in Epiphanii Vita: *Licet pectus meum lorica non deſerat, et adſidue manum orbis aeratus includat.* *Axiculi autem heic ſunt tabulae, ut ait Lipſius lib. 3. de Mil. cap. 2. Sic in libro 16. c. 8. Marcellinus aſſeres et axiculos pontis iunctim commemorat.* VALES. *In vanum excuſſis,* diſſilientibus. W.

Anſa remanſerat ſola.] In Editione Rom. hic et ubique pro *anſa* ſcriptum reperi *ampla*: neque aliter in codice Regio [et in Colbertino] *et Toloſ.* Quid, quod et apud Servium in 7. Aeneidos eodem modo corruptum hoc nomen eſt? Ad hoc enim hemiſtichium,

et picti ſcuta Labici.

Glaucus, inquit, *Minois filius venit ad Italiam, et cum ſibi imperium poſceret, nec acciperet, eo quod nil praeſtabat, ſicut pater eius praeſtiterat, zonam eis transmittendo, cum antehac discincti eſſent: oſtendit ſcutum, a quo et ipſe Labicus dictus eſt, et ex eo populi, ἀπὸ λαβῆς, quam Latine amplam vocamus.* lege *anſam.* Idem eſt error apud Rufinum in libri X. Hiſtoriae Eccleſiaſticae capite 12. *Sed Euſebius qui apud Nicomediam erat, amplam temporis nactus occaſionem.* In Mſſ. codicibus poſtrema vox deeſt. Scribo itaque, *anſam temporis nactus.* [Tamen initio libri XXI. Ammiani Marcellini codex Colbertinus ſic praefert: *Cum apud Pariſios adhuc Caeſar Iulianus quatiens ſcutum, variis motibus exerceretur in Campo: axiculis quis orbis erat compaginatus, in vanum excuſſis, ampla remanſerat ſola: quam retinens valida manu ſtringebat.* Ubi vulgati libri mendoſe exhibent, *anſa remanſerat ſola.* Praeterea in fine libri eiusdem XXI. c. 16. ita in codice Colbertino ſcriptum lego: *Si affectatae dominationis amplam quamdam falſam reperiſſet, aut levem:* pro quo vulgo editi libri obtrudunt, *dominationis anſam quamdam.* In libro item XIX. c. 3. *amplam laudis* pro *anſam.* Denique quotiescumque apud Marcellinum editi libri *anſam* nobis ingerunt temeritate Criticorum intruſam, codex Colbertinus optimae notae *amplam* diſerte religioſeque ſervat: ut iam ſupra notavi. Nec dubito codices veteres, Regium, Vaticanum, Valentinum, Toloſanum, Florentinum, ac reliquos, ea in re ſemper cum Colbertino conſentire. Quare nullam apud Rufinum et Servium ſupra laudatos mendam ſubeſſe, ac nihil in nomine *amplae*

convertit, barbaros per litteras evocans ut prius; (Magnentiano scilicet bello) *et gratiam hanc ab iis poscens, ut Rom. provincias in servitutem redigerent, uni e multis persuasit ut pejeraret.* Ipsas etiam Constantii litteras, quibus barbaros adversus ipsum concitaverat, a se interceptas esse; ait Iulianus in Ep. ad Athen. p. 286. Spanh. quas, cum adversus Constantium proficisceretur, singulis civitatibus et militibus legendas dabat, teste Libanio in Oratione funebri, et Socrate in lib. 3. VALES.

Ut dignum par *est.* Cic. Tusc. II, 5. Quid enim minus est *dignum*, quam tibi peius quicquam videri dedecore, flagitio, turpitudine? Plura reperies exempla in Miscellaneis Observatt. novis T. II. p. 88. — *Ducatum per Phoenicem regens* conf. infra XXVI, 8. ubi ex Duce et Rege. *Caesar tuus disciplinam non habet* disciplina ei opus, in ordinem cogendus est. W.

CAPVT IV.

1. *Rapere*] i. q. capere. Cf. XXVIII, 6, 27. W.

2. *Philagrium Orientis postea Comitem.*] Comes fuit Orientis imperante Theodosio, Antonio et Syagrio Coss. anno Domini 382. ut apparet ex lege 41. Cod. Th. de cursu publico: quod confirmat etiam Libanius in Orat. de vita sua pag. 64. (Reisk. I. p. 129.) ubi de paenuria annonae loquitur, quae fuit Antiochiae Theodosii temporibus: Φιλάγριος δὲ ἀνὴρ ἐνδοξότατος ἐπὶ τὸν μείζω ἤδη χρόνον ἦκων, etc. Id est: *Philagrius vir Cl. superiori potestate praeditus:* quibus verbis Comitivam Orientis designat, ut notavi ad librum 14. Eiusdem Philagrii meminit Libanius in Responsione ad cuiusdam paedagogi maledicta pag. 638. (Reisk. II. p. 268.). Oriundus autem erat ex minore Armenia, ut didici ex Epist. 102. Libanii ad Philagrium. VALES.

Philagrium.] Reinesius adscripsit: „Philagrius Cappadox eo tempore, quo Athanasius, necato Georgio Episc. Alex. Ariano, ultimis mensibus A. 362. redierat Alexandriam, iterum Praefectus Aug. Alexandriae factus est, πρεσβείᾳ τῆς πόλεως καὶ ψήφῳ τοῦ βασιλέως, Naz. Or. 21. εἰς μέγαν Ἀθανάσιον." W.

Chartulam tradidit, mandavitque ne aperiret vel recitaret, nisi Vadomario viso cis Rhenum.] Simile mandatum navicularis olim a Demetrio datum fuit, cum in Europam tenderet. Polyaenus Strateg. lib. 4. aliudque exemplum in Imilcone habemus apud eumdem lib. 5. LINDENBR. Cf. c. 16. W.

5. *Vadomarium fortiter apprehensum.*] Hunc intellexit Libanius in Orat. funebri pag. 286. (Reisk. I. p. 558.) ὁ δὲ ὁμοῦ μὲν ἐλῄστευεν, ὁμοῦ δὲ καὶ ἐν τοῖς ἀγροῖς οὓς εἰλήφει μισθὸν, ἐτρύφα, καὶ ὡς ἂν ἄκακός τις συνεδείπνει τοῖς ἐνθένδε στρατηγοῖς. καὶ τὸν μὲν λῦσαι τὰς σπονδὰς ὑπομείναντα πίνοντα εἶχε. *Hic autem simul latrocinabatur, simul in agris quos mercedis loco acceperat, genio indulgebat: ac velut simplex aliquis et minime malus, cum nostris ducibus cenabat. Hunc igitur qui foedus violare sustinuerat, potantem comprehendi iussit Iulianus.* Idem narrat Libanius in προσφωνητικῷ pag. 180. ubi quod dicit,

dicit, Vadomarium captum noxiorum more ſulcatis lateribus eſſe vexatum, auctoritate Marcellini refellitur. VALES.

Apud ſigna] in caſtris. *Textu lecto iuſſorum* praelectis exercitui Iuliani mandatis. W.

8. *Superato Rheno.*] Huius poſtremae Iuliani expeditionis adverſus Alamannos et Vadomarii pagos meminit et Libanius in Oratione illa funebri, quam verius hiſtoriam rerum Iuliani dixeris, pag. 286. Adeo ubique hiſtoriae quam orationi ſeu *πολιτικῷ λόγῳ* ſimilior eſt. VALES.

CAPVT V.

1. *Contectans, quantas inteſtinae cladis excitaverat moles*] dignitate Auguſti ſuſcepta bellum civile vix evitari poſſe. *Profeſſa palam defectione*, ſi aperte armataque manu Conſtantium praeveniret. W.

2. *Magni commilitones.*] Hoc inuſitatum. Infra c. 13. in orat. Conſtantii eſt *amantiſſimi.* [Legendum fortaſſe *magnanimi.* ERF.] *Geſtorum amplitudine* intelligi poteſt vel de rebus a ſe praeclare geſtis, vel de Auguſti dignitate, vel de utroque. *Hoc opperiri conſilium* vos exſpectare, quid ego in futurum conſilii ceperim. W.

Plus enim audire quam loqui militem decet.] Plautina imitatio ex Epid. Act. 1. Scen. 1. v. 57.

Scire ſatius eſt, quam loqui
Servum hominem: ea ſapientia eſt.

*Et in Mil. glor. Act. 2. Sc. 5. v. 67. *Plus oportet ſcire ſervum, quam loqui.* Curtius lib. 7. c. 4. §. 9. *Servo eſſe utilius parere dicto, quam afferre conſilium.* Idem Plaut. in Milite glorioſ. Act. 2. Sc 6. v. 80. *Satin obiit — — hominem ſervum domitos habere oportet oculos et manus orationemque.** Veget. lib. III. cap. 14. talem Centurionem eligendum dicit, *qui ſit vigilans, ſobrius, agilis, magis ad facienda quae ei imperantur, quam ad loquendum paratus.* LINDENBR.

Abiectis abſolvam.] Legendum videtur *ablectius*, id eſt *ſimplicius.* VALES. *Abiectius* placebat etiam Erneſtio. Fortaſſe tamen Subſtantivum aliquod excidit, *ambagibus, lenociniis* vel ſimile. W. Valeſius vellem iſtum voc. *abiectius* ſignificatum exemplis firmaſſet. Incurioſe et *abiecte* verbum poſitum legitur ap. Gellium II, 6. ſed illius loci alia ratio eſt. ERF.

3. *Arbitrio Dei coeleſtis* et paucis interiectis: *Deo vobisque faventibus.* Caute de *uno* Deo loquitur, quamquam paganus, ne milites Chriſtianos offendat. W.

4. *Laborum quos exhauſimus*] pertulimus. Cf. Davif. ad Cicer. Tuscul. I, 36. et 49. *Examina aetatum.* Examina pro magno numero, uti *dilationum examina*, XXX, 4. W.

5. *Altius maiora* (alterutrum abeſſe poterat) *affecto.* — Id *prae me ferens* haud temere mihi perſuadens. W.

6. *Adverſa*] quae fortaſſe a Conſtantio imminent. *Dum integritas rerum intentioni noſtrae voluntatique reſpondeat*, dum

re adhuc integra nihil aperte ſaltem hoſtes contra nos moliuntur. *Regiones Illyricae*, quae parebant Conſtantio. W.

7. *Utque eſt mos fidentium Ducum.*] Sic primus edidit Gelenius, cum et Editiones et Mſſ. codices omnes ſcriptum haberent: *Ut quos ex more fid.* Unde Lindenbrogius coniecerat, *vosque ex more, etc.* Sed coniectura noſtra a veſtigiis priſcae ſcripturae minus recedit. VALES.

Fidentium] fidelium? *Productaro* demonſtraturo. W.

8. *Quod ita nos illuſtrarunt.*] Elegantior exſiſtet ſententia, ſi particulam negativam addideris hoc modo: *Quod haud ita nos illuſtr. etc.* *In Mſ. Toloſano legitur, *quod ita non illuſtrarunt.** VALES.

10. *Iuſſique univerſi in eius nomen iurare ſollemniter.*] Sacramenti militaris formula erat, OMNES SE PRO IMP. CASUS QUOAD VITAM PROFUDERINT PERLATUROS. *Ammian. lib. 21.* Huc reſpexit Arrianus lib. 1. cap. 14. Θεῷ ἔδει καὶ ὑμᾶς ὀμνύειν ὅρκον, οἷον οἱ στρατιῶται τῷ Καίσαρι. ἀλλ' ἐκεῖνοι μὲν τὴν μισθοφορίαν λαμβάνοντες ὀμνύουσι, ΠΑΝΤΩΝ ΠΡΟΤΙΜΗΣΕΙΝ ΤΗΝ ΤΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΩΤΗΡΙΑΝ. *Lucanus Pharſ. lib. 1. v. 375.

Perque tuos iuro quocumque ex hoſte triumphos
*Pectore, etc.**

Theodoſius et Valentinianus Impp. Novella Conſtit. XIV. *Iuratur in militiae ſacramenta, ut neceſſitates publicae procurentur.* Hieronymus Epiſt. 79. ad Heliodorum: *In ſacramenti verba iuraſti, pro nomine eius non te patri parciturum eſſe.* Ita apud Curtium, lib. VII. c. 1. §. 29. *Annon propemodum in tua verba tui omnes te praeeunte iuravimus,* EOSDEM NOS INIMICOS AMICOSQUE HABITUROS ESSE, QUOS TU HABERES. Aliud exemplum apud Stobaeum habetur Serm. XLI. nam quae apud Livium exſtant, Gellium, Vegetium, iam ab aliis notata ſunt. *Vid. Briſſon. de Formul. lib. 4. p. 339. in 4. Tert. de Cor. milit. cap. XI. *Eierare patrem et matrem.** LINDENBR.

Gladiis cervicibus ſuis admotis ſub exſecrationibus diris] de quo more vide, quae notavimus ad XVII, 12. W.

11. *Propoſito ſtabili*] pertinaciter. W.

Praefectus repugnavit Nebridius.] Id ipſum ſic narrat Libanius in Oratione funebri pag. 287. (Reisk. 1. p. 588.) τοῦ δὲ ὅρκου διὰ πάντων χωροῦντος, Νεβριδιός τις ἀνὴρ, μᾶλλον δὲ ἀνδρόγυνος, ὑπαρχος ὢν, παρὰ τοῦ πρεσβυτέρου τοῦτο λαβὼν, ἐπετίμα τοῖς γιγνομένοις καὶ τὸν ὅρκον ἐμέμφετό τε καὶ ἔφυγε, etc. *Hoc ſacramento per omnes ordines currente, Nebridius quidam vir ſeu potius ſemivir, Praefectus Praetorii, quem honorem a Conſtantio Aug. acceperat, arguebat ea quae fierent, et ſacramentum vituperabat aſpernabaturque, barbaros vocans eos qui iuraverant.* VALES.

12. *Imp. paludamento protexit.*] Quod etiam teſtatur Libanius ibidem hoc ſubiungens: πᾶσαν ὀργὴν δὲ ἐφελκυσάμενος, καὶ χεῖρα καὶ δικαίως ἂν κατακοπεὶς, ὑπὸ τὴν τοῦ πρώτου πληξάντος ἂν εἰκότως, ὥσπερ νεφέλῃ καλυφθεὶς, διεσώζετο. *Cum igitur omnium iram in ſe concitaſſet, ac meritus eſſet ut manus ei amputaretur, ſub illius qui primus eum percutere debuerat, manum quaſi nube tectus, ſervatus eſt.* Quae verba Libanii,

Digitized by Google

ut in vulgatis Editionibus verſa ſunt, nemo eſt qui intelligat. Et hoc non ſolum in hoc loco, ſed omnibus propemodum in lineis. Quo fit, ut libentius hic ea adducamus. VALES. Alia exempla affert Caſaub. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 1005. W.

Ad larem ſuum receſſit in Tusciam] unde tamen a Valente Imp. denuo Praefectus revocatus eſt, XXVI. 7. W.

13. *Expertus quid in rebus tumultuoſis anteverſio valeat et praegreſſus.*] Sup. §. 1. *Nil tam convenire conatibus ſubtilis, quam celeritatem ſagaci praevidens mente.* Lib. XXII. *Celeritatem negotiis ſuis aliquoties profuiſſe expertus.* Demoſthenes: Δεῖ τοὺς ὀρθῶς πολέμῳ χρωμένους οὐκ ἀκολουθεῖν τοῖς πράγμασιν, ἀλλ' αὐτοὺς ἔμπροσθεν εἶναι τῶν πραγμάτων. Stob. Serm. 166. pag. 571. Ammianus lib. 26. c. 7. §. 4. *Res novae petulanter arreptae celeritate muniri ſolent interdum.* Salluſt. in Catilin. *Maximum bonum in celeritate.* *Et bene Oroſius lib. VII. cap. 40. *Tyrannidem nemo niſi celeriter maturatam ſecreto invadit, et publice armat: cuius ſumma eſt, aſſumpto diademate et purpura, videri ante quam ſciri.** LINDENBR.

Per teſſeram] expeditionalem addit XXIII, 2. W.

CAPVT VI.

2. *Discordiarum ſeviſſe cauſas inter priores fratres.*] Poſt Conſtantini obitum diviſo inter filios eius Imperio Conſtantinus natu maximus Gallias et Hiſpanias *ac Britannias* eſt ſortitus. Qui poſtea iniquam hanc diviſionem eſſe conqueſtus, miſſis ad Conſtantem legatis petiit, ut aut parte aliqua Imperii ſibi cederet, Africa ſcilicet aut Italia, vel ſane ut diviſio nova inſtitueretur. Ipſe etiam cum maximo comitatu Italiam petiit, de ea re cum fratre coram acturus. Sed Conſtans peſſimorum hominum conſilio qui ipſum ad bellum incitabant, militares copias adverſus Conſtantinum miſit, a quibus Conſtantinus interceptus et caeſus eſt, ut narrant Zonaras, et Cedrenus, et Victoris Epitome. De iisdem malevolis diſcidii inter fratres auctoribus loquitur Auctor incertus Monodiae in Conſtantini iunioris obitum, quam edidit Fed. Morellus: qui quidem Auctor acerbe in illos invehitur. VALES.

[*Inter priores fratres.*] *Priores fratres* proprie dicuntur et ſunt maiores fratres, vel ſeniores fratres. At eo ſenſu Conſtantinus et Conſtans Auguſti non fuere nec vocari potuere ſimul ambo Conſtantii Aug. *priores fratres*, ſed unus tantum Conſtantinus: nam Conſtans iunior erat Conſtantio, et omnium Conſtantini Maximi filiorum natu minimus. *Priores fratres* ſorte quis crediderit a Marcellino dici ambos iſtos Imperatores, quod multo ante Conſtantium A. fratrem ſuum perierint, quali prius mortuos. Ego in codice Colbert. lego, *inter prioris fratres:* quam ſcripturam probo, et vulgatae longe praefero: ita ut *prioris* nomine deſignet Marcellinus Conſtantium A. quem *priorem* et *ſeniorem ac* πρεσβύτερον et μείζονα dictum reperio, quotiens de ipſo ac Iuliano iunctim fit mentio, quem iidem iuniorem vocant.] HADR. VALES. Fruſtra ambigit, fruſtra captat ſcripturam *prioris*, nec conveniens eſt explicatio. *Priores* ſunt qui fuerant,

Digitized by Google

ut ex Cicerone iam notarunt *priore aestate, prioribus comitiis*, transactis, quae fuerant. GRONOV. *Priores* demortuos. W.

Paullo petulantius stare] proterve, impudenter, ut qui suspicionibus esset obnoxius. W.

3. *Ex adverso Imperatoris*] loco honoratiori. W.

Cum certamen opinatum emitteretur.] Opinatum quid sit, ignoro, nisi forte sit de quo magnam opinionem haberent, exspectatum. Sed hoc durum. Malim *inopinatum*. W. Haud dubie *opinatum* est ἔνδοξον, δεδοκιμασμένον. Cf. Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. T. I. p. 336. et T. II. p. 265. ed. Hack. *Certamen* autem pro *concertatoribus* dictum puto, uti mox voce *negotia* significantur *negotiantes*. EBE.

Diffractis cancellis lorica. *In vanum excussis*, in arenam procidentibus. cf. supra c. 2. init. Adiectivum neutrum pro substantivo positum, ut saepe. Vid. Burmann. ad Propert. Eleg. III, 23, 18. *Interna compage disrupta* haud dubie de trabe maiori elisus. W.

4. *Faustinam.*] Multas ei laudes tribuit etiam Zosimus III, 1. Sed ab Aurelio Victore in Epit. c. 42. per importuna ministeria vexasse famam viri perhibetur. W.

Amissa iampridem Eusebia.] Haec cum virum haberet tum natura, tum etiam morbis languidiorem et segniorem in venerem, uteri doloribus correpta, quos Graeci μητρομανίαν vocant, paullatim contabuit, ut narrant Zonaras ac Cedrenus. Sed D. Chrysostomus Homilia 15. in Philippenses pessis quibusdam medicatis, quos ei mulier quaedam ad conceptus iuvandos dederat, interiisse testatur: καὶ τὴν γυναῖκα εἶδεν ὑπὸ πεσσῶν διαφθαρεῖσαν. ὡς γὰρ οὐκ ἔτικτε, γυνή τις ἀθλία (ἀθλίαν γὰρ καὶ ταλαίπωρον, ἢ τὸ τοῦ θεοῦ δῶρον ἤλπιζεν δι' οἰκείας παρέξειν σοφίας) πεσσοὺς δοῦσα διέφθειρε τὴν βασιλίδα, καὶ συνδιεφθάρη καὶ αὐτή. *Quinetiam uxorem suam vidit pessis necatam. Nam cum parere non posset, mulier quaedam infelix (infelicem enim et miseram appello, quae Dei maximi munus industria sua praestituram se speravit) datis pessis et illi et sibi simul mortem attulit.* Duxerat autem Eusebiam Constantius profligata Magnentii tyrannide; ut docet Iulianus in Orat. 3. ad Eusebiam p. 109. Aurelia Eusebia dicitur in Nummis teste Goltzio. VALES. Cf. Pagi ad a. 336. num. 8. W.

Retulimus.] L. XV. c. 2. et 8. W.

5. *Novitatis* recens proclamati Iuliani Augusti *metu digressi* XX, 8. *Anatolio* XIX, 11. et Wernsdorf ad Himerium p. 297. *Suscepit insignia magistratus* Consulatum gessit, hoc ipso anno 361. W.

6. *Externorum bellorum* cum Persis atque *civilium* cum Iuliano. *Professio.* Stewechius ad Vegetium p. 32. legi suadet *possessio*, quoniam in conscribendis tironibus possessionum habita ratio sit; sed nil opus. Ut hic *ordo* et *professio*, sic *professio* et *dignitas* iunguntur XIV, 7. W.

Vestem armaque exhibens.] Non annonam tantum et arma milites de publico capiebant, sed vestes quoque. Ut sane mirer fuisse, qui id sub hisce nostris Imperatoribus et Vegetii aevo in usu fuisse negent, cum tamen extent Valentiniani, Valentis, Gra-

Digitized by Google

tiani, aliorumque Impp. Leges in Cod. Theodoſ. et Iuſtin. Tit. de militari veſte, quae ſatis ſuperque id adſerunt, ne quis ſcrupulus ſubeſſe poſſit Veget. lib. II. c. 19. *Incongruum videbatur Imperatoris militem, qui veſte et annona publica paſcebatur, utilitatibus vacare privatis.* LINDENBR.

Veſtem armaque exhibens.] Veſtem de publico tunc milites accepiſſe, recte notavit Lindenbrogius, ex Vegetio et Codice Theodoſii: quibus addi poteſt locus hic Iuliani ex Orat. 2. ad Conſtantium p. 92. Spanh. *τὸ, δὲ ἐν τοῖς ἀγροῖς τῶν γεωργῶν φῦλον ἀροῦντες ἢ φυτεύοντες τροφὴν ἀποίσουσι τοῖς φύλαξι καὶ ἐπικούροις σφῶν μισθὸν καὶ ἑσθῆτα τὴν ἀναγκαίαν.* et lex 23. Cod. Theod. de curſu publico. Sed et Reip. Rom. temporibus veſtem interdum militibus ex aerario datam fuiſſe, docet Polybius in lib. 6. c. 39. extr. *et Cicero in Verrem de Praetura Sicilienſi initio (II, 2.)* * VALES.

7. *Contruſo*] retrocedere coacto. *Noſtra ſentire* ex partibus noſtris ſtare. W. *Φρονεῖν τὰ ἡμέτερα.* ERF.

8. *Emercabantur*] paſſive, uti XXVI, 2. *Negotiis*, mercatoribus terras eorum commeantibus. W.

9. *Hermogene*] Praefecto Praet. Orientis, XIX, 12. W.

Ad Praefecturam promovetur Helpidius.] Fuit hic Chriſtiano cultui deditus: quare non mirandum, ſi eum Marcellinus noſter acerbius perſtrinxit. Cui uxor Ariſtaenete fuit, mulier ob pietatem eximiam celebranda, quae SS. Antonium et Hilarionem magnopere coluit, ut docet Hieronymus in Hilarionis vita: *Ariſtaenete*, inquit, *Helpidii qui poſtea Praefectus Praet. fuit, uxor, valde nobilis inter ſuos, ſed inter Chriſtianos nobilior, revertens cum marito et tribus liberis a Beato Antonio, etc.* *Eamdem matronam laudat Libanius in Epiſtola 44. libri 4. quae eſt ad Helpidium: *ἔγνων τὴν ἀρίστην Ἀριστοαινέτην, καὶ γνοὺς ἠγάσθην τῆς γυναικὸς ἰδὼν τὴν θυγατέρα, καὶ μακαρίους ἡγησάμην ὑμᾶς τε καὶ τὸν γήμαντα*, etc. Exſtat Epiſtola Libanii ad eumdem Helpidium, quae eſt libri 5. Epiſtola 10. in qua ob iuſtitiam et fortitudinem eam magnopere laudat.* Eundem Helpidium proſcripſit Libanius in Orat. adverſus Polyclem. Eius mentio fit lege 4. et ſeq. Cod. Theod. de erog. mil. annonae, et in lege XI. de curſu publico, Tauro et Florentio Coſſ. VALES.

Helpidius.] Hoc nomen paſſim in Latinis Auctoribus adſpiratur, cum tamen Graeci ſpiritu leni pronuntient. Sic etiam in veteri Inſcriptione legitur: *pro. ſalute. ſua. et. Helpidis. ſuae.* Olim Graeci in huiusmodi *πνευματισμοῖς* magnopere variarunt. Nam ut ab eadem voce non discedam, *ἐλπὶς* alii ſpiritu leni, alii aſpero pronunciarunt: ut patet ex eo quod *ἀφελπισμένος ἀφηλπισμένος* multi dicebant, teſte veteri Gloſſario. Plura exempla ſuppeditat Euſtathius in lib. I. Odyſſ. ubi Atticos adſpiratione delectatos eſſe refert ex Aelio Dionyſio. Sed obſervavi Latinos Graeca nomina fere adſpirare ſolere, ut cum Herodotum et Herophilen et Herodicum ſcribunt, cum Erodotus et Erophile et Erodicus emendate ſcribi debeant. Erodotum quidem paſſim in Graecis Editionibus adſpirari hodie videas: ſed id mendum eſſe non dubito. VALES.

Helpidius.] Ad eum, obſervante Reineſio, lex 5. de erogatione militaris annonae data Conſtantinopoli prid. Id. Mart. Eu-

Digitized by Google

ſebio et Hypatio Coſſ., lex 1. de patrociniis vicorum Conſtantinopoli Conſtantio X. et Iuliano III. Coſſ. et lex 6. Cod. Theodoſ. de erogatione militaris annonae Hierapoli Kal. Iun. Coſſ. iisdem. Alius Elpidius Comes rei privatae. — Cf. Gibbon. T. v. p. 248. not. W.

CAPVT VII.

1. [*An Parthos repelleret iam tranſituros.*] Parthos heic pro Perſis, quibus tum Parthi parebant, poſuit Ammianus Marcellinus, ut et in libr. xxv. c. 4. et alibi, ubi Perſae et Parthi promiſcue ponuntur. Sic Priſcus Rhetor Perſarum et Parthorum nomina promiſcue ſumit, uti in Excerptis legationum reperio. Menander Protector eadem ratione *Perſas* et *Medos* pro eisdem ponit.] VALES.

Tamquam venaticiam praedam caperet.] Haec ſcripti codicis eſt lectio. Sicque lib. xxix. *Ad obſervandam venaticiam praedam Spartanum canem retinere diſpoſitus.* Lib. xxx. c. 1. §. 15. *Quaſi venaticiam praedam modo non porrectis brachiis exſpectabant.* Lib. xxxi. *Tamquam venaticias praedas ſi calcaſſent, editiora confeſtim ſine certamine ullo rapturi.* Ita enim hic quoque Mſ. exempl. Ut *venaticius canis* apud Rufin. Antiq. Iudaïc. lib. iv. c. 6. *Si quis pro coitu canis aut venaticii aut cuſtodis gregum mercedem acceperit, etc.* LINDENBR.

Ad omnes caſus principibus opportuna] cuius poſſeſſio magni erat momenti eam inprimis ob cauſam, quod, qui eius dominus eſſet, prohibitis frumentorum evectionibus Italiam Romanasque provincias occidentales graviter affligere poterat. W.

4. *Cretione Comite.*] Cuius iterum meminit in lib. 26. c. 7. Exſtat etiam lex 4. Cod. Theod. de re militari ad Cretionem Comitem V. Cl. Intellige autem Africae Comitem, qui Comes militaris rei per Africam conſtitutus dicitur in lege 3. Cod. Theod. de erog. mil. annonae. VALES.

Aquitaniae et Galliae.] Sic placuit Caſtello, cum Editio Rom. praeferret *Aquitaniae et Haliae*, quemadmodum codex Regius et Florentinus [et Colbertinus.] Ego vero *Italiae* legere malim, quod et propius abeſt a veterum exemplarium ſcriptura, et ſequentibus verbis plane confirmatur. VALES.

[*Aquitaniae et Italiae obiecta litera tuebatur.*] Heic plane erravit Marcellinus. Nam conſtat Africam Italiae et provinciae Narbonenſis litoribus obtendi; Aquitaniae nusquam obtendi. Africa Italiae, Galliae Narbonenſi, hoc eſt Provinciae et Septimaniae vel Gothiae, ac parti Hiſpaniae contrariis litoribus oppoſita eſt; at Aquitaniae minime eſt adverſa, interiacente ora Hiſpaniae ad Oceanum.] HADR. VALES. Quis credat ſic in eis partibus erraviſſe Ammianum, niſi unus ille, qui ſic ſtatuit? At ſi nihil aliud, potuit is ipſe ex libro xiv cap. 10. diſcere, notam fuiſſe Aquitaniam auctori: potuit ex fine capitis xiv. colligere, quam in Ammiano confuſae ſint literae q et c, et id nunc quoque factum ſtatuere, iuſtius certe, quam ſic vituperare doctiſſimum ſcriptorem. Scripſiſſe enim videtur *Accitania*, vel, ut alii, *Acitania*, de qua vide Orteliana. In editione Romana eſt *Equitaniae*. GRON.

Digitized by Google

Aquitaniae.] Gronovius ſuo more grunniens, Valeſio in ordinem coacto, *Accitaniam* ſ. *Acitaniam* reponi ſuadet, et provocat ad Ortelium: quem quum conſulere non poſſem, adii Cellarium, qui T. 1. p. 134. coloniam quidem *Iuliam Gemellam Accitanam* habet in Hiſpania Baetica. Nec aliena fortaſſe huic loco noſtro videatur, cum *Mauritaniae* Baeticae oppoſitae paullo ante mentio iniecta ſit. At enim vero, cur tam exiguam urbem *Italiae* comitem dare Ammianus voluerit, non video, magisque propenſus ſum in eam ſententiam, ut loco *Aquitaniae* ſcribendum arbitrer *Hiſpaniae*, vel, ſi mavis, *Sicaniae* (Siciliae) quo ſequentia ducere videntur. W.

Capeſſanam] urbem Meſopotamiae. Caperſane dicitur XVIII, 8. W.

CAPVT VIII.

1. *Salluſtium Praefectum* Praetorio *promotum.* Quo munere antea functus ſit, non invenio, amiciſſimum tamen Iuliano fuiſſe, patet ex ipſius Iuliani Orat. VIII. p. 240. ſſ. Quid differat ab altero Salluſtio Praefecto Praet. Orientis, v. Ind. 1. *Germaniano iuſſo vicem tueri* ad tempus *Nebridii* c. 5. *Gumoarium* v. XX, 9. W.

Veteranionem ſuum Principem.] *Ie. ſummum Principem.* LINDENBR.

Mamertino Largitiones curandas.] Id ipſemet teſtatur Mamertinus in Gratiarum actione c. 1. his verbis: *Nam cum me aerarium publicum curare voluiſti.* Et alio loco c. 22. *Mihi certe tertia unius anni ubertas eſt Conſulatus. Primum theſaurorum omnium mandata cuſtodia et diſpenſatio largiendi: ſecundum locum tenet in honorum meorum fructibus Praefectura: additus his proventuum meorum tertius, Conſulatus.* Dicebatur autem Claudius Mamertinus, ut ipſe teſtis eſt in eadem elegantiſſima Oratione. VALES. Ab hoc Mamertino diſtinguendus eſt alter, cuius orationes duas in Maximum et Maximianum habemus. W.

2. *Martianas ſilvas.*] *Mentio huius ſilvae apud Herm. Contract. anno CIↃ. XXX.* et in veteri Tab. Itineraria in Deſcriptione Alamanniae, e cuius confinio ponuntur Iulio-magus, Petovio, Rauraci. *Hermannus Contractus anno 1030. *In Alemannia cum Ernuſt dudum Dux eiusque complices parvis viribus contra Imperatorem agitantes, praedis circa ſilvam Martianam populares infeſtarent; a Manegoldo Comite ex Augienſi militia obſervati, et* XVI. *Kal. Septemb. conſerto proelio victi ſunt.** LINDENBR. Nos ſilvam illam nigram dicimus. v. Gibbon. T. V. p. 257. Mannert. Germ. p. 512. W.

3. *Alexand. Magnus et deinde alii plures.*] Velut Leonidas, de quo Polyaen. lib. 1. pag. 74. LINDENBR.

CAPVT IX.

1. *Contextis ſucceſſibus* XVIII, 1. *fidens*, fortunae ſuae fiducia, quam hucusque perpetuam eſſet expertus. *Porrectius ire*

ulterius progredi, alibi protinus ire. Erneſt. exponit: *pluribus agminibus*, neſcio an rectius. W.

2. *Per alveum*] ſecundo alveo. *ferebatur* cum 3000. comitibus, Zoſim. III, 10. ſed occulte, nihil Auguſti ſplendoris prae ſe ferens. *Oppida forinſecus* ἔξωθεν, cf. XIX. *transibat* non intrabat. W.

3. *Mille, ut aiunt, linguis*] v. Ovid. Metam. XII, 55. W.

Rerum miſere exaggerat fidem.] Scribendum puto, *rerum mire exagg. fidem.* VALES. Non neceſſariam eſſe correctionem iudicat Erneſtius, quando *miſere*, etiam Ciceroni, idem ſit, quod *vehementer*. Mihi magis placet *mire*. W.

4. *Taurus Praefectus Praetorio*] per Italiam c. 6. *Mutatione celeri* equorum *curſus publici*. *Eodem ictu* impetu. *Florentium itidem Praefectum* Illyrici c. 6. *Secum abduxit* in orientem ad Conſtantium. Uterque erat hoc ipſo anno Conſul Romae, quod in ridiculum trahens Iulianus edictis publicis addi iubebat: Tauro et Florentio Coſſ. *fugitivis*. Zoſimus III, 10. W.

5. *Lucillianus Comes rei caſtrenſis*, paullo poſt tamen *Magiſter equitum*. *Sirmium* Pannoniae urbium matrem et populoſam et celebrem, uti eſt cap. ſequente. W.

6. *Ut fax vel incenſus malleolus*] Altius repetita comparatio. W.

Cum veniſſet Bononiam, a Sirmio milliario nono diſparatam et decimo.] Bononiam hanc *Bonmunſter* hodie vocari Simlerus putat. Vid. Itinerarium Antonini Imp. p. 243. ed. Weſſel. LINDENBR.

Bononiam] quae urbs antea *Malatis*, vel *Milata* dicta, nomen recentius a Romanis accepiſſe videtur, hodie *Banoſtar*. Mannert Germ. p. 753. W.

7. *Concepto negotio*] cum facile, quid rei eſſet, ſuſpicaretur. W.

Adorandae purpurae] quod in magno honore habitum, vide ad XV, 5. *Alienis partibus te commiſiſti* alienos fines ingreſſus es. W.

CAPVT X.

1. *Cum lumine multo* facibus et *floribus* quibus frontes cinxerant. W.

2. *Percurſis aggeribus publicis*] via militari, ſollemni, XX, 4. W.

Succos.] Infra XXVII, 4, 5. *Succorum anguſtias*, et XXI, 13, 6. *clauſtra* et *confinia* appellat. Meminit et alibi frequenter Marcellinus: apud alios vero Scriptores nullam Succorum mentionem adhuc reperi: niſi quod apud Socratem in lib. 2. Hiſt. Eccl. cap. 22. corruptum id nomen eſt: *ut et in Epiſtola 2. Concilii Aquileienſis, a Iac. Sirmundo edita.* Cum enim diciſſet, Epiſcopos tum eos qui Serdicae, tum qui Philippopoli convenerant, peracto ſeorſum Concilio, rebusque prout utrisque viſum erat conſtitutis, in ſuas quemque Eccleſias receſſiſſe; ſubdit, exinde Orientalem Eccleſiam ab Occidentali diſciſſam; terminum autem

Digitized by Google

et confinium utriusque Ecclesiae fuisse Succorum angustias: καὶ ἦν ὄρος τῆς κοινωνίας αὐτοῖς τὸ λεγόμενον τισοῦχις, ὅπερ ἐστὶν Ἰλλυριῶν καὶ Θρᾳκῶν. Lege meo periculo *οἱ σοῦχοι*, nisi malis *σοῦχις*. Quod confirmatur sequentibus Socratis verbis. Subdit enim, eum montem Illyrios a Thracibus distinguere quod non potest alteri convenire quam Sucis. VALES. Cf. Gibbon. T. v. p. 262. not. 33. Ritter. ad Guthrium T. 5. Sect. 1. p. 60. W.

Exnunc conveniet] Ita Mſ. et dictum *Exnunc*, ut Graecum illud ἀπὸ νῦν. Sic *extunc* apud Val. Max. lib. 1. cap. 5. *Exunc Aeanti ut Deo immolarunt*. LINDENBR.

3. *Quorum alter ab ipsis Histri marginibus.*] Aemus scilicet, ut docet Marcellinus in lib. 27. c. 4. §. 6. et Strabo. VALES.

Axii] fluminis Macedoniae, v. Cellarium T. 1. p. 1036. ſſ. W.

**In angustias tum. coll. desinentes.*] Hinc explicandi sunt Ovidii versus in libro VI. Metam. v. 87.

Threiciam Rhodopen habet angulus unus et Aemum,
Nunc gelidos montes, mortalia corpora quondam.

Revera enim quemdam quasi angulum eo loci faciunt Aemus ac Rhodope, et se mutuo osculari ut ita dicam videntur: idque (ut apparet) locum fabulae dedit. Apud Nicephorum in libri 9. capite 13. legitur *σούσαχις* non multo melius quam apud Socratem, ex quo id Nicephorus exscripsit. Unus Philostorgius in libro III. recte nominat Σούχεις Ἄλπεις: sed Nicephorus et heic quoque Σουσάχεις praetulit. *) Hasce angustias designavit Themistius in Oratione 13. ad Theodosium Aug. pagina 469. *οὐκ ἀπέστησεν αἷμος, οὐ Θρᾳκῶν ὄρια καὶ Ἰλλυριῶν δυσπόρευτα καὶ ὁμοιπόρῳ.** VALES.

Serdicae] Haec urbs, post *Triaditza* appellata, hodie putatur esse *Sophia* in Bulgaria. Plura dabit Tzschuck. ad Eutrop. IX, 22. *Philippopolim* (Philiba). Cf. Wesseling. ad Anton. Itinerar. p. 136. W.

Hiantes obscurius] aditus aperientes, vix tamen conspicuos. W.

4. *velut incauta*] quasi insuperabilis, eoque negligentius custodita. W.

Sub hac altitudine agg. utrobique spat. planities.] Id egregie describit Lucianus in Dialogo qui Ὄραπέται inscribitur: (si tamen Luciani est, quod non credo,) T. VIII. Bipont. p. 335. *δύο μὲν ὄρη μέγιστα καὶ κάλλιστα ὀρῶν ἁπάντων. Αἷμός ἐστι τὸ μεῖζον· ἡ καταντικρὺ δὲ ῥοδόπη· πεδίον δὲ ὑποπεπταμένον πάμφορον ἀπὸ τῶν προπόδων ἑκατέρων εὐθὺς ἀρξάμενον.* Deinde Philippopolim urbem iis vicinam fuisse dicit: quod verissimum est. Erant enim Succorum angustiae Philippopolim inter et Serdicam: quod etiam aperte designatum est in Tabula itineraria Peutingerorum. VALES.

Iulias Alpes] XXXI, 16. addit: olim Venetas. W.

5. *Revertitur Naessum copiosum opidum.*] Naisum urbem intelligit, ut patet ex Zosimi narratione in lib. 3. c. 11. Sed Mar-

---

*) Verba *Apud Nicephorum — praetulit* ad praecedentem notam de Succis pertinere monuit Gronov. in Praef. p. XIV. W.

cellinus eam urbem ſemper Naeſſum appellat. Verum ceteri omnes tam Graeci quam Latini Naiſum ſeu Naiſſum: opidum Daciae Mediterraneae, ut eſt in Itinerario Burdegalenſi, Conſtantini Magni ortu nobilitatum. Sic enim ſcribit Stephanus Byzantius: Ναΐσσος πόλις Θρᾴκης, (leg. Δακίας) κτίσμα καὶ πατρὶς Κωνσταντίνου τοῦ βασιλέως. Idem tradit Conſtantinus Porphyrog. in lib. 2. περὶ θεμάτων: et Firmicus in lib. 1. Matheſeos ſub initium de Conſtantino Magno loquens, *Apud Naiſum*, inquit, *genitus, a primo aetatis gradu gubernacula imperii retinens, etc.* Sic enim in duobus MSS. codicibus legi, dudum viri docti nonuerunt: cum vulgo excuſum ſit *apud Tarſum.* Denique in Excerptis de geſtis Conſtantini idem diſtincte traditur his verbis: *Conſtantinus natus Helena matre viliſſima in opido Naiſo atque eductus; quod opidum poſtea magnifice ornavit.* Accedit, quod Cedrenus περὶ τὴν τῆς Δακίας πόλιν Conſtantinum natum eſſe memorat. VALES. *Naeſus* dicitur XXVI, 5, 1. Cf. Weſſeling. ad Itiner. p. 134. W.

Quo inde expedite cuncta diſponeret.] Sic Gelenius emendavit, cum ſuperiores Editiones ſcriptum haberent, *quo inde praepedite:* neque aliter codex Reg. [Colbertin.] et Florentinus. Unde coniicere eſt, ſcribendum potius eſſe in hunc modum, *quo impraepedite cuncta diſponeret.* VALES.

6. *Victorem apud Sirmium viſum Scriptorem hiſtoricum.*] Indubie is eſt Victor hic, cuius exſtat hiſtoria Vitarum Augg. quique tenui atque indocto patre rure ortus, propter egregias virtutes ad ampliſſimos honores promotus fuit, quos ex veteri hac Inſcriptione agnoſcere licet, quam ipſe beneficiorum memor. Imp. Theodoſio curaverat poni..... IERUM PRINCIPUM CLEMENTIAM... NCTITUDINEM MUNIFICENTIAM SUPERGRESSO. D. N. FL. THEODOSIO PIO VICTORI SEMPER AUGUSTO SEX. AUR. VICTOR. V. C. URBI PRAEF. IUDEX SACRARUM COGNITIONUM. D. N. M. Q. E. LINDENBR.

Sobrietatis gratia multilaudum.] Monſtrum hoc nominis ex officina P. Caſtelli prodiit. Nam in Editione Rom. legebatur *ſobrietatis gratie mutilandum.* Atque ita in codice Regio ſcriptum eſt ac Flor. niſi quod in Regio [et Colbert.] *ac Toloſ.* *gratiae* legitur. Proinde commodius ſic videtur legi poſſe, *ſobrietatis gratia aemulandum.* VALES.

Multo poſt] anno demum 388. et 389. v. Corſini p. 287. W.

7. *Orationem acrem et invectivam*] quae tamen non exſtat in Iuliani operibus. *Probra quaedam in eum explanantem et vitia.* Similiter Cicero Tuſc. IV. 37. „cum multa vitia collegiſſet in eum Zopyrus," ubi locum Ammianeum contulit Daviſius. W.

Tertullo adminiſtrante adhuc cf. XIX, 10. *Praefecturam Urbis* (Praefectorum quippe erat, abſentibus Conſulibus ſenatum convocare). *Nobilitatis* Senatus. cf. c. 12. et alibi. *ſpecioſa fiducia* aperta et ſentiendi et loquendi libertas, et *benignitas* benevolentia in Conſtantium. W.

Auctori tuo reverentiam rogamus.] Subaudi *praeſtes.* Iulianum enim Senatores hac acclamatione admonebant, ut parcius ageret ac modeſtius, et Imp. Conſtantio, a quo Caeſaris dignitate auctus fuerat, honorem debitum exhiberet. Id enim ſignificat ea vox, *Auctori tuo.* Sic in lib. 16. c. 7. *Apparitoremque fidum*

auctori ſuo quoad vixerit fore, obligata cervice ſua ſpondebat: (it. XIV, 1. W.) et Auſonius in Macrino p. 208. ed. Floridi:

ſumptum pro Principe ferrum
Vertit in auctorem caede Macrinus iners.

Porro in his acclamationibus Senatus ſollemne verbum erat, *Rogamus*. Sic apud Lampridium in Commodo c. 19. *Honores innocentium reſtituas rogamus*. VALESIUS. Locum hunc tetigit Iſa. Caſaubonus ad Spartianum c. 10. ubi Traianus ſic dicitur auctor Hadriani. GRON.

8. *Barbaros omnium primus*, etc.] Idem in eo reprehendit Aurelius Victor (de Caeſ. c. 41. §. 20.) his verbis: *Cunctaque divino ritui paria viderentur, ni parum dignis ad publica aditum conceſſiſſet*. Quippe Conſtantinus ſuperato Maxentio multos etiam barbaros, qui fortem ſibi operam in bello navaverant, praemii vice allegit in Curiam, quemadmodum teſtatur Nazarius in Panegyrico ad Conſtantinum. Et Euſebius in lib. 4. de vita Conſtantini cap. 7. loquens de barbarorum legatis qui munera ei obtulerant, ait Conſtantinum nobiliſſimos eorum Romanis honoribus ornaviſſe, ἐτίμα δὲ καὶ ῥωμαϊκοῖς ἀξιώμασι τοὺς ἐν αὐτοῖς διαφανεστέρους, ὥστ' ἤδη πλείους τὴν ἐνταῦθα στέργειν διατριβήν, ἐπανόδου τῆς εἰς τὰ οἰκεῖα λήθην πεποιημένους. VALES. Cf. Gibbon. T. IV. p. 106. not. 141. W.

Brevi poſtea A. 362. *Mamertino* cf. c. 8. W.

Mamertinum ad Conſulatum evexit, nec vita, nec ſplendore.] Liberabo hac nota Mamertinum, eamque iubente Ml. Cod. auctoritate in collegam illius transferibam. Vero enim verius puto ſi legatur: *Mamertinum ad Conſulatum evexit et Nevitam, nec ſplendore, nec uſu, etc.* Cuius emendationis aperta indicia in Cod. Florent. ſic enim ibi: *Mamertinum in Conſulatum inuxit nec vittam.* Ipſe Ammian. inf. cap. 13. *Mamertinum Praefectum Praetorio per Illyricum deſignavit Conſulem, et Nevitam.* Conſulumque horum nomina libri Faſtorum agnoſcunt. LINDENBR.

[*Mamertino in Conſulatu iunxit Nevittam.*] Ex ſuperiori accuſatione Conſtantini, *barbaros* ad Conſulatus promoventis, et ex Marceliniana reprehenſione Iuliani, ceu id ipſum facientis quod in Conſtantino damnabat, intelligitur Nevittam hunc quem Iulianus Conſulem fecit, ſimiliter *barbarum* fuiſſe. Fuit autem Nevitta natione Gothus: qualis fuit et *Fravitta* vel *Fravita*, Φραβίθης Nicephoro dictus in libro XIII. qui anno XXXIX. poſt Nevittam cum Vincentio Conſulatum in Orientis partibus geſſit Arcadii principatu, et ab eo Imperatore propter bellum adverſus Gainam popularem ſuum fortiter fideliterque geſtum Conſul creatus eſt.] VALES.

Splendore] nobilitate generis. *uſu* ſcientia reip. adminiſtrandae. W.

Inconſummatum et ſubagreſtem.] Lib. XXXI. c. 14. *Inconſummatus et rudis.* LINDENBR. *Inconſummatum*, omnis ingenii culturae expertem, *et ſubagreſtem* moribus. Invidiae tamen aliquid dediſſe Ammianus videtur. W.

CAPVT XI.

1. *Intimatur*] vox ſequioris aetatis pro affertur. W.

2. *Opibus*] Poſt hanc vocem adiectivum vel participium deeſſe videtur. W.

Digitized by Google

Hoſtiliter repente clauſere.] Id ipſum intelligit Nazianzenus Gregorius in Invectiva priore in Iulianum, ubi ipſum quaſi furore quodam occaecatum in perniciem ante oculos poſitam properaſſe dicit. τεκμήριον δέ· καὶ γὰρ ἔτι προϊὼν καὶ ἀγνοούμενος ὡς ἐνόμιζεν, ὑπὸ τῇ τοῦ γενναιοτάτου βασιλέως στρατιᾷ περιλαμβάνεται προϋποτεμνούσῃ καὶ τὴν φυγήν· ὡς δῆλον γέγονεν· καὶ γὰρ ἤδη τὸ κράτος ἔχοντι τὸ κρατῆσαι ταύτης οὐ μικρὸν ἔργον ἐγένετο. *Cuius rei argumentum illud eſt, quod cum ipſe progrederetur occulte et latens, ut putabat, ab exercitu lectiſſimi Imperatoris circumventus eſt, qui ei etiam fugam intercluſerat, ut poſtea apparuit. Nam cum Imperium ſine controverſia iam obtineret, eos ſuperare vix potuit.* VALES.

Erat tum etiam amicum.] In Mſſ. Regio et Flor. [et Colbertino,] atque in Editione Rom. legitur, *erat tum etiam initium.* Primum Gelenius vulgatam lectionem excogitavit, quam tamen veram eſſe non puto: ſed facilius eſt quid falſum ſit videre, quam divinare quid verum ſit. Videtur tamen transpoſitio vocabulorum hunc locum corrupiſſe, quae ſic fortaſſe reſtituenda eſt: *Iuvante indigena plebe tumultus initium, cui Conſtantii nomen erat tum etiam honori.* [Tamen cum apud Curtium in libro v. *initia* pro auſpiciis et ductu Principis ſumantur, videtur ſervanda codicum Mſſ. et ſequenda ſcriptura: *Cui Conſtantii nomen erat tum etiam inittium*, id eſt auſpicatum erat, favorabile ac venerabile erat.] VALES.

CAPVT XII.

2. *Iovinum Magiſtrum equitum* c. 8. *per Alpes* Noricas quarum fines tum temporis vide ap. Mannert Germ. p. 616. W.

Qui Comitatum ſequebantur aut ſigna.] Huius loci duplex mihi occurrit explicatio. Prima, ut per eos qui Comitatum ſequuntur, intelligantur ſcholae, de quibus ſupra affatim dixi. *Sic in lege 38. Codicis Theodoſ. de Decurionibus. Per eos autem qui ſequuntur ſigna, legiones intelligantur et auxilia, quae ſunt ſub Magiſtris militum. Secunda explicandi via eſt, ut qui Comitatum ſequuntur, milites ſint omnes qui Magiſtro militum Praeſentali obſecundant: poſteriores vero ſint ii, qui ſub ceteris Magiſtris per provincias ſunt conſtituti. Sed prior explicatio magis arridet. VALES.

3. *Certius fore id obſidium.*] In Editione Rom. et codice Reg. [ac Colbertino] legitur *centius.* Unde proclive erat emendare: *lentius fore id obſidium quam verendum.* Nam et ipſa litterarum affinitas id confirmat, et ſententia ipſa plane ita poſtulat. Valeat ergo coniectura illa Caſtelli. VALES.

4. *Ordine ſcutorum gemino.*] Duabus partibus obſeſſam eſſe ſignificat Aquileiam: ſic enim loqui ſolet, ut in principio libri XIX. de obſidione Amidae: *Quinquies ordine multiplicato ſcutorum cingitur civitas.* Etenim ab Oriente quidem tendebant Chionitae, ad Meridiem Vertae, Albani a Septemtrione, ad Occaſum Segeſtani: Perſae vero ipſi omnes murorum ambitus circumſidebant, ut ibidem teſtatur Marcellinus. Idem infra in hoc libro, *obſidione gemina Bezabden aggreſſurus*, *et in libro 24. cap.

Digitized by Google

IV.* Alii dicerent duplici acie, vel gemino agmine, ut Hegeſippus in lib. 3. cap. 9. et lib. 5. cap. 14. et Scholiaſtes Thucydidis ad haec ex lib. 1. ἐπολιόρκει τρισὶ τείχεσι τὴν πόλιν, notat, τουτέστι τρισὶ τάγμασι. IV *caſtris* Florus lib. 2. cap. 18. VALES.

5. *Ferramentorum*] inſtrumentorum ferreorum, terebrarum, vectium. W.

7. *Opportuna torrentis.*] Hunc locum ſic legendum ac diſtinguendum eſſe exiſtimavi: *Mentibusque fundatis, et compoſitis per opportuna tormentis, etc.* Quae emendatio confirmatur ex ſimili quodam loco in lib. 18. ad finem. *Tormenta, qua non erat voraginoſum, locis opportunis aptantes.* Et in lib. XX. *Aliis tormenta componentibus.* Denique in lib. ult. *Tormenta per locos aptata ſunt habiles.* VALES.

8. *Civitatem Natiſone amni praeterlabente.*] Nihil hic mutandum: nam quod in Mſ. habetur *Teſioni amni*, id non eſt nauci. Strabo lib. V. Ἀκυλητία — — κτίσμα μέν ἐστι Ῥωμαίων ἐπιτειχισθὲν τοῖς ὑπερκειμένοις βαρβάροις. ἀναπλεῖται δὲ ὁλκάσι κατὰ τὸν Νατίσωνα ποταμὸν ἐπὶ πλείστους ἑξήκοντα σταδίους. *In Chronico Reicherſp. corrupte legitur, *Namſa fluvius*, pro *Natiſo fl.* p. 57. Iordanes in Gothicis p. 123. *Natiſſa amnis.** LINDENBR.

[*Natiſone amni praeterlabente.*] In vett. codicibus Mſſ. pro *Natiſone* ſcriptum eſſe *Teſioni* notavit P. Pithoeus, vir doctiſſimus, ad oram Ammiani ſui. Ego in codice Colbertino legi etiam *Teſioni: Civitatem Teſioni amni praeterlabente.* Plinius tamen non *Teſionem* ſed Natiſonem cum priſcis vocat hunc fluvium, quem *cum Turro praefluere Aquileiam Coloniam* XII. *m. paſſ. a mari ſitam* ſcribit. *Natiſſam amnem* nuncupat Iordanes de rebus Geticis, ab ortu muros Aquileiae lambentem.] VALES.

Cum veteribus admirandum] non ſecus, ac priſcorum callida inventa. W.

9. *Prohibitores*] obſeſſos, (paullo ante *munitores* i. e. oppugnatores, cf. XXVI, 8.) W.

ſubter] ex inferioribus turrium cavitatibus. W.

[*Utrimqueſecus.*] Utrimqueſecus uno verbo legendum et ſcribendum eſt, ut dicitur intrinſecus, extrinſecus, forinſecus, in libro XXI, altrinſecus in libro XXII. et XXVIII.] VALES.

Aedificii] murorum. *Penetralia*, interiora urbis. W.

11. *Navalium ſociorum.*] Milites intelligit, qui turribus ſupra naves impoſitis inſiſtebant. At non ſic veteres Latini. Hi enim navales ſocios dicebant, quos nunc remiges vocamus; ut patet ex Livii Hiſtoria 29, 35. Quo ſenſu Florus in lib. 4. cap. 8. de Sex. Pompeio dicit: *O quam diverſus a patre! Ille Cilicas exſtinxerat: hic ſecum piratas navales agitabat.* VALES.

12. *Munitorum enim maerores.*] Munitores vocat oppugnatores. Qua voce utitur Livius in lib. 5. de Camillo Veios obſidente: *In partes ſex munitorum numerum diviſit:* ubi pro cunicularii ſumuntur. VALES.

13. *Ferratas portarum obices.*] Sic loquitur Tacitus in lib. 3. Hiſt. de Cremona, et in lib. 13. Annalium: *Nudati propugnatoribus muri, obices portarum ſubverſi.* Olim enim urbium portae ferro tegebantur, ne ſubiecto igne ab hoſtibus exurerentur; ut docet Vegetius in capite 4. lib. 4. et Zoſimus in lib. 2. c. 50. de

Digitized by Google

Magnentio loquens Murſam oppugnante. Procopius in lib. 3. Goth. τάς τε πύλας τεκτηνάμενος καὶ σιδήρῳ περιβαλών, etc. Denique Appianus in lib. 4. civilis belli de Xantho Lyciae opido. Omitto Aeneam in Poliorcet. cap. 18. et Claudianum in bello Getico, qui ſic canit v. 215.

Ferrataeque Getis ultro ſe pandere portae.

χαλκόδετα ἔμβολα vocat Euripides in Phoeniſſis v. 115. quae ſic explicat Scholiaſtes: Ἄλλοι ἔμβολά φασι τὰς καθέτους, τὰ νῦν καλούμενα πτερά. Deinde eorum fabricam ſic deſcribit: θύραν κατασκευάσαντες ἴσην κατά γε μῆκος καὶ πλάτος τῇ θύρᾳ τοῦ τείχους, ἔξωθεν αὐτῆς χαλκοπέταλα καθηλοῦσιν, ὡς ὁλόχαλκον τὴν θύραν νομίζεσθαι. ταύτην ἐπάνω τῆς θύρας ἑστᾶσιν οὐχ ἑδραίαν, ἀλλ' ὥσπερ κρεμαμένην. τῶν δὲ πυλῶν κλειομένων καθιᾶσιν ἄνωθεν, etc. Manifeſte cataractam intelligit, de qua loquitur Vegetius in loco cit. Quam etiam in hoc Ammiani loco intelligi nihil vetat. VALES.

Repentinis eorum adſultibus, qui erumpebant clanculo per poſticas, etc.] Harum poſticarum mentio iterum libb. XVIII, 6. XIX, 6. XXIV, 1. Sed murorum antiquorum adeo perrara monumenta reſtant, ut qua ratione poſticae in iis factae atque aedificatae fuerint, haud ita in facili ſit dicere. Operis tamen priſci putantur, qui Auguſtae Emeritae videntur. In quibus licet poſticarum indicia nulla, quadratas tamen turres aequis intervallis procurrentes, tale aliquid denotare verosimile eſt, quale hic Ammianus ſcribit: ac velut promuralia ſunt, ex quibus erumpentibus recurſus ad moenia tutior munitoribus per arcuatilem hanc viam eſſet, oppugnatorumque vis, et arietis inſultus arceri facilius poſſet. Atque ut ſpecimen elegantiſſimae ſtructurae etiam in aliis oris exſtet, picturam eius hic opponam, uti eam a Nobiliſſimo doctiſſimoque viro Abr. Bibrano Sileſ. accepi, qui opus ipſum vidit et deſcripſit. LINDENBR. Cf. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 675. W.

14. *Peritia bellorumque artibus.*] Ita correxit P. Caſtellus, cum in Editione Rom. legeretur, *turicitia bellorumque, etc.* ut in Mſ. Flor.. ſcriptum eſſe monuit Lindenbrogius. [In codice Colbertino *turricitia.*] Ego vero cum in exemplari Regio reperiſſem *turiciaca*, emendare malui, *duritia bellorumque artibus antiſtarent.* Sic enim locutus eſt Marcellinus in lib. *Rex ſuorum duritiae fiducia tranſiturus.* *Atque ita plane in Mſ. Toloſano exaratum poſtea reperi.* VALES.

15. *Concorporalibus ſuis.*] Perplacet haec lectio prae illa, quae in vulgatis eſt, *contubernalibus ſuis.* Sic iterum lib. XXVIII. c. 5. *Ne uno quidem caedibus concorporalium ſupereſſe permiſſo.* Et *concorporari* lib. XV. c. 11. *Gallico mari concorporatur.* Lib. XXII. c. 8. *Immobiles turbine circumfracto ſtetere concorporati.* Sic *incorporare.* Solinus cap. XXV. *accorporare*, Ammianus lib. XVI. Solinus cap. XL. *Corporatio*, Tertull. de Carne Chriſti. LINDENBR.

16. **His relatione communi conſortiumque cognitis.*] Ita primus correxit Gelenius, cum prius legeretur: *His relatione immuni conſortiumque cognitis:* idque ex emendatione Petri Caſtelli. Nam in Editione Romana legebatur: *His relatione imunis, etc.* Ego vero cum in Mſſ. codicibus ſcriptum eſſe vidiſſem: *His relatione immunis, etc.* veram huius loci ſcripturam feliciter depre-

Digitized by Google

hendi. Sic igitur ſcribendum eſt: *His relatione Immonis conſortiumque cognitis.* Immonem enim Comitem cum aliis quibusdam Ducibus ad oppugnationem Aquileiae miſerat Iulianus, ut Marcellinus paullo ſupra retulit.* VALES.

16. *Agilonem Magiſtrum equitum* (in Urſicini locum XX, 2.) miſit. W.

18. *Non ſine conviciis reputabatur ut fallax.*] Mſ. *computabatur.* forte ſcripſit Ammian. *confutabatur ut f.* LINDENBR.

Suſceptus ad pugnaculum.] Plautus in Milite: *Deturbabo iam ego illum de pugnaculis.* LINDENBR.

20. *Curiales*] Senatores, v. Ind. II. h. v. ipſius Aquileiae. *Poenali ferro conſumti* ſecuri percuſſi. Neſcio, quem Codicem ſecutus Adr. Iunius in Animadverſis Lib. III. c. 12. (nam Lindenbrogius et Valeſius plane nihil monuerunt) addat nonnulla: *Romulus et Saboſtius currus axi vincti, fuere diſpicati, ut proni in ſtudia ſenis: alii rotarum poena conſumti ſunt.* W.

21. *Adſultu*] ſeditione. W.

22. *Sollicitudinum mole.*] Legendum videtur: *Congrua inſtantium ſollicitudinum moli ipſe quoque agitans, efficaciter Illyricum contrahebat exercitum.* VALES.

23. *In tempore afflagranti.*] Regius codex ſcriptum habet *afflagitanti*, et eadem manu ſuperſcriptum *efflagitanti;* [Colbertinus *afflagranti*] *Toloſanus *flagitanti.** VALES.

In tempore afflagranti] i. e. turbulento ob imminens bellum. Erneſti. *Municipalium Ordinum,* (Oppidorum Ordines XXVII, 7.) *ad quorum favorem propenſior, iniuſte plures muneribus publicis adnectebat.* Hoc ita intelligendum: Quamquam Ordinibus municipalibus favebat, plures tamen ad ſuſcipienda munera publica iniuſte cogebat. cf. loca gemina XXII, 9. bis. XXV, 4. et omnino Ind. II. v. Curiales. W.

24. *Symmachum et Max. legatos ad Conſtantium.*] Hic eſt Symmachus, qui poſtea Praefectus Urbi fuit, Valentiniano et Valente Coſſ. ut ſcribit Marcellinus in lib. 26. de cuius ad Conſtantium legatione loquitur Libanius in Epiſt. ad Symmachum eius filium: ubi ait Symmachum quidem cum tribus aliis Senatoribus veniſſe Antiochiam, in qua tum Conſtantius morabatur. Sed Symmachum totius civitatis oculos in ſe unum convertiſſe, tum ob caeteras virtutes, tum ob eloquentiam. *ὅπως ἡμῖν ᾖ καὶ θεᾶσθαι τὸν ἄριστον Σύμμαχον· ὃς τέταρτος μὲν ἦκε, μόνος δὲ εἰς αὐτὸν ἐπέστρεφε τὴν πόλιν ἀγαθῶν ἀμείνων δεικνύμενος*, etc. Eiusdem legationis meminit vetus inſcriptio. *LUCIO. Aurelio. Avianio. Symmacho. V. C. Praefecto. Urbi. Proconſuli. pro. Praefectis. Praetorio. in. urbe. Roma. finitimisque. provinciis. multis. legationibus. pro. ampliſſimi. Ordinis. deſideriis. apud Divos. Principes. functo.* VALES.

Ibi Naeſli. *Symmachum* patrem Symmachi, cuius adhuc decem epiſtolarum libri ſuperſunt, quique plurium Deorum cultum in imperio Romano tueri tantopere allaborabat. Filius infra occurrit XXVII, 3. Praefectus Urbi. W.

A Nobilitate legatos ad Conſtantium miſſos.] Sic lib. XXVIII. ad Valentinianum Imp. *Nobilitatis decreto legati mittuntur,* id eſt, Senatorii ordinis decreto. Ut lib. XVI. et XXVIII. *Nobilitatis*

Digitized by Google

curia. et *Nobilitatis, dein plebis digeremus errata.* De hiſce legationibus exſtat in Cod. Iuſtin. lib. x. Titulus LXIII. LINDENBR.

In locum Tertulli Maximum Urbi praefecit.] Anicium Maximum hunc vocat Onuſrius in Faſtis absque auctore ut ſolet: idem Tertullum eius praedeceſſorem Anicium Tertullum appellat. Sed ſi coniecturae locus eſt, Iunium Tertullum vocare mallem; ut ſit is Iunius Tertullus, qui pro Titiano Praef. Urbi cognoviſſe dicitur in veteribus Faſtis Cuſpiniani, Acindyno et Proculo Coſſ. Quod vero ad Maximum ſpectat, eum Clytholiam Maximum diſerte nominat Symmachus in lib. x. Epiſtola 47. et Tertullo Praef. Urbis, memorabili viro, ſucceſſiſſe dicit. VALES.

Rufini Vulcatii] de quo v. Ind. I. W.

25. *Mamertinum* et *Nevittam*, cf. c. 10. W.

CAPVT XIII.

1. *Nova negotia commovente*] ſc. Iuliano. Sed ſaepe nomina propria omittit Ammianus, v. Valeſ. ad XVI, 12. init. W.

Obſidione gemina] geminata, denuo ſuſcepta, cf. XXVII, 12. W.

2. *Moveri* caſtra movere *permitterent ſacra*, auſpicia, vide paullo poſt *auſpiciis dirimentibus*. W.

3. *Equeſtrisque militiae miniſtros.*] Scribendum videtur: *Arbetionem et Agilonem pedeſtris equeſtrisque militiae Magiſtros.* Etenim Arbetio quidem erat Magiſter equitum; Agilo vero peditum. Et alioquin Miniſtros pro Magiſtris poni non inſuetus error eſt librariorum. Simili modo Suidas Magiſterianos cum Miniſterianis confudit, cum ſcribit: Μαγιστριανός. καστρήσιος. Atqui μινιστριανὸς debuit dicere. VALES. Adſcripſit Reineſius: „Ordo vocum poſtulat, ut τὸ ΜΑΓΙΣΤΡΙΑΝΟΣ ſcripſiſſe Suidam dicamus. Magiſtrianum dici non poſſe Caſtrenſem, nihil impedit, neque omnes Caſtrenſes ſunt Miniſteriani. Magiſtriani ſunt Agentes in rebus.“ W.

Referrent citius pedem.] Hoc perfugium eſt eorum, qui ſe numero inferiores eſſe ſentiunt. Perſae autem qui ſummam victoriae in multitudine ſitam eſſe exiſtimabant, cum ingentibus copiis in Meſopotamiam irrumpere conſueverant. Itaque Romani cum eos fluvium traiicere adverterent, a ſtationibus agrariis in firmiora caſtella et opida ſe recipere ſolebant: idque conſilium Conſtantii laudat Libanius in *βασιλικῷ*, aſſentans Conſtantio: ſed in Orat. funebri, p. 309. valde illud idem reprehendit. VALES.

4. *Propugnaturus opida.*] Hanc ſcripturam primus Gelenius excogitavit: quam equidem nullo modo poſſum probare. Nam Marcellinus numquam diceret *propugnaturus opida*, ſed potius *opidis*: ſic enim ſemper eum loqui obſervavi, more Graecorum, qui *προπολεμεῖν τῆς πόλεως* dicunt. Apuleius quoque et Macrobius ſimiliter loquuntur, ne quis eam loquendi rationem parum Latinam exiſtimet: et Priſcianus in lib. 18. *Propugno tibi et te*, dici teſtatur. Accedit, quod inepta eſſet repetitio, ſi diceret, *propugnaturus opida quae tuebatur.* Quamobrem cum in Editione Rom. et codice Regio legatur, *pugnaturus opidaque*, ſic legendum

Digitized by Google

gendum existimo: *Curabat urgentia velut pugnaturus, opidaque euebatur excursu.* HENR. VALES. [Et sic plane in codice Colbertino ego scriptum inveni. Et ita quoque sua manu emendavit P. Pithoeus V. Cl. ad marginem Marcellini sui.] HADR. VALES.

Praeter optimates taciturnos et fidos] πιστοτάτους, de quo vide Spanhem. ad Iuliani Opp. p. 174. W.

[*Apud Persas Silentii colitur numen.*] Ut Ammianus affirmat *speculatores et transfugas* Constantio A. *repugnantia prodidisse, futurorum incertos,* propterea *quod apud Persas* soli *Optimates, taciturni et fidi, consiliorum* Regiorum *sunt conscii, apud quos Silentii quoque colitur numen.* Ita Q. Curtius in libro IV. c. 6. de Persis haec scribit: *Alexandĕr, quam regionem Darius petiisset, omni cura vestigans, tamen explorare non poterat: more quodam Persarum, arcana Regum mira celantium fide. Non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta. Vetus disciplina Regum, silentium vitae periculo sanxerat. Lingua castigatur gravius quam ullum probrum: nec magnam rem Magi sustineri posse credunt ab eo, cui tacere grave sit: quod homini facillimum voluerit esse natura. Ob hanc causam Alexander, omnium quae apud hostem gererentur ignarus, urbem Gazam obsidebat.* Menander Protector *legem silentii* apud Persas in conviviis observari quoque solitam esse scribit: et apud Theophylactum Simocattam in libri v. cap. v. Chosroes Persarum Rex Bryzacium, Barami Tyranni speculatorem, captum et in convivium introductum signo manus iubet occidi. οὐ γὰρ εὐωχουμένοις θέμις τοῖς Πέρσαις διαλαλεῖν. Convivantibus enim Persis nefas est loqui. *Coenobitae in Aegypto hunc morem tenent. Nemo comedens loquitur:* sicut ait Hieronymus in Epistola ad Eustochium de Virginitate servanda.] VALES.

Apud quos Silentii quoque colitur numen.] Curtius lib. IV. c. 6. *More quodam Persarum arcana Regum mira celantium fide: non metus, non spes elicit vocem, qua prodantur occulta: vetus disciplina Regum silentium vitae periculo sanxerat. Lingua gravius castigatur, quam ullum probrum.* LINDENBR. Cf. Brissonius de regno Persico p. 51. W.

6. *Cursu celebri*] Sic Valesio-Gronoviana, sine ulla lectionis varietate. Ernestius operarum vitio id factum existimans, reposuit *celeri*, quod profecto est facilius et usitatius, nec aliter in editt. Stephaniana et Lindenbrogii. Sed *celebri* in libris inventum retinuisse videtur Valesius. *Celebrem* sine dubio pro *celeri* usurparunt prisci Latini, quod probat *celeber gradus* Accii apud Nonium II, 161. Gesnero in Thes. laudatus, qui tamen et ibi *celerem* praefert, cupidius, ni fallor, iusto, et Ammianei nostri loci immemor. Verbum *celebrare* Scaliger in Codd. Catulli (Ati v. 26.) sensu celeritatis invenit. v. Iortin. Misc. Obss. Vol. II. T. 3. p. 328. et ipse Ernestius tandem in eam sententiam proclivior est, ut dicat pro *assiduo* esse positum, quod, ut durius paullo, ita minus fortasse Ammiano indignum sit. Nihil ergo mutavi. W.

7. *Constantius moerore offusus*] Debebat proprie esse, Constantio moeror offusus. Ernest. W.

Magnam diff. ad cap. consilium afferente delegit.] In Mss. Regio et Editione Rom. scriptum est: *Magnam et difficultatem*

ad capeſſendum conſilium adferrent ei delegit. Unde nulla propemodum mutatione emendavi: *Re tamen magnam ei diff. ad cap. conſ. afferente id elegit.* Quam emendationem nemo erit, ut ſpero, qui non illi Gelenianae anteponet. HENR. VALES. [Certe ita omnino ſcriptum reperi in codice Colbertino, niſi quod *et* ſcriptum eſt pro *ei*.] HADR. VALES.

Vehiculis publicis impoſitum.] v. Ind. II. v. Clavularis curſus. W.

8. *Revocatis omnibus praeter eos.*] Duae ultimae voces abſunt ab exemplari Regio, quae tamen retinendae mihi quidem videntur. [Certe ſunt in codice Colbert.] Etſi enim Conſtantius ad bellum civile iam profecturus, optimos milites a Meſopotamia abſtraxit, non omnes tamen limitis eius copias abduxit. Neque enim id ei obiicere oblitus eſſet Libanius, qui haec tantum dicit in Panegyrico ad Iulianum Conſulem (Reisk. I. p. 392.) *γυμνώσας δὲ τῆς τῶν ὁπλιτῶν ἀκμῆς τὴν ἑῴαν ἐποιεύετο, τῷ Φαυλοτάτῳ τῆς στρατιᾶς παραδοὺς τὰς πόλεις, οἳ Φυλάκων ἔχοντες σχῆμα, τῶν Φυλαξόντων ἐδέοντο· καὶ μετὰ τῶν Φρουρουμένων οἱ Φρουροῦντες ἔτρεμον*, etc. *Cum autem Orientem lectiſſimorum militum robore nudaſſet, iter arripuit, umbratili et ignavo militi commiſſis urbibus. Qui cum ſpeciem praeſidii ac cuſtodiae haberent, ipſi praeſidio indigebant: et praeſidiarii ipſi non minus quam ii quibus praeſidio erant tremebant.* VALES.

9. *Ad ſerenitatis ſpeciem fiduciae.*] Deeſſe videtur particula copulativa hoc modo: *Ad ſer. ſpeciem et fiduciae.* VALES.

10. *Humanitatem*] nimiam benignitatem. *Negotiis communibus* rei publicae. W.

11. *Gallum patruelem*] nam eundem avum, Conſtantium Chlorum habuere; praeterea vero affinem, Conſtantina nempe, Galli uxor, ſoror fuit Conſtantii. *Poteſtate Caeſaris ſublimatum* ad poteſtatem Caeſaris evectum. *Arbitrio punitus eſt legum.* Legum? W.

12. *Angebat nos una, ſed ſecura doloris praeteriti recordatio*] hoc uno dolore defunctus, alterum nimis ſecure haud timendum exiſtimavi. W.

13. *Levium — ſemiermibus*] Invidioſe detrahit de Iuliani gloria. *Spe poſtrema* deſperatione. *Aequitate calcata* nonne aliquando et iniquitate? W.

Tamquam favillas effecturam.] Sic primus edidit Gelenius, cum anteriores Editiones haberent, *tamq. fav. ſe facturam:* prout legitur in codice Regio et Editione Romana. Ex quo proclivius erat ita emendare ut edidi. [In codice Colbertino lego, *tamquam favillas ſe facturamque deinde, etc.*"] in Mſ. Toloſ. legitur, *tamquam favillas ſuffocaturam, etc.*" VALES. Haud ſatis apta ſpiritibus metaphora. W.

Ut ſceleſte laetorum ultricem.] Placet codicis Regii ſcriptura, *ut ſceleſtorum ultricem.* VALES.

14. *Favore numinis ſummi praeſente, cuius perenni ſuffragio damnantur ingrati.*] Itaque Iulianus, qui auctori ſuo reverentiam minime habuit, ingratitudinis vitio merito notatur. Zoſimus lib. III. Gregor. Nazianz. Orat. I. pag. 280. *Σωθεὶς γε σὺν τῷ ἀδελφῷ σωτηρίαν ἄπιστον καὶ παράδοξον, οὔτε τῷ θεῷ χάριν ἔσχε τῆς*

Digitized by Google

σωτηρίας, οὔτε τῷ βασιλεῖ, δι' οὗ σέσωστο, ἀλλ' ἀμφοτέροις ὤφθη κακὸς, τῷ μὲν ἀποστασίων ὠδίνων, τῷ δὲ ἐπανάστασιν. LINDENBR.

Non laceſſiti (?) ſed aucti beneficiis plurimis] immo vero neglectim habiti et calumniis petiti. W.

15. *Nec oculorum veſtrorum vibratae lucis ardorem.*] Eadem figura uſus eſt Plinius in Grat. actione ad Traianum c. 17. *Nec tibi opima defuerint, ſi quis Regum venire in manus audeat: nec modo telorum tuorum, ſed etiam oculorum minarumque coniectum toto campo totoque exercitu oppoſito perhorreſcat.* Et Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium. Sed et Severus in Oratione ad milites apud Herodianum in lib. 2. c. 10. eadem utitur clauſula: οὐδ' ἂν τῆς βοῆς ἡμῶν ἀνάσχοιντο, μήτι γε τῆς μάχης. VALES.

16. *Traxerat in ſententiam.*] Prima illa vox abeſt tum a Codice Regio, [et Colbertino,] tum ab Editione Rom. et a Gelenio primum addita eſt. [Scribo igitur: *Omnes poſt haec dicta in ſententiam ſuam, haſtasque vibrantes irati, etc.* Et ſic in libro 24. cap. 13. *Plebs omnis ad ſententiam ſuam cunctis acceptis, etc.* VALES.

Iter ſuum praeire] ſe ipſum praecedere. W.

Cum Lancearis et Mattiartis.] Lancearii et Mattiarii in Notitia Imperii dicuntur ſub diſpoſitione Magiſtri militum Praeſentalis: ubi tamen Mſ. codex ſcriptum habet Lanciarii, et Mattiarii. Atque ita appellat etiam Zoſimus in lib. 3. c. 22. in oppugnatione Maiozamalchae urbis: ἦσαν δὲ οὗτοι τρεῖς λόχοι ματτιάριοι καὶ λαγκιάριοι καὶ βίκτορες. Neque aliter ſcriptum hic habet codex Regius, [et Colbert. ac Tolol. *Lanciariis et Martiariis:*] et Caſſiodorus in Hiſt. Trip. lib. 6. cap. 37. Ceterum dicti videntur Mattiarii a quodam teli genere, quod Mattium ſeu Mattiobarbulum vocabant: unde Mattiobarbulos quosdam milites eſſe dictos ait Vegetius in lib. 1. cap. 17. VALES. Lancearii et Mattiarii iuncti etiam XXXI, 13. v. Ind. 11. W.

Et cum Laetis itidem Gomoarium.] Fruſtra ſunt qui hic emendandum aliquid putant. Nam Laetorum de quibus hic agitur, etiam in Conſtitutione Valentiniani, Valentis et Gratiani Impp. mentio eſt, L. 10. C. Theod. de Veteran. *Si quis praepoſitus fuerit aut fabricae, aut claſſi, aut Laetis.* Notitia Imp. *In provincia Tarracon. Praefectus Laetorum Teutonicianorum, Praefectus Laetorum Gentilium Suevorum, Praefectus Laetorum Francorum, etc.* LINDENBR.

Cum Laetis.] In codice Regio et Editione Rom. ſcriptum eſt *Letis*, de quibus ſupra notavi. [HENR. VALES. De eisdem Letis vel Laetis, ac de Leticis terris, et pago Letico, lege quae obſervavi in libris 1. et IV. Rerum Francicarum, et in Notitia Galliarum.] HADR. VALES. Vid. not. ad XVI, 11. W.

Ut contemtus in Galliis] v. c. 8. W.

CAPVT XIV.

1. *Haerens et ſubſiſtens* dubia et ſiſtens gradum *Fortuna*, quam, praeter communem illam rerum humanarum moderatricem,

ſuam cuique homini tribuere ſolebant, quaeque eadem eſt cum *Genio* paullo poſt hoc ipſo capite memorato. Cf. XIV, 10. ad fin. XXX, 5. W.

Pulchrum infantem] Genium nempe. W.

Excuſſam ſibi proieciſſe longius ſphaeram, quam ipſe dextera manu geſtabat.] Antiquus admodum mos, et ad noſtra haec tempora translatus, Imperatorum imagines ac ſtatuas ita effigiare, ut pilam manu geſtent. *Sic Varro de L. L. lib. 6. p. 68. ed. Scalig. 1581. *Pila terrae.** Ammianus lib. XXV. c. 10. *Maximiani ſtatua Caeſaris locata in veſtibulo regiae amiſit repente ſphaeram aeream, formatam in ſpeciem poli, quam geſtabat.* Idque cum in multis nummis priſcis, tum ipſius quoque Conſtantii videre licet, quem propterea hic apponam. (Aliquando etiam duo principes unam ſphaeram tenentes cernuntur. Vid. Wernsdorf. poet. lat. minor. Vol. II. p. 319. ſq. W.)

Origo moris a Perſis eſſe videtur: id enim Themiſtii verba volunt, Orat. de Conſtantio Imp. pag. 20. Τιάρα οὐ ποιεῖ βασιλέα, οὐδὲ κάνδυς, οὐδὲ μανδύη, οὐδὲ ἀκινάκης χρυσοῦς, οὐδὲ στρεπτοί τε καὶ ψέλλια, οὐδὲ ῥαβδοφόροι, καὶ δορυφόροι, καὶ μηλοφόροι, καί τις ἀθάνατος ἀριθμὸς ἀποθνησκόντων στρατιωτῶν. A Perſis ad Graecos, quod ex eodem Themiſtio coniici poteſt, Orat. 5. in Theodoſ. Imp. cum de Lycurgo Lacedaemone agit: ὅτι ἐδορυφόρουν αὐτὸν αἰχμοφόροι, καὶ μηλοφόροι χρυσῷ ἐσταλμένοι. Itaque hinc paullatim ad Romanos commigravit. Vid. Freher. Origin. Palatin. cap. 15. p. 106. Remum in Themiſt. p. 139. *Sphaera orbem hunc habitabilem indicat, et nationes in eo ſubactas atque Imperio parentes.* Unde et D. Caeſari ſtatuam Senatus Romanus dedicaverat Romae inſiſtentem. Dio lib. 45. *Quam cum Perſarum ritu manibus Impp. geſtarent.* *Eaque vel pura eſſe ſolebat, vel Fortunam ſuperimpoſitam habens, interdum et crucem; quod et ipſum quoque nummi antiqui ſatis oſtendunt. Procopius Caeſarienſ. περὶ κτισμάτων lib. I. Iuſtiniani Imp. ſtatuam ita deſcribit: φέρει μὲν χειρὶ τῇ λαιᾷ πόλον (ſic enim rectiſſime Mſ. exempl. quod penes me eſt, non πόλιν, uti in Baſil. et Auguſt. perperam editur) παραδηλῶν ὁ πλάστης, ὅτι γῇ τε αὐτῷ καὶ θάλασσα δεδούλωται πᾶσα. ἔχει δὲ οὔτε ξίφος, οὔτε δοράτιον, οὔτε ἄλλο τῶν ὅπλων οὐδέν, ἀλλὰ σταυρὸς αὐτῷ ἐπὶ τοῦ πόλου ἐπίκειται, δι' οὗ δὴ μόνου τήν τε βασιλείαν καὶ τὸ τοῦ πολέμου πεπόρισται κράτος. De eadem ſtatua G. Codinus in Deſcriptione CP. ἵστησε τὴν αὐτοῦ στήλην ἔφιππον ἐπὶ κίονος, καὶ τῇ μὲν ἀριστερᾷ χειρὶ φέρει σφαῖραν ἐμπεπηγότος σταυροῦ ἐν αὐτῇ, ὡς διὰ τῆς εἰς τὸν σταυρὸν πίστεως τῆς γῆς πάσης ἐγκρατὴς γεγονώς. Σφαῖρα μὲν ἡ γῆ, διὰ τὸ σφαιροειδὲς τοῦ αὐτῆς σχήματος. Quem locum Suidas exſcripſit in voce Ἰουστινιανός. Itaque amiſſo orbe, quem manu Imp. tenebat, rationabili praeſagio Imperium quoque perditum iri putatum fuit, quod dextera temperabat. LINDENBR.

Proieciſſe longius ſphaeram quam manu geſtabat.] Idem tradit Iohannes Antiochenus, περὶ Ἀρχαιολογίας. VALES.

2. *Iunctioribus proximis*] interioribus amicis, cf. XX, 5. *Deſolatus* deſertus ex aliquo tempore. *Secretum aliquid*, quod ſibi explicare non poſſit, quodque *interdum adfuiſſe ſibi ſqualidius exiſtimabat.* Squalidius eſt obſcurius, non ita aperte, et referendum non ad exiſtimabat, ſed ad adfuiſſe. Amat hoc verbum Am-

mianus. vide XXIV, 8. extr. inprimis XXV, 2, 3. qui locus noſtro gemellus, nam et ibi de Genio ſermo eſt. cf. et XX, 5. extr. ubi itidem Genius apparet Iuliano. W.

3. *In lucem editis hominibus cunctis — huiusmodi quaedam velut actus rectura numina ſociari.*] Arrianus in Epict. lib. I. cap. 14. ἐπίτροπον ἑκάστῳ παρέστησε τὸν ἑκάστου δαίμονα, καὶ παρέδωκε φυλάσσειν αὐτὸν αὐτῷ, καὶ τοῦτον ἀκόσμητον καὶ ἀπαγαλόγιστον. *Marcus Antonin. in Vita ſua pag. 211.* Cenſorinus de die Natal. cap. 1. Tertull. de Anima cap. XXXIX. Euſebius de Praepar. Evang. lib. IV. cap. 8. LINDENBR.

Theologi, mythologi. *Salva firmitate fatali*, immutabili tamen deſtinato a Parcis fato, quo et ipſe Iupiter tenetur. *Velut actus rectura*, quae mortales in agendo vel impellant vel cohibeant. *Admodum tamen pauciſſimis viſa*, ut propius ſibi praeſtoque adeſſe ea non ſentiant, niſi *quos multiplices auxere virtutes* qui hoc vel illo modo inter homines eminuerunt. W.

4. *Menander Comicus, apud quem hi ſenarii duo leguntur.*] Laudant hunc Menandri locum *Origenes contra Celſum lib. VIII. pag. 412.* Euſebius in lib. de Praep. Evang. Stobaeus in Ethicis lib. I. cap. 9. Scholiaſt. Theocriti Eidyl. 2. Sed omnium optime Clem. Alex. Stromatum lib. V. Μένανδρος ὁ Κωμικὸς ἀγαθὸν ἑρμηνεύων τὸν θεὸν φησίν· (p. 260. Clerici.)

Ἅπαντι δαίμων ἀνδρὶ συμπαρίσταται
Εὐθὺς γενομένῳ, μυσταγωγὸς τοῦ βίου
Ἀγαθός· κακὸν γὰρ δαίμον' οὐ νομιστέον
Εἶναι, βίον βλάπτοντα χρηστόν. IDEM.

ΑΝΔΡΙ ΣΥΜΠΑΡΙΣΤΑΤΑΙ.] Apud Plutarchum in libro περὶ εὐθυμίας, ubi hic Menandri verſus refertur, legitur, ἀνδρὶ συμπαραστατεῖ, rectius. VALES.

ΜΥΣΤΑΓΩΓΟΣ ΤΟΥ ΒΙΟΥ.] Praeclare Genium vocat Myſtagogum. Ut enim Myſtagogus olim hoſpites ducere ad ea quae viſenda erant in civitatibus et ſingula eis oſtendere ſolebat, teſte Cicerone in Verrem de ſignis (4, 59.): ita etiam Genius homines per huius vitae ſpatia deducit, et quid agendum, quid fugiendum ſit oſtendit. Myſtagogi tamen proprie dicebantur, qui Myſtas, hoc eſt initiatos deducebant, ut ipſa nominis origo ſignificat; unde Origenes in lib. 8. contra Celſum τελεστὰς et μυσταγωγοὺς iungit. *Dio Chryſoſtomus in Oratione 45. (Reisk. II. p. 207.)* ὅμως καθάπερ οἱ μυούμενοι μυσταγωγῶν ἐδεήθησαν. Et divus Marcus in epiſtola ad Herodem Atticum, ſe, cum Athenas venerit, ad ſuſcipienda myſteria Herode uſurum eſſe Myſtagogo promittit, ut refert Philoſtratus in Herode Attico.* IDEM.

5. *Ex ſempiternis Homeri carminibus.*] Homerus Iliad. α. LINDENBR.

[*Adfuiſſe pugnantibus, vel iuviſſe.*] Huc refero Tullii de felicitate verba pro lege Manilia c. 16. *Fuit enim profecto quibusdam ſummis viris quaedam ad amplitudinem et gloriam, et ad res magnas bene gerendas divinitus adiuncta fortuna.*] VALES.

Quorum adminiculis praecipuis Pythagoras enituiſſe dicitur et Socrates.] Achillem his adiungit Euſtathius in Homer. Iliad. α, pag. 61. Οἱ παλαιοὶ φασὶ μόνους τούτους, τὸν Ὁμηρικὸν Ἀχιλλέα,

καὶ τὸν Ἀθηναῖον Σωκράτην ἐν συντυχίαις τῷ οἰκείῳ κεχρῆσθαι δαίμονι. Ἀχιλλεύς τε γὰρ ἐνταῦθα λαλεῖ καὶ ἀκούει τὰ μυθευόμενα, καὶ Σωκράτης δὲ ἔλεγεν, ὡς εἶπέ μοι τὸ δαιμόνιον. *De Socrate Minut. Felix contra Gentes. Apul. de Deo Socratis.* * LINDENBR.

Pythagoras] cui tamen non magis, quam aliis nonnullis ab Ammiano nominatis ſpiritum arctiore ſenſu familiarem attribuerunt. *Socrates* qui genium ſibi praeſto eſſe, non impellentem tamen, ſed prohibentem tantum ipſe ſibi viſus eſt. Sed de hoc trita omnia, et noſtra aetate ſingularibus libellis tractata. W.

Numa Pompilius.] Eius cum Aegeria Nympha congreſſus nocturnos intelligit. Livius lib. 1. Valer. Maximus lib. 1. cap. 2. Dionyſius Halicar. Plutarchus, et alii. LINDENBR.

Superior Scipio.] Appianus de Bello Punic. c. 104. Καὶ δαιμόνιον αὐτῷ συλλαμβάνειν ἐδόξαζον, ὃ καὶ τῷ πάππῳ Σκιπίωνι προσημαίνειν ἐδόκει τὰ μέλλοντα. LINDENBR. Cf. idem Appianus de rebus Hiſpan. c. 19. 23. 26. de bello Punic. c. 6. W.

Hermesque ter Maximus.] Cuius hodieque Dialogi leguntur, a Platonico quodam Philoſopho conſcripti, ſub Mercurii illius Aegyptii nomine; ut recte Caſaubonus obſervavit in Exercitationibus. Eum antiquiorem Apollonio Tyaneo videtur hic facere Marcellinus. VALES. Vid. Fabricii Bibl. Gr. Lib. 1. c. 7—12. Harleſianae edit. T. 1. p. 46—94. Eſt liber Ἑρμοῦ τοῦ τρισμεγίστου ἱερὰ βίβλος ἐπικαλουμένη κόρη (Minerva) κόσμου fol. 32. librorum Hermetic. a Patricio editorum Ferrariae 1591. et ap. Stobaeum in Eclog. phyſ. p. 124. ed. Canter. 609. Ceterum librum hunc pſeudepigraphum ſeculo poſt Chriſtum natum ſecundo concinnatum exiſtimant eruditi. Zoega p. 20. W.

Apollonius Tyaneus] famoſus ille praeſtigiator ſeculi a C. n. primi, cuius vitam dedit Philoſtratus. W.

Plotinus auſus quaedam ſuper hac re.] Exſtat liber Plotini περὶ τοῦ εἰληχότος ἡμᾶς δαίμονος: cuius et Porphyrius meminit in eius Vita. LINDENBR. Vixit Plotinus Sec. III. et LIV. libros reliquit, de quibus non ſuperſtes eſt, niſi is quem commemorat Lindenbrogius. W.

Quas tamquam gremiis ſuis ſuſc.] Cum in codice Regio [et Colbert.] et Editione Rom. legi vidiſſem *caſtam quam, etc.* leviſſima mutatione correxi, *eas tamquam, etc.* Quod ſenſus omnino flagitare videbatur. Parraſius in Orat. pro Milone legit: *Caſtas quoad licitum eſt tuentur.* VALES.

Si ſenſerint puras.] Vid. Suid. in Δαίμων. LINDENBR.

CAPVT XV.

2. *Suburbanum diſiunctum tertio lapide.*] ergo non pars ipſius Antiochiae extra pomoerium ſita, ſed vicus remotior. W.

Cadaver hominis.] Simile eſt obſervante Reineſio, quod Valenti Imperatori contra Scythas bellum moventi apparuiſſe dicit Zoſimus IV, 21. W.

Territus omine.] ut qui orientem verſus proficiſceretur. W.

Mopſucrenas,] Ita Mſ. quod rectum eſt. vulg. *Mopſueſtiam.* Aur. Victor Epit. c. 42. *Conſtantius magis magisque ardens dolore, atque ut erat talium impatiens, in radicibus Tauri montis apud Mopſocrenen febri acerrima, quam indignatio vigiliis augebat, interiit.* Sozom. lib. v. pag. 61. ἐν Μόψου κρήναις. Hieronym. Epiſtola ad Heliodor. *In Mopſi viculo.* Ptolem. lib. v. τῆς στρατηγίας Καταονίας nomina recenſens, etiam Μόψου κρήνην ponit. LINDENBR.

Mopſucrenas.] Miris modis corruptum eius ſtationis nomen eſt in veteribus Itinerariis. In Itinerario enim Antonini p. 145. Weſſeling. *Namſucrone* dicitur. In Burdegalenſi p. 579. *Manſuerine* hoc modo: *Mutatio Pylas finis Cappadociae et Ciliciae. Manſio Manſuerine m.* 12. *Civitas Tarſo m.* 12. *Mut. Pargaia m.* 13. *Civ. Adana m.* 14. *Civ. Manſiſta m.* 18. Ubi vides *Manſuerinem* pro *Mopſucrene,* et *Manſiſtam* pro *Mopſueſtia* poni ſimili errore. Libanius in Orat. funebri κρήνας vocat; [Aurelii Victoris Epitome c. 42. *Mopſocrenen,* Codex Colbertinus *Mobſcrenas,* alii codices vett. *Mopſcrenas,* ut P. Pithoeus notavit.] VALES.

Mopſucrenas] (Μόψου κρήνας fontes) Ciliciae aſperae urbem, diverſam illam a Mopſueſtia (Μόψου ἑστία, Mopſi domo, XIV, 8.). De utraque vide *Mannert Klein-Aſien* T. II. p. 94. et 101. cf. Aurel. Victor Epit. c. 42. p. 580. Arntzen. et Eutropius X, 15. W.

Egredi] in itinere pergere — *invalente,* invaleſcente — *Corpus in modum foculi fervens,* nimis quaeſitum. — *Succeſſorem ſtatuiſſe dicitur Iulianum.* Haec tam ſubita animi converſio, de qua ipſe Ammianus hic et paullo infra hoc capite dubie loquitur, inventa ab aulae proceribus, ducibusque exercitus videtur, iis inprimis, qui Iuliano hucusque adverſati fuiſſent. cf. XXII, 2. Secus tamen ſtatuunt Ritter. ad Guthr. T. V. Sect. I. p. 61. et Gibbon. T. V. p. 270. W.

3. *Anhelitu pulſatus letali*] quo ſpiritum aegerrime traheret. W.

III. *Nonarum Octobr.*] Aliter ſcribit Idatius in Faſtis Tauro et Florentio: *His Coſſ. diem functus Conſtantius Aug. Mopſucrinas in fine Ciliciae et Phoeniciae provinciae* 3. *Non. Novemb.* Cum Idatio conſentit Socrates Hiſt. Eccl. II, 47. Cedrenus, Chronicum Alexandr. aliique, qui 3. Novembris mortuum eſſe Conſtantium narrant. VALES. Ipſe Ammianus *ſeneſcenti autumno* hanc mortem adſignat. Tillemont T. IV. P. 2. p. 1143. W.

Imperii vitaeque anno quadrageſimo.] Hic locus non uno ac ſimplici mendo corruptus eſt. Primum itaque emendo, *imperii anno* XXXVIII. quam quidem emendationem praeter Eutropium, et Socratem, ac Sozomenum ipſe confirmat Marcellinus in lib. 14. c. 5. *Die quarto Cal. Octobres, qui imperii eius annum triceſimum terminabat.* Ab eo enim anno quo Conſtantius VI. et Conſtantius Gallus II. Coſſ. fuerant, ad Conſulatum Tauri et Florentii octo ſunt anni. Quod ſi ad exactum calculum res revocetur, annos dumtaxat 37. ſolidos Conſtantius tam Caeſarianum, quam Auguſtum obtinuit Imperium. Caeſar enim factus eſt anno Domini 324. 6. Idus Novemb. Obiit vero anno 361. 3. Nonas Novemb. Deinde emendo, *vitaeque anno* XLIV. *et menſibus paucis.* Ita enim Victoris Epito-

me, et Eutropius ac Socrates, aliique ponunt. Igitur natus fuerit Conſtantius anno Domini 317. Gallicano et Baſſo Coſſ. ipſis Idibus Auguſtis, idque in Illyrico, ut docet Iulianus in Orat. 1. Diem quidem natalem didici ex lege x. Cod. Th. de Praetoribus, et ex Calendario veteri, quod edidit Heruvartius. Vulgata certe ſcriptura prorſus ferri non poteſt. Scribit enim Nazarius in Panegyrico, quem Conſtantio dixit anno illius imperii xv. in quinquennalibus Criſpi et Conſtantini: *Tantorum Roma compos bonorum, haurit inſuper ingentis ſpei fructum, quem propoſitum ſibi ex Caeſaribus nobiliſſimis habet, eorumque fratribus, quorum iam nomina ipſa veneramur.* Fratres illi Caeſarum erant Conſtantius et Conſtans. Cum ergo Conſtantius iamtum natus fuerit Criſpo II. et Conſtantino II. Coſſ. quo anno hic Panegyricus eſt dictus, ſequitur Conſtantium plusquam 43. annos vixiſſe. VALES. Cf. Ritter. ad Guthr. T. v. Sect. 1. p. 60. W.

4. *Supremis conclamatis*] more gentilium. cf. xxx, 10. *Euſebio* praefecto Cubiculi — *noxarum conſcientia*, multos enim homines infelices reddiderat, Gallique Caeſaris necem adiuverat xiv, 11. med. — *Cum novandis rebus imminens obſiſteret Iulianus*, quum alius eligendi Imperatoris conſilium ob Iuliani propinquitatem nimis periculoſum videretur. — *Mittuntur Theolaïphus* cet. cf. xxii, 2. Reineſius adſcripſit: *Theolaïphus* Det-lobus, Det-levus. W.

5. *Voluntatem poſtremam*] uti et nos dicere ſolemus Germani. Aliis et *nomen ſupremum*. v. Gothofredi Gloſſar. nom. Cod. Theodoſ. *arbitrium extremum* Sext. Rufus c. 13. vox ſuprema xxii, 2. ſtilus poſtremus xxv, 3. W.

6. **Uxorem autem praegnantem reliquit: unde edita poſtuma, etc.*] Ante Conſtantium obiiſſe eius uxorem ſcribit Zonaras p. 209. et tota vita ſterilem fuiſſe. Γαμετὴ δὲ ἦν αὐτῷ Εὐσεβία, ἡ ἐπὶ κάλλει γέγονε περιβόητος. περὶ δὲ τὸν γαμέτην ἠτύχησε, μαλθακὸν ὄντα, καὶ τὰ πρὸς ἀφροδίτην νωθέστερον ἐκ νόσων τε καὶ ἐκ φύσεως. ὅθεν κατὰ βραχὺ φθίνουσα, τοῦ Κωνσταντίου προτέθνηκεν, ἅπαις διὰ βίου μείνασα. ὡς δέ τινες λέγουσι, καὶ μητρομανίας νοσήματι περιπεσοῦσα ἐξέλιπε. *Uxorem habuit Euſebiam, forma celebrem illam quidem, ſed infelicem et miſeram, ob maritum cum natura, tum morbis mollem, et ad venerem ſegniorem. Unde paullatim contabeſcens ante Conſtantium deceſſit, nullo umquam fetu edito. Ut autem quidam dicunt, ex uteri doloribus concidens tandem defecit.** LINDENBR. Non Euſebia h. l. intelligenda, ſed Fauſtina. Cf. c. 6. et Hadr. Valeſii Praef. p. lxx. W.

Eiusque nomine appellata.] Fl. Max. Conſtantia Auguſta dicitur in veteribus nummis teſte Goltzio. Nupſit autem Gratiano poſt Conſulatum Gratiani III. et Equitii, cum annum aetatis 14. iam attigiſſet, ut docet Marcellinus in fine lib. 29. c. 6. Eadem haud multis poſt annis obiit, et Conſtantinopolim relata eſt, ut inter parentum reliquias humaretur Merobaude II. et Saturnino Coſſ. Sic enim ſcribit Idatius in Faſtis, et Auctor Chronici Alexandrini: quamquam utrobique Conſtantini Aug. filia dicitur mendoſe. Poſt eius obitum Gratianus Laetam duxit Piſſamenae filiam, quae marito ſuperſtes diu vixit, et Alarico Romam obſidente, magna annonae paenuria infimam plebem aluit, ut narrat Zoſimus in lib. 5. c. 39. VALES.

Digitized by Google

Eius nomine appellata] Paulus Diac. I, 12. Creuſam vocat monente Reineſio. W.

Matrimonii iure.] Cod. Reg. habet matrimonio adiective. Amat talia Ammianus, v. c. XXII, 15. ſolſtitio tempore. Cf. Valeſ. ad XV, 10. W.

CAPVT XVI.

1. *Differentia vere ſervata*] ſine partium ſtudio, quo nomine etiam laudatur ab Heynio in Proluſ. p. CXXVIII. cf. omnino XIV, 5. — *Praecipua*, i. e. bona, virtutes. XVI, 7. W.

Imperatoriae auctoritatis cothurnum] gravitatem. *Parcus erga tribuendas*, melius in tribuendis, ſed et XXXI, 14. *erga deferendas poteſtates nimium tardus.* — *Adminiſtrationum augmenta*, ſalaria et alia emolumenta conceſſa. — *Cornua militarium*, ne altioris iuſto ſpiritus ſumerent. cf. XX, 1. de Lupicino. Horat. Od. III, 21, 18. vinum cornua addit pauperi. *Militarium* legendum putabat Salmaſius ad Scrr. Hiſt. Aug. T. II. p. 598. cum in editionibus *militaria* haberetur. W.

2. *Erant enim, ut nos q. mem. Perfectiſſimi.*] Perfectiſſimatus dignitas minor erat Clariſſimatu, ut Marcellinus Lactantiusque teſtantur. Eos Graeci διασημοτάτους vocant: ſic enim in Gloſſis veteribus, Διασημότατος, *Perfectiſſimus.* In Epiſtola Conſtantini apud Euſebium lib. X. Hiſt. cap. 6. ἔδωκα γράμματα πρὸς Οὖρσον τὸν διασημότατον, Καθολικὸν τῆς ἀφρικῆς. *Litteras dedi ad Urſum virum Perfectiſſimum, Rationalem Africae.* Et in lib. 3. de vita Conſtantini, cap. 51. denique in lib. 4. cap. 1. Quibus in locis interpretandis ſemper labitur interpres Latinus. Hi Perfectiſſimi apud Vicariam Praefecturam conveniebantur, ut Clariſſimi apud Praefectum Urbi, lege un. Cod. Th. de his qui veniam aet. impetr. Ceterum haec dignitas ante Conſtantini tempora inſtituta eſt, ut conſtat ex Oratione Eumenii pro Scholis. *Porro haec dignitas in priſcis Inſcriptionibus his fere notis deſignatur P. V. ut apud Gruterum folio 1098. et Gualtherum, et in Epiſtola 40. libri 10. Symmachi.* VALES. Tituli honorum illa aetate hoc ordine ſe excipiebant: Illuſtres, Spectabiles, Clariſſimi, Perfectiſſimi, Egregii. Plura vide in Ind. II. v. Clariſſimi. W.

Occurrebat] obviam ibat in provinciam venienti. — *ordinariae*, i. e. civiles. cf. XIV, 10. *Praefectos Praetorio*, ſecundos ab Imperatoribus et Caeſaribus. v. Ind. II. h. v. W.

3. *In conſervando* tuendo, curando *milite* nimium *cautus*, providus; ſic *patriae cautus* XVII, 11. W.

Examinator merit. nonn. ſcrupuloſus.] Editio Rom. *ſubſcrupuloſus*, Codex Valentin. ſcriptum habet *ſubſcrupoſus* teſte Loiſello: et ita fere Mſ. Florentinus; [codex Colbert. *ſuſcrupoſus.*] Ceterum de Conſtantio idem ſcribit Zonaras: ἐν ταῖς τῶν ἡγεμονιῶν καὶ ταῖς τῶν ἀξιωμάτων διανομαῖς τοῦ προσήκοντος στοχαζόμενος. *In Magiſtratibus dignitatibusque tribuendis decorum ſpectans.* VALES.

Celſum aliquid acturus in regia] primarium aliquod munus Palatinum adminiſtraturus. W.

Digitized by Google

4. *Doctrinarum diligens adfectator*] Conſtantinus M. filios omnino probe erudiendos magiſtris tradiderat periiſſimis, (Euſebius vita Conſtantin. IV, 51. Iulian. Orat. I. p. 11—16.) e quorum diſciplina ſi quid haeſiſſet, iactare quavis data occaſione ſolebat Conſtantius. — *Obtunſum.* Sic Codd. pro *obtuſum.* W.

6. *Nec mare miniſtro ſaltem ſuſpicione tenus poſſit redargui.*] Locus vitioſus: quem tamen ita Ammianum ſcripſiſſe puto: — — *Impendio caſtus, ut nec amare miniſtros ſaltem ſ. etc.* Qui libros veteres tractarunt, veram hanc meam emendationem non negabunt: natus enim error fuit ex perverſa ſcribendi ratione, quae auctorem hunc non ſemel corrupit. LINDENBR.

Quod crimen etiamſi non invenit malignitas, quamquam non temere ſoloque maledicendi ſtudio principibus vitio vertitur, *fingit (tamen* haud recte omiſſum) *in ſummarum licentia poteſtatum* ſaepe tamen ideo tantum iisdem ſine cauſa tribuitur, quod omnia ſibi licere plerumque exiſtimant. W.

7. *Iaculandi* manu, *ſagittandi* ex arcu. *Maxime perite* v. Ruhnken. ad Vellei. II, 16. p. 120. *Artium armaturae pedeſtris,* armorum tractandorum, vel, quod Spanhemio placet ad Iulian. p. 108. et 113. Pyrrhichae. — Nec *terſiſſe nares in publico* cet. cf. ſupra XVI, 10. W.

Nec pomorum quidquam, quoad vixerit, guſtaverit.] Cedren. pag. 244. ὀπωρῶν καθάπαξ ἀφέστηκεν. LINDENBR.

8. *Si affectatae dominationis anſam reperiſſet*] ſi quem res novas molientem ſolio ſe deiicere velle ſuſpicaretur. W.

Omnes genere ſe contingentes ſtirpitus interemit.] Patruos ſcilicet duos, Conſtantium atque Dalmatium, quorum Conſtantius etiam ſocer ipſius erat: cognatos autem VI. Dalmatium et Hannibalianum Dalmatii filios, Gallum eiusque fratrem maiorem natu, filios Conſtantii: ceteri duo ignorantur: tot enim numerat Iulianus in Epiſtola ad Athenienſes: et confirmat Athanaſius in Epiſt. ad Solitarios: τί δ' ἂν θαυμαστὸν, εἰ οὕτω κατὰ τῶν ἐπισκόπων ἐστὶν ὠμὸς, ὅπου γε οὐδὲ τῆς ἰδίας συγγενείας ἐφείσατο; τοὺς μὲν γὰρ θείους κατέσφαξε, καὶ τοὺς ἀνεψιοὺς ἀνεῖλε, καὶ πενθεροῦ μὲν ἔτι τὴν θυγατέρα γαμῶν αὐτοῦ, συγγενεῖς τε πάσχοντας οὐκ ἠλέησεν. Ubi ſoceri nomine Conſtantium intelligit, cuius filiam, ſororem Caeſaris Galli, Conſtantius Aug. duxerat uxorem, teſte Iuliano in Epiſt. cit. HENR. VALES. [Pro *ſtirpitus* poſui *turpiter* ex codice Colbert.] HADR. VALES. Cur *omnes?* et non cunctos. GRONOV.

9. *Qui rei maieſtatis imminutae vel laeſae deferebantur, acerbitas.*] Eutrop. lib. X. c. 15. *Ad ſeveritatem propenſior, ſi ſuſpicio Imperii moveretur.* LINDENBR.

Acrius, quam civiliter, rectius: *civilius.* — *Spectatores,* inquiſitores. — *Mortem longius conabatur extendi* praegreſſis mortem diris cruciatibus. W.

10. *Perduellionum*] rebellium, qui in provinciis Auguſtos ſe proclamari vel curarent vel permitterent. *Aureoli* in Illyria, *Poſtumi* in Gallia, *Ingenui* in Pannonia et *Valentis Theſſalonici* in Achaia. Tillemontius T. III. P. 3. p. 959. coniiciit, legendum eſſe non Theſſalonici, ſed *Theſſali,* idque referendum ad *Piſonem,* cuius nomen librariorum culpa exciderit, qui, quum Valentem audiviſſet Auguſti nomen ſibi arrogaſſe, in Theſſaliam ſe recepit, Augu-

Digitized by Google

ſtum et ſe ipſum nominare coepit, aſſumto Theſſalici nomine, quod in numo quodam eius expreſſum legitur. Haec Tillemontius. W.

Mortem factura crimina al. lenius vindicabat.] Idem de Gallieno teſtatur Zonaras his verbis: *οὔτε μὴν τοὺς ἐναντιωθέντας αὐτῷ ἢ προστιθέντας τοῖς τυραννήσασιν ἐτιμωρήσατο. Nec tamen eos qui adverſus ſe inſurrexerant, aut ſe tyrannis adiunxerant, ſupplicio affecit.* VALES.

11. *Tumque in eiusmodi titulis.*] Huius loci emendatio codici debetur Fauchetii, in quo ſcriptum eſt: *Iuſtumque in eiusm. etc.* VALES.

Marci illius diſſimilis Principis verecundi: qui cum ad Imperiale culmen in Syria Caſſius.] *Longe aliter Severus Imper. fecit, Clod. Albino occiſo. Vide Hiſt. Auguſtam.* Capitolinus in M. Anton. Philoſ. Dio apud Xiphilin. LXXI, 24 — 28. ubi de Fauſtinae obitu: *ἵνα μὴ ἐλεγχθῇ ἐφ' οἷς πρὸς τὸν Κάσσιον συνετίθετο. Καίτοι ὁ Μάρκος τὰ γράμματα διέφθειρε, μηδὲ ἀναγνούς, ἵνα μὴ καὶ ἄκων ἀναγκασθῇ μισῆσαί τινα.* Cuius facti ſimile prorſus illud Pompeii. Victus iam erat Perpenna, deque ſalute deſperans, petiit tamen ut vivus ad Pompeium perduceretur, habere ſe multa adſerens ei indicanda, ad ſtatum rei Rom. pertinentia. Sed noluit Pompeius, et antequam in conſpectum homo veniret, occidi eum iuſſit: *δείσας ἄρα μή τι μηνύσειεν ἀδόκητον, καὶ ἑτέρων ἀρχὴ κακῶν ἐν Ῥώμῃ γένοιτο.* Appianus de Bell. civil. lib. 1. c. 115. LINDENBR.

Verecundi] moderati. Cf. Caſaub. ad Iul. Capitol. T. 1. p. 336. — *Signatum* ne lectum quidem. W.

12. *Virtutis erat potius indicium, Imperio Conſtantium ceſſiſſe, quam vindicaſſe tam inclementer.*] Imitatus videtur Marcellinus Thucydidem in libro 3. c. 47. *καὶ τοῦτο πολλῷ ξυμφορώτερον ἡγοῦμαι κάθεξιν τῆς ἀρχῆς ἑκόντας ἡμᾶς ἀδικηθῆναι, ἢ δικαίως οὓς μὴ δεῖ διαφθεῖραι.* Solet autem Marcellinus multa de Thucydide mutuari. Ut illud, *fame, ignaviſſimo mortis genere, tabeſcentes* XVII, 9. annon ex Thucydidis libro 3. c. 59. deſumtum eſt? et quod alicubi ait, *furta bellorum* XXIII, 3. extr. ſumptum eſt ex Thucydidis libro 5. c. 9. ubi eiusmodi aſtus *κλέμματα* vocantur, *[aut certe ex Virgilio: *Furta paro belli.*] VALES.

13. *Tullius* (Cicero) *in quadam ad Nepotem epiſtola*, cuius fragmentum hic Ammianus ſervavit, nam integra in Epp. ad familiares non exſtat. W.

Ergo in perditis impiisque conſiliis.] Eamdem ſententiam Cicero ſaepius inculcat. Nam et in lib. v. Tuſcul. c. 19. ſic dicit de Cinna: *Beatiorne igitur qui hos interfecit? Mihi contra non ſolum eo videtur miſer, quod ea fecit; ſed etiam quod ita ſe geſſit, ut ea facere ei liceret: etſi peccare nemini licet, ſed ſermonis errore labimur, id cum licere dicimus quod cuique concedetur. Utrum tandem beatior C. Marius, tunc cum Cimbricae victoriae gloriam cum collega Catulo communicavit? an cum civilis belli victor iratus neceſſariis Catuli deprecantibus non ſemel reſpondit, Moriatur: in quo beatior ille, qui huic nefariae voci paruit.* Et in Philippica 1. c. 14. ſic M. Antonium alloquitur: *Itaque ut omittam res avi tui proſperas; acerbiſſimum eius illum ſupremum diem malim, quam L. Cinnae dominatum, a*

quo ille crudeliſſime eſt interfectus. VALES. Vide praeclaram epiſtolam ad Atticum lib. x. num. 4. GRON.

14. *Epheſius quoque Heraclitus adſerens monet.*] Multa de Heraclito hoc Epheſio. Bauſonis (vel, ut alii volunt, Bloſonis) F. Diog. Laertius et Suidas. Eiusque auctoritate ſaepe utuntur Cicero, Clem. Alexandrinus, Tertullianus, Theodoret. LINDENBR.

Epheſius Heraclitus] quem fleviſſe ſemper, uti Democritum riſiſſe, fabula narrat. v. Iuvenal. x, 34. et Bruckerum hiſt. philoſ. T. I. p. 1208. W.

Poteſtas in gradu] altiori conſtituta. W.

15. *Saucius et adflictus fuit*] nunquam ſine clade diſceſſit. *Ita proſpere ſuccedentibus pugnis civilibus tumidus*, haec ſufficiebant pro ſimplicitate hiſtorica, qua non contentus Ammianus nauſeam movet addita appendicula: *inteſtinis ulceribus Reip. ſanie perfuſus horrenda.* W.

16. *Uxoribus*] Euſebiae inprimis. Quibus quod *nimium quantum addictus* fuiſſe dicitur Conſtantius, id non niſi de converſatione intelligendum eſt: ſegnior enim erat in Venerem. v. Gothofr. ad Philoſtorg. p. 213. *Spadonum gracilentis vocibus.* Inſectatur ubique eunuchos Ammianus, XVI, 7. XVIII, 4. 5. XXII, 4. *Palatinis quibusdam*, Euſebio inprimis. W.

17. *Flagitatorum*] Erneſt. exponit *accuſatorum*, ego vero malim de exactoribus tributorum et vectigalium accipere. W.

18. *Chriſtianam religionem abſolutam et ſimplicem anili ſuperſtitione confundens*] planae et facillimae ad intelligendum ſuperſtitionem admiſcuit. *Abſolutus* eſt et alibi Ammiano *planus*, v. c. XXX, 2. *reſponſum abſolutum et uniusmodi.* XIV, 10. *veritatis abſolutus ſermo ac ſemper eſt ſimplex.* Utraque vox iungitur XXII, 5. *planis abſolutisque decretis.* — *In qua ſcrutanda perplexius* ſubtilius ipſe potius verſaretur (ſic XXV, 3. ſuper animorum ſublimitate perplexius disputans) *quam componenda gravius*, quam ut lites epiſcoporum auctoritate ſua componeret. W.

Concertatione verborum.] Mirum, ni eas voces intelligit τὸ ὁμούσιον et τὸ ὁμοιούσιον, quae orbem terrarum illo tempore colliſerunt. *Quod autem Marcellinus vocat *Chriſtianam religionem abſolutam et ſimplicem:* idem ait Gregorius Nazianz. pag. 380. et 475. et 729. et Ambroſius in Epiſtolam ad Philippenſes pag. 520. VALES.

Catervis Antiſtitum iumentis publicis] quibus ad itinera uti epiſcopis Imperator permiſerat. Reineſius adſcripſit: Queritur de hoc Iulianus l. 12. Cod. Theodoſ. de curſu publ. W.

Ritum omnem ad ſuum trahere conantur arbitrium.] Suſpicor equidem ſcribendum eſſe *conatur*, ut de Conſtantio id intelligatur, qui ad arbitrium ſuum cuncta revocabat, et in Epiſcoporum cauſis agebat iudicem, crebroque ad palatium evocabat Epiſcopos, quo eos ad arbitrium ſuum, id eſt ad Arii ſectam impelleret. Idque eius ſtudium maxime apparet in Epiſtola quam ad Aizumam et Sazanam Axumitarum Regulos ſcripſit, quae legitur in Apologia Athanaſii. Sed et cum omnes Epiſcopos Athanaſii condemnationi, quod revera nihil erat aliud quam Arianae haereſi, ſubſcribere tantopere cupiebat; nonne aperte ritum omnem ad ſuum trahere conabatur arbitrium? A quo quidem inſtituto

Hosius eum epistola quadam revocare voluerat: *μὴ τίθει σαυτὸν εἰς τὰ ἐκκλησιαστικὰ, μηδὲ σὺ περὶ τούτων ἡμῖν παραγγελεύου*, etc. apud Athanasium in Epist. ad Solitarios. Id est: *Noli te rebus Ecclesiasticis immiscere, neque de iis causis, nobis praescribere: sed potius ea disce ex nobis. Nam imperium quidem tibi Deus tradidit: nobis vero negotia Ecclesiae commisit. Et quemadmodum qui Imperium tuum invadit, is Deum impugnat, a quo id constitutum est: sic tu dum causas Ecclesiae ad te trahis, vide ne in offensionem Dei venias.* Adde Epistolam 3. D. Ambrosii ad Valentinianum. VALES. *Conatur* legit etiam Baronius teste Reinesio, me probante. W.

Rei vehicularis succideret nervos.] Eadem Episcoporum querela legitur in Fragmentis Hilarii (a Pithoeo editis W.): *Sed et publicus cursus ad nihilum deducitur.* VALES. Cf. Salmas. ad Scriptt. Hist. Aug. T. 1. p. 279. W.

19. *Figura tali situque membrorum.*] Cedrenus pag. 244. *Ἦν δὲ Κωνστάντιος τὴν τοῦ σώματος ἀναδρομὴν εὐμήκης καὶ ἐπίξανθος, χαροπὸς τὴν ὄψιν.* LINDENBR. *Situ*, structura, proportione *membrorum.* Cf. Salmas. ad Solin. p. 288. W.

Luce oculorum edita oculis prominentibus. — *Rasis genis lucentibus*, ut lucerent. W.

20. *Iovianus Protector.*] Idem refert Cedrenus: *οὗ τὸ σῶμα Ἰοβιανὸς ὁ μετὰ ταῦτα βασιλεὺς, προτίκτωρ τότε ὢν, ἀπέθετο πλησίον τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐν τῷ ἡρώῳ μετὰ Εὐσεβίας τῆς αὐτοῦ πρώτης γυναικός. Cuius cadaver Iovianus, is qui postea imperavit, tunc Protector, iuxta patrem eius in Mausoleo deposuit una cum Eusebia priore eius uxore.* VALES.

21. *Annonae militaris off. indicia, ut ipsi nom. proba.*] Proba hoc in loco est specimen, Graece *δεῖγμα*, quae Imp. offerri solebat. Nam Principes ipsi annonam eo tempore probabant, ac praecipue militarem; quippe qui seditiones militum formidarent, quae ob inopiam annonae moveri consueverant. Itaque Hadrianus, ut scribit Spartianus in eius vita c. 11. (ubi v. Interpp. W.) laborabat, ut condita militaria diligenter agnosceret. Idem tradit Lampridius de Alexandro Severo, et Capitolinus de Gordiano. Neque eam laudem omittendam putavit Themistius in Orat. 6. de laudibus Theodosii: *τὰ σιτοφυλάκια δὲ οὐκ ὀκνεῖ οὐδὲ ἔλαττον αὐτοῦ ποιεῖται αὐτὸς περινοστεῖν.* Marcellinus Comes in Chronico, Antiocho et Basso Coss. *Dum ad horrea publica Theodosius processum celebrat, tritici in plebe ingruente paenuria, Imperator ab esuriente populo lapidibus impetitur.* Sed hi duo postremi loci de horreis annonae civicae destinatis intelligendi sunt. Ceterum id olim Tribuni erat officium, annonam militum probare, ut docet lex 12. D. de re militari. HENR. VALES. [In codice Colbertino legi, *ut ipse nominant probam.* Quam probam et germanam lectionem esse puto: ita ut *proba* dicta sit Marcellino pro probatione vel specimine, aut indicio annonae militaris, quam vulgo appellamus *une épreuve, un essay.* Proba ergo dicta pro probatione, ut nota pro notatione, missa pro missione, et multa similia.] HADR. VALES.

Ut ipsi nominant probam.] Impp. Valentin. et Valens, L. unic. C. de Stratorib. *Ut stratoribus unus tantum solidus probae nomine posceretur.* Vid. L. 17. C. de re milit. LINDENBR.

Digitized by Google

Animalia publica curſui publico aſſignata *monſtrabantur* cadaveri, tamquam vivo. Reineſius emendabat *miniſtrabantur*. W.

Occurſusque et alia.] Hunc locum absque ulla litterarum mutatione ſic reſtitui: *Et ex uſu crebreſcebant occurſus: quae, etc.* Occurſus intelligit militum, et Curialium, et Honoratorum, qui Conſtantii cadaveri obviam undique procedebant honoris cauſa. Cum vero ad ipſum Byzantii portum navis cui cadaver impoſitum erat appuliſſet, effuſae legiones tamquam ſpiranti adhuc Imperatori occurrere: quinetiam Iulianus ipſe una cum ceteris obviam proceſſit, et funus ad Apoſtolos usque deduxit, ac feretrum ipſum manu tetigit, et adoravit poſito diademate, ut narrat Gregorius Naz. in Orat. στηλιτ. 2. et Libanius in Oratione funebri, et Mamertinus in Grat. actione ad Iulianum, ac poſtremo Zonaras, qui et publicum in civitate luctum a Iuliano indictum eſſe memorat. *Sic Achaei, cum Philopoemeni funus publicum duceretur, ex opidis ſuis effuſi, urnam eius tangebant, τῆς ὑσρίας ἐφήπτοντο*, ut ſcribit Plutarchus.* VALES. Cf. Gibbon. T. v. p. 274. W.

Caſſum et umbratile] inane et umbrae inſtar cito evaneſcentis. *Ut miniſtro rerum funebrium portendebant*, quum breviſſimum eſſet, octo menſium puta, *Iouiani* imperium. v. infra XXV, 10. XXVI, 1. W.

AMMIANI MARCELLINI

LIB. XXII. C. I.

1. *Praescire festinabat accidentium finem*] eventum, quamquam ipse divinationes omnes interdixerat, v. Dalen de oraculis p. 221. f. W.

2. *Inspectu iecoris, quod operimento duplici viderat.*] Priscae superstitionis observatio boni ominis indicium putabat, si iecinora duplicia vel replicata in extis apparuissent: ut contra triste ostentum, si deessent. *Val. Max. lib. 1. c. 6. *Caput iecinoris duplex.** Plinius Histor. naturalis lib. XI. cap. 37. *In eo quod caput extorum vocant, magnae varietatis. M. Marcello circa mortem, cum periit ab Hannibale, defuit in extis. Sequenti deinde die geminum repertum est.* Et post pauca: *Divo Augusto Spoleti sacrificanti primo potestatis suae die, sex victimarum iecinora replicata intrinsecus ab ima fibra reperta sunt: responsumque duplicaturum intra annum Imperium.* Huius rei ignorantia elegantem Plinii Secundi locum depravavit, lib. 11. Epist. 20. *Ut ipse mihi dixerit, cum consuleret, quam cito sestertium sexcenties impleturus esset, inveniisse sexta duplicata, quibus portendi millies et ducenties habiturum.* Neque verum videre, qui ante nos mendum tollere conati sunt. Recta autem lectio est: — *Inveniisse se exta duplicata, quibus portendi,* etc. atque ita Plinium scripsisse nullus sanae rationis negabit. LINDENBR.

Omen multo praesentius] certius, cf. XXIII, 1. W.

Extulerat celsum, etc.] Tota haec linea primum a Gelenio addita est, coniecturane, an ex fide codicis scripti, incompertum habeo: sed et aliis in locis doctus ille vir lineas inseruit, ut suo loco indicabimus Quod si auctoritate exemplaris Mss. ab eo praestitum est; nae illud exemplar ceteris omnibus nostris praestantius atque integrius fuit: sin ex ingenio, audaciam eius nec laudo, nec vitupero. Ceterum Editio Rom. hunc locum sic praeferebat: *Qui eum ad cultum et velut fixa tamen, etc.* Neque quidquam mutavit Editio Bononiensis. Sed Accursius sic edidit: *Qui eum ad cultum evexit. Fixa, etc.* ex Ms. codice, ut opinor. Nam in Regio ita exaratum reperi: *Qui eum ad culmen evexit. Fixa, etc.* [In Colbert. *Qui eum ad culmen ex velut. Fixa tamen,*] VALES. Malim ad evitandam κακοφωνίαν, ex statim sequente *fixa* orientem pro evexit reponere *extulit,* idque ex vestigiis edit. Romanae et Cod. Colbert., in quibus est *et velut.* W.

CAPVT II.

1. *Theolaiphus atque Aliguldus*] XXI, 15. ubi tamen eſt Aligildus. W.

2. *Emenſa declivitate Succorum*] V. XXI, 16. W.

Philippopolim petiit Eumolpiada veterem.] Ruf. Feſtus: *Eumolpiadam, quae nunc Philippopolis dicitur.* Iordanis locum de hac Philippopoli ſuperius emendavimus. LINDENBR. *Philippopolim* dictam a conditore Philippo Macedone, nunc Philibe. W.

3. *Imperium, quod ereptum ibant* iverant Conſtantio, *nunc ordinario* et hereditario iure Iuliano conceſſum. W.

Triptolemi curru, quem ob rapidos circumgreſſus aëris ſerpentib. pinnigeris.] Fabulam narrant Hyginus fab. CXLIII. Servius Georgicorum I. LINDENBR. Ceres, uti rem narrat Hyginus Fab. 147. cum per orbem terrarum ereptam ſibi Proſerpinam quaerens Athenas etiam veniſſet, reginae nuper puerperae nutricem ſe obtulit pueruli Triptolemi, cui alumno ſuo, quum adoleviſſet, currum dedit alatis draconibus iunctum, quo per aërem vectus ſemina ſpargeret in terras, culturaeque fieret agrorum auctor. v. Homeri Hymnum in Cererem, Ovid. Metam. V, 461. ſſ. *Heynium* ad Apollodor. p. 64. et Opuſcula P. I. p. 353. *Boettiger Vaſengemählde* B. 2. S. 226. W.

Rapidos circumgreſſus aëris.] Mirum eſt tam ineptam et fatuam ſcripturam ab hominibus doctis tamdiu tolerari potuiſſe: quid enim ſibi vult haec loquendi forma, *circumgreſſus aëris?* Ego vero non dubito, quin ita ſcripſerit Marcellinus: *Quem ob rap. circumgreſſus aëritis ſerpentibus et pinnigeris fab. vetuſtas imponit.* Atque ita in codice Regio ſuperſcriptum poſtea reperi. Sane in Editione Rom. et Aug. legitur, *et pinnigeris*, [ut et in Mſ. Colbertino.] *ac Toloſ.* VALES.

Heracleam ingreſſus eſt Perinthum.] Theophylactus Simocat. lib. I. Τὴν πόλιν Ἡράκλειαν, ἣν Πέρινθον οἱ πάλαι ποτὲ κατωνόμαζον. Non autem omittenda eſt emendatio Viri Cl. Melchioris Goldaſti I. C. et melioribus ſtudiis apprime dediti, ſic legendum putantis: — *Heracleam ingreſſus eſt, veterum Perinthum.* Quomodo idem Ammianus paullo prius locutus eſt: *Philippopolim petiit, Eumolpiada veterem*, et infr. *Conſtantinopolis vetus Byzantium.* Neque a vero alienum, ita ab Auctore ſcriptum fuiſſe. LINDENBR.

Heracleam ingr. eſt Perinthum.] Quidam emendare conati ſunt *veterem Perinthum.* Sed hac illorum emendatione nihil opus erat. Etenim haec Heraclea Thraciae, Perinthus cognominata eſt ad differentiam aliarum eiusdem nominis urbium. Sane in Itinerario Antonini quod manu ſcriptum habeo, *Perinthoheraclea* coniunctim vocatur: et Sozomenus in lib. 4. cap. 7. ὑπατιανὸν ἡρακλείας τῆς περίνθου ἐπίσκοπον dicit. Poſtremo Procopius in lib. 4. de fabricis Iuſtiniani: ἡράκλεια δὲ, inquit, ἡ πόλις ἥδε ἡ παραλία ἡ ἐκ γειτόνων ἡ πέρινθος, ἣ πάλαι μὲν τὰ πρωτεῖα τῆς εὐρώπης ἐδίδοσαν, νῦν δὲ δὴ μετά γε Κωνσταντινούπολιν τὰ δεύτερα παρέχονται. Id eſt: *Heraclea autem illa ad mare ſita, vicina Byzantio Perinthus, quae olim quidem Europae metropolis habebatur, nunc poſt Conſtantinop. ſecundum locum obtinet.* De hac urbe Claudianus in Rufinum lib. 2. v. 291.

Deſe-

Digitized by Google

Deſeritur Rhodope, Thracumque per ardua tendunt,
Donec ad Herculei perventum nominis urbem. VALES.

Heracleam — Perinthum] quae cur ita dicta, v. infra c. 8. (hodie Erekli). Cf. Weſſeling. ad Anton. Itiner. p. 323. W.

4. *Tertio Id. Decembr.*] Conſentit Idatius in Faſtis, Tauro et Florentio Coſſ. *Introivit Iulianus Aug. Conſtantinopolim die* III. *Idus Decembr.* Neque aliter auctor Alexandrini Chronici, quod quidem ad diem ſpectat. Moratus autem eſt in ea civitate quinque admodum menſes, ut ex Marcellino noſtro colligitur, non decem, ut Zoſimus dicit. VALES.

Senatus officiis.] De hac pompa idem ſcribit Zonaras: ἐπὶ τὸ βυζάντιον ὥρμησε, καὶ οἱ προϋπήντησε καὶ ἡ σύγκλητος, καὶ ὁ δῆμος, καὶ σὺν εὐφήμοις φωναῖς προῆλθεν εἰς τὰ βασίλεια. VALES.

5. *Deſixis. Omini enim propius videbatur.*] In Mſ. *Omnia enim propius.* Ratio emendandi in proclivi eſt: — *Somnio enim prop.* Sic certe ſenſus conſtat. LINDENBR.

Adultum adhuc iuvenem] annos 31. natum. *Poſt cruentos exitus Regum et gentium* Alemanniae. W.

CAPVT III.

1. *Brevi deinde.*] Nihil prius habuit Iulianus, quam ut, qui Conſtantii partibus nimis faventes, vel ſibi, vel Gallo fratri adverſati fuiſſent, in iudicium vocaret. Conf. omnino de celeritate, qua uſus eſt in mutando rerum ſtatu, Wernsdorf. ad Himer. p. 104. W.

Sec. Salluſtio promoto Praefecto.] Hic locus anſam erroris praebuit Onufrio, qui in Faſtis ſuis Conſularibus hunc Secundum Salluſtium Promotum appellat; cum tamen promotus hoc in loco participium ſit. Sic in lib. 21. c. 8. Marcellinus: *Salluſtius*, inquit, *Praefectum promotum remiſit in Gallias.* Nec omittendum eſt, hunc Secundum Salluſtium in Cod. Theod. non ſemel Secundum ſimpliciter appellari, ut in lege 1 de Domeſticis, lege 2 de Agentibus in rebus, et alibi ſaepe. *Nunc dubito, idemne ſit is qui Secundus dicitur cum Salluſtio. Vide in Codice Theodoſ. pag. 368. Vetus Inſcriptio eius meminit: *Saturnio Secundo V. C. Praeſidi Provinciae Aquitaniae. Magiſtro memoriae. Comiti ordinis primi. Proconſuli Africae. item Comiti ordinis primi intra Conſiſtorium, et Quaeſtori. Praefecto Praetorio iterum. ob egregia eius in Remp. merita D. D. N. N. Valentinianus et Valens victores et triumphatores ſemper Auguſti ſtatuam ſub auro conſtitui locarique iuſſerunt.* Huius Secundi meminit et Libanius in epiſtola 122. libri 4. quem nunc tutius et melius puto a Secundo Salluſtio omnino diſtinguere.* VALES.

Secundo Salluſtio, promoto Praefecto Praetorio] ſc. Orientis. Gibbonus P. v. p. 289. *ſecundum* habet pro *numero*, quod tamen eſt viri *agnomen.* Omnino duo probe ſunt diſtinguendi Salluſtii Iuliani tempore viventes, de quibus poſt *Ritterum* in Proſopographia Cod. Theodoſ. accurate egit *Wernsdorf* ad Himerium p. 11. vide Ind. 1. v. Salluſtius. W.

Mamertino] antea Comite Largitionum XXI, 8. et Conſule XXI, 10. *Arbetione* magiſtro equitum, et Conſulari, XIV, 11. XV, 8. — *Agilone*, magiſtro peditum in locum Urſicini promoto XX, 2. *Nevitta*, magiſtro equitum XXI, 8. *Iovinus*, magiſter equitum ibid. et c. 12. W.

2. *Ioviani Herculianique*] Iunguntur etiam XXV, 6. v. Ind. II. v. Herculiani. W.

Cauſas vehementius aeq. b. ſpectaverunt.] Id quidem ſic excuſare conatur Iulianus ipſe in Epiſt. ad Hermogenem Praefectum Aegypti p. 390. ed. Spanh. *τούτους δὲ ἀδίκως τι παθεῖν οὐκ ἂν ἐθέλοιμι· ἴστω ζεύς. ἐπειδὰν δὲ αὐτοῖς ἐπανίστανται πολλοὶ κατήγοροι, δικαστήριον ἀποκεκλήρωται. Iſtos autem iniuſte quidpiam pati nolim: teſtis eſt Iupiter. Sed quoniam multi adverſus eos accuſatores exſiſtunt, iudices iis dedi.* VALES.

4. *Taurum ex Praefecto Praetorio*] Italiae XXI, 6. Conſulem hoc ipſo anno. Huic crimini datum, quod audito Iuliani adventu ad Conſtantium fugiſſet, XXI, 9. W.

Acta] Eo ſenſu hic dictum, quo nos uſurpamus. Statim poſtea *volumen publicum*. W.

Cum id voluminis publici contineret exordium.] *Volumen publicum* vocat acta publica: ut *codex publicus* in l. 4. C. Theod. de cuſtod. reor. LINDENBR.

Conſulatu Tauri et Flor. inducto ſub pr. Tauro.] Haec erat forma actorum publicorum, ut primo quidem Conſules notarentur, deinde vero nomen apponeretur rei, qui in iudicium erat adductus, quemadmodum apparet in Actis paſſionis S. Cypriani et aliorum. Sic etiam in Geſtis purgationis Caeciliani, quae poſt Collationem Carthag. edita ſunt, hoc initium legitur: *Conſtantino Max. Aug. VI. et Conſtantino iuniore Nob. Caeſ. Coſſ. Idib. Decemb. Sexto Thamugadenſi inducto, etc.* Et in Collatione Carth. quoties acta recitantur, ſemper Conſulis nomen praefixum eſt. *Adde Euſebium in libri VII. Hiſt. Eccleſ. capite XV. de Marino. In criminalibus cauſis quae coram maioribus iudicibus tractabantur, rei praeconis voce citati inducebantur. Cum enim maiores Magiſtratus ius praeconis haberent, omnia fere ad iudicium pertinentia per eius miniſterium agebant. Quaecumque igitur Magiſtratus pro imperio edicebat, eadem praeco iuxta eius Tribunal ſtans, contentiſſima voce pronuntiabat. S. Auguſtinus in libri III. de Trinitate capite XI. *Quum verba iudicis praeco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis: Ille praeco dixit: ſed, Ille iudex.* Praeconis quoque officium erat, poſtquam iudex conſediſſet, ſilentium imperare. Seneca libro 9. controverſia 2. *Adſcendit Praetor tribunal inſpectante Provincia. Noxiae poſt terga ligantur manus! Statim intento ac triſti omnium vultu, fit a praecone ſilentium.** VALES.

Inducto] Vox in hac re ſollemnis. W.

5. *Pentadius*] Magiſter Officiorum XX, 8. — *Quod notis excepit, quae reſponderat Gallus*, (das Protocoll bey dem Verhör geführt hatte V. XIV, 11. *Abiit.* Dubitat Erneſtius, an praeſtet cum aliis legere *obiit*, quod ſequentia videantur ſuadere. Sed alibi *abire* veram eſſe lectionem. Quae ſi hoc etiam loco ſervatur, *innoxius* paſſive accipiendum, ut XIX, 12. et alibi. Cf. Corte in Cellarii Orthographia T. II. p. 73. W.

Digitized by Google

6. *Contruſus eſt in inſulam Dalmatiae Boas*] Miſerorum haec inſula id temporis ſedes, et in quam Hymetium quoque praeclarae indolis virum exterminatum fuiſſe Ammian. ait lib. XXVIII. c. 1. In eandem Iovianum etiam haereticum ob ſacrilegos conventus actos deduci Impp. iubent, L. 53. C. Theodoſ. de haereticis. Situm eius in Tabula antiqua itineraria videmus. LINDENBR.

In inſulam Dalmatiae Boas] (hodie Bua) Aliae quoque Dalmatiae inſulae exulibus illa aetate aſſignatae. v. Gothofredum ad Philoſtorgium p. 197. W.

Alter Florentius ex Praetorio Praefecto Galliarum *Conſul etiamtum, cum coniuge periculis exemtus* comperta Iuliani ad Auguſti dignitatem evectione ad Conſtantium confugerat, Iulianum multis criminibus petiturus XXI, 8. v. omnino de malignitate hominis Ind. I. *Diu delituit* cf. infra c. 7. W.

7. *Evagrius Comes rei Privatae.*] Res Privata ſeu privatum aerarium illud dicebatur, quod privatis Imp. uſibus erat dicatum: ſicut Largitiones ſeu publicum aerarium publicis neceſſitatibus inſerviebant. Zoſimus in lib. 5. Comitem rerum Privatarum ſic Graece circumſcribit: Πετρώνιος ὁ τῶν ϑησαυρῶν προεστώς, id eſt *Comes Largitionum.* καὶ ὁ τῶν ἰδίᾳ τῷ βασιλεῖ ἀνηκόντων ταμιείων προβεβλημένος, id eſt *Comes rei Privatae.* Res igitur privatae ſunt, quae privatim ad Principem pertinent, non quae ad eumdem tunc cum adhuc privatus eſſet pertinebant, ut videtur voluiſſe Iuretus in Notis ad Epiſt. 43. lib. 3. Symmachi. Etenim proſcriptorum bona ad aerarium rei privatae ſpectabant, ut ad lib. XV. adnotavi. Quin et procuratio ipſa rerum privatarum inde originem ſumpſit. Cum enim Severus in multos factionum conſcios animadvertiſſet, ditatus proſcriptorum bonis, procuratorem rei privatae primum inſtituit, ut teſtatur Lampridius in eius Vita. Deinde praedia omnia priorum Impp. ad res privatas pertinebant. Et tamen neque haec, neque illa in bonis Principis fuerant tum cum eſſet privatus. Ceterum ſub re privata etiam largitiones privatae continentur, ut docet Notitia Imperii Rom. Earumque mentio fit in Codice Theod. ſaepiſſime, ut in lege 20. de Palatinis ſacr. larg. lege 7. de privilegiis eor. lege 2. Cod. de cuprellis, et in Novella 3. Marciani Imp. et alibi. VALES.

Saturninus ex-cura Palatii] Falluntur qui *excuratore Pal.* emendandum putant: quorum errorem, ne videar in re paucis ignorata tricari, uno teſte convincam. Sic igitur Corippus lib. I. v. 135.

Cum magni regeres divina palatia patris,
Par exſtans curis, ſolo diademate diſpar,
Ordine pro rerum vocitatus Cura palati. LINDENBR.

Evagrius — Saturninus — Cyrinus.] Horum triumvirorum nulla alias mentio apud Ammianum. Munera, quibus functi ſunt, vide in Ind. II. W.

Urſuli vero necem.] Huius caedis atrocitatem et invidiam eodem modo excuſare nititur Libanius in Orat. funebri p. 298. ὁ γε μὴν τρίτος ὀργῇ μὲν τῆς στρατιᾶς ἀνηρπάσθη, δώρων βασιλικῶν αὐτοὺς ὡς ἔλεγον ἀπεστερηκώς. *Tertius vero* (Urſulus ſcilicet) *militum iracundia ad exitium abreptus eſt, quod eos Principis largitionibus fraudaviſſet.* Quod tamen falſum eſſe docet Mar-

cellinus in hoc loco. Ceterum addit Libanius id ſolatii loco Iulianum Urſuli manibus praeſtitiſſe, eius ut filia ſuperſtes maxima patrimonii parte frueretur. VALES.

Omni tenacitate ſtringendus] ita parce et maligne habendus, ut munificis militis vili et fortuito cibo contentus eſſe cogeretur, uti eſt XVI, 5. *nullaque poteſtate militi quidquam donandi delata* (miles praemiorum expers XX, 5.) *ut pateret ad motus aſperior exercitus*, ut his donis excitatus miles eo promtior eſſet ad res gerendas. Sic Ern. Poſſis tamen etiam interpretari: ut Iulianus exponeretur odio exercitus, idque confirmatur ex eo, quod rumore tenus iactabatur, quod Iulianus in Gallias [miſſus a Conſtantio eſſet, *ut poſſit per bella deleri ſaeviſſima* XVI, 11. Reineſius corrigendum putabat vel: *admotus* aſperior exercitui, vel: ut *pararetur* ad motus a. exercitus. Neutrum placet. W.

Ad eum, qui Gallicanos tuebatur theſauros] Comitem theſaurorum, v. Ind. II. W.

Proculdubio ceſſerat dari] Sic poſtrema Pariſina, equidem neſcio unde: et quum ne Latina quidem ratio, nedum ſenſus admittat, ratus errorem typorum eſſe repoſui prius et verius. GRON. *Procul dubio* haud dubitanter, ſtatim. W.

8. *Militaris ira delevit memor quae dixerat*] v. XX, 11. Ipſius Iuliani iuſſu equidem non magis credo virum innocentem interfectum, quam exacerbatione militum, in quos culpam maluit transferre, quam quaeſtioni illi praefectum *Arbetionem*, quem ipſe bene noverat caedis auctorem extitiſſe. Hanc ipſi Ammiano mentem fuiſſe, ſuadent, quae ſequuntur. Arbetio vero Urſulo iam diu infenſus, qui turpibus cohortis Palatinae machinationibus olim tam fortiter iverat obviam, XVI, 8. W.

9. *Quem primum omnium ſaluti ſuae norat obiectum*] Statim enim poſt Galli Caeſaris mortem in Iulianum etiam calumniarum vertebatur machina, mota illa inprimis ab Arbetione, XV, 2. W.

Ut decuit victoriarum civilium participem ſortem.] Obſcuriora haec, niſi de *Conſtantio* liceat accipere, cuius nomen fortaſſe in contexto excidit. Quod ſi ita eſt, optime omnia cohaerent, ſi totum locum ita explices: Eo ineptior, *parumque intelligens* apparere omnibus debebat Iulianus, qui quaeſitorem primum faceret eum, quo contra ſe ipſum fido miniſtro uſus eſſet Conſtantius. W. Nihil excidiſſe puto, cum, Conſtantium eſſe, a quo Iuliani ſaluti obiectus ſit Arbetio, facile intelligatur. ERF.

11. *Apodemium enim.*] De horum caede Libanius in προσφωνητικῷ ad Iulianum (Reisk. I. p. 419.) his verbis: δίκην μὲν ἐπράξω παρ' ὧν μὴ λαβεῖν ἄδικον, αἰτίαν δὲ οὐκ ἐπήνεγκας οἷς ὑπῆρχεν ἀναχώρησις. Id eſt: *Supplicio quidem eos affeciſti, de quibus iniuſtum fuiſſet poenas non ſumere: ceteros autem qui aufugerant, nullo modo vexaſti.* Vide eumdem in Orat. funebri pag. 298. (Reisk. I. p. 583. ſſ.) VALES.

In Silvani necem XV, 5. *et Galli* XIV, 11. — *Paulum Notarium, cognomento Catenam* XIV, 5. W.

12. *Euſebium ſuper his, cui erat Conſtantiani thalami cura commiſſa.*] Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 1. Εὐσέβιον τὸν προεστῶτα τοῦ βασιλικοῦ κοιτῶνος, ἐξημίωσε θανάτῳ. Caſſiodorus

Hiſtor. Tripart. lib. VI. cap. 1. *Euſebium praeſidentem Imperiali cubiculo morte damnavit, non ſolum quia multos oppreſſerat, ſed quia Gallum quoque fratrem ſuum eius accuſatione audierat interemptum.* LINDENBR.

Adusque iubendum Imperatori] Rarior haec verbi *iubere* conſtructio, cuius exemplum ex Liv. XXX, 4. attulit Erneſtius. Ad ſententiam conferri poteſt XVIII, 4, 3. — *Humanorum ſpectatrix Adraſtia* XIV, 11. W.

Aurem, quod dicitur, vellens.] *Seneca de Beneficiis lib. IV. et V.* Virgilius Ecloga VI.

— — *Cynthius aurem Vellit et admonuit.* LINDENBR.

Caſtigatius] moderatius, non ita inſolenter. — In fine huius capitis poſt *excelſa* Reinelius adſcripſit: Hic inſerenda ſunt, quae leguntur infra p. 239. (cap. XI. init.) tamquam Antiochiae geſta, de Gaudentio, Iuliano, Artemio, Georgio. W.

CAPVT IV.

1. *Converſus d. ad Palatinos omnes.*] Id fuſe et eleganter narrat Libanius in Orat. cit. pag. 292. (Reisk. I. p. 565.) et ſequentibus, cuius hic verba Latine interpretata apponere non inutile fuerit. *Haec cum ille de divinis rebus conſtituiſſet, oculos ad Imperatorium miniſterium reflectens, cum turbam inutilem fruſtra ali vidiſſet, coquos quidem mille, totidem tonſores, pincernas autem plures, miniſtrorum examina, iam Eunuchos muſcarum quae verno tempore paſtores circumvolitant numerum ſuperantes, et innumeros eiusmodi fungos. Etenim otioſis et ad conſumendam annonam natis hominibus id erat perfugium, ut miniſtri Principis vocarentur et haberentur: et numerato pretio ſtatim in eum numerum adſcribebantur. Hos igitur quos Imp. annona inutiliter alebat, damno potius quam miniſterio eſſe ratus, confeſtim expulit.* Subiicit deinde de Schola Notariorum et Agentum in rebus, quos eodem modo proiecit. Idem ſcribit Socrates in lib. 3. Hiſt. c. 1. qui haec a nonnullis laudata, a plerisque autem ait improbata fuiſſe. Remotis enim tot Palatii miniſtris, qui ſi non aliud, certe ornamentum ac pompam aulae afferebant, vilem et contemptum Principis comitatum videri neceſſe eſt. Ceterum Gregorius Naz. in στηλιτ. I. id in odium Conſtantii a Iuliano factum eſſe dicit, et Chriſtianiſſimum quemque e Palatio pulſum. καὶ διὰ τοῦτο μεταποιεῖ μὲν τὰ βασίλεια, τοὺς μὲν θανάτῳ προϋπεξαγαγὼν, τοὺς δὲ παρωσάμενος, οὐχ ὡς εὔνους τῷ μεγάλῳ βασιλεῖ μόνον, ἀλλὰ καὶ ὡς εὐνουστέρους τῷ μείζονι. [Petrus Pithoeus ad oram Ammiani ſui adnotavit ſibi videri deeſſe heic verbum aliquod, et ita legendum eſſe: *Omnes o. qui ſunt, quique eſſe poſſunt, removit:* vel, *proiecit:* cum infra memoret *duos Agentes in rebus ex his qui proiecti erant.*] VALES.

Omnes omnino qui ſunt quique eſſe poſſunt] Mire dictum: fortaſſe Graecismus eſt. Reineſius adſcripſerat: l. ſive ſint rei, ſive non ſint, removendos. W.

2. *Seminarium effuſius aluiſſe*] Senſus facilis, ſed nec *effuſius* nec *aluiſſe* ſatis placent *ſeminario* adiecta. W.

Plusque exemplis, quam peccandi licentia laederent.] Lib. XXVIII. c. 1. *Plus exemplis generalibus nocitura, quam delictis.* Cicero de Legibus III. 14. *Nec enim tantum mali eſt peccare Principes, (quamquam eſt hoc magnum per ſe ipſum malum) quantum illud, quod permulti imitatores Principum exſiſtunt. — neque ſolum obſunt, quod ipſi corrumpuntur, ſed etiam quod corrumpunt,* PLUSQUE EXEMPLO, QUAM PECCATO NOCENT. LINDENBR.

3. *Paſti enim q. templorum ſpoliis.*] Idem etiam dicit Libanius pag. 293. (Reisk. I. p. 564.) Contra eosdem invehitur in tractatu, quod divitiae iniquitate partae infeliciores ſunt egeſtate, (Reisk. I. p. 248.) his verbis: *οἱ δὲ καὶ τεμένη καὶ νεὼς κτήματα αὑτῶν ἐποιήσαντο, εἶτα μάλα εὐχερῶς ἐκρίψαντες τὰ ἕδη, ξύλων καὶ ἀχύρων τοὺς νεὼς ἔπλησαν, οἱ δ' αὖ ἀνδρειότεροι καὶ καθελόντες, οἰκίας ᾤκησαν τῶν ἐκεῖθεν λίθων πεποιημένας.* Id eſt: *Hi vero templa et delubra praedtorum loco habuerunt, ac ſimulacris facile exturbatis, lignis ac paleis repleverunt. Alii autem magis generoſi, eisdem dirutis, ex eorum ſaxis aedes ſibi conſtruxerunt.* Idem queritur in Monodia de obitu Iuliani, et in Orat. adverſus obtrectatores ſuos, ubi templorum ſpolia Eunuchis largitum eſſe Conſtantium graviter indignatur. Sed Iulianus Aug. poſtea lege lata quidquid templis ademptum fuiſſet, reſtitui iuſſit, ut docet idem Libanius pag. 291. et Sozomenus in lib. 5. Hiſt. cap. 5. *Adde Chryſoſtomum in Homilia in Iuventinum et Maximum.* VALES.

Paſti ex his quidam] Chriſtiani ſcil. quos Libanius diſertius declarat monente Heynio in proluſ. de Ammiano p. CXXXII. W.

5. *Uſusque abundantes ſerici.*] Idem dicit Chryſoſtomus in Homilia XVIII. in Geneſin pag. 192. in fine.* VALES.

Uſus abundantes ſerici] ſericas puta veſtes, antea non niſi ditiorum geſtamina: vide ſupra XVI, 5. *Textiles auctae artes* filis ad ſummam tenuitatem tractis. W.

[*Ambitioſa domorum ſpatia, quorum menſuram ſi in agris Quintius poſſediſſet.*] Idem dicit Valerius Maximus in libri IV. cap. IV. *Anguſte* (inquit) *habitare nunc putat, cuius domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt.* Haec ſunt verba Valerii Maximi de L. Quintii Cincinnati VII. iugeribus.] VALES.

Quorum menſuram ſi in agris Conſul Quintius poſſed.] Luc. Quintius Cincinnatus, de quo Livius III. et IV. Dionyſius Halicar. lib. VI. et X. Val. Maximus lib. IV. cap. 4. §. 7. LINDENBR.

Ambitioſa ornatarum domorum ſpatia] ampliſſimae domus, eaeque ſumtuoſiſſimis ſupellectilibus inſtructae. — *quorum menſuram ſi in agris Conſul Quintius poſſediſſet,* ſi agellus eius ambitu domos noſtrorum hominum aequaſſet. Sermo eſt de L. Quintio Cincinnato, frugalitate non minus, quam rebus domi foriſque geſtis clariſſimo dictatore, cuius nuper memoriam reſtauraſſe viſus eſt Americanis Washingtonus. W.

6. *Pro iubilo*] clamore bellico? *cantilenas molles*, Veneris magis et Bacchi, quam Martis laudes celebrantes. — *Flexiles lectuli* plicatiles. W.

7. *Per ambitionem.*] Reſtituimus veterem Editionis Rom. ſcripturam, quam codex Regius *et Toloſanus* [ac Colbertinus] et Editio Auguſtana confirmant. Et ſic loquitur Marcellinus in fine

Digitized by Google

lib. 31. de Valente, *ultor acer ambitionum*: quibus in locis ambitio ſumitur pro gratia et ſuffragio virorum potentium, qui honores clientibus aut amicis impetrabant, ut patet ex lege 1. Cod. Theod. ad legem Iuliam de ambitu, et ex Marcellino noſtro ſupra xx, v. Graeci *περιδρομὴν* appellant voce ex Latino vocabulo detorta. *Gloſſae: *Ambitiones, φιλοτιμίαι, περιδρομαί.** Sic apud Iſidorum Peluſiotam in Ep. 145 et Memnonem in Excerptis Hiſt. apud Photium. Recte Suidas: *ἐξ ἀμβιτίωνος, ἐκ περιδρομῆς τινὸς πράττων.* Unde intelligendus eſt locus quidam in Actis Epheſini Concilii: *κἂν δὲ τοῦτο προσταχθῇ ἐξ ἀμφιτίωνος*: ubi interpres neſcio quid de Amphictyonibus ſomniavit. VALES.

Contra quam recens memoria tradit] longe ſecus, ac, non dicam priſci illi, ſed recentiſſimae memoriae *gregarius miles* Romanus. W.

8. *Poſt ſacculum Parthicum.*] Prima vox deeſt in omnibus exemplaribus, et a Gelenio primum adiecta eſt. Sed minori audacia emendari ſic poterat, *ſacculo Parthico in quo erant margaritae reperto, etc.* Non omittendum eſt in codice Valentino [et in Colbert.] ſcriptum fuiſſe, *ſecutum Parthicum*: unde Loiſellus non inepte coniecerat legendum eſſe, *ſcutum Parthicum.* Sane in Editione ſua ſic Caſtellus emendaverat, cum in Rom. legeretur, *ſequutum Parthicum* Et ſcuta Perſarum pellibus operiri ſolita docet Marcellinus noſter in lib. 23. VALESIUS. Videntur omnia illa exemplaria ſignificare manum Ammiani hanc fuiſſe: *gregarium quendam ſcutum* vel *ſacculum Parthicum, in quo erant margaritae, repertum, proiectis imperitia gemmis, habuiſſe etc.* GRON.

Pellis nitore.] Pelles Parthicae olim in pretio fuere, ex quibus Imperatorum calcei fieri ſolebant, ut Pollio (in Divo Claudio c. 15. ubi v. Salmaſ. Scriptt. Hiſt. Aug. T. II. p. 408. W.) et Corippus lib. II. de laudibus Iuſtini v. 104. ff. tellantur. Earum meminit Marcianus in lege 16. D. de publicanis, et vetus Scholiaſtes Iuvenalis ad hunc verſum Satyrae 5. (165)

et ſignum de paupere loro.

Corrigiam, inquit, *Parthicam, unde ſolet bulla pendere ſignum ingenuitatis.* Denique Conſtantinus Porphyrog. in cap. 6. de adminiſtrando Imperio, *δερμάτια ἁλῆθινὰ παρθικὰ* memorat, id eſt *pelles Parthicas purpureas.* At in vulgatis Editionibus legitur *παρδικὰ* gravi errore. *Ceterum Parthi gemmas et margaritas eiusmodi pellibus addere ſolebant; ut docet Tertullianus in lib. 2. de cultu feminarum: *Ut ex illis cicatricibus neſcio quae grana penderent; quae plane Parthi peronibus quoque ſuis bullarum vice inſerunt.* Et in libro 1. de Parthis loquens, ita dicit: *In peronibus uniones emergere de luto cupiunt.** VALESIUS. Cf. *Beckmann* von Pelzkleidern, Geſch. d. Erfind. B. v. p. 36. — *Pellis* crumenae. W.

9. *Demendum*] Erneſt. malit *demetendum.* Saepius enim haec vocabula confundi a librariis. W.

Non Rationalem iuſſi, ſed tonſorem accire.] Idem refert Zonaras To. II. Lib. XIII. pag. 24. his verbis: *τὸ πολὺ δὲ τῆς βασιλικῆς θεραπείας ἀπεπέμψατο. κουρέα τε ζητήσας, ὡς προσῆλθεν αὐτῷ τοῦ Κωνσταντίου κουρεὺς, πολυτελῶς ἐστολισμένος, κουρέα ζητεῖν εἶπεν, ἀλλ' οὐ συγκλητικόν.* Id eſt: *Maximam partem regiorum*

miniſtrorum expulit. Et cum aliquando tonſorem advocaſſet, tonſorque Divi Conſtantii veniſſet magnifice veſtitus, tonſorem ſe accerſiſſe dixit, non Senatorem. Addunt Socrates et Cedrenus, Iulianum, cum tonſores Palatio eiiceret, id adieciſſe, unum pluribus ſufficere: quamquam apud Cedrenum κουρίσκους legitur puerili errore. VALES.

Rationalem] Varii generis erant et in aula, et in provinciis, qui acceptorum et expenſorum rationes haberent. H. l. de aulico, qualis et XV, 3. vide Ind. II. W.

Vicenas diurnas annonas.] Id eſt, XX. panes diurnos. Quippe annona Palatina in panibus diſtribuebatur quotidie, ut et civica. Procopius in Anecdotis: μίαν ἀπολιπὼν σύνταξιν εἰς ἡμέραν ἑκάστῳ. De Palatinis loquitur, quorum annonas Iuſtinianus imminuit. VALES.

Quae vulgo dict. capita.] Haec vox occurrit in Heſychii Lexico: κάπετα· κτηνῶν τροφή. et iterum: κάπηκτον· παράβλημα ἀλόγων. Capita in utroque Codice dicuntur, et capitatio in lege 8. et X. Cod. Theod. de erogat. mil. annonae. Quam vocem non deſunt qui Graecae originis eſſe dicant: inter quos eſt Florens Chriſtianus, qui in Notis ad Ariſtophanis εἰρήνην a verbo κάπτειν eam derivat; quem ſecutus eſt Cl. Salmaſius. VALES.

Vicenas diurnas annonas] i. e. panes (*Portionen*). *totidemque pabula iumentorum* (*Rationen*) *quae vulgo dicitant capita.* De utrisque et annonis et capitibus v. Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 983. 989. W.

Absque fructuoſis petitionibus] praeter alios non contemnendos acquirendi modos. Vid. Cod. Theodoſ. T. III. p. 490. Ritter. W.

10. *Omnes huiusmodi cum coquis ſimilibusque aliis*] Socrates Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. I. Caſſiodorus Hiſtor. Tripart. lib. VI. cap. I. LINDENBR.

Omnes eiusmodi cum coquis, etc.] Mamertinus in Panegyrico ad Iulianum id merito praedicat XI. II. *Ingentes aulicorum catervae legionum ſumptum facile vincebant.* Et paullo poſt: *Neque enim comparandae ſunt picturatae marmorum cruſtae ei, qui maiorem anni partem in nuda humo cubet, neque turbae inſtitutorum ad delicias miniſtrorum, cui tam pauca ſunt miniſtranda.* VALES.

Cum *coquis*, qui ſoli mille fuerunt teſte Libanio, *eadem accipere bene* tantopere, tamdiu, cf. XIX, 8. ubi bene profundus puteus, *conſuetos proiecit*, aula expulit. W.

CAPVT V.

2. *Abolitis, quae verebatur*, ira Conſtantii, qui religionem Chriſtianam profitebatur. *Adeſſe tempus faciundi, quae vellet*, in Graecia quidem ſtatim poſt Auguſtam dignitatem acceptam et vivo adhuc Conſtantio, uti e Libanio Orat. Parent. c. 55. p. 280. recte obſervat Gibbonus P. V. p. 346. W.

3. *Ut diſpoſitorum roboraret effectum*] ut conſiliis, edictis ſuis maius robur adderet. Cum *plebe diſciſſa*, quae et ipſa in

Digitized by Google

diverſas partes abierat. *In palatium intromiſſos.* Hoc factum Conſtantinopoli, quum ſolus regnare coepiſſet. W.

Monebat, ut civilibus discordiis conſopitis.] Verius puto quod in Mſ. eſt: — *Monebat civilius, ut discordiis conſ.* LINDENBR. Neque aliter Colbertin. v. Valeſii Praef. p. LIV. quapropter in textum recepi. Altera lectio ſenſum praebet ab hoc loco alienum. W.

Quisque nullo vetante religioni ſuae ſerviret.] Quam quidem libertatem religionis adeo laudarunt Donatiſtae, *ut apud eum ſolum iuſtitiam locum habere dixerint.* Vid. Auguſt. contra Epiſtol. Parmen. lib. I.* LINDENBR.

4. *Ut diſſenſiones augente licentia.*] Notetur hominis teſtimonium Deorum cultui dediti, qui has Iuliani in excitandis inter Chriſtianos diſſidiis artes non probavit. Non igitur ea humanitas ac benignitas fuit, cum ille Epiſcopos a Conſtantio relegatos ab exſilio revocabat: quippe et odio Conſtantii et malo conſilio id agebat Iulianus, quorum utrumque ab omni virtute longe abeſt. Praeclare itaque Sozomenus in lib. 5. cap. 5. λέγεται δὲ μὴ φεισθοῦ περὶ αὐτοὺς ταῦτα προστάξαι, ἀλλ' ὥστε ἡ ὑπὸ τῆς πρὸς ἀλλήλους ἔριδος ἐμφυλίῳ μάχῃ πολεμεῖσθαι τὴν ἐκκλησίαν, ἢ Κωνστάντιον διαβάλλων. Adde Chronicum Alexandr. *et Chryſoſtomum in Oratione 2. de S. Babyla contra Gentiles, pag. 782. et Auguſtinum in Epiſtola 166. cuius haec ſunt verba: *Quibus ſuccedens Iulianus, deſertor Chriſti et inimicus, ſupplicantibus veſtris Rogatiano et Pontio, libertatem parti Donati permiſit: denique tunc reddidit baſilicas haereticis, quando templa daemoniis: eo modo putans Chriſtianum nomen poſſe perire de terris, ſi unitati Eccleſiae, de qua lapſus fuerat, invideret, et ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret.** VALES. Senſus loci eſt: ut, cuique, quidquid vellet, credendi conceſſa libertate, diſcidia aleret; ſic enim tutiorem ſe fore, quam ſi cives eadem omnia ſentirent. W.

Nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt ſibi ferales plerique Chriſtianorum] Mſ. codicis lectionem expreſſimus, exploſa vulgata, quae multis modis mendoſa eſt. *Infeſtas* autem dixit κατ' ὑπαλλαγήν, ἀντὶ τοῦ, *aeque infeſtas:* quae forma loquendi veteribus non infrequens. Et bene ad Ammiani mentem Eucherius Epiſcop. in Homil. pag. 413. *Ex fratribus capitales efficientur inimici, et fiet lugendum turbata germanitate diſcidium, et erit inter homines non iam fidelis fraternitas, ſed feralis hoſtilitas.* Hoc vere dici, plus ſatis noſtrorum quoque temporum diſciplina probat. LINDENBR.

**Nullas infeſtas hominibus beſtias, ut ſunt, etc.*] Idem dicit Chryſoſtomus Homilia XXVII. in Epiſtolam Pauli Apoſtoli ad Corinthios, pag. 749.* VALES. Dicit etiam Gregor. Nazianzen. Orat. I. pag. 33. — *Ferales* „furibundi, in ſe ipſos graſſantes" Erneſtius. W.

Audite me.] Imitatus potius videtur dictum Auguſti, qui cum legibus Iuliis iuventutem coerceret, iuvenesque Rom. tumultuarentur, dicere ſolebat: *Audite me iuvenes ſenem, quem ſenes iuvenem audierunt*, ut refert Plutarch. in πολιτ. παραγγέλμ. VALES. *Quem Alamanni audierunt et Franci* barbari quippe, feri et immanes. *Marci* Antonini philoſophi. W.

5. *Foetentium Iudaeorum.*] Cl. Rutilius obſcenam gentem vocat Iudaeos, in Itiner. lib. 1. 385.

Reddimus obſcenae convicia debita genti,
Quae genitale caput propudioſa metit.

Horum foetorem etiam Martial. in parte tangit, Epigr. 4. lib. 4.

Quod ſiccae redolet palus lacunae,
* * * *
Quod ieiunia ſabbatariorum,
Maeſtorum quod anhelitus reorum. LINDENBR.

Huc pertinet inprimis locus Petronii „Iudaeo maior in pedendo artifex," quem attulit Iani ad Horat. Satir. 9, 70. W.

Vobis inquietiores inveni.] Primus hanc ſcripturam invexit Gelenius, cum in ſuperioribus Editionibus legeretur *inertiores*, perinde ac in Mſ. Flor. et Regio, *Toloſano,* [ac Colbert.] quod tamen non erat reiiciendum. Hic enim ſenſus eſt eorum verborum: O Sarmatae, tandem alios offendi, qui cum vobis inertiores ſint, haud tamen mihi paullo minus negotii faceſſant. Mirum eſt tamen eam ſcripturam etiam Accurſio diſplicuiſſe, qui ſic edidit: *Alios vobis deteriores inveni.* VALES.

CAPVT VI.

1. *Genus hominum controverſum*] controverſiarum, rixarum amans. *Perplexius litigandi* ut nodos nectant, difficultates aliam ex alia moveant — *multiplicatum*, duplum, triplum, plusque adeo. W.

Si compulſori quidquam dederit.] Compulſor eſt qui fiſcalia debita exigit, et lentos debitores ad ſolvendum compellit. Horum mentio in lege 34. Cod. Theod. de annona et trib. et lege 15. de exaction. Eos κατεπείγοντας vocat Libanius in Orat. contra Florentium, ubi de Chryſargyro loquitur, *et Themiſtius in Oratione VI. pag. 157.* Gloſſae veteres, *Compulſionem*, εἰσπραξιν, ἀπαίτησιν. Erant autem, ut videtur, milites, quibus Suſceptores ſeu Apparitores Praeſidum tributarios, a quibus tributa ipſi exigere non poterant, delegabant. Unde delegatoriae dictae eiusmodi Praeſidum epiſtolae, quae Compulſoribus et Opinatoribus dabantur, ut eſt in lege XV. cit. et apud Caſſiodorum in lib. XI. VALES.

Levari debito] vel toto, vel ex parte, liberari, *vel per dilationem inferre* ad aerarium. W.

2. *Modo non ante Lxx. annum extorquentes.*] De his Aegyptiorum querelis intelligendus eſt Libanius in Orat. pro Ariſtophane Corinthio (Reisk. 1. p. 443.) τῶν δὲ ἐξ Αἰγύπτου χρημάτων ὅταν μνημονεύσῃς, καὶ τῶν κεκλοφότων ἕνα νομίσῃς Ἀριστοφάνη, ἐπαινῶ μέν σε τοῦ μίσους, ὅτι μισεῖς τοὺς ὅθεν οὐ δίκαιον λαμβάνοντας. Et paullo poſt ſic dicit: καὶ ταῦτα Αἰγύπτιος· οὓς οὐκ ὀκνοῦντας ὁρῶμεν ὧν ἔδωκαν μνησθῆναι, ἀλλὰ μᾶλ' εὐχερῶς εἰσπράττοντας ἃ μὴ δέδοται. *Idque Aegyptius: cuius gentis homines nequaquam lentos videmus in commemorandis quae dederunt, ſed potius ea quae numquam dederint acriter exigentes.* Vide finem huius libri. VALES.

Septuageſimum annum] Cur hunc potiſſimum? *Extorquentes*, repoſcentes, repoſcones acerrimi, uti eſt infra c. 16. ad finem. W.

3. *Chalcedona*] ad iudices ibi conſtitutos c. 3. W.

Eorum negotia finiturus.] Ante haec verba quaedam voces legebantur in Editione Rom. quas primus expunxit Sig. Gelenius. Sed cum easdem in codice Regio, *Toloſ. et Flor.* [ac Colbert.] reperiſſem, non dubitavi quin pro *cum et eorum*, ſcribendum eſſet, *cuncta eorum negotia fin.* Sic enim memineram corruptum eſſe locum alterum lib. XXI. cap. XVI, ubi pro *ſuſpiciones in huiusmodi cuncta diſtentae*, Codex Reg. et Editio Rom. ſcriptum habent, *cum et a diſtentae.* VALESIUS. Similia haec exempla ſunt, ſed ita, ut finem habeant diſſimilem, et citatus locus diſerte primam vocalem *a* retineat, quae abeſt ab his noſtris, quae ideo palam eſt ſic ſcribi oportere, *tum et eorum negotia finiturus.* GRON.

4. *Cura propenſiore*] Reineſius adſcripſit: Lege *perpenſiore.* Sic Theodoſ. in Nov. tit. 18. de invaſor. l. 2: Si quid in legibus ferendis — deliquerit, hoc conſilio *propenſiore* (ubi lego *perpenſiore*) revocetur. — L. 29. Cod. Theod. de annonis et tributis, *perpenſa* cura ſtatuimus. (Alia exempla a Reineſ. allata omiſimus: cf. tamen Gloſſar. Nomicum Cod. Theodoſ. ſ. v. *perpenſus.* W.) Cf. infra c. 9. *perpenſa deliberatione.* W.

5. *Lex eſt promulgata, qua cavetur nullum interpellari ſuffragatorem.*] Ea ipſa videtur lex eſſe, quae adhuc in Cod. Theodoſ. habetur, lib. 2. Tit. 29. Si certum petatur de ſuffragiis. Cuius haec verba ſunt: IULIANUS A. *ad populum. Foedis commentis, quae bonorum merito deferuntur quam occupare meruerunt, et cum meruiſſent in Repub. quolibet pacto verſari, repetendam ſibi pecuniam, quam inhoneſte ſolverant, imprudentius atque inhoneſtius arbitrantur. Alii etiam quae tunc donaverant, vel potius proiecerant ob immeritas cauſas, invadenda denuo crediderunt. Sed quia leges Romanae huiusmodi contractus penitus ignorant, omnem repetendi eorum, quae prodige nefarieque proiecerint, copiam prohibemus. Qui itaque repetere nititur, vel repetiſſe convincitur, et quod dedit, apud ſuffragatorem eius manebit, vel extortum reſtituet, et alterum tantum fiſci iuribus inferre cogetur. Dat. Kal. Febr. CP. Mamertino et Nevita Coſſ.* (Vid. ibi Gothofred. T. 1. p. 252. W.) LINDENBR.

[*Lex eſt promulgata, qua cavetur nullum interpellari ſuffragatorem, etc.*] Deſignat Marcellinus legem 1. Cod. Theodoſ. Si cert. pet. ex ſuffrag. ut Petrus Pithoeus ad oram Ammiani ſui adnotavit.] VALES.

Suffragatorem] quae vox et ipſa in modo memorata occurrit lege, uti infra XXIX, 3. ubi Valeſius adſcripſit haec: Suffragatores dicuntur viri primates in comitatu, qui cum gratia apud Principem plurimum valeant, clientibus ſuis et humilioris fortunae hominibus ad aliquid a Principe impetrandum ſuffragationem ſuam commodant, paene iidem, qui patroni. Recte, et eſt locus ap. Suetonium Veſpaſ. 23. qui hanc vocis ſignificationem mire comprobat. Videntur tamen viri iſti patrocinium aliquando nimis caro vendidiſſe, ut a clientibus ideo *interpellarentur*, compellarentur, vel in iudicium adeo vocarentur. W.

Digitized by Google

CAPVT VII.

1. *Cum Mamertini et Nevitae nomina ſuſcepiſſent paginae conſulares*] Admodum affectate pro faſtibus Conſularibus inſerti, Conſulatum iniere. W.

Princeps viſus eſt in officio.] Non praetereunda ſunt verba Mamertini in Grat. actione c. 28. *Itaque matutino crepuſculo palatium petimus.* et mox: *Aegre remotis populi qui nos praegrediebatur, agminibus, ut quamlongiſſime nobis obviam procederet laboravit.* Et poſt: *Paene intra ipſas Palatinae domus valvas lecticas Conſulares iuſſit inferri: et cum honori eius venerationique cedentes, ſedile illud dignitatis ampliſſimae recuſaremus, ſuis nos prope manibus impoſitos, miſſus agmini togatorum, praeire coepit pedes, etc.* Conſulari autem officio adeſſe Imperatores eo ſaeculo uſitatum fuit. Spartianus in Hadriano: *Conſulum et Praet. officia frequentavit.* Unde Auſonius in Conſulatu v. 34. dicit:

Iam venit Auguſtus, noſtros ut comat honores,
Officio exornans, quos participare cupiſſet.

Idem in Gratiarum actione, *Ipſa autem,* ait, *ſedes honoris, ſella curulis, glorioſa pompis imperialis officii, etc.* Denique Claudianus in Eutropium lib. 1. v. 308.

Candida pollutos comitatur Curia faſces,
Forſitan et Dominus.

Sic enim eum locum diſtinguendum, et explicandum cenſeo. Ceterum ex allato Mamertini loco diſcimus, Mamertinum Conſulem ex palatio proceſſiſſe: qui honos non omnibus Coſſ. tribui ſolebat. Itaque notat Plutarchus in Galba, eum, cum eſſet affinis Liviae, Conſulem e palatio Kal. Ian. proceſſiſſe: λιβίας παρασχούσης ὕπατος ἐκ παλατίου προῆλθε. VALES.

In officio] deducendis novis Conſulibus. Erneſt. conferri iubet Arntzen. ad Plinii Paneg. cap. 76. Caſaub. ad Sueton. Claud. 26. et Salmaſ. ad Scriptt. Hiſt. Aug. To. 1. p. 349. *Cum Honoratis,* v. Ind. II. W.

2. *Mamertino ludos edente Circenſes.*] Ludos intellige, quos menſe Ianuario Coſſ. edere conſueverant ex ante diem 3. Non. Ian. per continuum triduum; ut notatum eſt in Calendario Rom. quod primus edidit Herwartius. Et ita quidem in Urbe. At per provincias in maioribus civitatibus Circenſes quoque a. d. 4. Nonas Ian. a Magiſtratibus edebantur, ut docet Libanius in Orat. εἰς τὰς καλάνδας, his verbis: τρίτῃ δ' ἱσταμένου ζεύγνυται μὲν ἁμιλλητήρια ἅρματα· πολὺς δὲ ἔρις ὑπὲρ τῆς νίκης. VALES. Cf. Gibbon. T. IV. p. 55. ſſ. W.

Manumittendis ex more inductis.] Conſules annum auſpicantes, ſervos aliquot manumittere ſolebant: quem morem, eiusque pariter originem primus ex recentioribus in lucem protulit P. Faber V. Cl. in lib. 2. Semeſtrium, et in Commentario ad Tit. 2. de origine Iuris, ita ut nihil amplius dici poſſit. Tantum moneo, Claudiani verſum male diſtingui in 4. Conſ. Honorii, ubi hunc ritum eleganter deſcribit. (v. 616.) Sic enim diſtinguendus eſt:

Triſtis conditio pulſata fronte recedit.
In civem rubuere genae.

Id est, non iam alapis servilibus os obtunditur: sed ingenuo rubore perfunditur. VALES.

Ipse lege agi dixerat.] Manumissio erat actus legitimus, ut praeter Iuris Auctores docet Varro in lib. 5. de lingua Lat. In eiusmodi vero actibus haec sollemnis erat formula, ut lege agi iuberet is, penes quem erat iurisdictio. Unde apud Vopiscum in Aureliano c. 14. Crinitus Aurelianum apud Principem adoptaturus sic ait: *Iube ut lege agatur, sitque Aurelianus heres sacrorum, nominis et bonorum totiusque iuris Ulpio Crinito.* Ceterum quod hic legitur, Iulianum lege agi iussisse, sic accipio, ut Iuliani praesentis honori venerationique id dederit Mamertinus. VALES.

Admonitus ea die iurisd. ad alterum pertinere.] Hic locus magnam habet obscuritatem. An forte intelligit, iurisdictionem eo die non ad Mamertinum Cos. sed ad collegam eius Nevittam, aut ad Praefectum Urbis pertinuisse? Sane Coss olim in Rep. alternis mensibus fasces habebant, iam inde a Bruto, qui primus Consul fuit, ut docet Dionysius in lib. 5. initio, et in lib. 9. pag. 600. Morisque erat, ut ante Consulem, quo mense fasces non haberet, Accensus iret, Lictores pone sequerentur, teste Suetonio in Iulio, et T. Livio in lib. 3. ubi de Decemviris. Vide et Agellium in lib. 2. cap. 15. Quoties autem ambo Coss. erant in castris, alternis diebus imperium habebant: ut declarat Polybius in narratione pugnae Cannensis lib. 3. Sed haec explicatio huic loco convenire non potest. An ergo potius intelligit, inrisdictionem non ad Iulianum, sed ad Mamertinum Cos. pertinuisse? VALES. Ernestius s. v. iurisdictio ita: „Totus locus affectatam et peculiarem Iuliani civilitatem demonstrat, ad humiliandam celsitudinem potestatis suae, ut cum ipso Ammiano ex XXX, 4. loquar, susceptam. In re igitur extraordinaria non mirum est explicandi modum singularem tenendum esse. Puto autem Iuliano, quum inferiorem sese consulibus videri velle ostendisset, dictum esse, cui summum ipse honorem habuisset, ei nec hodie illum eripi debere. Adhibita autem est molliendae admonitionis caussa, et velut per iocum proferendae, forma dicendi, in vicissitudinibus potestatis consularis olim declarandis usitata." W.

Ut errato obnoxiam Decembris auroram et ipse mutavit.] Hic vero plane opus est Oedipo. Quis enim est qui hic quidquam intelligat? In codice Vaticano ante quadringentos plus minus annos descripto sic legitur: *Ut terrato obnoxium Decembris aurorem et ipse mutavit.* [Ita et in Mss. Colbert.] Neque aliter refert Editio Rom. nisi quod in ea excusum est *auroram.* At codex Regius prorsus cum Vaticano consentit. Tantum in eo vox illa *Decembris* deest. Proinde non dubito, quin totus ita scribendus sit locus: *Ut errato obnoxium decem libris auri semetipse multavit.* Quam emendationem paullo post primam Editionem huius operis cum feliciter deprehendissem, eamque communicassem viris doctissimis, Sirmundo, Rigaltio, Serravio: illi eam statim magnopere probarunt. Solus repertus est Iacobus Gothofredus, (vid. eius opuscula per Conradum edita IV. 22. W.) qui cum hunc locum aliter emendasset, prorsus infeliciter; nostram emendationem improbavit, ob id praecipue quod novum ipsi videbatur, a semetipso quemquam multari. Extat tamen illustre exemplum eius rei apud Augustinum in libro 1. de sermone Domini in monte, de Acindyno Praefecto Praetorio, qui se ipse multavit.

HENR. VALES. *[Ludovicus Nublaeus V. Cl. et doctiſſimus, mihi ſuggeſſit, quod pridem antea fratrem monuerat, exſtare legem Gratiani, Valentiniani et Theodoſii Impp. legem inquam unicam in titulo utriusque Codicis, Ammiani emendationi illuſtrandae accommodatiſſimam, quae talis eſt: *Si quacumque praeditus poteſtate, vel ad eum pertinentes ad ſuppoſitarum iurisdictioni ſuae adſpirare tentaverit nuptias: licet prohibitas nuptias non peregerit; attamen pro tali conamine multae librarum auri decem obnoxium ſtatuimus.* Ex quibus intelligitur, decem auri librarum multam tum omnium maximam fuiſſe: quae et rectoribus provinciarum, poteſtatibusque civilibus ac militaribus lege infligi conſueviſſet, et quam ipſe etiam ſibi Imperator Iulianus propter errorem irrogandam putarit.] HADR. VALES. Idem, quod Valeſio, in mentem venerat *Alb. Rubenio* in literis 1645. ad Nic. Heinſium datis. v. Burmanni Syllogen Epp. T. II. p. 752. W.

3. *Frequentabant inter haec Curiam aggere diverſo.*] Stulta et inepta lectio neſcio unde in Lindenbrogii Editionem irreplit. In Editione certe Rom. legitur, *agere diverſo diverſasque diviſiones mult. ingerebant:* quod nec Accurſius nec Caſtellus mutaverunt. Sed Gelenius ita edere maluit: *Frequentabant inter haec Curiam agendo diverſi, diverſasque occaſiones mult. ingerebant.* Sed cum in MSS. Regio ac Flor. et Valentino [ac Colbertino] *et Toloſ.* legi comperiſſem, *agendo diverſo diverſaque diviſiones multip.* exiſtimavi hic a Marcellino ſcriptum fuiſſe *Frequentabat inter haec Curiam agendo diverſa, quae diviſiones m. ing.* ut haec de Iuliano ipſo dicantur. Quod egregie confirmat Libanius in Orat. funebri pag. 298. (Reisk. I. p. 573.) εἰσῆλθεν καὶ εἰς τὸ συνέδριον, καὶ τὴν μεγάλην βουλὴν περὶ αὐτὸν ἐκάθισε, πολὺν δὴ χρόνον ταύτης τῆς τιμῆς ἐστερημένην· εἰς μὲν γὰρ τὸ βασίλειον εἰσεκαλεῖτο πρότερον ἑστήξουσά τε καὶ μικρὰ ἀκουσομένη, etc. Id eſt: *Introibat etiam in Curiam, et Senatores circa ſe ſedentes habuit: quo honore diu illi caruerant. Accerſebantur enim in palatium, ut ſtantes pauca quaedam audirent, etc.* Idem de Iuliano tradit Socrates in lib. 3. VALES.

Quae *diviſiones multiplices ingerebant.* Erneſtius *diviſiones* exponit, mutationes, converſiones; recte, ſi multa Iulianum novaſſe, abuſus ſuſtuliſſe intellexerit. Paullo poſt §. 7. *corrigendis civilibus* et ipſum verbum *dividere* pro ordinare §. 8. W.

Philoſophus Maximus] ſatis notus, cuius vitam dedit Eunapius. Cf. Ind. I. W.

Exſiluit indecore.] At id eius factum praedicat Libanius pag. 299. (Reisk. I. p. 574.) his verbis: λέγοντος δὲ αὐτοῦ ἀγγέλλει τις προσιέναι τὸν διδάσκαλον ἄνδρα Ἴωνα φιλόσοφον, ἐξ Ἰωνίας κεκλημένον. ὁ δὲ ἐκ μέσων ἀναπηδήσας τῶν γερόντων ἔθει πρὸς τὰς θύρας. et mox: περιβαλὼν οὖν καὶ ἀσπασάμενος, ὡς νόμος τοῖς ἰδιώταις ἀλλήλους ἢ βασιλεῦσί γε ἀλλήλους, εἰσῆγεν οὐ μετέχοντα τῆς βουλῆς. *Haec cum in Senatu ageret, nuntiatur a quodam adeſſe magiſtrum ipſius ex Ionia accitum. Ipſe igitur ex medio patrum Conſcript. exſiliens, ad veſtibulum cucurrit.* Et mox: *Cumque hominem amplexus oſculatusque eſſet, perinde ac privati, aut potius perinde ac Reges inter ſe ſolent, induxit eum in Curiam, tametſi ille in Senatum relatus non eſſet.* [Ad hunc Maximum exſtant complures Iuliani Epiſtolae familiariſſimae.] VALES.

Per oſtentationem intemp.] Longe diſſimilis Marci Imp. quem tamen velut exemplar ſibi propoſuerat. Ille enim in colenda Philoſophia moderatum ſe, et aequalem ſemper praeſtitit: unde in lib. de vita ſua id a Vero fratre didiciſſe ſe fatetur, τὸ ἀμελὲς καὶ ὁμαλὲν ἐν τῇ τιμῇ τῆς Φιλοσοφίας. Idem ſtudioſe elaborabat, ut eumdem tenorem ubique ſervaret, quod ἀνεπιτηδεύτως τὶ πράττειν dicit eleganter iis in libris. VALES.

Dicti immemor Tulliani.] Cicero pro Archia c. 11. atque ex eo Primaſius Afer in Epiſt. Pauli, pag. 129. LINDENBR.

5. *Agentes in rebus ex iis qui proiecti ſunt.*] Hos Agentes in rebus una cum ceteris Palatinis fere omnibus Iulianus in exordio principatus palatio expulerat. Atque ipſe Scholam quidem omnem nomenque Agentum in rebus aboleri iuſſerat: ſed Magiſter Officiorum, cui praecepti exſecutio mandata fuerat, alios eiecit, ceteros retinuit: ut docet Libanius in Orat. funebri, pag. 294. ubi multa de eorum calumniis et rapinis ſubiicit. Porro Agentes in rebus XVII. omnino habuit Iulianus, cum ſecuti Principes ad X. millia habuerint, teſte Libanio in Oratione πρὸς τοὺς βαρὺν αὐτὸν καλέσαντας. VALES.

Latebras Florentii] nempe ex Praefecto Praetorio. cf. c. 3. — *Si eis gradus militiae redderetur,* nam ad ſcholas Palatinas pertinebant, de quo plura vide in Ind. II. W.

6. *Praetextatus quem Achatae Proconſulari pr. pot.*] Eum Magiſtratum, geſſit Praetextatus usque ad initium Imperii Valentiniani Senioris, ut docet Zoſimus in principio lib. 4. Πραιτεξτάτος ὁ τῆς Ἑλλάδος τὴν ἀνθύπατον ἔχων ἀρχὴν, ἀνὴρ ἐν πάσαις διαπρέπων ταῖς ἀρεταῖς. *Praetextatus Achaiae Proconſul, vir omnibus virtutibus excellens.* Vettius Agorius Praetextatus hic dicebatur, ut docet vetus Inſcriptio: qui poſtea Praefectus Urbi fuit Valentiniano II. et Valente II. Coſſ ut ſcribit Marcellinus noſter XXVII, 9. ac multo poſt Praefectus Praetorio ſub Theodoſio deceſſit, cum eſſet Conſul deſignatus, ut teſtatur D. Hieronymus, et Symmachus. Eumdem intelligere videtur Hieronymus in Epiſt. ad Marcellam de exitu Leae. *Himerii encomium εἰς τὸν ἀνθύπατον τῆς Ἑλλάδος πραιτεξτάτον memorat Photius.* VALES. Vide Proſopograph. Cod. Theodoſ. inprimis Wernsdorfium ad Himerium p. 13. W.

7. *Nec tamen omiſit caſtrenſia.*] Zonaras idem quoque ſcribit: καὶ τὰ στρατεύματα δὲ ἐπεσκέπτετο καὶ ἐξήταζε. VALES.

8. *Gothos ſaepe fallaces et perfidos*] Rutilius in Itinerario v. 142. *Submittant trepidi perfida colla Getae.* Salvianus lib. 7. *Gothorum gens perfida, ſed pudica.* Vide Sidonium Apollinarem lib. 6. epiſt. 6.* LINDENBR.

Mercatores Galatas.] Galatae venaliciarii erant, et ſervitia vendebant: quod teſtatur etiam Claudianus in Eutropium lib. 1. v. 59.

Hinc fora venalis Galata ductore frequentat.

Ceterum et illud notandum eſt, veteres Latinos a venaliciariis mercatores diſtinxiſſe, nec mercaturae nomine mancipia cenſuiſſe. Plautus:

Mercaturamne, an venales habuit? ubi rem perdidit.

Cicero in Corneliana 2. *Neque me divitiae movent, quibus omnes Africanos et Laelios multi venaliciarii mercatoresque ſupera-*

Digitized by Google

runt. Neque obſtat vetus Inſcriptio quae ſic habet: L. VALERIUS. ZABDAE. MERCAT. VENALICII. L. Nam libertus patronum ſuum mercatorem venalicium honoris cauſa appellat. VALES.

10. *Legationes undique ſolito citius concurrebant.*] De his legationibus ita loquitur Zonaras: ἐχρημάτιζε δὲ καὶ πρέσβεσιν ἐκ διαφόρων ἐθνῶν σταλεῖσι πρὸς τὸν Κωνστάντιον. Quaſi vero hae legationes ad Conſtantium miſſae eſſent, non ad Iulianum ipſum. Porro Editio Rom. hunc locum ſic exhibet, *undique ſolito eius concurrebant,* neque aliter Mſſ. Flor. [et Colbert.] At in Regio codice ita ſcriptum reperi, *undique ſolito magis conc.* Sed emendatum eſt eadem manu, *ſolito crebrius,* utrumque ex coniectura, ut ex ipſa emendationis inconſtantia apparet. Quam tamen equidem malim ſequi, quam illam Caſtelli: *Undique ſollicite ad eum concurrebant.* VALES. Legationes iſtas non ad Iulianum, ſed ad Conſtantium miſſas fuiſſe, *Schreiterus* ad Gibbonum P. v. p. 438. recte, praeeunte Zonara, ex eo probat, quod ex tam diſſitis regionibus ad Iulianum tam cito venire non potuerint. W.

Abusque Indis et Serindis.] Sic primus correxit Gelenius, cum in Editione Rom. ſcriptum eſſet, *abusque diviſiſſet Serendi ius.* Ego vero codicis Regii, et Flor [ac Colbertini] ſcripturam ſequi malui, quae ſic habet, *Divis et Serendivis.* Sunt autem gentes Indicae ſic appellatae. Divi quidem iidem eſſe videntur, quos Divas vocat Expoſitio totius mundi p. 254. edit. Iac. Gronovii 1697. 4to. *Seu potius Diveni, qui inſulam habitant Divu nomine, ex qua oriundum fuiſſe Theophilum Indum auctor eſt Philoſtorgius in libro 3. Hiſt. Eccleſ. Et haec forte eſt inſula, quae vulgo dicitur Diu, ad os Indi fluv. ſita, Regi Cambaiae obnoxia: quam deſcribit Oſorius in libro IX. de rebus Emmanuëlis R. Quod ſpectat ad Serendivos vel Serindivos, aſſentior viro doctiſſimo Samueli Bocharto, qui Serindivos ait eſſe incolas inſulae *Seilan,* (*Ceylon* W.) quae et *Serandib* Arabice dicitur: quam eamdem eſſe cum Taprobane, multis probat idem Bochartus in lib. 1. de Coloniis Phoenicum capite ultimo.* VALESIUS. Adde Iſ. Voſſium ad Pomponium Melam III. 7. GRON.

Regionibus Solis.] Forte quia Aeetes Solis filius iis regionibus imperavit, ut ſcribit Apollodorus. Quod ſi *ſolis* adiective ſumitur, idem erit ac *deſertis.* VALES.

Annua ſollemnia complentes] tributa pendentes. cf. XX, 8. W.

CAPUT VIII.

1. Tenui filo cohaerent quidem cum proxime praecedentibus, quae Ammianus inſerit de *Ponto Euxino* inde *a Thraciarum extimis* finibus, non contemnenda tamen, quae *vel viſa vel lecta* profert. W.

2. *Athos in Macedonia*] Monte Santo. W.

Navibus quondam Medicis.] Herod. lib. VII. c. 21. LINDENBR. Unde Iuvenali X, 174. dicitur *velificatus Athos.* W.

Caphareus Euboicus ſcopulus (promontorium Cabo d'oro in Negroponte) *ubi Nauplius Palamedis pater claſſem colliſit,* cauſa fuit ut collideretur, *Argivam,* ulturus nempe filii caedem ignem

Digitized by Google

ignem in ſpecula iuſſit incendi, quo Graeci ab Ilio redeuntes in errorem deducti naufragium facerent; nec ſpes fefellit. *Controverſi* contraverſi, ſibi oppoſiti. W.

Ubi Nauplius Palamedis pater claſſem concidit Arg.] Dio Chryſoſt. in Euboico: Μικροῦ δέδοικα, ὥσπερ οἶμαι τὴν Ναύπλιον ὀργὴν ἀπὸ τοῦ Καφηρέως ἥκοντα. LINDENBR.

A Theſſalo mari diſtinguunt Aegaeum.] Primus eam ſcripturam excogitavit Gelenius, cum in ant quioribus Editionibus legeretur: *Controverſaria Theſſamalitis cingitur Aegeum.* Neque aliter in Codice Regio, niſi quod in eo [ut et in Colbert.] legitur, *tingunt Aegeum.* Initium maris Aegaei hoc in loco definiebat Marcellinus. Quod alii a Sunio Atticae promuntorio, ut Mela, alii ab Acroceraunii s Epiri montibus initium capere dicunt, inter quos eſt Plinius, et Solinus. Myrtoum enim Aegaei partem faciunt, aliosque ſinus. Aegaeum tamen proprie dictum ab Myrtoi fine incipit; ut teſtis eſt Strabo in lib. 2. et in Helleſpontum deſinit. Marcellinus autem noſter a Caphareo Euboeae incipere dicit. Sed quod ait, Caphareo et Atho montibus Aegaeum a Theſſalo mari diſtingui, prorſus intelligere nequeo. Nec dubito, quin locus aliter ſit corrigendus. VALES. Itaque et coniecturam Iſ. Voſſii adſcripſit exemplari ſuo pater *controverſae Athos ſummitatis,* propiorem quidem ad Mſſ. ſed quae, ut opinor, non exhaurit mentem auctoris; et *controverſus* ſolet in hoc auctore ſcribi corrupte pro *contraverſus,* ut patet tum ex ſeqq. verbis, *quibus controverſae extraneae ſunt Symplegades,* tum ex libro XXII. cap. 15. quem ſenſum et hic requiri non dubito. GRON.

A Theſſalo mari Thermaico aliisque ſinibus *diſtinguunt Aegaeum* Archipelagum. *Paullatim fuſius adoleſcens* ad maiorem amplitudinem excreſcens. W.

Patriam Deorum inſignem.] Emendavi *partu Deorum,* cum in Mſſ. omnibus legeretur *parte.* VALES.

Delon (Sdili), *Deorum* Apollinis et Dianae. — *Imbrum* (Embro) *Tenedum* (Tenedos, *Lemnum* (Stalimene) *Thaſum* (Thaſos). — *Quando perflatur* tempeſtatibus. *Lesbo* (Metelin). W.

3. *Gurgitibus refluis*] retortis violenter undis Horat. Od. I. 2. 13. W.

Apollinis Sminthii.] Ἀπόλλωνος τοῦ Σμινθέως meminit Pauſan. in Phocic. Lactant. de falſ. religione lib. 1. cap. 7. *Unde vero Sminthius hic vocetur, explicat Tzetzes in Lycophron. v. 1302.* Macrob. Saturn. 1. c. 17. *Sminthius cognominatur, ὅτι ζέων θεῖ, quia fervens currit.* Arnob. lib. 3. de Libero et Apolline: *Alter faeculentae hilaritatis dator, Sminthiorum alter pernicies murium.* Servius Aeneid. 3, 108. *Cretenſes murem Sminthicem dicunt.* Et poſt: *Sminthos mures vocari a Phrygibus.* Confirmat id Tzetzes. Heſychius: Σμινθεὺς ὁ ἐν τῇ Σμίνθῃ τιμώμενος, λέγεται δὲ καὶ ὁ Ἀπόλλων. Σμίνθυς, μῦς· καὶ ὁ Ἀπόλλων διὰ τὸ ἐπὶ μυωπίας φασὶ βεβηκέναι. LINDENBR.

Apollinis Sminthii templum] Sminthius Apollo dictus a σμίνθος, quod eſt genus murium, (glis cricetus *Hamſter*) Strabo L. XIII. p. 613. Almel. Aelian. Hiſt. Animal. XII, 5. quos, cum nimia aliquando fecunditate calamitatem agris intuliſſent, Apollo deleverat. Non in Tenedo inſula ſolum templum ideo ſoſpitatori erectum, de quo vide *Hemmer* de rep. Tenedior. p. 100. et

Tournefort Levante Th. 2. p. 129. ed. Germ. ſed in aliis urbibus Aeoliae et Troadis, quorum unum in mente habuit Ammianus, uti patet e contexto. vid. Mannert Kleinaſien p. 464. W.

Melana ſinum oppoſitum Zephyro.] In Mſ. Regio et Editione Rom. ſcribitur *Zephyri*, et in Regio ſuperſcriptum eſt *Zephyris*. Eſt autem Melas ſinus ad Occaſum oppoſitus Cherſoneſo Thraciae. VALES.

Abdera, domicilium patria *Protagorae* ſatis noti Philoſophi et primi Sophiſtae, quo nomine ſe ipſe decorare viſus eſt. Vide *Bruckerum* T. 1. p. 1200. *Tiedemann Geiſt d. ſpeculat. Philoſophie* Th. 1. S. 349. — *Democriti*, de quo plura afferre ſupersedeo poſt *Wielandum*, hoc tamen obſervo, Ammianum Protagoram, quem priori loco ponit, antiquiorem Democrito habuiſſe videri, in quo non omnes conſentiunt. — *Diomedis Thracii ſedes cruentae*, quoniam, uti fabula fert, equos carne humana paviſſe dicitur. W.

Hebrus (hod. Mariza) *ſibi miſcetur*] uti Maeander, de quo Ovid. Heroid. 1. 55. „toties qui terris erat in isdem, qui laſſas „in ſe ſaepe retorquet aquas." *Maronea* (Marogna) *Aenus* (Eno). W.

Aenus, qua diris auſpiciis coepta.] Aenum Thraciae urbem ab Aenea conditam eſſe teſtatur Conon in Narratione 46. et Mela in lib. 2. cap. 2. et Origo gentis Romanae. At Dionyſius Hal. in lib. 1. c. 49. non Aenum, ſed Aeneiam urbem ab eo conditam ſcribit in Cherſoneſo, quam Pallenem vocant: eamque ad Caſſandri tempora ſtetiſſe dicit: ſed cum Caſſander Theſſalonicam conderet, Aeneatas in eam urbem transtulit: Aeneatae tamen quotannis ab Theſſalonica proficiſcebantur Aeneiam, ſollemne ſacrum in memoriam conditoris Aeneae facturi, ut ſcribit Livius in lib. 40. initio. Cum Marcellino tamen conſentit Virgilius in lib. 3. principio, et urbem in Thracia aedificatam ab Aenea canit, Aenum procul dubio ſignificans. Sed quod addit,

Aeneadasque meo nomen de nomine fingo,

obſtare videtur. Neque enim ab Aeno patronymicum fit Aeneades, ſed *αἰνεῖος*, ut docet Polybius, et Livius. Ab Aeneia quidem, de qua diximus, gentile fit *Αἰνειάται*. Et Aenum ab Aenea condi non potuiſſe, recte probat Servius, ex eo quod Homerus inde auxilia ad Troiam veniſſe dicat: et quod Callimachus, et Euphorion a ſocio Ulyſſis illic ſepulto, eo tempore quo miſſus eſt ad frumenta apportanda, cognominatam ſcribant. *Adde quod Hercules tanto ante Aeneam Troia rediens, Aenum appuliſſe dicitur ab Apollodoro.* VALES. Vide Heynii Exc. 1. ad Virgil. Aen. III, p. 416. et infra XXVII, 4. qui locus omnino eſt cum noſtro conferendus. W.

4. *Velut naturali quodam commercio*] curſu ab ipſa natura monſtrato. W.

Eiusque partem ad ſe iungens.] Codex Regius, *Vatic.* [ac Colbert.] et Editio Rom. ſcriptum ſic habent, *ad ſeuncens*. In Regio tamen ſuperſcriptum eſt prout edidit Gelenius. Sed Editionis Auguſtanae ſcripturam praeferendam eſſe exiſtimavi: niſi cui placet emendare: *Eiusque partem adſciſcens*, [vel *ad ſe uncans.*] VALES. Enimvero haec digna tantis ingeniis. Ipſae literae cui non paulo attentiori ſuggerunt *ad ſe uniens?* ORON.

Digitized by Google

Rhodopa] mons Thraciae (Argentaro). — *Cynoſſema* figura quaſi canis, in quam Hecuba mutata dicitur. v. Ovidii Metam. XIII, 399. ſſ. W.

Coela praeterlabitur.] In Actis Epheſini Concilii Cyrillus Coelorum Epiſcopus recenſetur. Eiusdem opidi meminit Nicetas Choniates in lib. 5. de rebus Manuelis Comneni: κατάγεται εἰς τὰ κοῖλα, ταῦτα δὴ τὰ περὶ σηστόν τε καὶ ἄβυδον Male ergo in Ptolemaei libris ſcribitur Κύλλα, σηστὸς in Helleſponto. In Chronico quoque Alexandrino inter urbes quinti Climatis numerantur Χερρόνησος, Κύλα, σηστός: eodem errore pro Κοῖλα. Coelos portus dicitur a Mela in lib. 2. c. 2. et a Plinio in 4, 18. 23. VALES.

Seſton] de qua, uti de poſita e regione *Abydo* vide *Mannert Klein-Aſien* Th. III. S. 512 ff. *Callipolin* (Gallipolis) — *Achillis Aiacisque ſepulcra*, quae ad noſtram aetatem adeſſe teſtatur *Chandlerus Reiſe nach Klein-Aſien* S. 59. et *Vorrede* S. XII. — *Dardanum* unde nomen medio aevo trahere coeperunt *die Dardanellen.* W.

Lampſacum Themiſtocli dono datam.] Aemil. Probus in Themiſt. c. 10. Scholiaſtes Ariſtoph. in Equitib. pag. 196. LINDENBR. Cf. omnino Mannert Klein-Aſien Th. III. S. 517. *Lampſacus* hod. vicus Lampſaki. W.

Iaſonis filius Parius] Mſ. *Parus*, male. neque *Iaſonis* ſed *Iaſionis* legendum, ἀπὸ Πάριου τοῦ Ἰασίωνος. Stephanus περὶ πόλ. Euſtath. in Dionyſium. LINDENBR.

Iaſionis filius Parius.] Iaſion Electrae et Coryti filius ex Cerere Plutum et Philomelum ſuſtulit, inter quos non bene conveniſſe dicitur. Plutus enim cum eſſet opulentior, nec fratri quidquam dare vellet, Philomelus neceſſitate coactus, quodcumque habebat vendito, eo boves duos emiſſe dicitur, et plauſtrum primus fabricaſſe, atque arando ſemet aluiſſe. Ex hoc Parium Petelidas ait natum, qui de ſuo nomine Parin, et opidum Parion appellavit, ut ſcribit Hyginus in Aſtronomico Poetico cap. de Arctophylace. *Arrianus vero in Bithynicis Parium Iaſionis filium facit, a quo Parium urbem in Hellesponto conditam eſſe ait: ut refert Euſtathius in librum v. Odyſſeae pag. 1528.* Alii tamen a Paride Priami filio Parion opidum dictum volunt, inter quos eſt Iohannes Antiochenus in Excerptis, quae abhinc biennio publicavi, et Suidas in πάριον. Sane in eo opido Paridis ſtatua fuit, in foro magicis caerimoniis conſecrata, cui publice ſacra fiebant, ut docet Athenagoras in Apologetico: τὸ δὲ πάριον Ἀλεξάνδρου καὶ πρωτέως, etc. VALES. *Parion* (Kamanar) — De *Iaſione* vid. Heynius ad Apollodor. p. 736. ed. prior. W.

Semiorbe] Seneca etiam pro uſitatiori ſemicirculo habet. *Curveſcens* et hoc vix alibi reperias. *Reſpergit*, alluit. W.

Ex eo latere.] Emendavi *ex Eoo latere:* quam emendationem confirmant ea quae ſtatim ſubnectuntur: *Qua in Occaſum procedit, Cherroneſum pulſat, etc.* VALES.

Cyzicum] Mileſiorum coloniam, celeberrimam olim urbem, cuius iam nil niſi ruinae deſertae ſuperſunt. *Mannert Klein-Aſien* Th. III. S. 526. *Dindyma* melius δίδυμα, ſc. ὄρη, mons Phrygiae, cf. Mannert Klein-Aſien p. 63. W.

Apamiam, Ciumque et Aſtacum.] Mſ. Flor. indicio locum hunc mancum deprehendimus: in eo enim ſic legitur: *Aſpamiam*

Ciumque ubi Hylam ſecuto et Aſtacum. Iudubie tale aliquid ſcripſit Ammian. *Apamiam, Ciumque, ubi Hylam inſecuta rapuit Nympha, et Aſtac.* Priſcianus Perieget. v. 773. (Wernsd. poetae minor. T. v. P. 1.)

Bebrycii poſt hos, et Myſia montibus alta,
Qua Cius egregia decurrens murmurat unda:
Qua Nymphas comitem perhibent rapuiſſe potentis
Alcidae puerum, triſtiſſima fata gementis.

Strab. lib. XII. pag. 388. (p. 564 Almel.) Μυθεύουσι τὸν Ὕλαν ἕνα τῶν Ἡρακλέους ἑταίρων συμπλεύσαντα ἐπὶ τῆς Ἀργοῦς αὐτῷ, ἐξιόντα δὲ ἐπὶ ὑδρείαν ὑπὸ Νυμφῶν ἁρπαγῆναι. Κῖον δὲ, καὶ τοῦτον Ἡρακλέους ἑταῖρον, ἐπανελθόντα ἐκ Κόλχων, αὐτόθι καταμεῖναι, καὶ κτίσαι τὴν πόλιν ἐπώνυμον αὐτοῦ. Vid. Schol. Apoll. lib. I. num. 36. Euſtath. in Dionyſ. p. 107. LINDENBR.

[*Et Apamiam, Ciumque et Aſtacum, ſecuto tempore Nicomediam a Rege cognominatam.*] Petrus Pithoeus ad marginem Ammiani ſui adnotavit, pro *et Aſtacum* in veteribus libris ſcriptum inveniri, *ubi Hylam.* Ex quo apparere, heic nonnulla deeſſe. Conſtare enim iuxta Apamiam Hylam Herculis delicias a Nymphis raptum, et necatum fuiſſe in amne, qui poſtea Hylas dictus ſit. Certe in codice Colbertino qui eſt optimae notae, ſcriptum reperio: *Et Apamiam, Ciumque, ubi Hylam, ſecuto tempore Nicomediam a Rege cognominatam.* Ubi aliqua deeſſe cum Pithoeo non dubito: ſed quomodo ſuppleri emendarique poſſint, haud facile dictu eſt. Vulgata quidem lectio plane mendoſa eſt. Nam Aſtacum a Nicomedia Plinius diſerte diſtinguit in libri V. capite XXXII. et ultimo. Cios fluvius Cium vel Cion opidum alluit, et Hylae amni proximus eſt: ut ibidem Plinius docet.] HADR. VALES. Vexavit me hic locus, quem putabam conſideratione dignum, unde cogitabam, an libri veteres forte indicarent *Ciumque et Olbiam, ſecuto* etc. Hanc enim nonnulli volunt poſtea ab rege Nicomede nomen accepiſſe. Sed acrius intuens vidi nec deeſſe quidquam, nec ſic mutari debere, quum recte hic procedat oratio, *Ciumque, ubi Hyla;* (nempe amnis notiſſimae famae eſt) *inſecuto tempore Nicomediam* etc. ſcil. quoque reſpergit. Hylas et Hyla, ut Tyras et Tyra, de quo mox Valeſius. Suſpicor etiam ab Ammiano ſcriptum *religioſa Matris Magnae delubro.* Id enim pertinet tantum ad Dindyma, non ad Cyzicum, ubi Proſerpina principatum obtinebat. GRON.

Apamiam (hodie Metania, Mutania, Montagna, Mannert l. l. p. 561. *Cium* (Ghio ſive Ghemleik, Mannert p. 563.) W.

Aſtacum ſecuto tempore Nicomediam a Rege cognominatam.] Strabo lib. XII. p. 563. Almel. Ἀστακὸς Μεγαρέων κτίσμα καὶ Ἀθηναίων, καὶ μετὰ ταῦτα Δοιδαλσοῦ, ἀφ' ἧς καὶ ὁ κόλπος ὠνομάσθη. Κατεσκάφη δ' ὑπὸ Λυσιμάχου. τοὺς δὲ οἰκήτορας μετήγαγεν εἰς Νικομήδειαν ὁ κτίσας αὐτήν. Pauſanias lib. V. c. 12. Ἀπὸ τούτου δὲ (Nicomedem intelligit) καὶ τῇ μεγίστῃ τῶν ἐν Βιθυνίᾳ πόλεων μετεβλήθη τὸ ὄνομα, Ἀστακῷ τὰ πρὸ τούτου καλουμένῃ. LINDENBR. Cf. Mannert l. l. p. 579. W.

Aegos-potamos] ubi Athenienſes magnam cladem a Lacedaemoniis duce Lyſandro perpelli. Corn. Nep. Lyſand. I. W.

Aegos-potamus, in quo loco lapides caſuros ex caelo praedixit Anaxagoras.] Diogen. Laertius in Anaxagora II, 3. Φασὶ

δ' αὐτὸν προείπειν τὴν περὶ Αἰγὸς ποταμοὺς γενομένην τοῦ λίθου πτῶσιν, ὃν εἶπεν ἐκ τοῦ ἡλίου πεσεῖσθαι. Ammian. inf. ad finem huius libri. (c. 16. §. 22.) LINDENBR. Philoſtrat. vit. Apollon. 1, 2. Plin. Hiſt. Nat. II, 58. Annum adeo, quo haec evenere, ſervavit Marmor Parium ed. *Wagneri* Germ. Gött. 1790. S. 47. et 112. W.

Lyſimachiam] (hod. Hexamili). W.

Hercules conditam Perinthum comitis ſui memoriae dedicavit.] Non ab Herculis, ſed a Perintho Epidaurio Oreſtis commilitone nominatam ſcribit Stephanus περὶ πόλ. in Perintho. LINDENBR. Cf. inprimis Tib. Hemſterhuis ad Xenophontem Epheſ. in Miſc. Obſſ. T. v. P. 3. p. 51. (hodie Erekli). W.

6. *Proconeſus* (Marmara) *Besbicus* parva inſula, hodie Pocokio teſte Kalolimno. v. Mannert p. 535. W.

7. *Chalcedona* (hodie vicus huius nominis, Mannert p. 587.) *Chryſopolim* prope Chalcedona, cuius quaſi portus erat, nunc *Scudari* Mannert p. 591. W.

8. *Eius*] Europae. W.

Athyras portus.] Sic dictus ab Athyra fluvio, qui iuxta in Propontidem evolvitur, ut tradit Agathias in lib. 5. Meminit eiusdem urbis Procopius in lib. 4. de aedificiis Iuſtiniani, et Zonaras ac Nicetas. Eratque vicinum huic opido fanum τοῦ ἀρχιστρατήγου, id eſt S. Michaelis celeberrimum, in loco qui Damocrania dicebatur, teſte Cedreno in Michaele Calaphate. Eius ſitum diſcimus ex Itinerario Burdigalenſi: *Manſio Sylembria* M. X. *Mutatio Callum* M. X. *Manſio Athyra* M. X. *Manſ. Regio* M. XII. *Civitas Conſtantinop.* M. XII. VALES.

Selymbria] Selivria. W.

Byzantium Atticorum colonia.] Byzantium condidere Megarenſes anno 2. Olymp. 30. ut ponit Euſebius, in Chronico anno 17. poſtquam Chalcedon condita fuerat, teſte Herodoto in lib. 4. Chalcedon autem Olymp. 26. anno 2. a Megarenſibus duce Archia conſtituta dicitur in Euſebii Chronico. Poſt Megarenſes deinde Mileſii Byzantium colonis frequentarunt, ſi credimus Velleio in lib. 2. Denique Pauſanias Lacedaemonius paullo poſt bella Medica coloniam eo Lacedaem. deduxit, ut tradit Iuſtinus in lib. 9. c. 1. Inter hos Athenienſium nulla occurrit mentio. Niſi forte quia Athenienſium coloni erant Mileſii, a quibus Byzantium conditum eſſe Velleius dicit, Athenienſium coloniam dici eam poſſe putemus. VALES.

Byzantium Atticorum colonia.] Non eadem eſt veterum de conditoribus Byzantii ſententia. Alii enim Megarenſibus vel Spartanis, v. c. Iuſtinus IX, 1. hanc tribuunt laudem, alii Mileſiis, Vell. Paterc. II, 15. cui accedit ibi Ruhnkenius. Athenienſibus praeter Ammianum Iulianus Orat. III. p. 118. Spanhem. et Himerius originem debere Byzantium tradunt Orat. VII. ubi admodum poëtice nominatur ᾠδῖνες Ἀθηναίων. Conf. quae ad eum locum obſervavit Wernsdorfius p. 512. ed. maioris, copioſius etiam diſputans in edit. minore Harleſiana p. 43. cauſſamque afferens probabilem hanc, quod Byzantini ipſi ad tantum a Conſtantino ſplendorem evecti Athenienſium maluerint, quam aliorum colonia haberi. W.

Digitized by Google

Promontorium Ceras praelucentem navibus vehens conſtr. ceſſ. tur. quapropt. Pharos app.] Mſ. *quapropter elatas app.* Videtur abſtrufius aliquid latere. Strabo lib. VI. Ἐστὶ δὲ τὸ Κέρας προσεχὲς τῷ Βυζαντίῳ τείχει, κόλπος ἀνέχων ὡς πρὸς δύσιν ἐπὶ σταδίους ἑξήκοντα, ἐοικὼς ἐλάφου κέρατι. Vid. P. Gillii Viri doctiſſ. Boſpori Thracii Deſcriptionem. LINDENBR.

Pharos appellatur.] Sic primus edidit P. Caſtellus, cum in Editione Rom. legeretur *Elatas appellatur:* neque aliter in Codice Regio, *Vatic.* et Florentino. [In Colbert. legitur: *Q. Elatas appellatur vetus inde ſuetus oripi praegelidus.*] VALES. Cf. Lechevalier Propontis p. 67. W.

Et vetus inde fons Euripi.] Sic Caſtellus et Gelenius hunc locum correxerunt, qui in Editione Rom. ſic legebatur, *Vetus inde ſuetus Oripi:* et ita quoque in codice Regio, *Vatic. Toloſ.* [et Colbert.] Quid autem intelligat Marcellinus, facilius eſt dicere quam quid ſcripſerit. Scribit enim Solinus, et Plinius in lib. 4. *Tenuis deinde Euripus porrigitur ad Aſiae urbem Priapum.* Eumdem Euripum Thracii Boſpori, qui Byzantium et Chalcedonem interfluit, memorat Plinius in lib. 9. cap. 15. *Verum Euripus ille non facit ad hunc locum. Reiectis ergo emendationibus ſeu potius depravationibus P. Caſtelli, totum hunc locum ex veſtigiis priſcae ſcripturae quam ſupra retulimus, ita reſtituendum eſſe affirmamus: *Et promuntorium Ceras, praelucentem navibus vehens conſtructam celſius turrim: quapropter Ceratas appellatur ventus inde ſuetus oriri praegelidus.* Ac poſtremam quidem huius loci partem ita primus correxit Lucas Holſtenius. Ego vero priorem partem quae de Cerata vento, certiſſima ut opinor coniectura emendavi. Ait ergo Marcellinus *Ceratam* ventum appellari, eo quod ſpiret a promuntorio quod dicitur Ceras. Certe novum non eſt, ventos a locis unde flant, nomen accipere. Sic *Scironites* dicebatur ab Athenienſibus ventus, qui a Scironis promuntorio ſpirabat.* VALES. Bene eſt, quod mutationis huius ratio ſit addita. Sed quomodo Valeſius ei poteſt inſcribi, quod iam Salmaſius ex ſeſe publicavit in Solinianis pag. 166. (p. m. 116. W.) nam ſive *Ceratas* ſive *Ceratos*, pro eodem poteſt eſſe. Sed quidquid ſit, utique nunc tempus non erat vel ita tractare Ammianum, vel tam ſpecioſa explicatione, ſed nullius firmitatis (nam etſi interdum venti a locis acceperint alii nomen, id ad hunc ita leviter applicari nequit, et multi a locis non accepere nomen) ſe ipſum deterrere, quo minus obſequaris lectioni vetuſtae. Ad quam certe propius accedit Iſaac. Voſſius ad Melam pag. 206. ſed ſententia ad inſaniam docta, ut multa illic, legens ex Mſſ. *quapropter* ΕΚΑΤΑΣ *appellatur et ventus*, quod et ipſe acceptum refert Holſtenio. Ubi primum haereo in copulativa *et*, cui etſi ſit locus, patet utique non eſſe in Mſſ. atque utinam dixiſſet Voſſius, quo ſenſu eam adhiberi vellet! Quo enim illum ventum in iſtis oris praegelidum? an eum mirari debemus? an notatu dignus eſt? Certe inter tanta ſententiarum incerta non dubitavi ſequi veteres codices, et ex iis repurgare quoque contextum, nimium licenter ab Valeſ. iactatum. Ἐλάτας vocatus fuit localis illic ventus, ab nocturna phari luce, qua locus ille ſplendebat; ſed luſus Graecorum fuit in nomine, quod quum videretur promittere aliquem calorem (opinor enim deductum ab ἴλη) plane contra dicitur ab Ammiano fuiſſe praegelidus. GRON.

Digitized by Google

Ego *Ceratas* repoſui, *Elatas* quid ſit poſſitve eſſe, non exputans. Vocula *quapropter* manifeſte ad praecedentia relationem habet, quam in *Elatas* nullam video. W.

9. *Fractum* vi ſibi propria privatum. *Finitum* circumſcriptum, *in aequoream* iuſti aequoris, Ponti Euxini, *faciem panditur*. W.

10. XXIII. *dimenſa millibus ſtad.*] Polybius in lib. 4. c. 39. Ponti *περίμετρον* XX. circiter ſtadiorum millia complecti auctor eſt. Strabo vero in fine lib. 2. XXV. millia. Plinius in lib. 4. c. 24. varias de Ponti circuitu veterum opiniones affert. *Circuitus vero*, inquit, *totius Ponti vicies ſemel ſtadia mille, ut auctor eſt Varro, et fere veteres. Nepos Cornelius* 300 *ſtadia adiicit. Artemidorus vicies novies mille ſtad. facit. Agrippa* XXIII. *millium* LX. *Mucianus* XXVIII. *mill.* LXV. VALES.

Eratoſthenes] Cyrenaeus ſatis notus, cuius fragmenta collegit *Seidelius* Goett. 789. *Hecataeus* Mileſius, cuius quae reſtant, edidit Pet. Zornius 1730. *Ptolemaeus*, cuius Geographiam etiamnunc habemus, quemque Ammianus fere ubique ſolet ſequi. — *In ſpeciem Scythici arcus nervo coagmentati* i. e. intenti. Sic Strabo cum aliis, cf. tamen infra ad finem capitis §. 37. W.

11. *Qua Sol Oceano exſurgit Eoo, palud. cl. Maeotidos.*] Immo Maeotis ad Septemtrionem Ponto incumbit, ut teſtis eſt Dionyſius Characenus. VALES.

12. *Per Nileum* locati *Codri filium*. Nileus nempe conditor fuit *Mileti novae*. Vid. omnino de hiſtoria Mileti, coloniisque inde deductis *Rambach* de Mileto cet. Hal. 790. W.

Codri illius F. qui ſe pro patria.] Herod. lib. 5. Cicero Tuſcul. II. Iuſtin. lib. II. Val. Max. lib. V. c. 6. LINDENBR.

13. *Extremitates arcus duo exprimunt Boſpori.*] Arcus illius Scythici quem efficit Pontus, extremitates ſeu anguli ſunt ex altera parte Boſporus Thracius, ex altera vero litus illud corniculatum ad Colchos, ubi Pontus deſinit: ut docet Mela in fine lib 1. et Procopius in lib. 4. Goth. Hos duos angulos ſic deſcribit Dionyſius 161.

Σῆμα δ' ἔχει κεράων σκαιὸς πόρος, ὅστ' ἐπὶ δισσὴν
Εἰλεῖται στροφάλιγγα βιοῦ κεράεσσιν ἐοικώς.

Apparet igitur Marcellinum in altero arcus angulo deſignando peccaſſe. Nam Cimmerius Boſporus in medio flexu eſt maris Pontici, teſte Plinio. Sed tamen cum in hac ſententia ſemper ſibi conſtet Marcellinus; ſuos potius auctores ſecutus eſſe, quam erraſſe dicendus eſt. VALES.

Duo exprimunt Boſpori, e regione ſibi oppoſiti, Thracius et Cimmerius.] Scholiaſt. Apoll. lib. 2. num. 8. Δύο εἰσὶ βόσποροι, Κιμμέριος καὶ Θρᾴκιος, ὁ πάλαι Μύσιος καλούμενος, etc. Vid. Strab. lib. XII. pag. 389. LINDENBR.

Hac cauſa Boſpori vocati.] Scholiaſt. Apoll. lib. 2. num. 8. Βόσποροι ὀνομάζεται διὰ τὸ δοκεῖν τὴν Ἰὼ βοῦν οὖσαν διαπορεύεσθαι τὸ ἀπὸ Βυζαντίου καὶ Καλχηδόνος διάστημα. LINDENBR. Cf. Wernsdorf. ad Himer. Or. in laudem Conſtantinop. p. 79. ed. minor. Harleſ. Alii Boſporos a fretis anguſtis dictos putant, quae bos poſſit, vel videatur poſſe permeare vel tranatare. cf. Mannert Klein-Aſien p. 599. W.

14. *Dextram igitur inflexionem Bospori Thracii.*] Haec est scriptura Regii codicis, quam vulgatae longe anteponendam esse duxi. Primum enim Bospori Thracii dextrum latus Marcellinus describendum aggreditur: ac deinde pergit ad sinistrum, pag. 216. In dextro autem latere Ponti prima occurrit Bithyniae pars, deinde Mariandyni, Paphlagones, et Cappadoces: et haec omnis ora dextra appellatur· τὰ δεξιὰ τοῦ πόντου Graeci vocant, ut docet Strabo in lib. 2. et 12. et Dionysius Characenus, Herodotus lib. 3. aliique. Dextrum latus vocat Solinus cap. 18/ de Delphinis: *Intrant dextro latere, laevo exeunt.* Plinius dextram ripam vocat. Ovid. in lib. 4. de Ponto, Elegia x.

Qui quamquam dextra regione licentius erret.

Eodemque modo Graeci qui περίπλους scripsere, in omni mari τὰ δεξιὰ καὶ ἀριστερὰ distinguere solent. VALES.

Bithyniae latus, quam veteres dixere Mygdoniam.] Iul. Solin. *Bithynia in Ponti exordio ad partem Solis orientis, adversa Thraciae, opulenta ac dives urbium, a fontibus Sangarii fluminis primos fines habet, ante Bebrycia dicta, deinde Mygdonia, mox a Bithyno Rege Bithynia.* LINDENBR.

Thynia et Mariandena.] Schol. Apollon. lib. 11. num. 32. Καλλισθένης ἐν τῷ περίπλῳ ὑπὸ μὲν ἑλλήνων φησὶ προσαγορεύεσθαι τήν τε χώραν καὶ τὴν νῆσον Θυνιάδα, ὑπὸ δὲ τῶν βαρβάρων Θυνίαν. Vid. eundem lib. 2. num. 7. 9. LINDENBR.

Amyci saevitia Bebryces exempti.] Apollodorus Biblioth. I, 9, 20. Hygin. fab. XVII. LINDENBR.

Amyci] tyranni, qui uti cives male habuit, ita peregrinos caestu secum pugnare cogebat, donec a *Polluce*, Argonautarum tum comite, conficeretur. v. Apollon. Rhod. L. II. Val. Flacc. IV. 300. ff. *Bebryces* piraticam agentes. W.

Harpyias Phineus.] Apollodorus Biblioth. I, 9, 21. Fulgent. Mythol. lib. 3. LINDENBR.

Phineus] rex Thraciae et *vates*, extorris tamen et ad inopiam redactus, quod Iovis consilia prodidisse diceretur. Ab Harpyiis liberatus per Calain et Zeten, Argonautas, Val. Flacc. IV, 464. ff. W.

Sangarius et Pfylis] Mf. *Fullis* male. Legendum *Pfillis*. Strabo lib. XII. p. 543. Almel. Μεταξὺ δὲ Χαλκηδόνος καὶ Ἡρακλείας ῥέουσι ποταμοὶ πλείους, ὧν εἰσὶν ὅ τε Ψίλλις, καὶ ὁ Κάλπας, καὶ Σαγγάριος. Arrianus in Periplo Ponti Euxini. LINDENBR.

Et Pfylis.] Cum in Codice Regio et Flor. *Tolos. Vatic.* [et Golbert.] scriptum esse vidissem *Fullis*, non dubitavi eam scripturam Marcellino restituere. Nam et Apollonius eius fluvii meminit p. 4. in lib. 2. Argon.

Τῇ δ' ἄρ' ἐπὶ προχοὰς Φυλληΐδας.

Ubi Scholiastes notat, φύλλις ποταμὸς βιθυνίας. ita et Stephanus Byzantius. At Editio Rom. scriptum sic habet, *et Sulis*, unde M. Accursius *Pfillis* ediderat corrupte. Pfilis enim scribi debet, ut testatur Stephanus, *et Arrianus in Periplo Ponti Euxini.* Certe Euphorion in Chiliadibus primam syllabam corripuit. LINDENBR.

Sangarius] (hod. Sakaria). — *Phyllis* rectius sine dubio Pfilis, Pfillis, Pfillus, Plin. VI, 1. et Strabo a Lindenbr. laudatus. W.

Digitized by Google

Byzes.] Mſ. *Bicus*, *Ἰσ. Lycus.* Scholiaſt. Apollon. lib. II. num. 34. Λύκος ποταμὸς ὁμώνυμος τῷ βασιλεῖ. ῥεῖ δὲ διὰ τῆς τῶν Μαριανδυνῶν χώρας. Vide eumdem lib. 4. num. 13. Arrian. in Periplo.

Καὶ Ψίλιν, Ἀσκάνιόν τε, ῥέεθρά τε Ναυσθοίο.

Qui verſus refertur a Stephano in Ἀσκανία. VALES. Vid. omnino Salmaſius ad Solinum p. 618. W.

Rhebas.] Scholiaſt. Apollon. lib. 2. num. 16. Ῥήβας ποταμὸς Βιθυνίας. VALES.

Rhebas vel *Rhebanus.* Val. Flacc. IV. 698. etiamnunc *Riwa.* W.

Extraneae ſunt Symplegades.] Legendum puto *Cyaneae ſunt S.* Graeci enim κυανέας συμπληγάδας appellant coniunctim interdum; ut memini legere apud Euripidem, et a colore cyaneo ita dictas eſſe notat Scholiaſtes Apollonii lib. 2. VALES. Nihil mutandum, ſi *extraneas* exponas, extra continentem, in mari ſitas. Symplegades iſtae, Cyaneae, Planctae, Scopuli etiam dictae, et aliunde notae ſunt omnibus et ab Ammiano diſerte ſatis deſcriptae. W.

Symplegades, gemini ſcopuli.] Omnino vid. Apollodor. περὶ θεῶν, lib. I. pag. 48. et ſeq. LINDENBR.

15. *Stetere concorporati.*] v. Val. Flacc. IV, 710. ſſ. W.

Heraclea.] Colonia Megarenſium, nunc Erekli vel Penterachi, cuius hiſtoriam vide ap. *Mannert Klein-Aſien* P. III. p. 613. — *Sinope,* Sinab, colonia Mileſiorum, florentiſſimum omnium ad Pontum Euxinum emporium. Cf. Strabo L. XII. p. 545. Almel. *Mannert* l. l. p. 11. — *Polemonion* vicus Fatſa. Idem P. II. p. 439. — *Amiſos* Samſun. ibid. p. 448. — *Tios* nunc vicus Tilios vel Tius, Mannert P. III, p. 616. *Amaſtris* olim *Seſamus,* nomen deinde accepit ab Amaſtri regina, Lyſimachi coniuge, quae urbi novum decus addidit, nunc Amaſtra. Plura vide ap. Mannertum P. III. p. 25. W.

Ceraſus, unde advexit huiusmodi poma Lucullus.] Plin. lib. XV. cap. 25. Athenaeus lib. II. p. 51. A. Tertullian. Apolog. cap. XI. Hieronym. ad Euſtoch. pag. 131. Servius Georgicor. II, 18. LINDENBR. Cf. Mannert P. II. p. 383. 386. W.

Inſulaeque arduae Trap. et Pityunta.] Sane Theodoritus in lib. V. Hiſt. Eccl. cap. 34. Pityunta νησύδριον vocat, et finem Imperii Rom. ex ea parte fuiſſe dicit. VALES.

Trapezus (Genit. untos) medio, quod vocant, aevo magis, quam olim, celebris, hod. Trebiſonde. Haud recte Ammianus *inſulam* vocat, quae tamen in continenti ſita eſt, ſed proxima mari. Mannert II, 379. — *Pityus,* vere inſula, rectius *Pityodes,* Mannert III, 595. W.

17. *Ultra haec loca Acheruſium ſpecus eſt.*] Mela in lib. I. c. 19. *Iuxta Heracleam,* inquit, *ſpecus eſt Acheruſia, ad Manes, ut aiunt, pervius.* Deſcribit hunc ſpecum Quintus Smyrnaeus in lib. 6. v. 470. ſſ. et iuxta Nymphaeum fluv. ſitum eſſe canit, ſacrum Nymphis Ponti et Paphlagoniae. In eo canthari, et Panes, et Nymphae, et fuſi colique viſuntur ſculpta. Aqua per medium frigida delabitur. Duos autem habet aditus: quorum alter Aquilonem ſpectat, hominibus inacceſſus. Illic enim vorago ad inferos

usque porrecta est. Alter ad Austrum, qua descensus liber est. Adde Apollonium in lib. 2. Argon. v. 730. qui in Mariandynis hunc specum ponit, ut Mela I, 19. Non igitur dicere debuit Marcellinus, *ultra haec loca*, sed *citra*. VALES. Nihil equidem novare volui, cum et ordinem, quo loca se invicem exceperunt situ, non observet Ammianus, et *ultra* fortasse dictum sit pro *praeter*. — De Acherusio specu vid. Mannert. III, 615. W.

Portus Acone.] Ita et Solinus vocat: scribendum tamen *Acona*, ex Strabone, Stephano, aliisque. VALES.

Acone portus in Mariandynis, unde aconitum, planta venenata nascens ibi copiose. Cf. Salmas. ad Solin. p. 621. qui mox pro *itidem* habet *idem* l. l. p. 623. ut ab Acheronte non sit diversus Arcadius. W.

Acheron.] Hunc fluv. in Mariandynis locat Apollonius II, 745. iuxta Acherusium specum: et a Megarensibus qui Heracleam condidere, σωναύτην mutato nomine dictum canit: quod confirmat Scholiastes Lycophronis. Eiusdem meminit Nicander in Alexipharmacis v 13.

Πυνθείης δ' ἀκόνιτον, ὃ δή ῥ' Ἀχερώνιδες ὄχθαι
Φυουσιν ποτὶ χάσμα διέρχομον Εὐβουλῆος.

Ubi Scholiastes notat: Ἀχέρων ὁ ποταμὸς ἐν τῇ Ἡρακλείᾳ τῇ ποντικῇ, ἔνθα τὸν τοῦ Ἅιδου κύνα ὁ Ἡρακλῆς ἐξήγαγε. VALES.

Itidemque Arcadius.] Ptolemaeo in Ponto Cappadocico ἀρκάδιος fluvii ostia ponuntur. Arcadis itaque dici debuit in recto. VALES.

Iris] Strabo XII, 823. Plin. VI, 3. secundus ab Haly magnitudine, Mannert II, 444. W.

Tembrius.] Sic Castellus emendare maluit, quam Editionis Rom. scripturam retinere, quae est *Tibris*. Sane in Regio codice, *et Vatic. et Tol.* *Tybris* legitur: neque aliter in Mss. Florentino: [in Colbertino *Thybris*.] Procopius in lib. 5. de fabricis Iustiniani, fluvium ait esse in Galatia, et ab incolis dici Tibrim: ἔστι δὲ ποταμὸς ἐν γαλάταις, ὃν περ καλοῦσιν οἱ ἐπιχώριοι τίβρεν. et Livius in lib. 38, c. 18. *Sangarius*, inquit, *ex Adorio monte per Phrygiam fluens miscetur ad Bithyniam Tymbri fluvio.* Sed Tymbrius dicitur a Strabone in lib. 13. et a Stephano. VALES. Mannert III, 69. e Procopio de aedificiis v, 4. nominat *Siberin*, qui fines constituat Galatiam inter et Bithyniam. W.

Parthenius] nunc *Bartin.* Hic vero disterminat Paphlagoniam et Bithyniam. Mannert III, 28. W.

Ictu.] Hanc vocem in hoc usu exemplis carere putans Wakefield. ad Lucret. III, 193. malebat *actu*, i. e. agmine. Superflua vero mutatio. ERF.

Thermodon his est proximus.] Scholiast. Apollon. lib. II. ὁ Θερμώδων ἐν τῇ Λευκοσυρίᾳ ἐστὶν, ἣν πρότερον Ἀμαζόνες ᾤκουν. LINDENBR

Ab Armonio defl. monte.] Scribendum videtur *Armenio*. Sic enim Dionysius 773.

Ἔνθ' ἀμαζονίδεσσιν ἀπ' οὔρεος Ἀρμενίοιο
Λευκὸν ὕδωρ προΐησιν ἐνυάλιος Θερμώδων.

Digitized by Google

Armenii montis meminit etiam Herodotus 1, 72. ex quo Halym fluere scribit. VALES. Plinius VI, 3. in *Amazonio* monte eius ponit fontes, Mannert II, 441. W.

Themiscyraeos interlabens lucos, ad quos Amazonas quondam migrare.] Hinc Strabo lib. XII. p. 547. Almel. τὴν Θεμίσκυραν τῶν Ἀμαζόνων οἰκητήριον vocat. Vid. Schol. Apollon. lib. II. n. 18. *Pomp. Mela I, 19.* LINDENBR.

Themiscyraeos lucos] campos, in quibus olim urbs Themiscyra, quae tamen Ammiani aetate non amplius exstitit. cf. Mela I, 19. *(fuit)* Mannert II, 442. W.

18. *Attritis damnorum assiduitate finitimis, Amazones.*] Herodot. lib. IX. c. 27. in Oratione Athenienf. ad Tegeatas: ἐστὶ δὲ ἡμῖν ἔργον εὖ ἔχον καὶ ἐς Ἀμαζονίδας, τὰς ἀποθήκας τὰς ἀπὸ Θερμώδοντος ποταμοῦ ἐσβαλλούσας ποτὲ ἐς γῆν τὴν Ἀττικήν. Iuftin. lib. II. c. 4. Oroſ. lib. I. cap. 15. LINDENBR.

Amazones veteres] (occurrunt enim iamiam ap. Homerum Il. III, 189. VI, 186.) oppoſitae ſequentibus *reſiduis et imbellibus domi relictis.* W.

Hisque propinqua.] Hic locus ex Editione Auguſtana a nobis eſt reſtitutus, cui ſubſcribit Regius codex, et *Toloſ.* [et Colbert.] VALES.

Athenienſibus] Theſei aetate. W.

19. *Populis formidabilis*] ad Thaleſtrin usque Alexandri M. amplexus petentem. cf. omnino Iuſtinum II, 4. et, ut alios taceam, *Sainte-Croix Examen d'Hiſt. d'Alex. le Grand* Par. 775. 4. p. 288. ſq. W.

20. *Haud procul inde,* ſed retro, *attollitur Carambis,* medio aevo *Cap Piſello,* Turcis *Burnu Kerembe.* Mannert III, 20. ff. Cf. Wernsdorf. ad poet. minores T. V. p. 285. W.

Attollitur Carambis placidi collis.] Rectius in MSS. Regio, *Tol. et Vatic.* in Editione Rom. legitur *placide:* [in Colbert. legitur *placidae.*] Quamquam Apollonius Rhodius in lib. 2. v. 360. ex quo haec converſa videntur, non placidum hunc collem, ſed arduum ac praeruptum dixerit:

Ἔστι δέ τις ἄκρη ἑλίκης κατεναντίον ἄρκτου
Πάντοθεν ἠλίβατος· καὶ μὲν καλέουσι Κάραμβιν.

Quae ſic Latine vertit Marcellinus: *Attollitur Carambis placide collis contra Septemtrionem Helicen exſurgens:* minus recte, ut patet. Nam ἠλίβατος eſt arduus et praeruptus, ut dixi: et haec verba κατεναντίον ἄρκτου ſenſum hunc habent: Carambin quidem ad Auſtrum eſſe, Criumetopon ad Septemtrionem. VALES. Librarii alicuius culpa τὸ *placide* irrepſiſſe in contextum videtur pro *rapide.* Sic acute profecto olim *Kirchmaier* in *Exercitatt. philol. et criticis* Vit. 1668. 4. editis. W.

Septemtrionem Helicen] Prior vox gloſſam ſapit, nam Helice eſt urſa maior. Sed eundem pleonasmum habet Apollonius Rhodius. — *Criumetopon* (arietis caput, hod. Karadje Burun.) W.

Duobus millibus et quingentis ſtadiis.] Sic et Strabo II, 186. immemor tamen fuit Ammianus eiusdem VII. p. 475. ſua ipſa vineta caedentis. v. Mannert III. p. 21. W.

Hocque ex loco ora maritima nervi efficit ſpeciem.] Supra in angulis ſeu ſummitatibus arcus Scythici deſignandis errorem

Digitized by Google

Marcellini notavi. Conſequens erat, ut qui in iis erraverat, nervum quoque perperam deſignaret. Ait enim oram maritimam a Carambi promuntorio, et Haly flumine adusque Criumetopon nervi ſpeciem facere: quod eſt abſurdum. Nam dextrum latus Ponti, a Chalcedone ad Phaſim usque directum, nervi perſpicue locum obtinet, ut recte ait Dionyſius v. 158.

Ἀλλ' εἰη νευρῆς σημήϊα δεξιὰ πόντου
Ἰθὺ διαγραφθέντα.

et Mela in lib. 2. cap. 19. et 20. VALES.

Halys (Kilil Irmak) — *Nervi efficit ſpeciem, duabus arcus ſummitatibus complicati*, quae tamen non ad amuſſim exigenda. W.

21. *His regionibus confines*, interius tamen, *Dahae* (in Cappadocia?) W.

Chalybes, per quos erutum et domitum eſt primitus ferrum.] Feſt. Avienus 947.

— — *Chalybes ſuper, arva ubi ferri*
Ditia vulnifici crepitant incudibus altis.

Suid. Χάλυβες, ἔθνος Σκυθίας, ἔνθεν ὁ σίδηρος τίκτεται. Vid. Strab. lib. XII. p. 549. Almel. Schol. Apoll. lib. II. num. 19. LINDENBR. Sequitur Ammianus veterem traditionem, ut Plin. VII, 56. Cf. Mannert II. 431. W.

Byzares] Mannert II, 397. ex Strabonis XII. p. 826. W.

Tapires.] Schol. Apollon. *Sapires* vocat, lib. 2. num. 20. LINDENBR.

Et Tapires.] Sic correxit Caſtellus, cum in Editione Rom. *Sapires* legeretur. Editioni Rom. ſubſcribit Auguſtana, et Codex Regius, *Vatic.* [ac Colbert.] Certe Apollonius in lib. 2. Sapires eos barbaros vocat, apud quos etiam σαπειρίτην gemmam abundare notat Scholiaſtes. Herodotus in lib. 3. 94. et 7. 79. Saſpires nominat, quam διττογραφίαν agnoſcit etiam Stephanus in βέχειρ. ὡς σάπειρ, inquit, ἢ μετὰ τοῦ s σάσπειρ. Eosdem ſua aetate σάβειρες dictos eſſe teſtatur ibidem Stephanus. Sane Sabires Hunnorum gens in Hiſtoriis eorum temporum ſaepiſſime memorantur. VALES. Cf. Mannert II, 400. W.

Tibareni] quos ridendo omnia feciſſe narrant Steph. Byzant. v. Τιβαρηνία. Anon. Periplus p. 12. in puerperiis autem non matres, ſed patres lectum ſervaſſe refert Apollon. Rhod. II. 1011. et ex eo Val. Flaccus v, 148. W.

Moſſynoeci] ligneas turres, μόσσυνας, inhabitantes, quarum altiſſimam tenet rex, ita tamen circumſcriptus a civibus, ut, ſi quid ſecus ageret, ac par eſſet, inedia in ordinem cogeretur, Apollon. II. 1027. Mannert II. 427. — *Macrones* olim Sanni, iidemque ſine dubio, qui Graecis Macrocephali, ſed mutilato nomine. Mannert ibid. p. 397. 421. — *Philyres* inter gentes Ponticas numerantur a Val. Flacco v. 153. cf. etiam Apollon. Rhod. II. 375 — 395. W.

22. *In quibus Sthelenus eſt humatus.*] Scribe *Sthenelus*. Is eſt Actoris filius, Amazonico bello letaliter vulneratus, ut canit Apollonius in lib. 2. v. 913. Argon. et in Paphlagonia ab Hercule ſepultus. De quo loquitur etiam Valerius Flaccus in v, 90.

Digitized by Google

It Sthenelus, qualem Mavortia vidit Amazon:
Cumque ſuis comitem Alcides ut condidit armis. VALES.

Idmon] Argonautarum augur, ſed in ipſa expeditione morbo letali abreptus. Val. Flacc. v. ab init. — *Tiphys*, gubernator navis et Aſtronomiae peritiſſimus et ipſe praematura obiit morte. Val. Flacc. ibid. v. 15. ff. W.

23. *Alion antrum eſt.*] Corrige *Aulion antrum*, auctore Apollonio, qui de Bacchi triumphalibus ludis loquens, ſic ait II, 909.

Ἐξ οὗ Καλλίχορον ποταμὸν περιναιετάουσιν,
Ἠδὲ καὶ αὔλιον ἄντρον ἐπωνυμίην καλέουσι.

Meminere et Stephanus h. v. et auctor Etymologici p. 170. VALES. Cf. Wernsd. ad poet. min. T. v. p. 597. W.

Fluenta Callichori ex facto cognominati, quod ſuperatis, etc.] Scholiaſt. Apollon. lib. II. ad verſ. 904. Ὦκα δὲ Καλλιχόροιο: ποταμὸς Παφλαγονίας ἱερὸς Διονύσου περὶ Ἡράκλειαν, οὗ μέμνηται Καλλίμαχος. ἔξεισι δὲ διὰ στομάτων δισσῶν. οὕτω δὲ κέκληται, ἀπὸ τοῦ τὸν Διόνυσον αὐτόθι στῆσαι χορὸν, ὅτε ἀπὸ Ἰνδῶν ὑπέστρεφε. Val. Flaccus Argonaut. lib. 5. v. 74.

— — Feſta vulgatum nocte Lyaei
Callichoron. (nec vana fides) his Bacchus in undis
Abluit Eoo rorantes ſanguine thyrſos.
Illum poſt acies, Rubrique noviſſima clauſtra
Aequoris, hic reſides thiaſos, hic aera moventem,
Udaque pampinea nectentem cornua vitta
Nunc etiam meminiſtis aquae. LINDENBR.

Trieterica] quae tertio quoque anno celebrabantur. Virgil. Aen. IV, 302. 3. Ubi audito ſtimulant *Trieterica* Baccho *Orgia*. W.

24. *Camaritarum pagi ſunt celebres.*] Sumpſit ex Dionyſio de ſitu orbis v. 700.

Καὶ Καμαριτάων φῦλον μέγα, τοί ποτε βάκχον, etc. VALES.

Camaritarum rarior mentio, nec occurrit, niſi ap. Dionyſ. Perieget. v. 700. Feſtum Avienum v. 886. Priſcianum v. 682. et Ammianum noſtrum. Videntur omnino non una gens fuiſſe, ſed plures communi nomine comprehenſae, quae naviculis, *camaris* dictis, piraticam exercerent. De toto loco v. diligentiſſime diſſerentem Wernsdorfium ad poëtas minor. T. v. p. 597. ff. cf. et Mannert IV, 385. W.

Phaſis] fluvius (nunc Faſz.) W.

Colchos Aegyptiorum ſobolem.] Id primus ſcripſit Herodotus in 2, 10. et poſt eum Diodorus Siculus in 1, 55. Apollonius in lib. 4. Argon. v. 419. ff. et Dionyſius Characenus: et Valerius Flaccus in lib. 5. v. 418. ff.

— — cunabula gentis
Colchidos hic ortusque tuens: ut prima Seſoſtris
Intulerit Rex bella Getis: ut clade ſuorum
Territus, hos Thebas patriumque reducat ad amnem;
Phaſidis hos imponat agris, Colchosque vocari
Imperet. Arſinoen illi tepidaeque requirunt
Otia lenta Phari. VALES.

Digitized by Google

Phaſis] urbs a Mileſiis condita, poſt Mithridatis tempora vel exigua, vel nulla. Reſtauravit eam quodammodo Traianus. Praeter Ammianum meminit etiam Zoſimus I, 32. Procopii autem aetate non exſtitit amplius. Mannert VI, 2, 359. *Dioscurias* Strabo XI. p. 497. Almel. W.

Amphitus et Telchius.] Haec eſt lectio P. Caſtelli, qui illam Editionis Rom. ſcripturam *Amph, et Cercius* non probavit. Atqui Codex Regius et Flor. cum Valentino, *Tolol. Vatic.* [et Colbert.] eam tuentur, et ſcripta Solini exemplaria, (vid. ibi Salmaſ. p. 136. W.) ut teſtis eſt Delrio. Iſidorus quoque in lib. 15. Originum ex Solino, ut ſolet, *Dioſcuriadem*, ait, *Colchorum urbem Amphitus et Cercius, aurigae Caſtoris et Pollucis condidere.* A Strabone in lib. XI. p. 495. Almel. κέρκας καὶ ἀμφίστρατος dicuntur; forte pro Κρίκας: unde Latini Crecium, ac mox Cercium ſinxere. VALES.

Aurigae Caſtoris et Pollucis] cf. Mela I, 19. Plin. VI, 5. Horum aurigarum non eadem apud omnes nomina, in Cercio inprimis magna diverſitas. Vide, ſi tanti eſt, Salmaſium ad Solinum p. 136. — *Heniochorum* (ab ἡνία — ἔχειν, frena tenentium). W.

25. *Cunctis hoſtilibus*] ab inhoſpitalibus incolis vexati. W.

Victum ſibi cum periculis rapto parare aſſuefacti.] Horum loco in Editione Rom. ſic legitur: *Virium et aniſibicum peculis rapto, etc.* Unde Caſtellus hanc lectionem exſculpſerat: *Annuum ſibi victum peculiis rapto p. aſſuefacti.* In Regio autem codice ita ſcriptum reperi: *Virivinetum ſibi cum periculis rapto, etc.* Et ſuperſcriptum eadem manu, *victum ſibi cum periculis*, prout Gelenius emendavit. *Toloſanus certe liber hanc ſcripturam firmat.* [In Colbertino legitur: *Virium et amſibi cum peculis rapto.*] Ego integrum locum ſic ſcribendum eſſe exiſtimo: *Horrore caeli deſtrictioris, victum ſibi cum periculis rapto parare aſſuefacti, etc.* De Achaeis idem ſcribit Salluſtius in Hiſt. his verbis: *Namque omnium ferociſſimi ad hoc tempus Achaei atque Tauri ſunt: quod (quantum coniicio) locorum egeſtate rapto vivere aſſueti, etc.* Apud Scholiaſtem Iuvenalis Sat. 15. Cui adde Ariſtotelem in lib. 8. Polit. Dionyſium Halic. in fine lib. I. Strabonem, et Dionyſium de ſitu orbis. Memorabile eſt, quod de eorum feritatis cauſa ſcribit Appianus in Mithridatico c. 102. (p. 795. ed. Schweighäuſ.) eos enim a Troia redeuntes, tempeſtate ait abreptos in Pontum, ibique a barbaris graviter eſſe vexatos: cumque quosdam e ſuis in Graeciam miſiſſent, qui auxilium adverſus barbaros poſtularent, repulſam paſſos, in tantum Graeci nominis odium veniſſe, ut poſthac quotquot Graecos cepiſſent, Scythico ritu Diis immolarent, primo quidem univerſos; poſtea pulcherrimum duntaxat quemque, poſtremo ſolos ſorte ductos. *De eisdem loqui videtur Seneca in Conſolatione ad Helviam capite VI. *Scythia, et totus ille ferarum indomitarumque gentium tractus, civitates Achaiae Ponticis impoſitas litoribus oſtentat.* (Et meminit eorum Ovid. Ponto IV, 10. 27. W.) VALES. Etiam pater meus notavit in Vaticano libro legi *viriumetum*; unde alius (ut ſuſpicor, If. Voſſius) illi coniecturam indicavit *nutrimentum.* Non tantum Delrio, ſed et Salmaſius de Solini codicibus id teſtatur, qui ex multa varietate colligebat verum nomen *Rhecius* in Solin. p. 193. GRON.

Digitized by Google

26. *Panticapaeum*] hod. *Kerſch. Mannert* IV. *Norden* p. 310. Cf. Strabo l. XI. p. 495. Almel. W.

Praetexit Hypanis.] In Editione Rom. legitur *pergaegit Hiſanus.* In Regio autem et Flor. *Toloſ. Vatic.* [et Colbertino] codice, *pergaegyt Hiphanis:* unde apparet ſcribendum eſſe, *perſtringit Hypanis.* VALES.

Hypanis h. l. *Kuban*, non *Bog*, hos enim confundunt et alii, Strabo XI, 494. v. Mannert. ibid. p. 328. W.

27. *Tanain, qui inter Caucaſias oriens rupes.*] Conſentit quidem Theophanes apud Strabonem, et Dionyſius Characenus, ac Ptolemaeus. Sed noſtro aevo deprehenſum eſt, circa Tanais caput nullos eſſe montes. Oritur autem Tanais in minoris Tartariae Ruſſiaeque magnae ſeu Moſcoviae confinio, e lacu ſatis magno; ut Cluverius in libro I. de Germania ſcribit. Falſo ergo aſſerit Oroſius Tanain e Riphaeis montibus defluere. VALES.

Tanais] (Don) Salmaſ. ad Solin. p. 555. de quo v. Mannert ibid. p. 251. W.

28. *Rha vicinus eſt amnis, in cuius ſuperc. q. vegetab. eiusd. nominis gignitur radix.*] Dioſcorid. lib. III. cap. 2. Ῥᾶ, οἱ δὲ Ῥῆον καλοῦσι γεννᾶται ἐν τοῖς ὑπὲρ Βόσπορον τόποις, ὅθεν καὶ κομίζεται. LINDENBR.

Rha] (Wolga) Salmaſ. ad Solin. p. 560. *Vegetabilis quaedam radix* (Rhabarbara) *gignitur* non tam gignebatur, quam ex interioribus regionibus per mercaturam ad Romana emporia perveniebat, v. Mannert l. c. pag. 348. 361. W.

29. *Maraccus et Rh. et Theophanes.*] Marabius a Ptolemaeo dicitur pro Maracco, et pro Theophane Theſpanius, et Varadanus pro Totordane in Sarmatia Aſiatica. Rhombitem memorat etiam Strabo. VALES.

Maraccus, rectius *Marabius* (Elbuga prope Aſow Mannert p. 325. *Rhombites*, maior et minor. — *Theophanes* ſ. *Theophanius* (hod. *Eia*). — *Totordanes*, corrupte pro *Vardanus.* De his v. Mannert p. 326. ſſ. *Corax* de quo nihil habeo dicere, quam in ſinum Gerceticum aquas eius exonerari. Mannert IV. p. 387. 402. W.

30. *Per Patares anguſtias.*] Hae anguſtiae ſeu fauces Cimmerius Boſporus dicebantur, teſte Polybio in lib. 4 et Plinio. *Patares* autem quid ſit, equidem ignoro. In Mſ. Toloſ. legitur *per Pateres;* [in Colbert. *per Patures.*] VALES. Iam Ortelius notavit *Patares* vocem eſſe omnibus ignotam, unde contenderit *Patraeas* legendum a Patraeo vico, Straboni ad hunc Boſporum ſito. ORON. Vollius in Geographis nonnullis a Gronovio L. B. 1697. editis p. 140. mavult *anguſtias Panticapes*, quod ſolum verum videtur. W.

Inſulae ſunt Phanagorus et Hermonaſſa.] Φαναγόρεια dicitur a Strabone XI. p. 494. neque ſecus a Mela ac Plinio. Alii Phanagoram vocant inſulam ipſam, teſte Stephano. Idem in Ταυρικῇ ſic dicit: τῇ δὲ ταυρικῇ δύο παράκεινται νῆσοι Φαναγόρα καὶ ἑρμώνασσα. Procopio in lib. 4. Goth. Φαναγορίς. VALES.

Inſulae Phanagorus Avogazia *et Hermonaſſa* Cap Haromſa. Illa non tam inſula, quam urbs, non ipſo in Bosporo ſita, ſed ad lacum terrae continentis. Ceterum metropolis regni Bospo-

rani Aſiatici, ubi merces e Caucaſo et vicinis regionibus deponerentur. Mannert IV. p. 331. Hermonaſſa autem itidem ad lacum ſita in terra Sindorum, Mannert p. 333. W.

31. *Iaxamatae.*] Sic Ptolemaeus vocat, et Stephanus. In Mſſ. tamen omnibus et Editione Rom. *Ixomatae.* Valerius Flaccus in lib. 6. v. 144. 569. *Exomatas* dicit. VALES.

Iaxamatae.] ad litus orientale Maeotidis, Mannert IV, p. 363. *Maeotae* fuiſſe videntur, qui proxime ad paludem habitarent, cf. Mannert ibid. *Iazyges, Roxolanique.* Utrique Maeotici origine, quorum tamen pars deinde patria relicta ſedes collocarunt ad Danubium, unde *Metanaſtae* dicti. Mannert p. 262. — *Alani,* et hi primitus Scythae, nam Roxolanis etiam Europaeis iunguntur, Mannert p. 263. *Melanchlaeni* (Schwarzröcke) et *Geloni,* cf. XXXI. 2. Mannert p. 387. W.

Agathyrſi, apud quos adamantis eſt copia.] Dionyſ. Alexand. 318.

— — ἀδάμαντά τε παμφανόωντα
Ἐγγύθεν ἀῤῥήσιας ὑπὸ ψυχροῖς Ἀγαθύρσοις.

Priſcianus: *Adamanta legunt iuxta fortes Agathyrſi.* LINDENBR. *Agathyrſi* ſine dubio nomen traxere ab Agathyrſo, Herculis filio. *apud quos adamantis eſt copia lapidis,* non pretioſi illius (Diamant) ſed duriſſimi ferri (Stahl). Cf. *Schneider.* Anal. ad hiſt. rei metall. veterum, Trai. ad Viadr. 1788. p. 5. ff. W.

32. *Cherroneſus,* (Krimm) Mannert Norden p. 288. *coloniarum plena Graecarum,* Mileſiarum. *Unde* conſuetudine nempe cum Graecis *quieti ſunt homines,* non amplius piratae, ut olim, ſed *adhibentes vomeri curam,* agrum colentes. W.

Proventibus fructuariis.] D. Eucherius Epiſc. pag. 377. *Si forte minus in agello aſſiduus fuerit, proventus de annona minuitur.* L. 11. C. Theod. de veteran. *Sine moleſtia praeiudicioque dominorum proventuum emolumenta quaerantur.* Ulpian. *obventiones* dixit L. 7. ff. de uſufruct. *Plautus *eventus* dixit in Moſtell. Act. 1.

*Eventus rebus omnibus velut horno meſſis fuit.** LINDENBR.

33. *Tauri*] in regionibus montanis, nam ea pars Cherſoneſi, quae Europam ab Aſia disterminat, erat Scytharum. *Mannert* p. 279. *Arinchi* fortaſſe *Arrichi,* Mela 1, 19. W.

A contrario per cavillationem Pontus Euxinus appellatur.] Strabo lib. VII. pag. 298. Almel. Plin. lib. 6. cap. 1. Euſtath. in Dionyſ. pag. 24. τὸν Εὔξεινον, ἁπλοῦν τε ὄντα καὶ Ἄξενον θάλασσαν ποτὲ καλούμενον, Εὔξεινον οἱ ὕστερον, κατὰ σχῆμα εὐφημισμοῦ, μετεκάλεσαν. *Tertull. adverſ. Marcion. lib. 1. cap. 1. *Pontus igitur, qui Euxinus natura negatur, nomine illuditur.** Ovidius Triſt. 4. Eleg. 4. 55.

Frigida me cohibent Euxini litora Ponti:
Dictus ab antiquis Axenus ille fuit. LINDENBR.

Noctem ΕΥΦΡΟΝΗΝ.] Veteres Graeci *noctem* εὐφρόνην vocabant, quod bonum prudensque conſilium afferret, ut docet Plutarchus de Curioſitate, et Phornutus de Diis, et Euſtathius in Iliad. 2. Eleganter Libanius in Progymnasm. ἀλλὰ τὸν πανταχοῦ περιφερόμενον τίς οὐκ οἶδε λόγον, ὅς φησι δεῖν ἐν νυκτὶ βουλῆς ἔχεσθαι. ὁ δὲ σοφὸς σοφοκλῆς τί μαθὼν εὐφρόνην ἀνεκάλει τὴν νύκτα;

Digitized by Google

νύκτα; οὐχ ὅτι τὸ φρονεῖν ὡς μάλιστα τότε τοῖς ἀνθρώποις παραγίνεται. Alii εὐφρόνην ab eo deducebant, quod homines exhilararet. Id enim eſt Graece εὐφραίνειν. Sic auctor Etymologici, εὐφρόνη, ait, ἡ νὺξ, παρὰ τὸ εὖ φρονεῖν ἡμᾶς ἐν αὐτῇ, ἢ παρὰ τὸ εὐφραίνειν τὸ σῶμα διὰ τῆς ἀναπαύσεως. Sed Marcellinus noſter εὐφρόνην a contrario dictam eſſe, et κατ' ἀντίφρασιν affirmat, vel quod minime laeta ſit, vel quod parum conſilii afferat. VALES. Cf. Daweſ. Miſcell. crit. p. 312. et 483. ed. ſec. W.

Furias Eumenidas] quae rectius dicerentur δυσμένιδες. Athenienſes easdem vocabant σεμνὰς teſte Plutarcho. Cf. Meurſ. Att. Lect. Lib. 4. c. 1. Hudſon. ad Thucyd. 1. p. 396. Bipont. W.

34. *Immolantes advenas Dianae, quae apud eos dicitur Orſiloche.*] Mentio huius ſacrificii apud Strabon. lib. 7. Pomp. Melam lib. 11. cap. 1. Euſtath. in Dionyſ. pag. 43. Ovid. de Ponto lib. 3. Eleg. 2. Triſt. lib. 4. Eleg. 4. *Tertull. adverſ. Marcion. lib. 1. cap. 1.* LINDENBR.

Dianae, quae apud eos dicitur Orſiloche.] Antoninus Liberalis in cap. 27. μεταμορφ. ſcribit ex Nicandri ἑτεροιουμένων lib. 4. Iphigeniam, cum a patre immolaretur, ſubreptam a Diana, et in Euxinum Pontum delatam fuiſſe, in qua tum regione regnabat Boryſthenis filius Thoas. Et gentem quidem Diana Tauros vocavit, eo quod pro Iphigenia taurum ad aram ſuppoſuerat: ipſam autem Iphigeniam ſacerdotem ſua *Dianae* prior editio) †) Tauropoli conſtituit. Poſt aliquantum deinde temporis eamdem in Leucen inſulam transtulit, et immortalitate donatam, mutato nomine Oreilochiam vocavit, et Achilli coniunxit: καὶ ὠνόμασεν αὐτὴν ἀντὶ τῆς Ἰφιγενείας Ὀρειλοχίαν. Ex quibus patet hic ſcribendum eſſe *Oreiloche*. VALES. Imo Orſiloche. vid. Baſt Lettre critique p. 130. W.

35. *Leuce*] alba, vel quod e longinquo hunc habere colorem videretur, vel a *candidis avibus*, paullo poſt memoratis. Cf. Antig. Caryſt. p. 185. W.

Leuce inſula Achilli dicata.] Deſcribunt hanc inſulam Philoſtratus in Heroicis, et Pauſanias in Laconicis. Sed hic falli videtur bifariam, tum in eo quod ad Hiſtri oſtia ſitam eſſe dicit: (eſt enim oſtio Boryſthenis obiecta, teſte Mela ac Dionyſio Characeno et Plinio) tum quod xx. dumtaxat ſtadiorum eius ambitum facit. At Philoſtratus xxx. ſtad. longitudinem, iv. latitudinem ei tribuit. VALES.

Leuce ſine habitatoribus ullis Achilli eſt dedicata.] Arrianus qui omnium optime hanc inſulam deſcribit, in Periplo Ponti Euxini p. 133. Blancard. ἡ νῆσος ἀνθρώπων μὲν ἔρημη ἐστὶν, etc. Scylax Caryand. pag. 136. Strab. lib. 7. pag. 306. Almel. Pomp. Mela lib. 2. cap. 7. Plin. lib. iv. capitibus 12. et 13. Dionyſius Alexand. pag. 79. Feſtus Avienus in orbis terrae Deſcriptione, omnium caſtarum animarum ſedem hic eſſe dicit v. 721. ll.

---

†) Cf. Gronov. Praef. p. xiv. W.

Ora Boryſthenii qua fluminis in mare vergunt,
Et regione procul ſpectabit culmina Leuces:
Leuce cana iugum, Leuce ſedes animarum.
Nam poſt fata virum ſemper verſarier illis
Inſontes aiunt animas, ubi concava vaſto
Cedit in antra ſinu rupes, ubi ſaxa dehiſcunt
Molibus exeſis, et curvo fornice pendent.
Haec ſunt dona piis: ſic illos Iupiter imis
Exemit tenebris. Erebi ſic inſcia virtus. LINDENBR.

Ibi et aquae ſunt, et candidae aves naſcuntur halcyonibus ſimiles.] Videtur ſignificare Ammian. ſtagnum aliquod prope templum eſſe, in quo mane quotidie alas madefaciunt ad templum extergendum aves. Rem narrat Arrianus in Periplo p. 133. Blancard. ſed ad mare usque aves illas volare ait: Οἱ ὄρνιθες θεραπεύουσι τοῦ Ἀχιλλέως τὸν νεών. ἕωθεν ὁσημέραι καταπέτονται εἰς τὴν θάλασσαν, ἔπειτα ἀπὸ τῆς θαλάσσης βεβρεγμένοι τὰ πτερὰ, σπουδῇ αὖ εἰσπέτονται εἰς τὸν νεὼν, καὶ ῥαίνουσιν τὸν νεών. ἐπειδὰν δὲ καλῶς ἔχῃ, οὐδὲ ἐκκαλλύνουσιν αὖ τὸ ἔδαφος τοῖς πτεροῖς. Quod ſi cui hae aquae non placent, tum ſane legi poteſt: *Ibi et gaviae ſunt, et candidae aves naſc.* Cuius emendationis fundum eum ipſum habeo, quem modo nominavi, Arrianum, qui ita ſcribit: Ὄρνιθες δὲ πολλοὶ αὐλίζονται ἐν τῇ νήσῳ, λάροι καὶ αἴθυιαι καὶ κορῶναι αἱ θαλάσσιοι, τὸ πλῆθος οὐ σταθμητοί. Dionyſ. Alexand. 541.

Ἔστι δέ τις καὶ σκαιὸν ὑπὲρ πόρον Εὐξείνοιο,
Ἄντα Βορυσθένεος πολυώνυμος εἰν ἁλὶ νῆσος
Ἠρώων. Λευκὴν μιν ἐπωνυμίην καλέουσιν,
Οὕνεκά οἱ τὰ πάρεστι κινώπετα λευκὰ τέτυκται.

Et gavias haſce aves vocari, Euſtath. in hunc locum notat: Ἐν αὐτῇ κινώπετα, ἤγουν θηρία ὀρνέων, τουτέστιν ὄρνεα λευκά εἰσι, τυχὸν μὲν λάροι, κατὰ δέ τινα πελαργοί. Priſcianus Perieget. 557. ed. Wernsdorf. poet. minor. T. v. P. 1.

Eſt etiam laevis Euxini partibus una,
Quam Leucen perhibent; adverſa Boryſthenis amni,
Paſcit aves quoniam multas candore nivali. LINDENBR.

Ibi et aquae ſunt.] In Regio codice ſuperſcriptum eſt *aquilae*, ex coniectura exſcriptoris: ſed nil mutandum exiſtimo. VALES.

Candidae aves naſcuntur.] De quibus Philoſtratus in Achille ſcribit, eas quaſi aedituas eſſe Achillis fani, et quotidie templum aquis adſpergere. Nullam porro ex iis Achillis templum volatu transſcendere poſſe ſcribit Antigonus cap. 134. de Admirandis. Ab his autem candidis avibus Leucen inſulam dictam eſſe praeter Dionyſium Characenum ſcribit auctor Magni Etymologici. Unde intelligitur, cur Euripides in Iphigenia Taurica v. 436. dixerit τὰν πολυόρνιθον ἐπ' αἶαν λευκὰν ἀκτὰν Ἀχιλῆος. VALES.

Tempore differemus] ſed fidem ſefellit. W.

36. *Eupatoria*] a conditore Mithridate Eupatore dicta, ubi nunc eſt *Inkiirman*, Mannert IV, 295. — *Dandace* oppidulum, Mannert ibid. *Theodoſia*, nunc *Kaffa*. Mannert p. 305. W.

Hactenus arcus apex protendi exiſtimatur.] Dionyſ. Alexandr. et in eum Euſtath. pag. 25. Plin. lib. IV. cap. 12. lib. VI. cap. 13. LINDENBR.

Hactenus arcus apex.] Id est ad os Maeotidis paludis, Cimmerium scilicet Bosporum, arcus summitas seu angulus protenditur. Sed hunc errorem iam notavimus. VALES.

37. *Scythici soli vel Parthici.*] Formam arcus Scythici egregie designat Agatho Tragicus in Telepho, ubi rusticus quidam litterarum ignarus Thesei nomen ita delineat:

Ὁ πρῶτος ἦν μεσόμφαλος κύκλος.
Ὀρθοί τε κανόνες ἐξυγωμένοι δύο.
Σκυθικῷ δὲ τόξῳ τρίτον ἦν προσεμφερές.

Tertiam litteram in Thesei nomine arcui Scythico comparat Agathon, quam Euripides et Theodectes circino comparaverat. Ea littera sine dubio est C, ut recte Ciacconius scripsit, quo modo Graeci olim σίγμα suum scriptitare consueverant. At Scaliger in Notis ad Eusebium Ciacconium reprehendit, qui stibadium simile esse dixerat arcui Scythico. Sane immerito quid enim aliud est stibadium quam sigma, sigma autem non quodcumque, sed ita ut dixi formatum? haud satis tamen formam arcus Scythici expressit Agatho. Melius Terentianus in lib. de Metris initio (p. 2383 Putsch.) arcus Scythici formam describit his versibus:

Nervis mollibus invicem
Iunctus in teretem struem.
Ceu Parthus solet aut Scythes
Arcus cornibus extimis
Levem nectere lineam.

Et Marcellinus noster hoc in loco: *Effigiem Lunae decrescentis ostendunt, etc.* Arcus ergo Scythicus probe tensus figuram ἀμφίκυρτον refert, id est utrimque gibbosam. VALES. At Ciacconius ubi ostendit in vicem trium lectorum subiisse stibadium apud Romanos, tacite docet, quo tempore apud Graecos forma ista literae C fuerit in usu, quod quidem non fuit antiquissimum, et quo ista similitudo fuit comparata. Et id quoque indicare vetera monumenta iam saepius docuerunt viri docti. Sed quod auctor dissertationis quartae de praestantia numismatum ita urgeat sub praetextu tenebrarum vulgatae lectionis, statuatque omnino legendum *circumductis utrimque extrorsus*, non ita video a nobis deberi: quum adeo ibi non sint tenebrae, ut in eo resideat tota lux huius descriptionis. Etsi enim curvaturae cacumen sit extrorsus, in arcu id nihil erat notatu dignum, quum omnis arcus curvaturam talem habeat, non modo Scythicus vel Parthicus. At id est proprium Scythici arcus, quod circumducantur utraque cornua, ut in medio introrsus vergentia coeant et geminam curvaturam finiant. Sed neque, quod Vossius ad Melam (p. m. 133. W.) imperat *recta aut rotunda*, quasi illa regula recta et rotunda simul esse non potuerit, putavi audiendum, quum non sit ea semper copulativae istius sententia, et planissime Ammianus intelligi possit, recta et alias, interdum, modo rotunda. Similitudinem vero hanc optime exsequitur Agathemer lib. II. GRON.

38. *Arimaspi habitant iusti homines.*] Sic primus edidit Castellus, cum in Editione Rom. legeretur *Armephi*. Editioni Rom. subscribunt codex Reg. et Flor. *Tolos. Vatic.* [et Colbert.] Ex quo proclive erat emendare *Arymphaei*, quorum aequitas ab plurimis Scriptoribus celebrata est, Herodoto scilicet IV, 23. Mela I, 19. ad fin. ac Solino: cum de Arimaspis nihil tale dicatur. Ce-

terum mirandum non eſt, quod Marcellinus eos in Europa locat contra quam Mela ac Plinius VI. 7. Nam eos Scythiae populos partim Aſiae, partim Europae attribuunt Geographi. VALES.

Chronius et Biſula.] Lege *Chronus et Viſtula*, ut docet Ptolemaeus in Sarmatia Europaea, quem in ſequentibus fere deſcribit Marcellinus. *Viſtula tamen Melae dicitur *Viſula*, quod idem eſt ac Biſula.* VALES.

Chronius] (fortaſſe *Pregel*) Mannert p. 254. *Biſula*, mel. *Viſula*, uti Mela habet. (Weichſel.) — *Maſſagetae Alani:* Maſſagetae olim commune nomen erat plurium gentium, ſub quibus et Alani comprehenſi, Mannert p. 326. *Sargetae* quo terrarum ponam, neſcio. Eſt urbs Daciae *Sargetia*, nimis tamen remota. W.

39. *Carcinites ſinus*] aliis *Tamyracenus*, hod. *Akmeſchid.* Nomen traxit ab urbe *Carcine* ad ſinum hunc ſita. Mannert p. 84. 232. De *luco Dianae* iſtius regionis nihil habeo compertum. W.

40. *Boryſthenes* (Dnieper) *a montibus oriens Neurorum, primigeniis fontibus*, qui tamen ultra Neuros quaerendi videntur, *copioſus*, cuius in marginibus *civitas Boryſthenes*, *Miletopolis* etiam et *Olbia* dicta, aliquot milliariis ab hodierna *Oczakovia.* Mannert p. 238. cf. inpr. Dion. Chryſoſt. T. II. p. 75. ſſ. W.

Cephaloneſus] quam praeter Ptolemaeum et Ammianum nemo in hoc tractu commemorat. Plinius quidem huius nominis urbem habet, ſed in ſinu Carcinitico. Mannert p. 244. W.

Arae Alexandro Magno ſacratae.*] Earum meminit Oroſius in lib. I. capite 2. *Qua Riphaei montes Sarmatico adverſi Oceano Tanaim fundunt: qui praeteriens aras ac terminos Alexandro Magno in Roxolanorum finibus ſitos, Maeoticas auget paludes. VALES. Mallem ad antiquiorem aliquem provocaſſet. W.

41. [*Bene eſt inſula, quam incolunt Sindi.*] In Mſ. Colbertino ſcriptum reperi: *Pene eſt inſula, quam incolunt Sindi*, etc. Optime: id eſt, *eſt paeninſula, quam incolunt*, etc. et ita emendandus eſt Ammianus Marc. haud dubie.] HADR. VALES. Ita correxit etiam Reineſ. provocans ad Voſs. ad fragm. peripli Ponti Euxini p. 29. W.

Sindi ignobiles.] Euſtath. in Dionyſ. Σινδοὶ οἱ καὶ Σιγκοὶ λεγόμενοι. Scylax, Σιντοί. *Val. Flaccus Argonaut. lib. 6. v. 86.

Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno
Crimine nunc etiam metuentes verbera turmas.

Orpheus Argonaut. Κιρκετικόν τ' ἀνδρῶν φῦλον σιντῶν τ' ἀγερώχων. LINDENBR.

Sindi ignobiles.] Inter Europaeos Plinius Sindos numerat in lib. 4. Verum Scylax, Strabo XI. p. 495. Almel. et Dionyſius Characenus, et Ptolemaeus adſcribunt eos Aſiae, et ab iis Sindicum portum et opidum nomen accepiſſe dicunt. De his Stephanus, Σινδοὶ, ait, ἀπὸ μεσημβρίας τῆς Μαιώτιδος λίμνης, ἔνιοι δὲ καὶ τὸ Σινδικὸν γένος φασὶν εἶναι Μαιωτῶν ἀπόσπασμα. λέγεται καὶ τὸ γυναικεῖον αἰδοῖον. Hecataeus in lib. I. περὶ ἐθνῶν apud Scholiaſtem Apollonii lib. 4. Βόσπορον δὲ πλεύσαντι Σινδοί· ἄνω δὲ τούτων Μαιῶται Σκύθαι. καὶ Ἱππώναξ δὲ μνημονεύει, πρὸς τὸ Σινδικὸν διάσφαγμα. Quamquam Hipponax Σινδικὸν διάσφαγμα dixit non a Sindis populis, ſed ἀπὸ τῆς σίνδιος, quae vox meretricem ſigni-

Digitized by Google

ſieat, teſte Heſychio, quem conſule. De his Valerius Flaccus in libr. 6. v. 86.

Degeneresque ruunt Sindi, glomerantque paterno
Crimine, nunc etiam metuentes verbera turmas. VALES.

Cf. Voſs in Periplo Ponti ed. Gronov. p. 135. W.

Poſt heriles in Aſia caſus coniugiis potiti dominorum.] Herodotus lib. IV. Iuſtinus lib. II. c. 5. LINDENBR.

Achilleos vocant indigenae dromon.] Paeninſula eſt ad formam gladii in transverſum directa, ubi Achilles, infeſta claſſe mare Ponticum ingreſſus, ſe ſuosque curſu exercitaſſe dicitur, et victoriam ludicro certamine celebraſſe; teſte Mela II, 1, 55. ac Plinio IV, 26.; 125. millibus paſſ. ab inſula Leuce diſtans. Gravi errore eorum qui Leucen cum Achilleos dromo eamdem fecere, inter quos Arrianus eſt ac Stephanus, et prior iis Euripides in Iphigenia Taurica v. 436. Eius paeninſulae longitudinem 80. millium paſſuum tradidit Agrippa, teſte Plinio. Sed Tzetzes in Lycophronis Caſſandram id litus ait eſſe mille ſtadiorum longitudine, Achilleos dromon dictum, eo quod Achilles id ſpatium ſolus curſu confecerit. VALES.

Tyros colonia Phoenicum.] Nugae; non enim Tyros, ſed Tyras dicitur urbs a praefluente Tyra, teſte Ptolemaeo et Stephano, cui accedunt Mela ac Plinius: *quibus utrisque *Tyra* amnis dicitur, non *Tyras*. Scymno Chio cognominis fluvio *urbs Tyras* vocatur colonia Mileſiorum.* VALES. Cf. Mannert p. 235. *Fluvius Tyras* (Dnieſter.) W.

42. *Europaei Alani*] in partibus auſtralibus Ruſſiae Europaeae. Mannert p. 263. — *Coſtobocae*. Fortaſſe iidem, qui *Ciſtobocae* in Moldavia, Mannert p. 269. W.

43. *Portuoſum*] portubus frequentem. cf. XIV, 8. *Peuce inſula*, ad oſtia Iſtri, quam pulchre deſcripſit Apollon. Rhod. IV, 309. Cf. etiam Strabo l. VII. p. 305. Almel. — *Troglodytae*, in antris habitantes et *Peuci*, rectius *Peucini*; *Peucas* vocat Zoſimus I, 42. ubi tamen errorem eiusdem arguit Caſaubonus ad Trebell. Pollion. c. 6. — *Hiſtros, quondam potentiſſima civitas*, ergo Ammiani aetate diruta. Rambach. p. 58. Weſſeling. ad Anton. Itiner. p. 227. — *Tomi* unde triſtes Triſtium libros ſcripſit Ovidius exul. (hod. Tomeswar). — *Apollonia*, urbs commercio inſignis, hodie Sizeboli. Rambach p. 60. — *Anchialos*, colonia Apolloniae. Idem ibid. W.

Odiſſos.] Scribendum *Odeſſos:* Ὀδησσός, Arrianus, Strabo. LINDENBR. Navium habuit ſtationem. Rambach p. 59. Weſſeling. p. 228. W.

44. *Danubius*] Sic recte h. l. ubi de fontibus ſermo eſt, nam Iſtri nomen accipit, ubi orientem verſus fluere coepit. Cf. notata ad Val. Flacc. IV, 718. W.

Oriens prope Rauracos montes.] Plinius in lib. 4. c. 24. de Danubio: *Ortus hic in Germania e iugis montis Abnobae, ex adverſo Raurici Galliae opidi, etc.* Solinus quoque, c. 13. *Iſter*, ait, *Germanicis iugis oritur, effuſus monte qui in Rauracos Galliae ſpectat.* Non igitur prope urbem Rauracos oritur, ſed ex adverſo: neque prope Rauracos montes, (qui *nulli ſunt*, teſte Salmaſio ad Solin. p. 131. W.) ſed e montibus Abnobis ſeu

Aunobis, ut Ptolemaeus vocat. Quare ita ſcribendum videtur: *Danubius oriens prope Rauracos monte confine limitibus Raeticis.* HENR. VALES. [In codice Colbertino et in ceteris omnibus ſic ſcriptum reperi: *Danubius oriens prope Rauracos montes, confines limitibus Raeticis.* Cum igitur omnium Mſſ. codicum conſenſu haec ſcriptura firmetur, non deerunt, qui exiſtiment ita Ammianum ſcripſiſſe atque ſenſiſſe, nec quidquam in eo corrigi aut mutari oportere. Sic autem falſo ſenſit Marcellinus, ſive quod in vitiata Plinii exemplaria incidit, ſive quod homo Graecus verba eius Latina, quamquam apertiſſima, male et aliter quam debebat intellexit.] HADR. VALES. Coniectura Henrici eſt mera Salmaſiana, quam aperuit in Solinianis pag. 186. (p. m. 131. W.) Plinium quoque et Solinum cum Ammiano componens. CRON.

Septem oſtiis per hoc Scythicum latus erumpit.] Plinius lib. IX. cap. 12. Arrianus in Periplo Ponti Euxini. Iul. Solinus cap. 19. Schol. Apollon. lib. IV. num. 26. Iordanes in Hiſtor. Getica, Val. Flaccus Argonaut. lib. 8. 184.

— — *ingens Scythici ruit exitus Hiſtri;*
Fundere non uno tantum quem flumina cornu
Accipimus: ſeptem exit aquis, ſeptem oſtia pandit.

LINDENBR.

Septem oſtiis.] Antiquiores non niſi quinque, Plinius et Ptolemaeus ſex, Strabo demum ſeptem numerat. W.

45. *Peuce, inſula ſupra dicta*] Dicitur etiam *ἱερὸν, ſacrum. Naracuſtoma.* Vox nihili. Reliqua omnia nomina habent a phyſica ratione deducta, quidni et hoc? Veriſſime igitur conieciſſe videtur Harduinus ad Plinium IV, 24. *Narkonſtoma*, i. e. tardum os. Cf. Salmaſ. ad Solin. p. 131. — *Calonſtoma* pulchrum. *Pſeudoſtoma* falſum, limum magis, quam aquam vehens. *Boreonſtoma* ſeptentrionale. *Stenoſtoma* tenue, anguſtum. *Ingens* et *paluſtri ſpecie nigrum.* cf. Mannert p. 221. W.

46. *Pontus et nebuloſus eſt.*] Pomponius Mela in lib. I. c. 19. de Ponto loquens: *Brevis, atrox, nebuloſus, raris ſtationibus, non molli neque arenoſo litore, vicinus Aquilonibus, et quia non profundus eſt, fluctuoſus atque fervens.* VALES.

Dulcior aequorum ceteris.] Salluſtius in Hiſt. *Mare Ponticum dulcius quam cetera*, ut refert Macrobius in lib. 7. Saturn. Eamdem dulcedinis aquarum cauſam affert Valerius Flaccus in 4. v. 719.

Quas Tanais, fluviusque Lyces, Hypanisque, Melasque
Addat opes: quantosque ſinus Maeotia laxent
Aequora. flumineo ſic agmine fregit amari
Vim ſalis, hinc Boreae cedens glacialibus auris
Pontus, et exorta facilis concreſcere bruma.

Quibus verſibus etiam hoc Poëta ſignificat, cauſam cur glacietur Pontus, ab horum magnitudine fluminum oriri. Sed et Maeotidis paludis aquas dulces eſſe ob eamdem cauſam affirmat Polybius in 4. c. 40. extr. quod ſcilicet fluminum incurſus id evicerit. Cum ergo aquae ex Maeotide in Pontum adſidue influant, minime mirum eſt, aquas Pontici maris dulciores eſſe. VALES.

Dulcior aequorum] Ita mox *ſecuri belluarum.* W.

Conſurgit in brevia tortuoſa] quae vox etiam eſt XXIV, 1. Salmaſius ex Solino ſuo p. 226. mavult *dorſuoſa*. — *limum globosque*, poſſis per Hendiadyn accipere pro limoſis globis, cumulis. Conieceram olim *glebas*, quae etiamnunc aptiores globis videntur. Et ſentit mecum Reineſius. W.

47. *Noſtri* mediterranei *maris*. *Pariendi gratia*, tempore, quo ova emittunt. W.

Nihil in Ponto huiusmodi aliquando eſt viſum praeter innoxios delphinas et parvos] Plinius libri 9. capite 15. *In Ponsum nulla intrat beſtia piſcibus maleſica praeter vitulos et parvos delphinos.* LINDENBR.

48. *Ut nec amnium curſus ſubtervolvi credantur*] ut ad imum fundum glacie conſtricti amnes horreant. *In mari ſincero*, cui amnes non immittuntur. W.

49. *Perlati*] prolati. *Aliquantrorſum* ἅπαξ λεγόμενον. *Reliqua* res a Iuliano geſtas. *Agilonem* magiſtrum peditum. *Defenſores — auctores turbarum prodidiſſe* tradidiſſe. Cf. omnino XXI, 11. 12. W.

CAPVT IX.

1. *Ultra homines iam ſpirabat*] οὐ κατ' ἄνθρωπον φρονῶν. Sophocles Aiace v. 777. W.

Cornucopiam Fortuna geſtans.] Fortuna eo habitu fingi ſolebat, dextra gubernaculum, cornu Amaltheae ſiniſtra geſtans, ut ait Dio in Orat. 64. et 65. de Fortuna, et Pauſanias in Achaicis. Arnobius in lib. 6. Prudentius in lib. 1. contra Symm. 205.

Formatum Fortunae habitum cum divite cornu.

Denique Marcellinus Comes in Chronico Boethio ſolo Coſ. VALES.

Cornucopiam geſtans Fortuna] quae Fortunae imago, dextra temonem, ſiniſtra Cornucopiae tenentis in numis inprimis ubique obvia eſt. Quod vero Ammianus *Cornucopiam*, et XXV, 2. Ablat. *Cornucopia* poſuit, ſingulare eſt, nec facile imitandum. W.

Nec motibus internis.] De hac profunda pace quae per orbem Rom. regnante Iuliano manſit, ſic Libanius in Epilogo Orationis funebris (Reisk. 1. p. 623.) ταυτὸν δυνηθεὶς πρός γε τὸ πάντα ἡσυχάσαι ἀπών τε ὁμοίως καὶ παρών· οὔτε γὰρ βάρβαρος ὅπλων ἅψατο παρὰ τὰς συνθήκας, οὔτ' ἔνδοθεν ἀνεφάνη θόρυβος οὐδὲ εἷς. *Qui ad hoc ut omnes ſe in officio continerent, non minus abſens valuit quam praeſens. Nam neque barbarorum quisquam arma corripuit; neque inteſtinus tumultus exortus eſt.* Magna certe ac vera laus, niſi Chriſtianos, hoc eſt totum prope orbem Rom. ut ait Gregorius Nazianzenus, inteſtinis motibus, ac ſubdola perſecutione vexaſſet. VALES.

Concitus] turbatus, vexatus. *Barbarorum* Alamannorum, Francorum cet. *Praeterita*, depoſita. W.

2. *Ad ea expedienda incitanti.*] Sic partim Caſtellus, partim Gelenius correxere, cum in Editione Rom. ſic excuſum eſſet: *Ad expedienda incitent.* Quemadmodum etiam in codice Reg.

Digitized by Google

[et Colbert.] ſcriptum fuerat: ſed ea ſcriptura ab antiquario deleta et interpolata eſt. Equidem ſic legendum exiſtimo: *Stipendioque competenti ad expedienda incidentia promptius animatis.* VALES.

Conſtantinop. incrementis max. fultam.] Id eſt beneficiis auctam ac locupletatam. Eodem ſenſu incrementa liberalitatis dixit Spartianus in Hadriano. Porro quaenam ſint ea beneficia, quae Iulianus Conſtantinopoli largitus eſt, docet Zoſimus in lib. 3. c. 11. Primo ut Senatum haberet perinde ac urbs Roma: deinde portum maximum ibi aedificavit, qui a meridie periclitantibus perfugium praeberet. Is portus D. Iuliani dicitur in leg. ult. Cod. Th. de calc. coct. Ad haec porticum ſemirotundam quae ſigma ex formae ſimilitudine dicebatur, ad eum portum pertinentem. Poſtremo Bibliothecam in Palatio dedicavit. Haec Zoſimus. Sed quod de Senatu dixit, vix credi poteſt. Quippe iam a Conſtantino Max. Senatum Conſtantinopolis acceperat, ut docet Libanius in Orat. ad Theodoſium de ſeditione (Reisk. 1. p. 633): τόν τε ἀντιθέντα τῇ ῥωμαίων βουλῇ τὴν νέαν, etc. et auctor Chronici Alexandrini, Excerpta denique de Geſtis Conſtantini (§. 30.). Verum haec fortaſſe ita conciliari poſſunt, ſi Conſtantinum quidem primum ea in urbe Senatum inſtituiſſe dicamus; Iulianum vero eius privilegia ac dignitatem auxiſſe: quod quidem confirmat egregie Mamertinus in Gratiarum actione c. 24. his verbis: *An metuenda tibi eſt Curia, cum Senatui non ſolum veterem reddideris dignitatem, ſed etiam plurimum novi honoris adieceris?* VALES. Conf. Wernsdorf. ad Himerii Or. in laudem Conſtantinop. p. 92. ed. minor. Harleſ. et Schreiter. ad Gibbon. IV. p. 44. W.

Natus enim illic] Vid. Wernsdorfius modo laudatus p. 95. W.

3. *Fretum*] Bosporum Thracium. *Chalcedona* e regione Byzantii, uſitatius ChalcedonE. *Libyſſa*, nil niſi vicus, et ſtatio ad pernoctandum, memorabilis tamen ob *Hannibalis ſepulcrum*. Plinius V, 32. Eutropius IV, 11. Cf. Weſſeling. Itiner. p. 140. W.

Libyſſa, ubi ſepultus eſt Hannibal.] Plutarchus in Flaminino c. 20. Ἐν Βιθυνίᾳ τόπος ἐστὶν θινώδης ἀπὸ θαλάσσης, καὶ πρὸς αὐτῷ κώμη τις οὐ μεγάλη Λίβυσσα καλεῖται: eumque locum fatalem Hannibali fore, oraculum praedixiſſe ait: Λίβυσσα κρύψει βῶλος Ἀννίβου δέμας. Iul. Solinus cap. 44. (et ibi Salmaſ. p. 617. W. *Marcian. Capel. lib. 6. p. 257.* LINDENBR.

Nicomediam] Bithyniae metropolin (Ismid). *Retro Principum*, Diocletiani inprimis et Conſtantini M. qui ſaepe ibi commorabantur. W.

4. *Cuius moenia.*] Id eſt opera publica et aedificia, ab anterioribus Principibus exſtructa. Quo ſenſu de hac eadem civitate Nicomedia Aurelius Victor in Diocletiano dixit: *Ac mirum in modum novis adhuc cultisque moenibus Romana culmina et ceterae urbes ornatae, maxime Carthago, Mediolanum, Nicomedia.* Et Ambroſius in Ep. 33. Suetonius in Nerone cap. 38. Vide Iſidorum in lib. 15. Originum cap. 2. VALES.

In favillas miſerabiles] nam in terrae motu flammae etiam eruperant per quinquaginta dies omnia depaſcentes. v. ſupra XVII, 7. — *Regiam*, ab antiquis Bithyniae regibus ſtructam. W.

Digitized by Google

Hoc maxime aerumnis eius illachrimans.] De his Iuliani lacrimis loquitur Libanius in Ep. 29. ad Iulianum his verbis: μακαρίζω ἔγωγε τὴν νικομήδειαν καὶ κειμένην. ἐδει μὲν γὰρ ἑστάναι δάκρυσι σοῖς· τοῦτο δὲ οὐ μεῖόν τε τῶν θρήνων, οὓς ἐπ' ἀχιλλεῖ μούσας ἐγεῖραι λόγος, οὔτε τῆς ἡμαγμένης ψεκάδος, etc. *Ego vero Nicomediam tametsi collapsam, beatam praedico, quam lacrimis tuis excitari ac restitui oportebat. Illud vero nihilo inferius est fletibus illis, quos Musae Achille mortuo edidisse dicuntur: nec sanguinea gutta, quam Iupiter in Sarpedonis fudit obitu.* VALES.

Ordo occurrit populi.] Hunc locum egregie mihi videor restituisse. Nam cum in MSS. Flor. Regio [et Colbert.] *ac Tolos.* atque in Editione Rom. legatur *populus*, ita scribendum esse existimavi: *Squalens ordo occurrit et populus.* Sic enim Marcellinus noster in lib. 18. c. 6. *Quos*, inquit, *rumore percitis provinciis, ordines civitatum et populi detinebant penes se publicum defensorem.* Et rursus in lib. 25. c. 9. *Et haec quidem suppliciter ordo et populus precabatur.* Nihil frequentius occurrit in antiquis Inscriptionibus. Verbi gratia: *Ordo et populus Neapolitan.* vel *Senatus populusque:* aut denique *Decuriones et plebs.* Haec enim omnia idem significant. Sic etiam Eusebius in lib. 3. de vita Constantini cap. 1. utrosque coniunxit: τῶν κατ' ἔθνος δήμων τε καὶ πολιτευτῶν ἀνδρῶν πατρονομουμένων. Id est: *Cum populi et ordines civitatum patriis institutis regerentur.* Sic et Gregorius Nazianz. in Epistola 49. ad Olympium: πάντας πολίτας τε καὶ πολιτευτὰς, καὶ ἀξιωματικούς. Id est: *Cunctos cives, et Decuriones, et Honoratos.* Et Leo Augustus in Ep. ad Anatolium, quam refert Evagrius in lib. 2. Hist. cap. 9. ὃν ὁ τε τῆς Ἀλεξανδρέων δῆμος καὶ ἀξιωματικοὶ καὶ πολιτευόμενοι ἐπίσκοπον αἰτοῦσι. Id est: *Quem populus Alexandr. et Honorati et Decuriones sibi Episcopum poscunt:* quibus in locis vertendis labuntur Interpretes Latini. Atqui πολιτευόμενοι sunt Decuriones apud Artemidorum in lib. 1. cap. 52. et apud Libanium passim in tomo 2. Orationum: qui et πολιτευταὶ dicuntur ab eodem Artemidoro in cap. 82. libri 1. et in cap. 16. lib. 3. et Athanasio in Epist. ad Solitarios, ubi dicit, πολλῶν πολιτευτῶν καὶ τῶν ἀπὸ τοῦ δήμου, et mox βουλευτὰς καὶ δημότας pro eodem usurpat. VALES.

Ibidem ab Eusebio educatus Episcopo.] Hic est ille Nicomedienſis Eusebius, Arianae factionis columen, qui, ut narrant Scriptores rerum Eccles. primo Beryti, deinde Nicomediae fuit Episcopus, tandemque pulso Paulo Constantinop. sedem tenuit. Decessit e vita paullo ante Sardicense concilium, teste Athanasio in Apologia ad Arianos. Ab hoc Eusebio educatum esse Iulianum, testatur etiam Zonaras. Refert enim matrem Iuliani adhuc gravidam, visam sibi esse in somnis Achillem parere: statimque experrectam, dum marito somnium narrat, partum absque doloribus edidisse: atque hinc magna de puero concepta spe, parentes eum Eusebio Nicomediae Episcopo tradidisse, sacris litteris imbuendum. VALES. Distinguendum esse hunc Eusebium a Caesarienſi, historiae ecclesiasticae scriptore; vix est quod moneam. W.

5. *Nicaeam*] secundam a Nicomedia Bithyniae urbem. — *Gallograeciae* Galatiae. W.

Dextrorsus itinere declinato Pessinunta convertit.] Idem praedicat Libanius in Orat. Consulari pag. 247. (Reisk. 1. p. 398.)

ὃς γε καὶ τῆς εὐθείας ὁδοῦ τοσοῦτον ἐκδραμών, εἰς Φρυγίαν ἐλθών, τὴν τεκοῦσαν ἡμῖν τοὺς θεοὺς πολλοῖς καὶ μεγάλοις τιμήσας ἐπανῆλθεν: et rurſus in Monodia de Iuliani obitu pag. 254. VALES.

Carmine Cumano monente, per Scipionem Naſicam ſimulacrum translatum eſt Romam.] Livius lib. XXIX. c. 10. 11. Strabo lib. XII. pag. 391. (567. Almel.) Arnob. lib. VII. Herodianus, Sil. Italicus. LINDENBR. *Carmine Cumano* libris Sibyllinis. W.

6. Per *excaſſum* excurſum. W.

7. *Ilum Trois filium.*] Haec translata ſunt ex Herodiani lib. I. c. 11. (quem et alibi exſcripſit Ammianus obſervante Valeſ. ad XXVI, 8. extr. W.) Cui iungendus eſt Scholiaſtes Lycophronis, qui ſic ait: τὸ παλλάδιον δὲ τῆς Ἀθηνᾶς τοιοῦτο ἦν. τρίπηχυ ξύλινον ἐξ οὐρανοῦ καταπεσὸν ἐν Πεσινοῦντι τῆς Φρυγίας, ὅθεν Διάδωρος καὶ Δίων τὸν τόπον κληθῆναί φασιν· ἕτερος δέ τις ἱστορικὸς οὕτω λέγει τὸν τόπον κληθῆναι ἀπὸ τοῦ πολλοὺς ἐκεῖ πεσεῖν ἐν τῇ συμβολῇ τοῦ πολέμου, ὁπότε διὰ τὴν ἁρπαγὴν Γανυμήδους ἐμάχοντο Τάνταλος ὁ ἐραστὴς Γανυμήδους καὶ Ἶλος ὁ ἀδελφός. VALES. Cf. Mannert T. VI. P. 2. p. 60. W.

Theopompus] Iſocratis diſcipulus, cuius hiſtoriarum libros periiſſe dolendum eſt. W.

Midam affirmat.] Hic Phrygiae Deae Cybelae magnificentiſſimum templum primus Peſinunte condidiſſe dicitur a Diodoro Siculo in lib. 3. c. 58. Cui conſentit Arnobius in lib. 2. contra nationes: *Quid Phrygiam matrem, cuius eſſe conditor iudicatur vel Midas, vel Dardanus.* Eumdem Midam tempore Matris M. et Atyis vixiſſe, ſcribit Arnobius in 5. Sane filius matris Idaeae dicitur Hygino fab. 191. VALES. Cf. etiam Iuſtin. XI, 7. W.

8. *Ancyram*] Galatiae urbem, nunc Angora, ubi Imperatores ſaepius commorati. v. Gothofredi Opuſc. p. 26. Reineſius adſcripſit: „Hic data eſt lex 1. Cod. Theodoſ. de proximis Comitibus diſpoſitionum ad Secundum Praef. Praet. 7. Kal. Oct. legam tamen Nov. vel VII. Id. Oct.“ W.

Conſortiis ſe curiarum.] De Curialibus multa in utroque Codice, Theodoſiano puta ac Iuſtinianaeo, deque iis alius erit tractandi locus. LINDENBR.

Conſortiis ſe curiarum addictos iniuſte] in Senatum adlectos invitos, et coactos; de quo plura vide in Ind. Dignit. v. Curiales. W

9. *Iudicibus Caſſiis triſtior et Lycurgis.*] L. Caſſius Praetor fuit Scipione Naſica et Calpurnio Beſtia Coſſ. (A. U. C. 643. W.) magna integritatis fama, ut docet Salluſtius in Iugurthino. Idem ſummae ſeveritatis in iudicando. Unde eius tribunal ſcopulus reorum dicebatur, ut ſcribit Valerius Max. in lib. 3. cap. 7. De eo lege Aſconium in Milonianam. Ab hoc Caſſio poſtea iudex Caſſianus pro triſti ac ſevero dici coepit, ut apud Ciceronem 3. in Verrem c. 60. et in ea pro Roſcio Amerino c. 30. Et haec de Caſſio. (Cf. etiam XXVI, 10. XXX, 8. Hommel de forma tribunalis §. 2. W.) Quod ſpectat ad Lycurgum, non aſſentior Lindenbrogio, qui Lycurgum hic intelligit Legislatorem Spartanorum. Lycurgum enim Athen. Oratorem arbitror intelligi, cuius in reos ſeveritas celebrata eſt. Diodorus Siculus in lib. 16. c. 88. de eo dicit: ἦν δὲ πικρότατος ἐν τοῖς λόγοις κατήγορος. Unde etiam

Digitized by Google

Ibis cognominatus esse videtur, quod scilicet, ut ibis angues, sic ipse noxios cives et peregrinos expelleret. Aristophanes in Avibus v. 1297.

Ἶβις λυκούργῳ, χαιρεφῶντι νυκτερίς.

Quamquam scio Scholiastem eius cognominis aliam afferre causam, quod scilicet Aegypto oriundus, aut quod longis cruribus esset Lycurgus. Sed nostram sententiam confirmare videtur Plutarchus in Lycurgi Rhetoris vita: ubi et versum illum Aristophanis adducit, sed mendosum. Ab hoc Lycurgo viri, qui in gerenda Rep. severi essent, Lycurgi dicebantur. Cicero in Epist. x. lib. 1. ad Atticum, *Nosmetipsi*, ait, *qui Lycurgei a principio fuissemus, quotidie demitigamur.* VALES. Ad versum istum Aristophanis non accedit Valesio Beckius. W.

Cassiis tristior et Lycurgis] Hic ille est L. Cassius, de quo Cicero in Bruto c. 25. *L. Cassius multum potuit, non eloquentia, sed dicendo tamen, homo non liberalitate, ut alii, sed ipsa tristitia et severitate popularis.* Ammian. lib. 30. c. 8. *Si semel promotos agere didicisset immaniter, Lycurgos inveniisse se praedicabat et Cassios.* *Hinc *Cassiani iudices* apud Cicer. pro Rosc. c. 30. et in Verrem Orat. 3, c. 60. Vid. Ascon. Paedian. Infra lib. XXVI, 10, 10.* De Lycurgo res est pueris nota. LINDENBR. Cf. etiam Valer. Max. III, 7, 9. et Davis. ad Cicer. Tuscul. II, 23. W.

Causarum momenta aequo iure perpendens, suum cuique tribuebat.] Inf. c. 10. *Exquisita docilitate librans, quibus modis suum cuique tribueret.* Symmachus in Relatione ad Valentinian. Theodos. etc. Impp. *Omnia regitis, sed suum cuique servatis, plusque apud vos iustitia, quam licentia valet.* Gregor. PP. *lib. 7.* Epist. 120. *Summum in Regibus bonum est, iustitiam colere, ac sua cuique iura servare, et subiectis non sinere quod potestatis est fieri, sed quod aequum est custodire.* LINDENBR.

10. *Municipem*] h. l. non Senatorem, sed civem ob paullo post sequens *vilem*. *Locupletem*, quae haud dubie unica erat viri accusandi causa. *Renidens* ore ad risum diducto, subridens. *Purpureum indumentum* quod utique sub Constantio gestare magnum crimen fuerat. cf. XIV, 9. XVI, 8. W.

11. *Innoxius*] passive, pro impune, uti XIX, 12. nam si quis temere alium laesae maiestatis accusasset, graviter punitus est, quod et paullo ante credere iubent verba: *sine respectu periculi. Periculoso garritori.* Reinesius acute pediculoso. W.

Pedum tegmine purpurea.] Quae solum Imperatorem decent: ideoque imminutae maiestatis reus erat, quisquis illa propria auctoritate usurpasset. De his infra agemus lib. XXVI. LINDENBR.

Ut datur intelligi] XXI, 14. ut opinari dabatur XXVI, 10. W.

12. *Amarum et notabile*] durum et vituperandum. *A Curialibus* Curialium *quisquam appetitus* accusatus, qui tamen iustas immunitatis causas posset afferre *privilegia — stipendiorum numerum, originem alienam.* W.

13. *Pylas venisset.*] Huius stationis mentio fit in Itinerario Burdigalensi: *Mans. Opodanda m.* 12. Scribe *Spodendo* ex Con-

ſtantini lib. περὶ θεμάτων 1. et Baſilio in Ep. 361. et 379. et ex Cedreno in Baſilio et in Iohanne Tzimiſce, *Mutatio Pylas m.* 14. *finis Cappadociae et Ciliciae.* Meminit Pylarum etiam Q. Curtius in lib. 3. c. 4. Deſcribuntque hunc aditum Ciliciae Xiphilinus et Herodianus in Severo. Sunt et aliae Pylae in Amano, quae Ciliciam a Syria dividunt; quas deſcribit Xenophon in lib. 1. expeditionis Cyri. Dio in libro 48. Cicero in libro 5. Epiſtola 20. ad Atticum. VALES.

Pylas] portas, fauces anguſtas, quarum ſitum ipſe Ammianus addit: *quae Cappadocas diſcernunt et Cilicas.* v. *Mannert* IV, 2. p. 238. W.

Oſculo ſuſceptum rectorem provinciae.] *Labratum* hoc genus ſalutationis dixere. Gloſſar. *Labratum*, φίλημα βασιλικὸν, καὶ ἀσπαστικὸν βασιλικόν. Ammian. lib. XXIX. c. 5. *Suſceptusque cum oſculo, quoniam id Reipub. conducebat.* *Hilarius Epiſcop. ad Conſtantium Auguſt. pag. 79. *Oſculo Sacerdotes excipis, quo et Chriſtus eſt proditus.* De Imperatore hoc ſcribit.* Neque confundendum cum labrato, de quo in Ecloga βασιλικῶν lib. 56. Tit. 17. cap. 65 εἴτε λαβράτον καταγγέλλοιεν. Id enim κατὰ συγκοπὴν dictum, quaſi laboratum, id eſt, arte ac labore ſummo effigiatum, ut Gloſſ. Nomicum interpretatur, et ſacros vultus notat, in L. 1. C. publ. laetit. Iohan. Damaſcenus Orat. 3. pro imaginibus: βασιλεῦσι φθαρτοῖς πολλάκις καὶ ἀσεβέσι, καὶ ἁμαρτωλοῖς, καὶ τοῖς ὑπ' αὐτῶν χειροτονουμένοις ἄρχουσι, καὶ τοῖς τούτων λαβράτοις προσκυνοῦσιν ἄνθρωποι. At de oſculi honore iterum Ammianus lib. XXIX. c. 5 §. 16.* Tacitus Annal. XIII. c. 18. *Saeptus turba Centurionum, et poſt breve oſculum digrediens.* In Vita Agricolae c. 40. *Exceptusque brevi oſculo et nullo ſermone, turbae ſervientium immiſtus eſt.* LINDENBR. Cf. etiam Iul. Capitol. in vita Antonini Philoſ. c. 3. W.

Rectorem pr. nomine Celſum.] Fuit hic diſcipulus Libanii, natione Cilix, Heſychii filius, qui Iuliano Principi Ciliciam ingreſſo panegyricum dixit, ut ait Libanius in Orat. funebri pag. 300. et in Epiſt. 634. ad Celſum. Hoc diſcipulo ſe iacat Libanius in Orat. adverſus doctrinae ſuae obtrectatores, eumque, cum Athenas veniſſet, ait auctorem fuiſſe decreti illius, quo Libanius ad ſophiſticum thronum Athenas evocatus eſt. Athenas autem profectus erat Celſus ſuaſu Baſilii magni, ut docet Libanius in Ep. 143. ad Baſilium. VALES.

Rectorem provinciae] Reineſius: „Cappadociaene an Ciliciae?“ W.

Adſcitum in conſeſſum vehiculi] quo honore Dionem Chryſoſtomum etiam inſignivit Traianus. W.

15. *Iisdem diebus Adonia.*] Ex his apparet Iulianum ſub exitum menſis Iunii Antiochiam introiſſe, Mamertino et Nevitta Coſſ. anno Domini 362. Adonia enim quae tunc temporis actitata ſcribit Marcellinus, menſe Iunio quotannis recurrebant circa ſolſtitium aeſtivum, ut docet Hieronymus in caput 8. Ezechielis, et Macrobius. VALES. *Iisdem diebus Adonia* „menſe Athyr, qui reſpondebat menſi Novembri Iuliano. v. Scalig. 2. de emend. temp. fol. 68. Selden. ſyn. 2. c. 4. p. 244. Cal. Rom. ruſt. menſ. Nov.“ Sic Reineſ. W.

Digitized by Google

Adonia ritu veteri celebrari, amato Veneris, etc.] Meminit huius feſtivitatis lib. XIX. c. 1: *Lacrimare cultrices Veneris ſaepe ſpectantur in ſolennibus Adonidis ſacris, quod ſimulacrum aliquod eſſe frugum adultarum religiones myſticae docent.* Iul. Firmicus lib. de errore prof. relig. *In plurimis Orientis civitatibus, licet hoc malum etiam ad nos transitum fecerit, Adonis quaſi maritus plangitur Veneris, et percuſſor eius circumſtantibus vulnusque monſtratur.* Plangebatur nempe ritu eodem, quo apud Aegyptios Oſiris: unde ut eiulatus et gaudia, ita et arcana quoque religionis eadem. Phornutus περὶ θεῶν: — — Τοιοῦτον γάρ τι καὶ παρ' Αἰγυπτίοις ὁ ζητούμενος καὶ ἀνευρισκόμενος ἀφανισμὸς ἀπὸ τῆς Ἴσιδος, Ὄσιρις ἐμφαίνει, ὅπερ ἀνὰ μέρος παρ' ἕξ μῆνας ὑπὲρ γῆν τε καὶ ὑπὸ γῆν γινόμενος Ἄδωνις, ἀπὸ τοῦ ἀδεῖν τοῖς ἀνθρώποις, οὕτως ὠνομασμένος τοῦ δημητριακοῦ καρποῦ. Videndus Procopius Gaz. Sophiſta Chriſtianus in Eſaiam cap. 18. LINDENBR.

Adonia] ab Adoni dicta, Veneris *amato*, ἐρωμένῳ, *dilecto* etiam, uti Spartian. Hadriano 14. ubi vide Salmaſ. W.

Apri dente ferali.] Phornutus: Ὗς δὲ πλήξας προσανελεῖν λέγεται, διὰ τὸ τὰς ὗς δοκεῖν λῃβοτείρας εἶναι, ἢ τὸν τῆς ὕνεως ὀδόντα αἰνιττομένων αὐτῶν, ὑφ' οὗ κατὰ γῆς κρύπτει τὸ σπέρμα. Aliter haec interpretatur Macrob. I. Saturn. cap. 2. LINDENBR.

In adulto flore ſectarum frugum indicium eſt] Ergo et hic pro meſſis tempore habet, ut ſupra XIX, 1. ubi vide plura. W.

Et viſum eſt triſte.] Sic dirum omen viſum Athenienſibus, cum contra Syracuſanos bellum pararent: eo ipſo quod die quo claſſis ſolvit, haec ipſa quoque Adonia celebrarentur Plutarchus in Nicia c. 13. Οὐκ ὀλίγους δὲ καὶ τὰ τῶν ἡμερῶν ἐν αἷς τὸν στόλον ἐξέπεμπον ὑπέθραττεν. Ἀδώνεια γὰρ εἶχον αἱ γυναῖκες τότε, καὶ προύκειτο πολλαχόσε τῆς πόλεως εἴδωλα καὶ ταφαὶ περὶ αὐτά. καὶ κοπετοὶ γυναικῶν ἦσαν, etc. Idem in Alcibiade. Et dedecus illud humani generis Heliogabalus, cum ſimilia his ſacra, et Salambonem omni planctu et iactatione Syriaci cultus exhiberet, omen ſibi imminentis exitii fecit. Lamprid. in Heliog. LINDENBR. Non admodum laetum omen fuit, quod urbem intraret Iulianus primis huius feſti diebus, quo planctibus omnia atque ululatibus reſonarent. W.

16. *Thalaſſium ex Proximo libellorum*] ſecundum a Magiſtro libellorum. Reineſius adſcripſit: „Thalaſſius ὁ καὶ μάγνος, leno ſuae filiae, ruina aedium oppreſſus periit. Chron. Alex. p. 690. ſub Iuliano.“ *Inſidiatorem fratris Galli*, diverſum tamen ab illo, qui XIV, 1. memoratur, iamdudum mortuo. vide ib. c. 7. cf. Gothofredum ad Philoſtorgium p. 125. Prosopographia Cod. Theodoſiani noſtrum non habet. W.

Quo adorare adeſſeque officio inter honoratos prohibito.] Honorati enim tantum, et qui dignitatis alicuius praerogativa eminebant, ad hanc Imperatoriam adorationem, id eſt venerationem admittebantur: arcebantur vero perſonae viles, aut ob delictum aliquod poena potius quam honore dignae, L. unica C. Theod. de Praepoſ. ſacri Cubic. L. 1. de Decurion. et Silent. L. 3. de Domeſt. et Protect. L. unic de Comit. et Tribun. L. 4. 8. 9. 16. de diverſ. Offic. et Apparit. L. 3. de Fabricenſ. L. unic.

Digitized by Google

de imag. Imper. Cuius moris etiam in Cod. Iustinianeo mentio frequens, ut iam ad lib. XV. notavi. LINDENBR.

Turba superflua] catervatim. — *Inimicus pietatis tuae* i. e. tuus, more illius aetatis, ad nostram usque propagato, quo eiusmodi nomina, quae vocant abstracta, clementia, maiestas cet. pro ipsis personis principum ponerentur. W.

17. *Adsidenti Praefecto.*] Sallustio, ut opinor. Porro Praefecti Praet. Imperatori iudicanti adsidere solebant. Hinc Domitius Ulpianus assessor fuisse Alex. Severo dicitur ab Eutropio, quem Aurelius Victor Praefectum fuisse dicit Praetorii, et Vopiscus in Aureliano c. 13. *Assidentibus Memmio Fusco Consule ordinario, et Baebio Macro Praefecto Praet* Quaestores etiam sacri Palatii Imp. adsidebant, ut de Proculo ait Procopius in lib. 1. Persic. et in lib. 1. Goth. de Fidele Atalarici Quaestore: ὃς δὴ Ἀταλαρίχῳ παρήδρευε πρότερον· κοιαίστορα δὲ τὴν ἀρχὴν ταύτην καλοῦσι ῥωμαῖοι. Nec eos solum, sed Iurisconsultos etiam et amicos in consilio habebant Principes, cum iudicabant, ut de Hadriano Spartianus scribit. Procopius in lib. 1. Persic. initio de Arcadio Aug. κοινολογησάμενος τῶν λογίων τισὶν, οἵοι πολλοὶ βασιλεῖ παρεδρεύειν εἰώθασιν. Stephanus Byzantius hos intelligere videtur, cum dicit, πάρεδρος ὁ τῷ βασιλεῖ συγκαθήμενος. Et Eunapius in Aedesio de Sopatro. VALES.

Quod brevi evenit.] Thalassius quippe relicto Christi cultu ad Deorum cultum transiit, et ita cum Iuliano in gratiam rediit. Plerique eo tempore idem factitarunt, muneribus et huiusmodi assentationibus a Iuliano deleniti; ut narrat Socrates in lib. 3. cap. 12. et Asterius in Homilia 3. contra avaritiam, his verbis, quae ob elegantiam apponam Latine: *Quid enim eos impulit qui Christiani erant, ut ad daemonum cultum desciscerent? Nonne cupiditas habendi et alienas opes occupandi? Nonne spes et pollicitatio opum et dignitatum, eis ab impiis hominibus ostensa, induxit miseros ut religionem quasi vestem mutarent? Et priorum quidem temporum exempla adhuc memoria nostra recolit. Sed et quaedam recentia eius rei testimonia aetas nostra vidit. Cum enim Imp. ille, posita repente persona, quod diu dissimulaverat retexit, et numinibus palam sacrificavit, aliosque variis praemiis ad idem faciendum illexit: quot relicta Ecclesia ad numinum aras transierunt? quam multi variis illecebris inducti, impietatis hamum sorbuerunt? qui nunc quasi fugitivi notis compuncti oberrant, omnium odio ac ludibrio expositi, etc.* *Porro de hoc Thalassio Antiochensi Theophanes in Chronico p. 43. quaedam narrat scitu digna, quae heic merentur adscribi. *Thalassius quidam ob lasciviam ac luxum famosus, qui et suam filiam prostituerat, carus erat Iuliano utpote haruspicinae deditus. Habitabat autem iuxta Palatium; cumque domus eius concidisset, solus ipse interiit cum eunucho, cuius complexibus inhaerens repertus est. Cuncti autem domestici cum eius uxore et liberis, qui Christiani erant, incolumes evaserunt.** VALES.

CAPVT X.

1. *Exquisita docilitate librans.*] Longe diversa ab his scribit Gregor. Nazianz. Episcop. in Iulian. Orat. IV. pag. 505, quae operae pretium erit conferre. LINDENBR.

Exquisita docilitate] mira discendi a iuris peritioribus cupiditate. W.

2. *In disceptando*] dum causas adhuc cognosceret. *aliquoties erat intempestivus*, ut relationem egrederetur, et quae nihil ad rem facerent, *interrogaret*, v. c. *quid quisque iurgantium coleret* quam religionem sectaretur. — *Definiti litis* sententia tandem pronuntiata *a vero dissonans* iniusta. W.

3. *Commotioris ingenii sui*] Ernesti laudat locum Taciti Annal. 1, 33 Agrippinam dicentis commotiorem, i. e. quae haberet celeriores ingenii animique motus. W.

[*Ut fidenter impetus suos, etc.*] Haec cuncta usque ad vocem *monstrabat* inclusis terminis absunt ab Editione Rom. et a codice Regio, *Vatic. Tolos.* [ac Colbert.] primumque a Gelenio adiecta sunt ex coniectura, ni fallor. In libro autem 25. c. 4. ubi idem repetit Marcellinus, id tantum habetur: *Emendari se, cum deviaret a fruge bona, permittens:* quod etiam ita Zonaras refert: ἐφ' οἷς δ' ἐσφάλλετο, διορθούμενος ὑπὸ τῶν φίλων οὐκ ἤχθετο. VALES.

4. *Conscium rationis perfectae*] peritissimum iuris iudicem. *Gaudebam* mecum ipse, *prae meque ferebam* hanc meam laetitiam aliis testatam feci. W.

5. *E numero Protectorum.*] Audaciam P. Castelli aperuit mihi Editio Romana, in qua legitur *Proiectorum*, perinde ac in codice Regio, [et Colbert.] *ac Tolos.* quod cur Castello displicuerit, equidem non video. Vult enim dicere Marcellinus, hunc Palatinum fuisse ex numero eorum quos Iulianus in ipso imperii primordio eiecerat. Sic supra libro 22. c. 4. *Ut parum sibi necessarios data quo velint abeundi potestate proiecit.* et paulo post c. 7. *Agentes in rebus ex iis qui proiecti sunt.* Denique in lib. 28. c. 6. ad finem: *Salutat te Palladius proiecticius, etc.* Ceterum adeo necessaria erat haec emendatio, ut absque ea nullus huius loci sensus elici posset. Cur enim mulier illa viso Palatino praeter spem cincto tantopere querebatur? nisi quod balteum seu cingulum per ambitum et gratiam adversario redditum esse aegre ferebat. VALES.

Cinctum praeter spem conspexisset] qui cingulum, proiectus quippe, ponere debuisset. Cingulum autem erat vel militare, vel palatinum, et dignitatis insigne, quo spoliati ad priorem statum revocabantur, uti est in Cod. Theodos. l. 29. de cohort. lib. 8. t. 4. Plura ibi vide in Glossar. Nomico. W.

Prosequere.] Verbum Iuris est: unde prosecutiones dicuntur in Codice. *Glossae veteres, δικαιολογία, prosequutio, allegatio.* VALES.

6. *Iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit.*] Inf. lib. XXV. c. 4. §. 19. *Aestimari poterat vetus illa Iustitia, quam offensam vitiis hominum Aratus extollit in caelum, eo imperante rediisse rursus ad terras.* Arati locus hic est de ferreo saeculo: (v. 130. p. m. 15. W.)

Καὶ πότε (τότε W.) μισήσασα δίκη κείνων γένος ἀνδρῶν
Ἔπταθ' ὑπουρανίη.

Festus Avienus: (ubi? non invenio. W.)

Digitized by Google

Sic iuſta in populos mox Virginis inculpatae
Exarſere odia, et caelum pernicibus intrat
Diva alis. LINDENBR.

7. *Iura* leges *correxit ambagibus circumciſis* ſublata ambiguitate. Cf. Einerti Commentatt. duas ad Conſtitutionus Iuliani, Lipſ. 1771. W.

Illud autem inclemens obruendum perenni ſilentio, quod arcebat docere.] * Lib. XXV. cap. IV. §. 20. *Illud inclemens, quod docere vetuit magiſtros Rhetoricos et Grammaticos Chriſtianos, ni tranſirent a numinum cultu.* Videndus Iſidorus in Chronicis, et Oroſius in Iuliano lib. 7. cap. 30. Simile quid de Abdalla in Hiſtoria Miſcella anno 766.* Iulian. Epiſt. 43. Socrat. lib. I. cap. 14. Theodoret. Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 7. Rufinus lib. II. cap. 32. Caſſiodorus Hiſtor. Tripart. lib. VI. cap. 17. Gregor. Nazianz. in Iulian. Orat. I. pag. 277. Ambroſ. contra Symmach. relat. I. Auguſtinus Epiſc. Confeſſ. lib. 8. cap. 5. LINDENBR.

Arcebat docere Magiſtros Rhetor.] Nihil attinet hic repetere ea, quae abhinc biennium ad Excerpta Iohannis Antiocheni adnotavi. Addam dumtaxat eam Iuliani legem non ad ſolos Grammaticae ac Rhetoricae Magiſtros, ſed etiam ad Medicinae Profeſſores pertinuiſſe: quod docet me Chryſoſtomus in Homilia 40. in Iuventinum et Maximum: *ἰητροὺς καὶ στρατιώτας καὶ σοφιστὰς καὶ ῥήτορας ἅπαντας ἀφίστασθαι τῶν ἐπιτηδευμάτων, ἢ τὴν πίστιν ἐξόμνυσθαι ἐκέλευσεν. Medicos et milites et Sophiſtas ac Rhetores omnes a profeſſione ſua deſiſtere, aut fidem Chriſti abnegare iuſſit.* Exſtatque Edictum ipſum Iuliani Epiſt. 42. cuius pars eſſe videtur lex v. Cod. Theod. de Medicis et Profeſſoribus. Sed ea lex poſtea a Valentiniano abrogata eſt, et Profeſſores Chriſtiani thronis ſuis reſtituti lege 5. ibidem. VALES. Non hoc vult Ammianus, omnino iuventutem erudiri vetuiſſe Iulianum, ſed eos, qui Rhetoricam vel Grammaticam profiterentur, ſi Chriſtiani eſſent, iure docendi et ſalariis excluſiſſe. Vid. omnino *Ritterum ad Guthrium* T. V. P. I. p. 85. W.

CAPVT XI.

1. *Iisdem diebus*] Reineſius: „Haec usque ad verba *et leges* hic eiicienda et referenda ſunt inter res Conſtantinopoli geſtas a Iuliano. Neque Artemius Antiochiae necatus fuiſſe dici poteſt, cum ad nuntium eius caedis furor plebis Alexandrinae in Georgium exarſerit, poſt eius autem exitum Athanaſius Alexandriam redierit; et vero conſtat ex Ep. 6. Iuliani ad Ecdicium Praef. (p. 376. Spanh.) Athanaſium ante Kal. Decembr. urbe iterum exulare iuſſum eſſe. Unde apparet, haec de Gaudentio cet. ad annum priorem referri debere, ubi narrantur quaeſtiones habitae, et annectenda verbis *egit excelſa* (c. 3. extr.)" W.

Supra diximus] XXI, 7. *Iulianus ex Vicario* cuius nulla antea mentio facta. W.

2. *Artemius ex Duce Aegypti.*] *Στρατηγὸν τῶν ἐν Αἰγύπτῳ στρατιωτῶν* appellat Theodoritus in lib. 3. Hiſt. Eccl. cap. 17. et bonis a Iuliano multatum ac capite truncatum ob id memorat, quod

Digitized by Google

quod cum Dux esset Aegypti regnante Constantio, plurima simulacra contriverat. Eiusdem Artemii meminit auctor Chronici Alex. et Nicephorus Callistus. Atque hic esse videtur, quem Iulianus in Epist. x. ad Alexandrinos p. 379. Spanh. *βασιλέα τῆς Αἰγύπτου* et *τύραννον* appellat, qui Georgio Ariano templa ac donaria Alexandriae spolianti ministerium ac satellitium militare praestitit. * Exstant Acta passionis eius apud Symeonem Metaphrastem, longe optima et utilissima. * VALES.

Artemius ex duce Aegypti] antea Romae Praefectus Urbi Vicarius, XVII, 11. Reinesius adscripsit: „Cronic. Alex. p. 698. cum pro ecclesiis ardente studio pugnasse ait. Hinc in martyras (relatus? W.) v. Martyrol. Rom. 20. Oct. et Menolog. Graec. *Supplicio capitali multatus est* a Iuliano." W.

Marcelli ex Mag. eq. filius.] Hunc adversus Iulianum conspirasse dicit Eunapius, et a Sallustio capite truncatum. *ὦ γε τοσοῦτον ἡμερότητος καὶ πραότητος ὑπῆρχεν εἰς ἅπαντας, ὥστε τὸν Μάρκελλον, τὸν, ἡνίκα ἦν Καῖσαρ, ὑβριστικῶς αὐτῷ χρησάμενον, πάνυ περιδεᾶ ὄντα διὰ τὰ προγεγενημένα, καίτοι τοῦ παιδὸς ἐλεγχθέντος ἐπανίστασθαι διὰ τὴν πρὸς Κωνστάντιον φιλίαν, τῷ νεανίσκῳ τὴν δίκην ἐπέθηκε· τὸν δὲ Μάρκελλον καὶ διαφερόντως ἐτίμησε. Cui tantum lenitatis et clementiae in cunctos superfuit, ut Marcellum eum, a quo, cum ipse Caesar esset, multis iniuriis affectus erat, ob haec terrore correptum, cum etiam eius filius, ob benevolentiam in Constantium, res novas agitasse convictus esset, iuvenem quidem supplicio affecerit, patrem vero magnopere ornaverit.* Quae verba de Sallustio dici perperam censuit Suidas, cum Iuliano conveniant. VALES.

Marcelli ex Magistro equitum et peditum] XVI, 2. 7. 8. W.

Romanus q. et Vincentius Scutar.] Hanc conspirationem intelligit Libanius in Orat. funebri, p. 307. (Reisk. I. p. 589.) ubi ait milites circiter decem insidias adversus Iulianum struxisse, et diem quo milites exercendi erant in campo, ad id facinus constituisse: sed prae vino quosdam ex iis consilium suum detexisse: ac deinde subindicat eos milites ob Gentilium sacrorum restaurationem Iuliano infensos fuisse. Iuliani autem clementiam in hac coniuratione punienda idem praedicat Libanius in Orat. Consulari, p. 246. (Reisk. I. p. 397.) Annon enim haec aperte de Scutariis, id est Imp. armigeris dicuntur? *οἱ (θεοὶ) φρουροῦσι μὲν αὐτὸν μετὰ τῶν δορυφόρων, φυλάττουσι δὲ τοὺς δορυφόρους αὐτοὺς*, etc. Ex horum militum numero fuerunt Iuventinus et Maximus, teste Theodorito in lib. 3. Hist. cap. 14. Nam et eos *ἀσπιδηφόρους καὶ τοῦ βασιλέως πεζεταίρους* fuisse dicit, id est Scutarios, ut recte vertit Epiphanius Scholasticus: et reliqua narratio egregie convenit. Ait enim in quodam convivio impietatem Principis eos deploraſſe, et cum ad Iulianum delati fuissent, in exsilium missos esse, Iuliano iis martyrii gloriam invidente. Idem narrat S. Chrysostomus in Homilia 40. in Iuventinum et Maximum. VALES.

3. *Cum tempus interstetisset*] XVI, 9. *exiguum* brevi tempore interiecto. Baronius ad a. 362. T. 4. habet *intercessisset* monente Reinesio. W.

Iram in Georgium verterunt Episcopum] Sozomenus lib. V. cap. 7. Cassiod. Histor. Tripart. lib. VI. cap. 9. * Lucifer Calarit. pro S. Athanas. p. 17. LINDENBR.

Iram in Georgium verterunt Episcopum.] Iulianus Imperator in Epistolis huius seditionis mentionem facit his verbis: ad Zenonem medicum: *διὰ Γεωργίαν.* Quod Gallice diceretur à cause de la Georgienne. Ubi *propter agriculturam* Latinus interpres vertit, cum *propter Georgianam seditionem* vertere debuisset. OISELIUS.

4. *In fullonio natus.*] Ita ex Mſ. vulgo corrupte, *Infullio.* Lib. XIV. extr. *Andriscum in fullonio — natum.* LINDENBR.

Natus apud Epiphaniam Ciliciae opidum.] At hunc Georgium Cappadocem ubique vocat Athanasius in Epistola ad Solitarios, et in Epist. ad Orthodoxos: et Susceptorem titulorum sacri aerarii prius fuisse ait Constantinopoli, deinde, cum omnia depeculatus esset, aufugisse. [Huius Georgii sic interempti libros omnes cum philosophicos et poëticos, tum Christianos Iulianus Aug. sibi servari iussit, epistola missa ad Praefectum Aegypti: ut notavit P. Pithoeus in margine Marcellini sui, quem legi.] *De Georgio consentanea dictis Athanasii scribit Gregorius Nazianz. in Oratione 21. p. 382. De eiusdem avaritia et exactionibus, quibus Alexandrinos instar publicani vexavit, consule Epiphanium in haeresi 76. contra Anomoeos.* VALES.

Epiphaniam Ciliciae oppidum.] Quatuor huius nominis civitates fuere, quas recenset Stephan. in Ἐπιφάνεια. LINDENBR.

Actusque.] Operarum errorem ex ed. Ernestiana nolens propagavit Wagnerus meus. Notulae, quam omisimus, praefixum *auctusque,* ut in ed. Gronov. excusum est. ERF.

Episcopus Alexandriae est ordinatus] successor quippe Athanasii exulis. *Contra utilitatem suam* suo ipsius damno. Cf. omnino Iul. Pollux Chron. p. 370. W.

In civitate, quae suopte motu seditionibus agitatur.] Seditiosum Alexandrinorum ingenium a multis Scriptoribus notatum est, Graecis Latinisque. Nam ut omittam Historias Polybii, Pollio in XXX. Tyrannis, eos ob res leviſſimas ad graviſſimas seditiones erumpere solitos dicit. Idem ait Vopiscus in Saturnino c. 7. et Evagrius in lib. 2. Hist. Eccl. cap. 8. Postremo Q. Curtius in 4, 1, 30. *Aegyptii,* inquit, *vana gens, et novandis quam gerendis aptior rebus.* *Ingens prae ceteris fuit sub Gallieno Aug. seditio, relata a Dionysio Alexandrino in Epistola ad Hieracem: de qua vide Eusebium in libri 7. Hist. Eccles. cap. 21. et Rufinum in cap. 18. lib. 7. qui haec scribit: *Sed et apud Alexandriam etsi nulla extrinsecus mali causa sit, eo ipso quod genus hominum ferox, seditiosum, et semper inquietum est, civiles inter se motus, etc.* Lege Socratem libri 4. cap. 16. et libri 7. capite 13.* VALES.

Ut oraculorum quoque loquitur fides] quorum tamen nullum nunc succurrit. W.

5. *Recalcitrantes imperiis*] cf. XV, 7. XXVIII, 1. — *Professionis* religionis, quam profiteretur, quae *nihil nisi iustum suadet et lene.* Laus vero a pagano Christianae religioni data non contemnenda. W.

6. *Aedificia cuncta solo cohaerentia*] quidquid esset aedificiorum. *Emolumentis aerarii proficere* annuum vectigal pendere. Reinesius adscripsit: *Solo.* An *Serapeio* — vel *Bucolo?* Pro *de-*

Digitized by Google

bent leg. *deberent*. W. *Debent* mutari nihil opus. Graeca eſt conſtructio, de qua vid. *Matthiae griechiſche Grammatik* p. 710. ERF.

7. *Quamdiu ſepulcrum hoc ſtabit.*] Veteres Chriſtiani templa Gentilium per contemptum ſepulcra vocabant, quod, ubi Dii illorum ſepulti fuerant, templa exſtrui coepere. Id ex Minucio Felice, Arnobio aliisque notiſſimum eſt: ſed poſtea Gentiles id in Chriſtianos retorquere coeperunt ob Martyrum ſcilicet reliquias in Baſilicis conditas et cultas. Unde Chriſtianorum Eccleſias non aliter vocabant quam τάφους. Sic Libanius in Orat. funebri ad calcem (Reisk. I. p. 617.): ἡμεῖς δὲ ᾠόμεθα τοῖς ἱεροῖς ὑποχωρήσειν τοὺς τάφους, πάντων ἐκόντων ἐπὶ τοὺς βωμοὺς τρεχόντων, etc. *At nos ſperabamus ſepulcra templis ceſſura eſſe, cum omnes ſponte ad aras currerent.* Idem in Orat. adverſus doctrinae ſuae obtrectatores, οἱ περὶ τοὺς τάφους pro Chriſtianis ponit. Nec aliter Iulianus in Miſopogone p. 344 Spanh. τοῖς περὶ τοὺς τάφους καλινδουμένοις γραϊδίοις: et iterum paullo infra. Denique Antoninus quidam apud Eunapium in Aedeſio p. 81. Commelin. ἔφασκεν τὰ ἱερὰ τάφους γενήσεσθαι. VALES.

8. *Divaricatis pedibus.*] Locus huic geminus eſt XIV, 7. de Montio, quem vide. W.

9. *Diodorus quidam veluti Comes.*] Et alibi hoc *veluti* addit nominibus hominum, eorum, ni fallor, qui titulo tenus tantum ita appellarentur. v. Ind. II. v. Veluti. — *Iniectis per crura funibus.* XIV, 7. hirſutis reſticulis cruribus innexis. — *Aram*, Deae Monetae in numis illius aetatis ſaepe conſpiciendae dicatam. W.

In moneta, quam regebat.] *Monetam* vocat locum ipſum cudendis nummis deſtinatum, ut non ſemel in Codic. Theod. et Iuſtin. In veteri urbis C. P. Deſcriptione: *Monetam, Portum Theodoſiacum, Vicos undecim*, etc. Sidon. Apollin. Carm. 23.

Delubris, Capitoliis, Monetis.

Macrobius in Somnium Scip. lib. I. cap. 6. p. 54. *Semine ſemel intra formandi hominis monetam locato.* LINDENBR.

Cirros puerorum licentius detondebat.] Ex more ac diſciplina religionis Chriſtianae Theodorus hic fecit, qua inſolens viſum luxuriantibus capillis deliciari: quos etiam qui devotiores, ἐν χρῷ et ad cutem usque detondere ſolebant. Salvianus Maſſil. de Gubernatione Dei lib. VIII. *Non ſine cauſa itaque iſtud fuit, quod inter Africae civitates, et maxime intra Karthaginis muros palliatum et pallidum, et reciſis comarum fluentium iubis usque ad cutem tonſum videre, tam felix ille populus, quam infidelis ſine convicio atque exſecratione vix poterat. Et ſi quando aliquis Dei ſervus, aut de Aegyptiorum coenobiis, aut de ſacris Hieruſalem locis, aut de ſanctis eremi venerandisque ſecretis ad urbem illam officio divini operis acceſſit, ſimul ut populo apparuit, contumelias, ſacrilegia, et maledictiones excepit*, etc. Atque hinc paullatim raſura clericalis originem ſumſit. LINDENBR.

Cirros puerorum lic. detondebat.] Id eſt, ut exiſtimo, Lectores ordinabat. Nam iis temporibus ingenui adoleſcentes admodum pueri ad id officium cooptabantur, ut de Gallo et Iuliano ſcribunt Auctores Hiſt. Eccl. Paulinus in Epithalamio Iuliani, et in Natali S. Felicis:

— — *Primis Lector ſervivit in annis.*

Quicumque autem Clerici capiebantur, iis ſtatim demebatur coma: unde tonderi dicuntur abſolute, qui Clero mancipantur, apud Gregorium Turon. aliosque. Sed fortaſſe nihil hoc in loco eiusmodi intelligendum eſt, maxime cum Diodorus, de quo hic ſermo eſt, Comes dicatur, non Epiſcopus. VALES. Hanc quidem ob cauſam non erat, quod dubitaret Valeſius. *Aedificandae Diodorus praeerat eccleſiae*, cuius ſine dubio et hoc erat, ut de ſacerdotibus in anteceſſum cogitaret. Fortaſſe tamen odium contraxerat civium eo, quod *licentius* ageret, invitisque vel parentibus, vel pueris ipſis eos, (ut Veſtales olim virgines) caperet. — Gentiles contra Camillorum comas aluiſſe, notum eſt. W.

Id quoque ad Deorum cultum exiſtimans pertinere.*] Hunc locum illuſtrat Theodoritus in Quaeſtionibus in Leviticum capite 28. ita ſcribens: εἰώθασιν Ἕλληνες μὴ ἀποκείρειν τῶν παιδίων τὰς κορυφὰς, ἀλλὰ μαλλοὺς ἐᾶν, καὶ τούτους μετὰ χρόνον ἀνατιθέναι τοῖς δαίμοσιν. *Solent Graeci* (id eſt Gentiles) *capita puerorum non detondere, ſed cirros relinquere; eosque poſtea daemonibus dedicare. VALES.

10. *Dilaniata cadavera peremptorum camelis impoſita.*] Cum ipſis cadaveribus hos camelos combuſtos Socrates ait Hiſtor. Eccleſ. lib. III. cap. 2. LINDENBR.

Vexit ad lacus.] In codice Reg. legitur *ad litus.* melius, ni fallor. *In Mſ. quoque Toloſ. legitur *ad litus:* [in Colbertino *ad latus*, male.] VALES.

**Cineres proiecit in mare.*] Vid. Velſeri Anpot. in Paſſion. Afrae p. 55. b.* LINDENBR.

Ne collectis ſupremis (ſuprema et cineres XXV, 10.) *exſtruerentur* illis *aedes.* Iac. Gothoſredus ad Cod. Theodoſ. Tit. de ſepulcr. viol. T. III. p. 163. Ritter. pro *aedes* legendum arbitratur *ſedes*, quum litera S. occaſione vocis praecedentis facile excidere potuerit: *ſepulcrum* ſaepe ap. veteres ſedem appellari. Nihil tamen mutandum apud Ammianum cenſer *van Dorp* in Obſ. Trai. ad Rhenum 1769. editis p. 19. ſ. aedes enim dici etiam Caſulas, et Hypogaea, quae ſepulcris exſtruantur, easque aedes ſaepius in lapidibus literatis occurrere. W.

11. *Miſſoque edicto.*] Exſtat Iuliani edictum, ſive epiſtola potius, hac de re apud Socrat. lib. III. cap. 3. et in volumine Epiſtolar. Iulian. num. 10. cuius etiam Caſſiodorus Hiſtor. Tripart. lib. 6. cap. 9. aliique Eccleſiaſticae rei Scriptores meminerunt. LINDENBR.

Miſſoque edicto, etc.] Exſtat hoc edictum apud Socratem in libri III. capite III. VALES.

CAPVT XII.

2. *Recentibus etiamtum.*] Mſſ. codicum lectionem hic reſtitui, quam primus Gelenius mutaverat. Sic autem loquitur Marcellinus noſter in fine huius libri: *Et recalet adhuc apud quosdam licet raros conſideratio mundani motus.* Et in Collatione 3. Carthaginenſi Petilianus Epiſcopus dicit: *Me id petiſſe, adhuc recalent geſta.* VALES.

Digitized by Google

Recalentibus revivisscentibus XXVIII, 1. *etiam tum Regum et Regalium precibus*, quae vox si sana est, quem sensum huic loco aptum habeat, vix video. Imprecationes, dirae huc non quadrant; quid? si pro *postulatis* posuerit Ammianus singularium amans? Gallicus interpres vertit *odiis* (haine) bene ad sensum. W. Difficultatem inepta movit interpunctio. *Recalentibus* iungi debet non cum *precibus*, sed cum *armis*, ut *efferarum gentium* Alamanniae arma recaluisse dicantur precibus *Regum et Regalium* Persiae. ERF.

3. *Obtrectatores desides et maligni.*] Christianos intelligit, qui hanc Persicam Iuliani expeditionem, ut intempestivam, nondum rebus Romanis intus probe constitutis, reprehendebant: ut videre est in Philippica 2. Gregorii Nazianzeni. VALES.

Unius corporis permutatione] Constantii morte ad unum translata potestate. — *Bonis suis protinus occasurum* nimia laudum adhuc partarum fiducia mortem sibi acceleraturum. W.

4. *Pygmaei vel Thiodamas agrestis homo Lindius.*] Philostratus Icon. lib. II. de Pygmaeis: ἀλλὰ τοῦ θράσους, ἐπὶ τὸν Ἡρακλέα οὗτοι, καὶ ἀποκτεῖναί φασι καθεύδοντα. Hercules vero τοὺς πολεμίους πανσυδὶ συλλεξάμενος, ἐς τὴν λεοντῆν ἐντίθεται. Et recte in Ammian. restituimus *homo Lindius*: nam τὸ *Lydius*, quod in vulg. habetur, corruptum est. Vid. Philostrat. in Theodamante. LINDENBR. Pygmaeos gentem Indiae, Plin. VII, 3. fuisse narrant, unius cubiti longitudine, qui cum gruibus bella gesserint. Homer. Iliad. III, 3. Sine dubio simiarum genus pro hominibus habitum. *Lindius* coniecit etiam Iunius Animadv. p. 213. Est autem *Lindus* urbs insulae Rhodi. W.

Thiodamas agrestis h. Lindius.] Apollodorus in Bibliotheca II, 5, 11. bubulcum illum Rhodium, qui Herculem conviciis laceravit, tacito nomine memorat: sed Theodamantem ab eo distinguit II, 7, 7. quem quidem Dryopium bubulcum facit. VALES. Memoria fefelliſſe videtur Ammianum, ut Dryopium cum Rhodio confunderet. W.

5. *Secum commentans*] diligenter perpendens, eodem sensu, quo Cicero Tusc. 1, 30. totam philosophorum vitam ait *commentationem* mortis. W.

6. *Hostiarum sanguine plur. aras perfundebat, tauros aliquoties immolando centenos.*] Zonaras in Iuliano pag. 22. ἔθυε δὲ τῷ Δαφναίῳ Ἀπόλλωνι ἑκατόμβας ὅλας.* LINDENBR.

Avesque candidas.] Restitui scripturam codicis Regii ac Florentini, *et Tolos.* [ac Colbert.] In Editione Rom. legebatur *auresque*, ex quo Castellus correxerat *ovesque* inepte: quippe cum Marcellinus innumeros varii pecoris greges iam dixerit. Adde, quod oves candidas invenire non magni laboris est. Aves itaque scripsit Marcellinus, quas Iulianus suis saepe manibus prosecabat, ut praedicat Libanius in Orat. Consulari p. 246. VALES. Paulo ante de Leuce insula: *Ibi et aquae* (ubi ex paterno exemplari video esse qui scribendum iudicaverit *aquilae*) *sunt, et candidae aves nascuntur halcyonibus similes.* GRON. Aves candidas boni ominis fuisse habitas coniiciunt nonnulli ex *gallinae filio albae* ap. Iuvenal. XIII. 141. W.

Ex publicis aedibus.] Templa Deorum intelligit, in quibus Iulianus victimas immolabat, et idolothyta militibus dividebat.

Addit Marcellinus: *Ubi vindicandis potius quam cedendis conviviis indulgebant.* Non quod novum insolensque esset, Gentiles in templis convivari: id enim in usu fuisse docet Vopiscus in Tacito, aliique plures. Eoque alludit Tertullianus de Corona, cum dicit: *Et excubabit pro templis, quibus renuntiavit: et cenabit illic, ubi Apostolo non placet.* Sed Marcellinus vindicanda haec convivia appellat, cum homines in templis Deorum immortalium foede inebriantur. Sic autem scribendum esse hunc locum existimo: *Ubi vindicandis potius quam sedandis conv. indulgebant.* Quemadmodum loquitur Diocletianus in lege contra Manichaeos: *Cum vel cohibenda sint, vel etiam vindicanda.* Idem error in Epist. Ambrosii 24. occurrit: *Malui iurgium compositione cedere, quam pronuntiatione acerbare.* Scribendum enim est *sedare.* VALES.

Concedendis] Fateor, in mea officina excusum. *Cedendis*, quod ante me omnes, nihili est, nec placebat, quod Valesius reponere voluit, *sedandis.* Syllaba *con*, per scripturae compendium in libris plerumque obvia, facile potuit excidere. Ceterum totus locus placet, in quo dubium, ridere an indignari Ammianus voluerit. W.

7. *Caerimoniarum ritus*] Alterutrum sufficiebat. W.

Quisque cum impraep. liceret scientiam vaticin. professus.] Quod quidem capitale fuerat sub Constantio, ut praeter Marcellinum nostrum tot in locis, docet Libanius in Orat. de vita sua pag. XI. (Reisk. I. p. 21.) et tot leges Constantii de maleficis et mathematicis, in Codice relatae. Eleganter Mamertinus in Gratiarum actione ad Iulianum c. 23. *Suspicere*, inquit, *in caelum licet, et securis contemplari astra luminibus, qui paullo ante pecorum ritu in humum visus trepidos figebamus: quis enim spectare auderet ortum sideris, quis occasum? Ne agricolae quidem, quorum opera ad motum signorum caelestium temperanda sunt, tempestatum praesagia rimabantur. Ipsi nautae, qui nocturnos cursus ad astra moderantur, stellarum nominibus abstinebant.* Sub Iuliano itaque Mathematicis, et haruspicibus, et ariolis libera fuit artes suas exercendi licentia, adeo ut modum in eo etiam Marcellinus desiderarit. Libanius in Orat. funebri, pag. 291. (Reisk. I. p. 564.) inter laudes Iuliani praedicat, καὶ μάντεις ἐλεύθεροι φόβου: et in vita sua, p. 41. VALES.

Docilis] peritus, cf. XVI, 12. W.

8. *More pacis*] quasi pax esset, uti XXIII, 5. W.

Venas fatidicas Castalii recludere cogitans fontis.] Copiose haec narrat Sozomenus Histor. Eccles. lib. V. cap. 18. LINDENBR.

Castalii fontis.] De quo Gregorius Naz. in Orat. 2. in Iulianum, quas Philippicas soleo vocare: πάλιν ἡ Κασταλία σεσίγηται καὶ σιγᾷ, καὶ ὕδωρ ἐστὶν οὐ μαντευόμενον, ἀλλὰ γελώμενον. Ubi lege quae Nonnus Scholiastes adnotat. VALES.

Quem obstruxisse Caesar dicitur Hadrianus.] Sozom. lib. V. cap. 18. LINDENBR.

Circumhumata corpora statuit exinde transferri.] Praecipue reliquias Babylae Martyris. Sozom. lib. V. cap. 17. Evagrius lib. I. cap. 16. Rufinus Histor. Eccles. cap. 35. *Zonar. in Iuliano p. 22.* LINDENBR.

Digitized by Google

Venas fatidicas Caſtalii fontis] non Delphici illius in radicibus Parnaſſi, ſed Syriaci prope Daphnen Antiochiae, ubi tum commorabatur Iulianus. — *Quem obſtruxiſſe dicitur Hadrianus.* Rem omnem narrat Sozomenus H. E. v. 19. Hadrianum nempe adhuc privatum, cum comperiſſet, fontem iſtum de imperio cogitantibus futura praedicere, folium lauri immerſiſſe, cui extracto inſcriptam invenerit futuri ſpem imperii (quas praeſtigias imitari liquore aliquo facile poſſe chymicum quemque notat van Dalen de orac. p. 282.) obſtrui tamen iuſſiſſe, ne alii ſimilia docerentur. — *Circumhumata corpora*, hoc eo pertinet, quod ibidem Sozomenus refert, Gallum Caeſarem, Chriſtianum quippe, ut locum ſuperſtitione gentilium purgaret, praeter alia et oſſa martyris Babylae Daphnen pertuliſſe. W.

Eo ritu, quo Athenienſes inſulam purgaverant Delon.] Herodotus lib. 1. c. 64. Καθήρας δὲ ὧδε, ἐπ' ὅσον ἔποψις τοῦ ἱροῦ εἶχεν, ἐκ τούτου τοῦ χώρου πάντας ἐξορύξας τοὺς νεκροὺς μετεφόρεεν ἐς ἄλλον χῶρον τῆς Δήλου. LINDENBR.

Athenienſes inſ. purgaverant Delum.] Bis eſt ab Athenienſibus purgata Delos ex Apollinis reſponſo. Primo enim eam purgavit Piſiſtratus, ut narrat Herodotus 1, 64. Sed cum Piſiſtratus haud totam inſulam purgaviſſet, ſed quantum duntaxat e templo quaquaverſus proſpici poterat, rurſus eam Athenienſes integram iuſſu oraculi luſtraverunt anno 6. belli Peloponneſiaci, ut fuſe narrat Thucydides in lib. 3. c. 104. (ubi vid. Interpretes p. 571. Bip. Vol. 2. Cf. etiam lib. 1. c. 8. W.) Diodorus Siculus in 12, 58. VALES.

CAPVT XIII.

1. *Daphnaei Apollinis fanum, quod Epiphanes.*] Sozomenus lib. v. cap. 18. a Seleuco patre Antiochi conditum ſcribit: qui haloſin quoque eius narrat lib. eod. cap. 19. De Antiocho Epiphane vid. Euſtath. in Dionyſ. ad illum verſ. Ἀντιόχοιο μέσην, pag. 118. LINDENBR.

Daphnaei Apollinis fanum, quod Epiphanes Antioch.] Immo Seleucus Nicator id templum primus conſtituiſſe dicitur, teſte Libanio in Antiochico, p. 349. et Sozomeno in lib. 5. cap. 19. Nam cum ei inter venandum in eo loco aureus teli mucro e terra ſe oſtendiſſet, ſimulque draco capiti ſupervolans apparuiſſet, memor veteris oraculi quo Daphnen Apollini conſecrare monitus fuerat, locum Apollini ſacravit, nemusque ac templum addidit, ut ait Libanius: in quo legendum eſt, καὶ αὐτίκα τέμενός τε ἀπεδέδεικτο, καὶ φυτὰ καὶ νεὼς ἐδέχετο, etc. Sed fortaſſe Antiochus Epiphanes hoc Apollinis templum auxit, et donariis ornavit. Ludos certe magnificentiſſimos ab eo Daphne celebratos fuſe deſcribit Polybius apud Athenaeum p. 194. c. VALES. Cf. etiam Gibbon. T. v. p. 400. 408. ſſ. W.

Simulacrum in eo Olympiaci Iovis] de quo Phidiae immortali opere vide Pauſaniam v, 11. et *Völkel* ſingulari libello *über den Tempel u. die Statue des Jupiter zu Olympia* L. 1794. *Aequiparans magnitudinem*, quae ſexaginta pedum eſſe dicitur. — De Daphne omnino vide ſupra XIX, 12. et quos ibi laudavi-

mus, quibus adde modo laudatum Sozomenum c. 19. et *Gibbonum* P. v. p. 400. ff. qui ex priſcis auctoribus undique decerpta in unum collegit ſertum. W.

2. *Suſpicabatur enim id Chriſtianos.*] Id certe affirmat Iulianus in Miſopogone p. 361. Spanh. his verbis: ἐπεὶ δὲ ἀπεπέμψαμεν τὸν νεκρὸν τῆς Δάφνης, οἱ μὲν ἀφοσιούμενοι τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ἐξ ὑμῶν ἀντέδωκαν τοῖς ὑπὲρ τῶν λειψάνων ἠγανακτηκόσι τοῦ νεκροῦ τὸ τέμενος τοῦ Δαφναίου θεοῦ. οἱ δὲ, εἴτε λαθόντες εἴτε μὴ, τὸ πῦρ ἐδείξαν ἐκεῖνο. *Poſtquam vero cadaver ex Daphne amovimus, quidam ex vobis minus erga Deos religioſi, templum Daphnaei Apollinis tradiderunt iis, qui ob mortui reliquias amotas erant infenſi. At illi ſeu clam, ſeu aliter, templum incendio conſumpſerunt.* VALES.

3. *Rumore leviſſimo*] Imperator enim enuntiari hanc veram cauſam noluit. W.

Ambitioſo circumdari periſtylio.] Id eſt, atriis columnariis ampliſſimis, ut in hoc lib. xxii. cap. 16. ubi de Serapii deſcriptione. *Statius Silvar. 3. pag. 69. *Innumeris ſpatia interſtincta columnis.** Gloſſarium vetus: *Periſtylium*, περίστυλον; et alibi: περίστυλον, *manſio*. Pollux lib. 1. cap. 8. Εἴποις δ' ἂν τὸν περίστυλον τόπον περιχίονα, καὶ γὰρ στύλος καὶ κίων ὀνομάζεται, κατὰ δὲ τοὺς Ἀττικοὺς περίστοον. *Periſtylii* voce Vitruvius utitur lib. iii. cap. 1. lib. vi. cap. 4. *et 9. Suet. lib. 2. cap. 82. Plin. Epiſt. 72. ad Traian. Cicero pro domo, *ampliſſimum periſtylium*. Varro apud Nonium in Sabulum.* LINDENBR.

Aſclepiades Philoſophus.] Hic Aſclepiades Cynicae ſectae Philoſophus ad Conſtantii comitatum venerat tempore Magnentiani belli, ut Marcellinus indicat. Iulianus in Orat. ad Heraclium πῶς κυνιστέον, eius meminit: ἀνῆλθεν ὁ Ἀσκληπιάδης, etc. VALES.

Deae Caeleſtis.] Vid. P. Pithoei Adverſar. lib. 1. cap. iv. *Proſper. de Provid. lib. 3. cap. 38.* LINDENBR.

Deae Caeleſtis.] Caeleſtem Deam Carthagine praecipue cultam eſſe pervulgatum eſt, quam leoni inſidentem fingere ſolebant, ut docet Apuleius in principio lib. 6. *Magna Iovis germana, et coniuga, ſeu tu Sami tenes vetuſta delubra, ſive celſae Carthaginis, quae te virginem vectura leonis caelo commeantem percolit, beatas ſedes frequentas.* Unde Tertullianus in Apologet. cap. 12. *Ad beſtias*, inquit, *impellimur. Certe, quas Libero, et Cybele, et Caeleſti applicatis.* Et Dio in Helagabalo 79, 12. ſcribit, eum, cum Uraniam Carthaginenſium Deo ſuo deſpondiſſet, dona propter nuptias a ſubditis exegiſſe: dotem autem accepiſſe leones duos aureos, qui Uraniae appliciti erant. Ceterum huius Caeleſtis cultum Carthaginenſes a Phoenicibus, quippe Phoenicum coloni, didicerant. Phoenices enim et Aſſyrii Venerem οὐρανίαν magnopere colebant, teſte Herodoto in lib. 1. et Pauſania in Atticis. Herodianus etiam in lib. 5. refert, quam Afri Uraniam ſeu Caeleſtem vocant, eam a Phoenicibus dici ἀστροάρχην: quod confirmat Marcianus Capella in lib. 8. principio: *Aſtroarchemque, Uraniam certe Libyſſam apparuiſſe rati, locum conſeſſionis honoratiſſimae praebuere.* VALES.

Breve ſigmentum, imagunculam, *quocumque ibat, ſecum ſolitus efferre* quod et Appuleius non uno loco de ſe profitetur,

v. c. p. 506. ed. Floridi: „morem mihi habeo, quoquo eam, ſimulacrum alicuius Dei inter libellos conditum geſtare." W.

Accenſisque cereis ex uſu ceſſit.] Paganae ſuperſtitionis inſtitutum fuit, cereos ante idola accendere. Hieronymus lib. XVI. c. 57. in Eſaiam: *Tutelae ſimulacrum cereis venerans et lucernis.* Quod cum in Chriſtianorum quoque Eccleſiis frequentari Vigilantius Barcilonenſis animadverteret, aegre admodum tulit: eius haec verba refert D. Hieronymus: *Prope ritum gentilium videmus, ſub praetextu religionis introductum in Eccleſias, Sole adhuc ſulgente moles cereorum accendendi,* etc. Sed moris huius cauſam erudite admodum D. Hieronymus in Tractatu contra Vigilantium docet. LINDENBR.

Medietate noctis emenſa] paullo poſt mediam noctem. — *Ignes aridis nutrimentis erecti* maiorem vim adepti. Reineſius malebat eVecti, praeter neceſſitatem. W.

4. *Aquarum inceſſit inopia.*] Ex qua caritas annonae conſecuta eſt, ut docet Libanius in Orat. quae *πρεσβευτικὸς* ſeu legatio inſcribitur, et in vita ſua, pag. 42. in qua quidem paenuria Iulianus tredecim millia modiorum tritici Antiochenſibus largitus eſt. Libanius in legatione, pag. 168. et Iulianus in Miſopogone. De hac aquarum paenuria Chryſoſtomus in Oratione 1. et 2. in Babylam pag. 724. et 781. et Homilia IV. de laudibus S. Pauli ſub initium; item Homilia 4. in S. Matthaeum, ubi hanc ſiccitatem adſcribit Iuliani Aug. ſacrificiis, quibus capita fontium polluerat: denique in Homilia 39. in Epiſtolam priorem ad Corinthios. VALES.

Aquarum pulſibus] cf. XV, 4. W.

5. *Reliqua*] e priori terrae motu, XVII, 7. W.

CAPVT XIV.

1. *Suſceptae popularitatis amore vilitati ſtudebat venalium rerum.*] Sozomenus Hiſtor. Eccleſ. lib. V. cap. 18. Socrat. lib. III. cap. 15. Caſſiodor. lib. VI. cap. 40. LINDENBR.

Suſcepta popularitatis amore.] Caſaubonus ad Hiſtoriam Auguſt. adnotavit ſcribendum eſſe *ſuſcepto:* ſed cum in codice Regio [et Colbert.] et in Editione Rom. ſcriptum invenerim *ſuſcepta,* auctoritatem eorum exemplarium ſequi malo. Quid enim planius hac ſcriptura? *Nulla probabili ratione ſuſcepta, popularitatis amore vilitati ſtudebat venalium rerum.* Iulianus enim cum plebem infimam, ſtatim atque Antiochiam ingreſſus eſt, in theatro clamantem audiſſet, annonam nimis caram eſſe; annonae pretium conſtituit, aureum ſcilicet pro XV. modiis. Et ipſe primus frumentum quod ex Aegypto ſibi advectum fuerat, venale in foro propoſitum, eo quo dixi pretio vendidit. Sed Curiales cum eam vilitatem viderent, frumentum quidem Principis emerunt; ſuum autem in agris ſuis extra Antiochiam maiore pretio vendiderunt. Quod cum indigne ferret Iulianus, Curiales omnes in Palatium accitos acerbe increpuit, et in cuſtodiam duci iuſſit: ſed mox miſſo milite unumquemque in domum ſuam dimitti

Digitized by Google

praecepit, ut narrat Libanius in Orat. funebri, p. 306. (Reisk. I. p. 587.) et Iulianus in Misopogone. VALES.

Vilitati studebat.] Adeo non puduit maximos olim Principes curam publicae annonae gerere, petentique populo vilitatem proponere. Exemplum suppeditat Tacitus in fine lib. 2. de Tiberio, et Lampridius in Alexandro Severo. Idatius denique in Fastis, Constantio IV. et Maximiano IV. Coss. *Vilitatem*, inquit, *Imperatores iusserunt esse.* Id tamen moderate et cum iudicio fieri debet: alioquin, ut ait Marcellinus in hoc loco, vilitas aliter quam convenit ordinata, inopiam gignit et famem. Quod sane de Commodo testatur Lampridius c. 14. *ipse vero*, inquit, *sacculum aureum Commodianum nomine assimulans, vilitatem proposuit, ex qua maiorem postea penuriam fecit.* Itaque in Iuliano id merito reprehendit Socrates in lib. 3. cap. 15. VALES.

2. *Galli similis fratris, licet incruentus*] v. XIV, 7. W.

Obtrectatores] uti Syri omnes, ita Antiocheni inprimis ob dicacitatem et scurrilitatem male audiebant. W.

Volumen composuit invectivum, quod Antiochense vel Misopogonem app.] Gregor. Nazianz. Zosimus lib. III. 11. pag. 713. in Iulian. Orat. 2. *Zonaras in Iuliano,* Socrat. Histor. Eccles. lib. III. cap. 15. Sozomenus lib. v. cap. 18. Cassiodorus lib. VI. cap. 40. Nicephorus Callistus lib. x. cap. 27. LINDENBR.

Volumen composuit invectivum, quod Ant. vel Misopogonem.] Hic locus fraudi fuit viro doctissimo, qui Misopogonem adnotavit a Iuliano scriptum esse sub finem anni 362. Mamertino et Nevitta Coss. sed Iulianus ipse in eo elegantissimo Satyrico aperte significat, sequenti anno scriptum fuisse. Etenim et Calendarum Ian. meminit, quibus Consul ipse processit, et votorum. εἶτα ἡ πάγχοινος ἑορτὴ, etc. quem locum in Notis ad lib. 23. explicabimus. Et Iuliani avunculi sui mortem commemorat, qui anno D. 363. interiisse dicitur a Marcellino. Postremo in pag. 66. Antiochenses inducit conquerentes, quod gravitatem ac tristitiam ipsius septimo iam mense tolerarent. Ingressus autem erat Antiochiam sub exitum mensis Iunii, ut supra notavi. Igitur affecto iam mense Ianuario id opus Iulianus edolavit. Proinde male Consulatu Mamertini et Nevittae id retulit Marcellinus: qui neque causam ipsam, propter quam id volumen est scriptum, satis expressisse mihi videtur. Consule Socratem in lib. 3. cap. 15. et Sozomenum in v. VALES. Et quoties id fit vel ab accuratissimis, ut aliquid in narrando praecipiant? Quae vero hic culpa Ammiani, qui diserte monet id *deinceps* compositum? Et ad quod quaeso tempus illam voculam referre possumus, quum iam quarto nonas decembres facta enarrasse ostenderit? Utique minimum ad anni sequentis aliquam partem. ORON. Cf. Gibbon. T. v. p. 450. W.

Addensque veritati complura] falsa nempe. Haec Ammianum amore patriae, (erat enim Antiochenus, uti patet ex epistola quadam Libanii ad eum data) scripsisse iudicat Vales. in praef. p. LXXVI. sq. W.

3. *Cercops.*] Vid. Suid. in Κέρκωπες. LINDENBR.

Cercops] Cercopithecus, caudatarum genus simiarum, ad ignominiam deinde dicti homines vel deformes, vel fraudulenti. Vide, si tanti est, ad Alciphronem I, 28. olim adnotata. W.

Barbam prae se ferens hircinam.] Lib. XXV. c. 4. *Hirsuta barba in acutum desinente vestitus:* qualis Philosophorum *(quorum mores Iulianus adfectabat,) barba erat. Arnob. lib. 6 *barba boni ponderis et philosophicae densitatis.** Apuleius Milet. XI. *Nec ille deerat, qui Magistratum fascibus purpuraque luderet: nec qui pallio, baculoque, et buxeis, et hircino barbitio Philosophum fingeret.* Hieronymus ad Eustoch. de Virginit. *Hircorum barba, nigrum pallium, et nudi patientia frigoris pedes.* Et convicium habebatur, hoc nomine censeri: ut Plautus in Pseudol. Scen. *Minus mal.*

Heus tu, qui cum hirquina adstas barba.

Hinc *capella* vocatus fuit Iulianus. Sup. lib. XVII. c. 11. *In odium venit cum victoriis suis capella, non homo.* Eoque nomine ipse Iulianus Persas appellat, lib. XXIV. c. 8. *Deformes illuvie capellas et taetras.* LINDENBR.

Barbam prae se ferens hircinam] quam animalcula quaedam molesta perambulasse fatetur ipse in Misopogone p. 338. VV.

Grandiaque incedens.] Aperte graecissat: est enim plane id, quod apud Homerum saepe occurrit, *μακρὰ βιβάς.* VALES.

Oti frater et Ephialtis, quorum proceritatem Homerus.] Homer. Odyss. λ. 307. ff. *Hyginus fab. 28.* LINDENBR.

Et victimarius.] Idem dicit Zonaras: *οἱ Ἀντιοχεῖς ἀποσκώπτοντες εἰς αὐτὸν, θύτην ἔλεγον, ἀλλ' οὐ βασιλέα σφίσιν ἐπιδημῆσαι· καὶ διὰ τὸ καθειμένον ἔχειν ἐκεῖνον τὸν πώγωνα, τράγον αὐτὸν ὠνόμαζον: Antiochenses eum irridentes, victimarium aiebant, non Imperatorem ad se venisse, et ob demissam barbam hircum eumdem appellabant.* Sane Iulianus victimas saepe instar popae ipse iugulabat: eumque ab huiusmodi in sacrificando *αὐτουργίᾳ* commendat Libanius in Orat. Consulari. VALES.

Pro Sacricola.] Eadem voce utitur Tacitus in 3. Hist. c. 74. *Domitianus linteo amictu turbae sacricolarum immistus, etc.* Et Apuleius in lib. 4. Floridorum (p. 818. ed. in usum Delph.) *Sum enim non ignotus illius sacricola, nec recens cultor:* denique Solinus. (ad quem vid. Salmas. p. 9. W.) VALES.

Vehens lic. pro sacerdotibus sacra.] Proprium sacerdotum est, sacra ferre. Unde Virgilius cum in 2. Georgic. v. 275. ait,

Me vero primum dulces ante omnia Musae,
Quarum sacra fero;

Musarum se sacerdotem esse significat, ut recte notavit Servius. Ministri autem qui sacra ferebant, proprie *ἱεροφόροι* dicuntur a Graecis, ut est apud Plutarchum de Iside et Oiride. Firmicus in lib. 3. cap. XI. *Prophetas, aut vestitores divinorum simulacrorum faciet, aut divinarum baiulos caeremoniarum.* In Graeco unde ea transtulit Firmicus, sic fuisse non dubito: *προφήτας, ἢ ἱεροστόλους ποιήσει ἢ ἱεροφόρους.* Nam et Plutarchus *ἱεροστόλους* (*ἱεροστολιτὰς* vocat Porphyrius in 4. de abstinentia) et *ἱεροφόρους* coniungit. VALES.

**Stipatusque mulierculis.*] Hanc pompam Iuliani luculente describit Iohannes Chrysostomus in Oratione contra Gentiles pag. 761. *Equus,* inquit, *Regius et Protectores longo post intervallo sequebantur: lenones vero et productrices mulierculae, et impurissimorum hominum colluvies Imperatorem undique stipa-*

bant cum cachinnis et vocibus quae huiusmodi homines decebant. Hunc comitatum in deliciis habebat Imperator, hos per fora et vicos circumducebat, prae his Duces contemnens et Praesides. VALES.

4. *Casium montem.*] Qui Antiochiae erat ad meridiem, ut docet Libanius in Antioch. pag. 372. Hegesippus in lib. 3. cap. 5. sic dictus a Caso Cretensi, qui Casiotim partem Antiochiae condidit, teste ibidem Libanio. Hinc ὀροκασσιὰς arx Antiochiae dicta, ut ait Procopius in 2. de fabricis. VALES. Distinguendus hic mons ab altero in Aegypto prope Pelusium. Cf. Salmas. ad Hadriani Spartianum p. 132. f. et Penzel in Adnotatt. ad Strabonis interpretationem vernaculam p. 2293. W.

Unde secundis galliciniis videtur primi Solis exortus.] Iul. Solinus cap. 39. *In Seleucia alter Casius mons est Antiochiae propinquus, cuius e vertice vigilia adhuc quarta conspicitur globus Solis, et brevi corporis circumactu, radiis caliginem dissipantibus, illinc nox, hinc dies cernitur.* Plinius lib. v. cap. 22. Marcian. Capella lib. 6. p. 255. LINDENBR.

Iovi faceret rem div.] Iovi scilicet Casio. Libanius in legatione ad Iulianum sub finem: *ἱκετεύει σε πόλις πολλοὺς σοι θεοὺς παρασχομένη συμμάχους οἷς ἔθυσας, τὸν Δία, τόν τε ἐπὶ τῇ κορυφῇ, καὶ τὸν ἐν ἄστει, παρ' ὃν εἰσῆλθες ὕπατος. Supplicat tibi civitas, quae multos tibi auxiliares Deos praestitit: Iovem tum eum qui in montis vertice, tum illum qui in urbe est, cuius templum Consul adiisti.* Iovem Casium, et Philium intelligit. De Iove Casio Libanius loquitur in Antiochico, pag. 354. et in Epist. 637. et nummus Traiani hanc habet Inscriptionem: Διὸς Κασίου; ex altera parte: Σελευκέων π. Συρίας. VALES.

Praesidalem esse Theodotum.] Praesidalis dicitur, qui Praesidatu functus est. Sic Fidustius quidam Praesidalis dicitur in lib. 29. initio: et Bonosus quidam a Symmacho in Epist. 71. lib. 4. vir Praesidalis vocatur, quem in lib. 5. geminae administrationis integritate conspicuum appellat. Eadem forma qua Sacerdotalis, et Proconsularis dicuntur, qui Sacerdotium provinciae, et Proconsulatum gessere. In veteribus Glossis Praesidalis ἡγεμονικὸς dicitur. Sane Graeci illos quos Latini Praesides, ἡγεμόνας vocant. Sic apud Eusebium in lib. 2. de vita Constantini cap. 23. et alibi: et apud Hieroclem ἐν συνεκδήμῳ, (quem librum Constantinus περὶ θεμάτων laudat frequenter) ἐπαρχία ὑπὸ ἡγεμόνος est provincia Praesidalis. VALES.

Theodotum Hierapolitanum] Quae de se ipse fatetur in sequentibus Theodotus, facta sunt eo tempore, quo Constantius Hierapoli fuit, XXI, 13. — *Dubietate.* Vox sequioris aetatis, uti *nimietas* XIX, 4. Cf. Interpretes ad Eutrop. p. 377. ed. Tzschuck. *Magnentii membrum* caput. W.

Iuliani ad eos mitteret caput perduellis ingratt.] Solent hoc modo puniri perduelles atque tyranni: exempla affatim exhibet Historia Augg. Capitolinus in Maximinis c. 23. *Statim Maximini statuae atque imagines depositae sunt, et eius Praefectus Praetorio occisus est, cum amicis clarioribus. Missa etiam Romam capita sunt eorum.* Spartianus in Pescen. Nigr. c. 6. *Huius caput circumlatum pilo Romam missum, filii occisi, necata uxor, patrimonium publicatum.* Sic Gainae caput hastili praefixum

Digitized by Google

Conſtantinopolim adductum fuit. Et Athenodoro Iſaurorum primo, in Iſauria capto decollatoque, *caput eius Tarſum civitatem allatum pro portis haſtili fixum extabuit.* Marcellinus Comes Indict. v. Anaſt. Aug. Coſ. LINDENBR.

5. *Ut prudens definivit, inimicorum minuere numerum, augereque amicorum ſp.*] Reſpexiſſe videtur ad Socratis dictum, de quo ſic Stobaeus Sermone CCXIII. Ὁ αὐτὸς ἐπερωτῶν Κροῖσον, τί παρὰ τῆς βασιλείας ἔσχε τιμιώτατον; εἶτα ἐκείνου εἰπόντος, τὸ τοὺς ἐχθροὺς μετελθεῖν, καὶ φίλους εὐεργετεῖν, πόσῳ μᾶλλον (ἔφη) χαριέστερον ἐποίησας, εἰ καὶ τούτους εἰς φιλίαν μετετρόπωσας. * Vid. Apophthegm. Graece in Ariſtide p. 339.* LINDENBR.

Ut prudens definivit.] Socrates, teſte Themiſtio in Orat. IX. VALES.

6. *Rectoris Aegypti*] „Ecdicii. — Ridiculus error Baronii Ann. T. 4. p. 36. Iſta Ammiani recenſens, cum vero apud Iovem Caſium, inquit, eſſet, illuc ad eum profectos ait Ammianus rhetoras Aegypti atque de inveniendo Api ſpem Iuliano iniecisse.“ Reineſius. W.

7. *Antiquis obſervationibus*] ritibus, cultu. W.

Mnevis et Apis.] Diodorus Sicul. lib. I. c. 21. Herodotus lib. III. 27. 28. Strabo lib. XVII. p. 807. Almel. Aelianus Hiſtor. anim. lib. XI. cap. X. et XI. Tacitus Hiſtor. lib. V Pompon. Mela lib. I. cap. 9. Plinius lib. 8. cap. 46. Solinus cap. 35. Euſebius de praepar. Evang. lib. II. cap. I. lib. III. cap. 3. Libanius Sophiſt. in Oration. de bovis laudatione, pag. 96. Macrobius Saturnal. lib. I. cap. 21. Michael. Glycas lib. II. pag. 180. Pl. Lactantius in Stat. Theb. lib. III. LINDENBR.

Mnevis Soli ſacratur] antiquior Apide, poſtea prae hoc neglectus. Heliopolitae pro Deo coluerunt. Aelian. Hiſt animal. XI, 11. Plin. VIII, 46. Iablonsky Pantheon II, 262. ff. *Sequens* (Apis) *Lunae* poſtea et Soli. Memphi habuit fabulum, ſed ambitiosum. Aelian. l. l. XI, 10. Iablonsky II, 178. ff. 181. Weſſeling. ad Diod. Sic. I, 21. p. 334. Bipont. *Genitalium* ingenitarum *notarum* quales novem et viginti numerabant. *Poſt vivendi ſpatium praeſtitutum* viginti quinque annorum. Plin. VIII, 46. Solinus c. 32. Plutarchus de Iſide p.... (Locum non inveni. ERR.) ποιεῖ δὲ τετράγωνον ἡ πεντὰς ἀφ' ἑαυτῆς — ὁ Ἆπις, *Quadratum quinarius numerus producit a ſe — quot annos vivere ſolet Apis.* — Iablonsky p. 194—198. — *Sacro fonte immerſus*, qui fons quis fuerit, haud facile quis dixerit, quum ſacerdotes ipſi locum, ubi eſſet, diligentiſſime celarent. Iablonsky p. 199. Cf. etiam Salmaſ. ad Solin. p. 312. W.

Nec niſi ſemel ei in anno.] Huius lectionis primus auctor fuit Accurſius. Nam in Editione quidem Rom. perinde ut in MSS. Regio et Flor. [ac Colbert.] ſic legitur: *Necatur horago arei bos ſem. inv. cum notis cert, offertur. quo peremptо alter, etc.* Unde P. Caſtellus hanc emendationem effinxerat, quam Gelenius quoque eſt ſecutus: *Necatur. Io Inachi bos femina, etc.* Prorſus inſulſe. Sic autem ſcribendum videtur: *Necatur eadem hora et bos femina, quae ei ſemel in anno inventa cum notis cert. offertur: quo peremptо, etc.* Ita enim Solinus in cap. 35. ex quo

haec Marcellinus noſter exſcripſit, et Plinius in lib. 8. cap. 46. VALES. Quum igitur adeo hic haeſitetur, an tam aliena viſa ſuit utrique Valeſio coniectura Salmaſii, ut ne laudandam quidem alteruter crediderit? Certe ſanctior eſt et eo quod editur, et eo quod ab Henrico proponitur. Eam ſcribit ad Solinum pag. 441. (p. m. 311. W.) eſſe, *necatur hora et quae ei bos foemina inv. cum n. c. offertur: quo peremptò alter.* etc. quum in praecedentibus etiam maluiſſet *bos diverſis genitalium notarum figuris expreſſis, maximaque omnium.* GRON. Melius, meo ſenſu, Valeſius. Ceterum aliter rem narrat Aelianus l. l. Cf. Iablonsky p. 187. W.

Deſertur Memphim.] Mſ. *dicitur Memph. i. e. ducitur Memph.* LINDENBR. Cf. Salmaſ. ad Solin. p. 313. Iablonsky III, 191. ff. W.

Urbem praeſtantem praeſentiaque.] Sic primus edidit Gelenius. Nam Caſtellus ita emendaverat: *Urbem praeſt. frequentiaque num. Aſclepii claram:* cum in Editione Rom. legeretur: *Urbem praeſentiam frequentia hominis Aeſculapii claram.* Quemadmodum etiam legitur in codice Regio, *et Toloſ.* [ac Colbert.] niſi quod in Regio τὸ *praeſentiam* deſideratur. Equidem hunc locum ſic malim legere: *Ducitur Memphin urbem frequentem, praeſentiaque num. Aeſculapii claram.* VALES.

8. *Inductus in thalamum eſſe coeperit ſacer.*] Diodorus Sicul. lib. I c. 85. Ὅταν δ' εὑρεθῇ, τὰ μὲν πλήθη τοῦ πένθους ἀπολύεται, τῶν δ' ἱερέων, οἷς ἐστὶν ἐπιμελὲς, ἄγουσι τὸν μόσχον τὸ μὲν πρῶτον εἰς Νείλου πόλιν, ἐν ᾗ τρέφουσιν αὐτὸν ἐφ' ἡμέρας τεττεράκοντα, ἔπειτα εἰς θαλαμηγὸν ναῦν οἴκημα κεχρυσωμένον ἔχουσαν ἐμβιβάσαντες, ὡς θεὸν ἀνάγουσιν εἰς Μέμφιν, εἰς τὸ τοῦ Ἡφαίστου τέμενος. Plinius lib. VIII. cap. 46. *Inventus deducitur Memphin a Sacerdotibus. Sunt delubra ei gemina, quae vocant thalamos.* Iul. Solinus cap. 35. LINDENBR.

Coniecturis apertis ſigna rerum futurarum dicitur demonſtrare] quod tamen nonnili nutibus, vel corporis motibus factum dicitur. W.

Indiciis averſari videtur.] De Apidis oraculo illuſtre exſtat exemplum apud Diogenem Laërtii f. in Eudoxo VIII, 8, 6. Sed Pauſanias in Achaicis c. 22. aliud in templo Apidis oraculi captandi genus fuiſſe ſignificat. Nam cum Pharis in templo Mercurii hanc rationem captandi oraculi eſſe dixiſſet, ut accenſo ture Deum ad aurem accedentes interrogarent: deinde aures ſibi obturarent, donec e fano egreſſi eſſent: ac tum demum amotis inde manibus quam primam ab obvio quoque vocem audiſſent, eam oraculi inſtar acciperent: ſic ſubiungit: τοιαύτη καὶ αἰγυπτίοις ἑτέρα περὶ τοῦ Ἄπιδος τὸ ἱερὸν μαντεία καθέστηκεν. Sane Aegyptios in obſervandis vel fortuitis puerorum ſermonibus ſuperſtitioſos fuiſſe docet Plutarchus de Iſide. VALES. Cur timuit citare *indiciis averti?* GRON.

Germanicum Caeſarem, ſicut lectum eſt, averſatus.] Plinius lib. VIII. cap. 46. Solinus cap. 35. LINDENBR. Plinius ſic: *Reſponſa privatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Caeſaris manum averſatus eſt, haud multo poſt extincti.* W.

Digitized by Google

CAPVT XV.

2. Ammianus h. l. omnino Aegypti ambitum deſcribit, qualis ſub regibus fuit, ita ut per litora mediterranei maris ad Syrtes, interius ad Garamantas usque extendatur. cf. cap. 16. initio et in fine. W.

Super antiquitate certat cum Scythis.] Hanc contentionem fuſe narratam legere eſt in lib. 2. Iuſtini c. 1. qui tandem concludit, antiquiores ſemper habitos eſſe Aegyptiis Scythas. Sed Herodotus in lib. 2. c. 2. et Pauſanias in Atticis c. 14. illud certamen inter Aegyptios et Phrygas fuiſſe teſtatur. Videſis Scholiaſtem Apollonii ad lib. 4. v. 268.

Μήτηρ Αἴγυπτος προτερηγενέων αἰζηῶν.

Unde et primam omnium urbem Thebas Aegyptias conditam eſſe ſcribit: cui conſentit Diodorus Siculus in lib. 1. et Plinius in lib. 7. cap. 56. VALES.

A Meridiali latere Syrtes maiores.] Hic vero omnia ſusque deque miſcuit Marcellinus. Syrtes enim maiores, et Borium promontorium ab Occaſu habet Aegyptus: a Meridie Elephantinen, et Meroen, et Aethiopiam: ab Ortu vero Arabiam, et Syriam Palaeſtinam, et mare Rubrum: denique a Septemtrione mare Aegyptium: ut docent Ptolemaeus, Strabo, Oroſius, aliique. VALES.

Phycus et *Borion* promontoria ſunt Cyrenaicae, *Garamantes* Libyam interiorem pervagantes populi. Cf. Heeren Ideen üb. d. Politik u. ſ. w. der alten Völker, Th. 1. p. 164. — *Catadupi* ad catarractas Nili habitantes. Plin. v. 9. W.

Scenitas praetenditur Arabas, quos Saracenos nunc appellamus.] Lib. XXIII. c. 6. *Scenitas Arabas, quos Saracenos poſteritas appellavit.* Plinius lib. v. cap. XI. Solinus cap. 36. Malchus Rhet. in Eclogis legat. pag. 73. τὶς τῶν Σκηνιτῶν Ἀράβων, οὓς καλοῦσι Σαρακηνούς. Ex his Erembos vel Troglodytas potiſſimum Saracenos vocatos, Euſtathius ſcribit in Dionyſii periegeſin, pag. 28. LINDENBR. Cf. etiam XIV, 4. et Ind. 1. W.

Iſſiaco dist. mari quod q. nom. Parthenium.] In Regio codice *Iſaico* ſcriptum reperi. In Editione Rom. [et in Mſ. Colbert.] *Iſiaco.* Primus Gelenius vulgatae lectionis auctor fuit, qui de Iſſico ſinu hunc locum intellexit: cui favere videtur alter Marcellini locus c. 16. §. 9. ubi dicit: *Cum quondam ex Parthenio pelago venientes aut Libyco, etc.* Parthenium igitur mare Marcellinus ad dextram Aegypti collocat, Libycum ad ſiniſtram. Cui refragatur Euſtathius in Scholiis ad Dionyſium de ſitu orbis, ubi Φαρίαν θάλατταν, quod eſt mare Libycum,*) aliis παρθένιον κόλπον dici auctor eſt: cui ſubſcribit Macrobius in lib. 7. Saturnalium. *Sed Marcellino adſtipulatur Cyrillus in vita S. Euthymii. *Ille autem* (inquit) *cum Ioppen veniſſet, et quoddam adſcendiſſet navigium, quod petebat Corycum: ubi fuit in ipſo mari Parthe-*

*) Non Libycum, ſed vel Aegyptium, vel potius Libycum ſimul et Aegyptium intelligendum putat V. D. in Miſcell. Obſſ. Batavis T. V. P. 3. p. 71. W.

nico, etc. Et Gregor. Nazianz. in Oratione 19. Παρθενικὸν πέλαγος vocat, quod est circa insulam Cyprum. Gregorius Presbyter in vita Nazianzeni, et vetus auctor vitae S. Stephani iunioris capite 16. Παρθένιος nominant.* VALES. Cf. Hemsterhus. in Miscell. Obss. Batavis T. v. P. 3. p. 71. W.

3. *Super benivolo omnium flumine Nilo.*] Sic Mf. Flor. nam in vulg. desiderantur verba haec, *benivolo omnium flumine.* Quae tamen ut in laudes Nili scripta, non sunt omittenda, Diod. Siculo consentiente, ad cuius imitationem dicta videntur lib. 1. c. 36. Ταῖς εἰς ἀνθρώπους εὐεργεσίαις ὑπερβάλλει (Nilus) πάντας τοὺς κατὰ τὴν οἰκουμένην ποταμούς. LINDENBR.

Quem Aegyptum Homerus appellat.] Homer. Odyss. δ. 477. et Eustathius in eund. pag. 173. Strabo lib. 1. pag. 27. (29. Almel.) Ambrosius Episcop. de Abraham. lib. II. cap. 10. LINDENBR.

4. *Origines fontium Nili.*] De Nilo, eiusque inundationum causis, vid. Herod. lib. II. c. 19. 20. Diodorus Sicul. lib. 1. c. 36. Strab. lib. XVII. p. 789. Almel. *Lucanus lib. X. v. 194—330.* Plin. lib. V. cap. 9. Solinus cap. 35. Philostrat. in Iconib. Heliodorus lib. II. et IX. Theophylactus Simocat. lib. 7. pag. 366. Zonar. in Severo pag. 210. Scholiast. Apollon. lib. IV. num. 23. LINDENBR.

Origines fontium — posterae quoque ignorabunt aetates] in quo tamen tua te fefellit divinatio. Quos enim initio seculi decimi septimi (1618.) *Päzius* e familia Iesuitarum detexerat Nili fontes, eosdem nuper *Brucius* eodem loco invenit. v. Itinera eius ed. Lipsi. Germ. P. III. p. 576. et *Blumenbachii* notas ad eundem P. V. p. 269. W.

6. *Erigi*] oriri. Similiter XVI, 12. erigebantur crassi pulveris nubes. W.

7. *Prodromis*] praecursoribus. *Etesiarum* Plinius II, 47. XVIII, 28. W.

Spiritu controverso.] Salmasius ad Solinum pag. 422. (p. m. 300. W.) differte hic corrigendum monet *contra versus;* sed ut opinor contra veterem scripturam Mstorum; quam praestat retinere, etsi eadem sententia. vide supra. c. 8. §. 2. ORON.

Spiritu controverso.] vento ab ostiis Nili vehementius insurgente. W.

8. *Rex autem Iuba Punicorum confisus textu librorum.*] Non armis magis, quam litterarum studiis praecluis olim Africa. Atque ut belli monumenta plurima restant, sic doctrinarum quoque indicia non pauca: quibus etiam ipli Romani uti non erubuerunt. Laudantur libri Punici a C. Sallustio in bello Iugurth. c. 17. *Ut ex libris Punicis, qui Hiempsalis Regis dicebantur, interpretatum nobis est.* Solinus cap. 34. *Hoc affirmant Punici libri, hoc Iubam Regem accepimus tradidisse.* Idem cap. 55. *Iubae et Archelai Regum libris editum est.* *Tatianus adversus Graecos: Ἰόβας περὶ Ἀσσυρίων γράφων, παρὰ Βηρώσου φησὶ μεμαθηκέναι τὴν ἱστορίαν. εἰσὶ δὲ αὐτῷ βίβλοι περὶ Ἀσσυρίων δύο. Hinc est, quod *Berosi sectatorem Iubam* Tertullianus appellat in Apolog. et Aelianus de Animalibus lib. 9. c. 58. Athenaeus Deipnosoph. lib. 3. p. 83. B. Ἰόβαν τῶν μαυρουσίων βασιλέα ἄνδρα πολυμαθέστατον vocat.* Citatur porro Iuba hic, quantum in praesentia-

rum

rum memini, a Philoſtrato in lib. de Vita Apollon. *Athenaeo Deipn. lib. 1. p. 15. A.* Plinio Hiſtor. Natural. Servio in Virg. Aeneid. VI. 833. Plinii verba haec ſunt lib. 5. cap. 1. *Iuba Ptolemaei pater, qui primus utrique Mauritaniae imperavit, ſtudiorum claritate memorabilior quam regno.* Deque eo ita Feſtus Avienus in Ora marit.

Octaviano Principi acceptiſſimus,
Et literarum ſemper in ſtudio Iuba.

Ita Magonis Poeni, quem Dionyſius tranſtulit, *ut Varro teſtatur de Re Ruſtica lib. 1. cap. 1.* et Hannonis, cuius *περίπλους Λιβύης* adhuc exſtat, auctoritate non raro, *veteres* utuntur. *Cicero de Oratore lib. 1. Marcianus Heracleota p. 96.* Plinius in Hiſtor. Natural. Solinus cap. 55. (quem ſecutus eſt noſter. W.) Pomp. Mela lib. III. c. 10. *Rei Veterinariae Scriptores Graeci.* LINDENBR.

Rex autem Iuba.] Hic eſt Mauritaniae Rex, filius eius Iubae, qui cum Scipione in Africa adverſus Iulium Caeſarem infeliciter pugnavit: ipſe in Caeſaris triumpho ductus, poſtea in amicitiam Caeſaris Octaviani adſcitus, paternum regnum recepit, teſte Plutarcho in Caeſaris vita, et Appiano in lib. 2. de bellis civilibus c. 101. De eo Suidas. VALES. Cf. etiam Dio Caſſius LI, 15. Valeſius de Critica in Emendatt. a Burmanno editis p. 177. Sevin in Mem. de l'Acad. des Inſcr. T. IV. p. 457. ſſ. Wernsdorf in Excurſu I. ad poëtas lat. minores T. V. P. 3. W.

9. *Ad cataractas, id eſt praeruptos ſcopulos.*] At id non placet doctiſſimo viro (Salmaſio) qui Marcellinum noſtrum in Exercitationibus ſuis (ad Solinum p. m. 298. W.) acerbe reprehendit. Sed tamen ferri poteſt interpretatio Marcellini. Certe Euſtathius in Dionyſium non aliter interpretatur: *καταῤῥάκτας*, ait, *ἤγουν καταδούπους καὶ χρημνούς*: et paullo poſt: *καταῤῥάκται δὲ λέγονται οἱ πετρώδεις τόποι, οὓς οἱ ποταμοὶ ἀναχαιτίζοντας τὸν ῥοῦν εὑρόντες ὑπερβαίνουσι*, etc. Idem in lib. ult. Iliados notat *καταῤῥάκτας* dici *μέρος ποταμῶν, οἳ διὰ πετρῶν καταῤῥάσσονται*. Denique vetus ſcriptor apud Suidam catarractas in Hiſtro ait eſſe ſcopulos quosdam inſtar montium, qui aquarum curſum impediunt. Sed tamen explicationem Ariſtidis equidem praetulerim, qui in Aegyptiaca cataractas ſic definit, *ἡ διὰ τῶν ὀρῶν τοῦ ποταμοῦ κατάβασις*, id eſt deſcenſum, ſeu defluxum Nili per montes; et 36. fere cataractas in Nilo eſſe teſtatur. Eodem modo *οὐρανοῦ καταῤῥάκται* dicuntur in ſacris litteris: et Helychius, *καταῤῥάκτης*, inquit, *ὀχετὸς, ῥύαξ*. VALES. Verba *id eſt praeruptos ſcopulos* gloſſema ſunt, quod iam viderat Reineſius. W.

Ruit potius, quam fluit.] Solinus c. 32. *Cum primum occurſantibus ſcopulis aſperatur, tantis agminibus extollitur inter obiecta rupium, ut ruere potius quam manare credatur.* LINDENBR.

Atos] Weſſeling. ad Diod. Sic. 1. p. 330. coniicit, legendum fortaſſe *Aetos*, quoniam ipſe Nilus olim Aetos nominatus ſit. W.

Accolas uſu aurium fragore aſſiduo diminuto, neceſſitas vertere ſolum.] *Cicero in Somnio Scipion. c. 5. *Ubi Nilus ad illa, quae Catadupa nominantur, praecipitat ex altiſſimis montibus,*

ea gens, quae ad illam locum, incolit, propter magnitudinem ſonitus ſenſu audiendi caret. LINDENBR.

Neceſſitas vertere ſolum ad editiora coëgit.] Lego *ad quietiora.* Ex Seneca videtur locus deſumptus, l. 4. Natur. Quaeſt. c. 2. *Obtuſis aſſiduo fragore auribus et ob hoc ſedibus ad quietiora translatis.* Idem in Epiſt. 56. *Quamvis audiam genti cuidam hanc unam fuiſſe cauſam urbem ſuam transferendi, quia fragorem Nili cadentis ferre non potuit.** Plinius lib. VI. cap. 29. Philoſtratus in Vita Apollon. lib. VI. cap. 14. LINDENBR.

Ad editiora coëgit.] Sic primus emendavit Gelenius, cum in prioribus Editionibus perinde ac in Mſſ. legeretur, *atque Editiora coëgit.* Sed ipſemet in Epiſtola quam Hieronymi Frobenii nomine Editioni ſuae praefixit, emendationem ſuam retractavit. Ait enim ſcribendum videri, *ad quietiora coëgit:* quam ſcripturam vulgatae equidem longe antepono. VALES.

10. *Per oſtia ſeptem eiectatur.*] In nominibus oſtiorum non conſentiunt ſcriptores; quod enim Noſter *Heracleoticum* appellat, id aliis eſt Canopicum, vel Naucraticum, — *Phatniticum* aliis Phatmeticum. Cf. Salmaſ. ad Solin. p. 338. W.

Aquis ext. adiutus dilatatur.] In Editione Rom. *delectatur* excuſum eſt. Unde Caſtellius vulgatam hactenus ſcripturam exſculpſit. In Vaticano tamen, et Florent. [ac Colbert.] codicibus legitur, *electatur;* in Regio * et Toloſ.* *elabitur.* VALES. Sed et Vatican. *Auctiore.* GRONOV.

Praeter *amnes plurimos,* quorum praecipui ſunt Aſtaboras et Aſtoſabas. Strabo XVII. p. 786. Almel. *Ex alveo auctore* primario. W.

Bolbiticus.] Sic oſtium illud appellat Mela: Plinius et Ptolemaeus Bolbitinum a Bolbitine urbe Aegypti, cuius meminit Stephanus Byzantius. Βολβιτίνη, inquit, πόλις Αἰγύπτου. τὸ ἐθνικὸν Βολβιτινήτης καὶ Βολβιτῖνος· ἔνθεν καὶ Βολβιτῖνον ἄρμα. lege στόμα. [in Mſ. Colbert. legitur *Bucente.*] VALES.

Pharniticus.] Rectius in Editione Baſilienſi legitur *Phatniticus.* Ita enim oſtium hoc appellat Plinius, et Diodorus Siculus in lib. 20. quamquam in Diodori editis exemplaribus corrupte Φαγνητικὸν στόμα perſcribitur. Strabo Phatnicum dicit. Sed cum a Phatnite Praefectura dictum eſſe videatur, malim equidem Phatnicum ſcribi. Mela tamen et Ptolemaeus Pathmiticum vocant, quemadmodum hoc in loco ſcriptum habent codex Regius et Flor. cum Editione Auguſtana, [et Mſ. Colbert.] VALES.

11. *Meroe*] inſula ad Aethiopiam pertinens, ſatis ampla, in qua eiusdem nominis urbs eſt. — *Delta a triquetrae literae* (Δ.) *forma ſignatius* (cf. XXIX, 1.) appellata. W.

12. *Cum autem Sol — in libram*] Circa ſolſtitium aeſtivum usque ad aequinoctium auctumnale. W.

13. *Ita eſt noxius, ut infructuoſus*] Ammianus inverſo ordine particulas *ita* et *ut* uſurpat, alii in tali contexto τὸ *ut* priori ponunt loco. W.

Cubitis XVI.] Ad emetienda Nili incrementa in urbibus, praeſertim Memphi et Syene, menſurae erectae, eundemque uſum et

Sphinges habuiſſe perhibentur. Reineſio obſervante Iulianus Ep. 50. ad Ecdicium, qui fuit Praef. Aegypti a. 362. XII. Cal. Oct. Nilum XV. cubitorum altitudine fuiſſe dicit. W.

Solus fluminum auras nullas inſpirat.] Obſcurius dicta, quae neſcio an recte ita intelligam: tam molli declivitate incedit, ut ne ventulum quidem moveat. W.

14. *Et in aridis quidem capreoli veſcuntur et bucali.*] Verior videtur lectio, *capreoli veſcuntur et bubali. Bubali*, boves ſunt ſilveſtres. *Iſidor. Orig. lib. 12. cap. 1. *Bubali vocati per derivationem, quod ſint ſimiles boum, adeo indomiti, ut prae feritate iugum cervicibus non recipiant. Hos Africa procreat.* Agathias lib. 1. ταῦρος αὐτῷ ὑπαντιάζει, μέγας τε καὶ ὑψικερος, οὐ τῷ τιθασσῷ δήπου τούτῳ καὶ ἀροτῆρι, ἀλλ' ὑλονόμος καὶ ἔριος, καὶ τοῖς κέρασι τὸ ἀντίπαλον διαφθείρων. ΒΟΥΒΑΛΟΥC, οἶμαι, τόδε τὸ γένος καλοῦσι. Auctor Martyrii B. Genovefae, *bubalum* eundem eſſe ait, quem Germania *urum* vocat: ut Gloſſarium vet. *Urus*, Βοῦς Γέρμανος. Macrob. *Saturn. 6. c. 4.* *Uri Gallica vox eſt, qua ferè boves ſignificantur.* *Aimoinus lib. 1.* Philoſtratus Βοάγρους appellat: cuius verba Ammiano lucem dabunt, lib. VI. cap. XII. de Vita Apollonii. Igitur cum de aliis Nili mirabilibus dixiſſet, ſic porro addit: Ἔλαφοι δὲ καὶ δορκάδες, καὶ στρουθοὶ, καὶ ὄνοι, πολλὰ μὲν καὶ ἄλλα, ἑωράτο, πλεῖστα δὲ οἱ βόαγροί τε, καὶ οἱ βούτραγοι. ξύγκειται δὲ τὰ θηρία ταῦτα, τὸ μὲν ἐλάφου τε καὶ ταύρου, τὸ δὲ, ἀφ' ὧν περὶ τὴν ἐπωνυμίαν ἤρηκε. LINDENBR.

Capreoli veſc. et bucali.] Aſſentior Lindenbrogio, qui legendum eſſe monuit *bubali*; atque ita in codice Regio ſuperſcriptum eſt. Certe capreoli cum bubalis fere iungi ſolent: ut exempli gratia in Deuteronomii cap. 14. apud Herodotum in lib. 4. c. 192. Ariſtotelem in 3. de animalibus, et Strabonem in 17. Inde apud Heſychium *βούβαλος* ſeu *βουβαλὶς, δορκάδιον* eſſe dicitur, et Plinius in lib. 8. c. 15. naſci ait in Germania biſontes, et uros, quibus imperiti bubalorum nomen imponant, cum tamen bubalos gignat Africa vituli potius cervive quadam ſimilitudine. Bubalorum, quibus Aegyptus abundat, meminit etiam Palladius in Lauſiaca, de Macario loquens Alexandrino, [et in vita Ioh. Chryſoſt. P. Pithoeus ad oram Ammiani ſui legit etiam *bubali.*] VALES. Sed et ita Salmaſius ad Solin. p. 230. (p. m. 163. W.) GRON.

Capreoli] capreae parvae, (*Antilopae* Gazellae) — *Bubali* qui antiquioribus non ſunt uri, biſontes (Büffel) ſed cervis magis adnumerandi. W.

Piſturnicia] Vulg. *Biſturnitatia.* Vid. P. Pithoei I. C. Adverſ. lib. 1. cap. 10. LINDENBR.

Piſturnitia.] In Regio [et Colbert.] codice *piſturnicia* legitur. Quare non dubito, quin vera ſit P. Pithoei doctiſſimi viri coniectura, qui *Spinturnicia* emendavit (in Adverſar. 1, 10. p. 37.) ex Plauti Milite: ubi ſic ait Palaeſtrio Act. IV. Sc. 1. v. 42.

Pithecium haec eſt prae illa, et Spinturnicium.

Ad quem verſum ſine dubio alluſit noſter Marcellinus. Nec diſplicet coniectura Cl. Salmaſii, qui in tomo 1. ad Solinum (p. m.

267. W.) Spinturnicia per deminutionem ſeu ὑποχορισμὸν a Spinturnice deduci adnotavit: Spinturnicem autem eſſe, quam Graeci dicunt σφίγγα. Ut enim ab ὄρτυξ Latini fecerunt *coturnix*, ita a σφιγξ *ſpinturnix*. VALES.

Spinturnicia] ſunt ſimiarum genus. cf. Lichtenſtein de ſimiarum formis. Hamb. 791. p. 28. W.

15. *Crocodilus ubique per eos tractus abundat, exitiale quadrupes malum.*] Plinius lib. VIII. cap. 25. *Crocodilum habet Nilus, quadrupes malum, et terra pariter ac flumine infeſtum. Unum hoc animal terreſtre linguae uſu caret, unum ſuperiore mobili maxilla imprimit morſum; alias terribile, pectinatim ſtipante ſe dentium ſerie.* Similia Solinus cap. XXXV. Et ex Graecis Herodotus l. II. c. 68. Diodorus Sicul. l. I. c. 35. Aelianus, et ſi qui porro, quos brevitatis cauſa omitto. LINDENBR.

Maxillam ſuperiorem commovens.] Ariſtot. de Anim. lib. I. cap. 11. Κινεῖ δὲ πάντα τὰ ζῶα τὴν κάτωθεν γένυν, πλὴν τοῦ ποταμίου κροκοδείλου. οὗτος γὰρ τὴν ἄνω μόνον. *Quem locum Antigonus deſcripſit Hiſtoria Paradoxa ſive in Hiſtor. Admiranda pag. 134. (p. 120. ed. Beckmann.) Πάντα τὰ ζῶα κινεῖν τὴν κάτω σιαγόνα, πλὴν τοῦ ποταμίου κροκοδείλου. τοῦτον δὲ μόνον τὴν ἄνω. Quae ex Ariſtotele deſumpta ſunt, apud quem ipſiſſima verba habentur.* LINDENBR.

Crocodilus] inter lacertas maxima. *Lingua carens* — ſic plures veteres ex vulgi rumore, ſed falſo: lingua enim facile in oculos incurrit. Weſſeling ad Diod. Sic. T. I. Bipont. p. 363. Nec magis verum, quod ſequitur, *maxillam ſuperiorem commoveri ſolam*, quod refellitur ab iis, qui crocodili ſceletum diligentius contemplati ſunt. v. *Buffon Naturgeſch.* v. p. 130. et *Beckmann* ad *Antigon. Caryſt.* p. 120. W.

Ordine dentium pectinato.] Sexaginta dentes crocodilum habere Aelianus ſcribit de Animal. lib. X. cap. 22. Herod. ὀδόντας δὲ μεγάλους καὶ χαυλιόδοντας. Diodor. Sicul. l. I. c. 35. Ὀδόντες ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν ὑπάρχουσι πολλοί, δύο δὲ οἱ χαυλιόδοντες, πολὺ τῷ μεγέθει τῶν ἄλλων διαλλάττοντες. Ariſtotel. de Animal. lib. II. cap. 10. LINDENBR.

Ordine dentium pectinato.] Solinus et Plinius de crocodilo: *Stipante ſe dentium ſerie pectinatim.* Achilles Tatius in lib. 4. de Clitophontis amoribus, pag. 108. (p. 273. ed. Salmaſ.) ubi crocodilum luculente deſcribit: ὀδόντες δὲ πολλοὶ καὶ ἐπὶ πλεῖστον τεταμένοι. Φασὶ δέ ὅτι τὸν ἀριθμὸν τυγχάνουσιν, ὅσας ὁ θεὸς εἰς ὅλον ἔτος ἀναλάμπει τὰς ἡμέρας. *Dentes multi et in longam ſeriem extenti. Aiunt nonnulli tot eſſe quot anni dies.* nempe 360. Ex quibus corrigendus eſſe videtur Aelianus in lib. X. de Animalibus. VALES.

Ova edens fetus anſerini ſimilia.] Herodotus lib. II. c. 68. τὰ ὠὰ χηνέων οὐ πολλῷ μείζω τίκτει. Ariſtot. de Animal. lib. I. cap. 33. Plin. *Parit ova quanta anſeres.* Solinus, *qualia anſeres edit ova.* Et *fetus anſerinos* dixit, ut *fetus gallinaceos* Apuleius Mileſ. lib. IX. Sic Ammian. lib. XXIII. cap. 6. *fructuarii arboreique fetus.* Et eod. *ardorum fetus.* LINDENBR.

Ova edens fetus anſerini ſim.] Sic emendavit Gelenius, inepte ut apparet. Neque enim crocodilus ova edit fetibus anſe-

Digitized by Google

rum, ſed ovis anſerum ſimilia. Rectius itaque in codice Regio et Editione Rom. legitur: *Per ova edens fetus anſerinis ſimilia.* [In Colbert. Mſ. *perovedens foetus anſerinis ſimilia.*] VALES.

16. *Ad cubitorum enim longitudinem decem interdum extentus.*] Ad multo maiorem etiam, et ut ait Diodorus Siculus lib. 1. c. 35. ſedecim cubitorum longitudinem: Ὁ μὲν κροκόδειλος ἐξ ἐλαχίστου γίνεται μέγιστος, ὡς ἂν ὠὰ μὲν τοῦ ζώου τούτου τίκτοντος τοῖς χηνείοις παραπλήσια, τοῦ δὲ γεννηθέντος αὐξομένου μέχρι πηχῶν ἑκκαίδεκα. Ad ſeptemdecim et quod excurrit Ariſtot. ulnas pervenire ait. Herodotus II, 68. ἐς ἑπταικαίδεκα πήχεας, καὶ μείζων ἔτι. Plin. VIII, 25. *Magnitudine excedit plerumque duodeviginti.* Solinus c. 32. *Plerumque ad viginti ulnas magnitudinis excreſcit.* Philarchus viginti quinque cubitorum dicit viſum fuiſſe: alium regnante Amaſide ſex et viginti ulnas excelliſſe. Aelianus Hiſtor. Animal. lib. 17. cap. 6. LINDENBR.

Ad cubitorum en. longit. decem.] In Auguſtana Accurſii Editione legitur XVIII. cui ſcripturae ſuffragantur Herodotus ac Plinius. At Diodorus in lib. 1. c. 35. usque ad cubitos XVI. crocodilum ait creſcere. Quidam etiam dixere ſolum eum ex cunctis animalibus creſcere quamdiu vivit, teſte Ariſtotele ac Plinio: vivit autem diutiſſime. VALES.

Diebus humi veſcitur.] Sic emendavit Caſtellus, cum in Editione Rom. eſſet excuſum, *diebus humi veheperatur:* quemadmodum in Mſ. Florentino [et Colbert.] At in codice Reg. *veperatur* ſcriptum reperi, et eadem manu ſuperſcriptum *reptatur.* Ego vero libentius ſcriberem *verſatur.* VALES. Sed quae oppoſitio inter quieſcere et verſari, quam videtur captare Ammianus voluiſſe? Vicinum quoque eſt *venatur.* GRONOV. Ego nec Valeſiana correctione, quae eadem Salmaſii eſt ad Solin. p. 313. nec Gronoviana opus eſſe puto. *Veſcitur* eſt: nutrimenta quaerit. W. Ex codicum ſcriptura ſuſpicor legendum eſſe *vaporatur,* i. e. apricatur, egreſſus quippe ex aquis *conſidentia cutis.* Coniecturae meae aliquantum favet Plinius H. N. VIII, 25. crocodilum narrans dies in terra agere, noctes in aqua, *teporis* utrumque *ratione.* ERF.

Ut eius terga — perforentur.] Salmaſ. ad Solin. p. 315. *tergoris* malebat et *perforetur.* Sic etiam Reineſius. W.

17. *Foedere quodam caſtrenſi* induciis. *Caerimonioſos,* feſtos, ſollemnes. W.

Natales celebrant Apis.] Mſ. Flor. et Stephan. *Natales celebrant Nili.* Sed vulgatam lectionem tuentur Solinus et Plinius Natural. Hiſtor. lib. 8. cap. 46. LINDENBR.

18. *Fortuita* naturali, ſua *morte,* XXXI, 2, 22. W.

Suffoſſis alvis mollibus.] Malim, *alvi mollibus:* (Sic et Salmaſ. ad Solin. p. 317. W.) et Ammian. *alvi mollia* dixit, ut *tenera ventrium* Solinus c. 32. *Delphines crocodilos ſtudio eliciunt ad natandum, demerſique aſtu fraudulento tenera ventrium ſubternatantes ſecant et interimunt.* LINDENBR.

Dorſualibus criſtis.] Solinus c. 32. *Dorſa ſerratas habent criſtas:* ad imitationem Plinii: *Dorſo tamquam ad hunc uſum cultellata ineſt pinna.* LINDENBR.

Dorſualibus cruſtis.] Miror has cruſtas tamdiu placuiſſe viris doctis, quum diu eſt quod Salmaſius ad Solinum pag. 447. (p. m. 317. W.) *criſtis* corrigendum monuerit, quam vocem ex Solino imitatus eſt Ammianus, et ſola rem bene explicat, et agnoſcit Lindenbr. Ubi etiam pag. praecedente monuit ſane mox legendum *contuens enhydrus.* GRON. Utrumque ego repoſui. W.

19. **Trochilos avicula brevis.*] Totus hic locus iisdem fere verbis apud Solinum exſtat cap. 32.* LINDENBR.

Trochilus avicula brevis] minimae molis, refertur enim ad melliſugas (Colibri) Leske Naturgeſch. p. 298. W.

Hydrus ichneumonis genus.] Crocodili et ichneumonis odium, praeter iam ſaepius dictos Auctores, narrat quoque Strabo lib. 17. pag. 812. Almel. Euſebius de praepar. Evang. lib. 11. cap. 1. Aelianus de Animal. lib. VIII. capite 25. *Theophilus Alexandr. de natura hominis f. 7. Τὸ ὄρνεον ὕλος τηρεῖ τὸν χροκόδειλον, ἕως ἂν ἴδῃ αὐτὸν ἡδέως καὶ ἀμεριμνως ὑπνώοντα, καὶ τὸ στόμα ἀνεωγμένον ἔχοντα· καὶ τότε εἰσπηδήσας εἰσέρχεται διὰ τοῦ στόματος αὐτοῦ εἰς τὴν κοιλίαν αὐτοῦ, καὶ διαῤῥήξας τὴν γαστέρα αὐτοῦ ἐξέρχεται, καταλιπὼν αὐτὸν νεκρόν. Vide Antigonum in Hiſtoria Admiranda pag. 126. cap. λϑ.* LINDENBR.

Hydrus ichneumonis genus.] Eſt quidem hydrus νείλου ϑρέμμα, ut ſcribit Aelianus in principio Variae hiſt. Cedrenus ad annum XVIII. Mauricii, hydrim appellat, et hylam aliter vocari ſcribit, canis ſpecie. Sed tamen cum hydrus genus ſit ſerpentis aquatilis, et haec omnia ex Solino Marcellinum hauſiſſe conſtet, malim *enhydrus* legere. Sic enim ait Solinus c. 32. *Quod enhydrus conſpicatus alterum ichneumonis genus, penetrat belluam, populatisque vitalibus eroſa exit alvo.* Enhydrum etiam vocat Iſidorus in lib. 9. Originum, ex Solino, ut ſolet. ἔνυδριν vocare videtur Herodotus in lib. 2. et 4. Ariſtophanes in Acharnenſibus ἰκτίδας, ἐνύδρους, ἐγχέλεις κωπαΐδας. et Heſychius enhydrum ait eſſe animal amphibium, ſimile caſtori. VALES.

Ichneumonis genus.] Hunc fere muſtelae quae gallinis inſidiatur, ſimilem eſſe, ait Nicander in Theriacis v. 195. ubi et ἰχνευτὴν vocat, perinde atque Herodotus in lib. 2. c. 67. ὡσαύτως δὲ τῇσι κυσὶν οἱ ἰχνευταὶ ϑάπτονται. Recte in Gloſſis Heſychii, ἰχνευταὶ οἱ νῦν ἰχνεύμονες λεγόμενοι. Ichneumona marem dici, ἰκτίδα ſeu muſtelam dici feminam, ſcribit Artemidorus in lib. 3. Vide Athenaeum in lib. x. VALES.

Ichneumon, Pharaonis mus etiam dictus, quem viverris accenſere ſolent. v. *Leske* l. l. p. 176. — *Vitalibus* inteſtinis XV, 3. *dilanctuatis* dilaceratis. Cui fabulae tamen non amplius habetur fides, ex quo hoc animal novimus in viſcera quaſi Crocodili ſaevire eo, quod ova eius arenis condita indaget atque exſugat. W.

20. *Per quatuor menſes hibernos nullo veſci dicitur cibo.*] Ita Plinius quoque et Solinus: at Aelianus ſexaginta tantum dies ponit, Hiſtor. Animal. lib. x. cap. 21, LINDENBR.

21. *Hippopotami quoque.*] Vide Herodot. lib. 11. c. 71. Diodorus Sicul. lib. 1. c. 35. Plin. Hiſtor. Natural. lib. VIII. capite 25, Solinus capite XXXV. LINDENBR.

Digitized by Google

Ad ſpeciem equorum biſidas hab. ungulas.] Immò vel hoc maxime differunt ab equis hippopotami, ut recte notat Achilles in lib. 4. de Clitoph. ἔστι μὲν ἵππος τὴν γαστέρα καὶ τοὺς πόδας, πλὴν ὅτι σχίζει τὴν ὁπλήν, etc. *Quod ad ventrem pedesque attinet, equus eſt, niſi quod biſidas habet ungulas.* et Plinius in lib. 8. *Ungulis biſidis quales bubus.* Ex quibus apparet male hunc locum a Gelenio eſſe ſuppletum. In Editione Rom. et codice Regio, [Colbert.] *ac Toloſ.* ſcriptum reperi: *Ad ſpeciem equorum biſidos caudasque breves.* et ad oram Regii exemplaris antiquarius deficere aliquid ſibi videri adnotavit. *Legendum puto: *Sagaciſſimi ad ſpeciem equorum, biſidi, caudisque breves.** VALES. Tangit hunc locum et Salmaſius ad Solin. pag. 455. (p. m. 323. W.) ſed quum aut non viderit veterem in mſtis lectionem, aut non attenderit, nihil placitum profert. Quod ſi ridicula prorſus videre aves, conſule auctorem diſſertationis tertiae de praeſtantia numism. *(Spanhemium)* pag. 130. et ſeq. GRON. *Hippopotami* (Nilpferd) *ad ſpeciem equorum*, quae tamen ad taurinam propius accedit. Ex ſono equorum hinnitui ſimili nomen accepere. *Blumenbach* ad Brucii Iter P. v. p. 272. Optime delineaſſe hoc animal dicitur *Sparmann* Reiſen Tab. 14. W.

Caudasque breves.] Achilles Tatius in lib. 4. οὐρὰ βραχεῖα καὶ ψιλή. *Cauda*, inquit, *brevis et glabra.* Reliquam eius deſcriptionem ibidem vide, ſane accuratam, et ut ab homine Aegyptio, id eſt oculato teſte, dignam fide. Adde et P. Gillii viri diligentiſſimi deſcriptionem. VALES.

Interim] ſaltem. W.

22. *Otium circumſpectat*] tempus obſervat, quo homines nulli ſunt in agris. *Laxata copia*, ſi tuta omnia videt. W.

Averſis veſtigiis diſting.] At Solinus averſum pergere ad paſtum ait: et Plinius in lib. 8. *Depaſcitur*, inquit, *ſegetes deſtinatione ante determinatas in diem, et ex agro ſerentibus veſtigiis:* et Nicander in Theriacis elegantiſſimis verſibus; (v. 469. 70.)

Τόσσον ἐπιστείβων λείπει βυθὸν, ὁσσάτιόν περ
Ἐκνέμεται γενύεσσι, παλίσσυτον ὄγμον ἑλαύνων.

Vide Aelianum in libri v. de Animalibus capite 53. VALES.

Diſtenta ſaginata *diſtinguit* confundit *tramites multos*, quibus fallat perſequentes. W.

23. *Exſectos*] demorſos. *Quamdiu* donec *in cicatrices conveniant* coëant *plagae* vulnera. W.

24. *Has monſtruoſas antehac raritates in beluis, in aedilitate Scauri*] Plinius lib. VIII. cap. 22. Solinus cap. 32. LINDENBR. *Monſtruoſas raritates in belluis* rara monſtra belluarum. W.

Patris illius Scauri, 'quem defendens Tullius] Cicero in Orat. pro M. Aemilio Scauro, in cuius fragmentis haec leguntur p. 3913. ed. Verburg. W.

Nunc inveniri nusquam poſſunt.] Hippopotamos in Nilo deſeciſſe teſtatur etiam Themiſtius, qui Marcellini noſtri aetate vi-

Digitized by Google

xit. Is enim in Orat. x. sic ait: καὶ δυσχεραίνομεν ἐξηρημένων ἐλεφάντων, ἐν Θετταλίᾳ δὲ λεόντων, ἐν δὲ τῶν ἑλῶν τῶν περὶ τὸν νεῖλον τῶν ἵππων τῶν ποταμίων. *Et moleste ferimus, quod defecerint in Africa quidem elephanti, leones in Theſſalia, in paludibus autem circa Nilum hippopotami.* Ceterum Romani id eapropter moleſte ferebant, quod in amphitheatrali ſpectaculo huiusmodi belluas amplius non videbant. Nonnus tamen, qui multum ab Ammiani ſaeculo abfuit, hippopotamos adhuc ſua aetate viſos eſſe ſignificat, cum in lib. 26. v. 238. dicit:

Οἷος ἐμοῦ νείλοιο θερειγενὲς οἴδμα χαράσσων etc. VALES.

Etiam nunc, in inferiori ſaltem Aegypto, rarius conſpiciuntur. W.

Blemmyas] Aethiopiae populum. W.

25. *Ibis ſacra eſt.*] Herodotus lib. II. c. 65. 75. Diodorus Sicul. lib. I. c. 83. et 87. Aelianus de Animal. lib. II. cap. 38. LINDENBR.

Ibis ciconiarum genus *ſacra eſt* in Diis habetur. *Innocua* λιτότης pro utiliſſima. W.

Nidulis ſuis ad cibum ſuggerens ova.] Non. Marcellus: *Nidos non ſolum domicilia avium, ſed etiam fetus earum Virgilio auctore dicere poſſumus.* Georg. 4. v. 17.

— — *ipſaeque volantes*
Ore ferunt dulcem nidis immittibus eſcam.

Gloſſar. Νεοσσὸς, *Nidus, pullus.* Et cum Ammiano planiſſime facit Solinus: *Ales eſt Ibis: ea ſerpentum pabulatur ova, gratiſſimamque ex his eſcam nidis ſuis deſert.* LINDENBR.

26. *Venena malignantes*] acuentes. W.

Per roſtra edere fetus.] Cl. Aelianus de Animal. lib. x. c. 29. LINDENBR.

Per roſtra edere fetus (imo etiam coitum exercere) *accepimus.* Quam fabulam ab Ariſtotele de generatione III, 6. et Plinio X, 12. exploſam in ſcenam iterum produxere Aelianus hiſt. anim. X, 29. et cum Solino Ammianus, qui, ſi quid ſingulare, non fabuloſum tamen do Ibi vellet afferre, clyſteribus alvum purgandi auctores Aegyptiis eos fuiſſe poterat memorare, in quo praeeuntem habebat ipſum Ciceronem de Nat. Deor. II, 50. W.

Proelits ſuperatos aërtis vorant] Brucius in Itinere p. 175—181. negat multitudinem ſerpentum in Aegypto; proelia igitut Ibis aëria nonniſi olim locum habuiſſe, ubi lacus plures in terris interioribus per ductos e Nilo canales exſtiterint, qui cum poſtea collapſi ſint, ſerpentes etiam et viperas evanuiſſe, Ibinque in patriam Aethiopiam revertiſſe, ubi nunc appelletur *Abou Hannes* (pater Iohannes). W.

27. *Baſiliſcos*] in Cyrenaica praeſertim obvii, nomen traxere a macula alba in capite, ad diadematis formam. Plura, ſi lubet, vide ap. Plin. H. N. VIII, 21. — *Amphisbaenas* ita dictas, quod et prorſum et retrorſum corpus movent. — *Scytalas* in longum, baculi inſtar, porrectas. W.

Acontias.] Acontia ſerpentis genus Plinio dicitur iaculus, necnon Lucano, *iaculique volucres.* Videndus Nicander.* LINDENBR.

Digitized by Google

Dipſadas] quarum morſus magnam ſitim excitat. W.

Magnitudine et dec. aſpis ſ. ſuperemin.] Magnitudinem aſpidis teſtatur etiam Nicander in Theriacis, ubi aſpidem luculente deſcribit, v. 168. ſſ.

Τῆς ἤτοι μῆκος μὲν ὃ κύντατον ἔτρεφεν αἶα
Ὀργυιῇ μετρητόν· ἀτὰρ περιβάλλεται εὖρος
Ὅσσον τ' αἰγανέην δοχμοτοξόος ἤνυσε τέκτων.

Galenus quoque in lib. de theriaca ad Piſonem, longam ei cervicem tribuit, quam eo usque extendit, quoad venenum in viatores facile poſſit inſpuere: quod quidem et Nicander ibidem teſtatur, et Lucanus in 9, 702.

Aſpida ſomniferam tumida cervice levavit.

Certe Aelianus in libro 6. aſpides quasdam ad v cubitorum longitudinem ait pervenire. VALES. Aſpidem Schneiderus in Lexico Graeco-Germ. eam fortaſſe exiſtimat eſſe, quae pone cervicem vitri ocularis ſimilitudinem offert, (Brillenſchlange.) W.

Numquam ſponte ſua fl. egreditur Nili.] Ex Lucano id ſumpſiſſe videtur Marcellinus, ſed eius locum minime intellexit. Sic enim ait in lib. 9. v. 704.

Ipſa caloris egens, gelidum non tranſit in orbem
Sponte ſua, Niloque tenus metitur arenas.
Sed quis erit nobis lucri pudor? inde petuntur
Huc Libycae mortes, et fecimus aſpida mercem.

Quibus verſibus non id dicit Lucanus, aſpidem numquam egredi Nilum; quippe eam in deſertis Libyae reperiri affirmat: ſed dumtaxat ait eam numquam ſponte ſua ex Libya et Aegypto in alium orbem migrare: ac perſtringit avaritiam mercatorum veneni, qui eam ſerpentem in Europam invexerint. VALES.

28. *Sunt Therma lutra, quae Cythrus indigenae vocant,*] Haec verba primus huc (ante *Templa*) inſulſit P. Caſtellus, quae Sig. Gelenius ex Editione ſua merito ablegavit: quippe cum ab omnibus MSS. codicibus, et ab Editione Rom. abſint. Et ſane ab hoc loco prorſus aliena ſunt. Sed ne quis ſcrupulus ſuperſit cuiquam, locum aperiam, ex quo ea huc transtulit P. Caſtellus. Scribit enim Herodotus in lib. 7. ad fauces Thermopylarum eſſe Therma lutra ſeu calidas aquas, quas indigenae Cythrus appellant. ἔστι δὲ ἐν τῇ ἐσόδῳ ταύτῃ θερμὰ λουτρὰ, ἃ κύθρους καλέουσι οἱ ἐπιχώριοι, etc. Ex hoc loco apparet hauſiſſe Caſtellum: qui ſi fraudem ſuam occultam ſemper fore putavit, ſtolidus profecto fuit: ſin, cum probe ſciret rem aliquando in lucem eſſe venturam, nihilominus tantum facinus eſt auſus, nae ille gnaviter impudens fuit. VALES.

Diuturnas ſurgendi difficultates] longum iis exſtruendis impenſum tempus. W.

Herodotus docet ultra omnem altitudinem quae humanis confici poteſt.] Sic quidem in omnibus, quos vidi, libris legitur: cum tamen certum ſit Ammianum ſcripſiſſe, — *quae humana manu conf.* ut lib. XXIV. c. 2. *manu circumſaeptum humana.* Lib. XXV. *Aggeribus humana manu deſtructis.* *Veget. in Prolog. lib. 4. *Non tam humana manu conditae, quam divino nutu videantur enatae.** Repetendas enim litteras male a feſtinante antiquario

omiſſas, facile apparet: neque ſecius Solinus, qui rem eamdem iisdem paene verbis narrat, cap. XXV. *Pyramides turres ſunt in Aegypto, faſtigiatae ultra celſitudinem omnem, quae fieri manu poſſit.* Ceterum Herodoti locus, quem hic laudat Ammianus, exſtat lib. II. c. 124. Quae autem porro de pyramidibus dici poſſunt, iam ab aliis affatim notata ſunt: itaque ſupervacaneum hic ea repetere. LINDENBR. Etiam Salmaſius ex Solino pag. 480. (p. m. 340. itemque Reineſius. W.) legit *quae manu.* Sed id plane non neceſſarium. ERON. Aut ſana eſt lectio vulgata et *humanis* poſitum pro *hominibus* (Dativ.) quo ſignificatu interdum reperitur, aut ſcribendum *humanis manibus.* ERF.

In ſummitates acutiſſimas] quod ita procul adſpicientibus videtur, tenuem tamen in ſummo planitiem habent. De Piramydibus omnino accurate egerunt e recentioribus *Meiſterus* in Commentatt. Soc. Regiae Goett. T. V. quam commentationem in linguam Germ. convertit Oſtertag. Frf. 1781. *Wahlius* ad *Abdallatif.* p. 159. Nec ſilentio praetereundus Wittius, qui niſi vere, ingenioſe tamen Volcanis originem eas debere opinatus eſt.

Quam denique Noſter Piramydum *ἀπὸ τοῦ πυρὸς* etymologiam affert, ea, uti alia quadam e Graeco idiomate ducta, iamdudum antiquata, verbi notationem in Coptica lingua quaerendam eruditi conſuerunt. Haud iniucundum ſpero lectoribus fore, quae Cl. Zoega in libro de Obeliſcis p. 130—132. in eam rem diſputavit, breviter ſtrictimque expoſita legere. Doctiſſimorum olim La Crozii et Iablonskii in Prolegom. ad Pantheon Aegyptiorum p. 82. opinionibus, qui obeliſcorum etiam nomen Aegyptium fuiſſe *Pi-Ra-Moue* (radius ſolis) contendunt, refutatis eo, quod veteres omnes piramydas ab Obeliſcis diſcernant, nec Soli illas conſecratas, ſed ſepulchra fuiſſe voluerint, et improbatis auctoribus ſequioris aetatis, Ammiano, Stephano Byzant. et Eudocia p. 286. qui Graecae originis Piramydas eſſe crediderunt, eorum etiam, qui *ſepulchra* eas habuerint, ſententiam vix aliquo niti firmo fundamento ſtatuit, nec iuvare eos Diodorum Sic. I, 51. qui ſepulcra ſua Aegyptios aeternas domos appellaſſe narret. In iſto enim Diodori loco non tam ſepulcrorum, quam *domorum* rationem habendam. „Quamquam vero, ſic pergit Zoega, vox *Aram* vel *Herem* ex Aegyptia lingua videtur excidiſſe, Hebraeis tamen *Armon* vel *Harmon* denotat *arcem*, et Arabes tum principum virorum aedes, tum Aegypti piramydas deſignant vocabulo *Haram* vel *Heram.* Huic ubi praefixeris articulum definitum *Pi*, fit *Pieram, Pyram,* et cum terminatione Graeca *is πυραμὶς, οἶκος ἀληθὴς καὶ ἀΐδιος,* vera et ſempiterna *domus.* Sed nec tacenda eſt alia derivatio erudita atque ingenioſa, quam indigitavit mihi vir Cl. *Ignatius Roſſius,* videlicet a radice Hebraica *Rum, altum eſſe*, ut moles illae ab immani ſua altitudine piramydes dictae forent Aegyptiis. Etiam voce *Birabi*, Arabibus uſurpata, ubi loquuntur de Aegyptiae vetuſtatis reliquiis, piramydas denotari crediderunt nonnulli, alii obeliſcos. At recte *templum* reddiderunt *Michaëlis* in verſione Abulfedae de geographia Aegypti p. 17. et *Pocockius* in Orientis deſcriptione Vol. I. p. 83. licet vocabuli originem non afferant, quam in Arabum lingua fruſtra quaeri literis ad me datis docuit Cl. *Simeon Aſſemani.* Eſſe autem *Birabi* quod Coptis ſcribitur *Pierpe* vel *Pierphei* (ὁ ναὸς) facile mecum ſentient, qui linguam callent Aegyptiacam." — Haec igitur Zoega. W.

29. *Umbras q. mechanica ratione conſumit.*] Id quidem plerique veterum ſcripſere: ſed tamen non ita accipere debemus, quaſi id ſemper et ubique fiat. Sicut enim quod Lucanus cecinit in lib. II. v. 587.

Atque umbras nusquam flectente Syene.

tantum id die medio aeſtivi ſolſtitii contingere intelligimus, teſte Plinio, Arriano in Indicis, Achille Tatio in cap. 3. Iſagog. ita etiam a pyramide umbras abſumi meridie dumtaxat ſentiendum eſt; et Heliae Vineti in Notis ad Auſonium demonſtratio id tantum evincit. Accedit, quod ait Plutarch. in convivio ſapientum, et Diogenes Laertii f. Thaletem ſcilicet defixo humi baculo ad metam umbrae quam pyramis faciebat, altitudinem pyramidis deprehendiſſe. Denique vetus Poëta in Catalectis Scaligeri idem dicit p. 180. Scalig.

Pyramides, medio quas fugit umbra die. VALES.

Mechanica ratione] ex diſciplina mechanicorum. Sic *geometrica ratio* XX, 3. W.

30. *Sunt et Syringes.*] Primus Mercurius Thout dictus ſtelas multas hierographicis litteris conſcripſerat, in quibus Deorum ſtemmata et ſacrorum ritus conſignaverat, easque in antris ſaxeo opere ſtructis condiderat: quas deinde poſt diluvium ſecundus Mercurius, qui et Agathodaemon, pater Tat, e ſacra dialecto interpretatas libris mandavit, et in adytis templorum cuſtodiendas repoſuit, ut ſcribit Manetho apud Euſebium in lib. I. Chronici. Idem memorat et Marcianus Capella in lib. 2. *Erantque*, ait, *quidam libri ſacra nigredine coloratt, quorum litterae animantium credebantur effigies: quas librorum notas Athanaſia conſpiciens, quibusdam eminentibus ſaxis iuſſit adſcribi: eademque ſaxa ſtelas appellans, Deorum ſtemmata praecepit continere.* Idem in lib. 8. initio: *Per immenſa ſpatia ſaeculorum, Aegyptiorum clauſa adytis continebar: quippe quadringenta fere ann. millia illic reverenti obſervatione delitui. Atque utinam poſt diluvialis conſternationis excurſum, etc.* [Sic apud Plinium in capite 28. libri 6. memorantur in Arabia *celebres inſulae, Iſura, Rhinnea ei proxima; in qua ſcriptae ſunt ſtelae lapideae litteris incognitis.* Et, ut Lucanus in libro III, v. 224. canit, ante inventas litteras:

Saxis tantum volucresque, feraeque,
Sculptaque ſervabant magicas animalia linguas.]

Et haec quidem de re ipſa. Nunc videamus, ullusne ex antiquis Auctoribus Syringas Aegypti nominaverit. Pauſanias in lib. I. ſub finem, Syringas in Thebaide, quae pars eſt Aegypti, collocat trans Nilum, ubi et illa celebris exſtabat Memnonis ſtatua. Idem refert Calliſtratus in Ecphraſi prima: ἄντρον ἦν, ait, περὶ Θήβας τὰς Αἰγυπτίας προσειχασμένον σύριγγι, etc. Meminit et Syneſius in Epiſt. 104. ad fratrem, et Heliodorus in lib. 2. Aethiop. *et Aelianus in libro 6. de Animal. cap. 43.* Nec dubito quin eas Tacitus intellexerit, cum in lib. 2. Annal. inter Aegypti miracula ſic dicit: *Atque alibi anguſtiae, et profunda altitudo, nullis inquirentium ſpatiis penetrabilis.* VALES. Syringas Coptice adpellari Βηβ, didici ex Lenzio in Miſcellan. philol. Altenburgi 1801. edi coeptis P. 2. p. 188. W.

Seceſſus] Meurſius Crit. Arnob. p. 55. mavult *ſucceſſus*. — *Periti rituum* ſacerdotes. *Exciſis* inciſis, uti XXV, 3. aptatis atque laevigatis. Ipſis antrorum parietibus inciſi hieroglyphici characteres etiamnum conſpiciuntur. W.

Hieroglyphicas litteras.] Diceres id conſilium fuiſſe Caſtello, ut omnia contaminaret. Quid enim cauſae erat, cur Editionis Rom. ſcripturam expungeret? Annon hierographicas litteras aeque dicere poſſumus ac hieroglyphicas? Certe codex etiam Regius *et Toloſ.* [ac Colbert] *hierographicas* tuetur, et Manetho: ἐκ τῶν ἐν τῇ σηριαδικῇ (lege συριγγικῇ,*) γῇ κειμένων στηλῶν ἱερᾷ Φασὶ διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι κεχαραχτηρισμένων, etc. VALES. *Hieroglyphicas* tamen magis placet etiam Zoegae p. 432. W.

31. *Syene, in qua ſolſtitii tempore.*] *Macrob. in Somn. Scip. lib. 2. cap. 7. *Civitas Syene, quae provinciae Thebaidos poſt ſuperiorum montium deſerta principium eſt, ſub ipſo aeſtivo tropico conſtituta eſt. Et eo die, quo Sol certam partem ingreditur cancri, hora diei ſexta, quoniam Sol tunc ſuper ipſum invenitur verticem civitatis, nulla illic poteſt in terram de quolibet corpore umbra iactari.* * Baſilius Caeſarienſ. Epiſc. in Hexam. Serm. 6. pag. 27. Εἰσί γε ἤδη τινὲς οἱ κατὰ δύο ἡμέρας τοῦ παντὸς ἐνιαυτοῦ καὶ ἄσκιοι παντελῶς κατὰ τὴν μεσημβρίαν γινόμενοι, οὓς κατὰ κορυφῆς ἐπιλάμπων ὁ ἥλιος, ἐξ ἴσου πανταχόθεν περιφωτίζει, ὥστε καὶ τῶν ἐν βάθει φρεάτων τὸ ὕδωρ διὰ στομίων στενῶν καταλάμπεσθαι. ὅθεν αὐτοὺς τινὲς καὶ ἀσκίους καλοῦσιν. Quae verba ita imitatus eſt Ambroſ. Epiſc. Hexam. lib. IV. cap. V. *Sunt qui dicant, quod per duos totius anni dies ſine umbra fuerint in partibus meridianis, eo quod habentes ſuper verticem ſuum Solem, undique per circuitum illuminentur, unde et ἄσκιοι dicuntur Graece. Plerique etiam ferunt ſic e regione ex alto ferri Solem, ut per anguſta puteorum aquam, quae in profundo eſt, viderint refulgere.* Non omiſit mirum hoc Heliodorus in Hiſtoria ſua Aethiopica lib. IX. c. 22. Ἐδείκνυσαν δὲ καὶ τοὺς τῶν ὡρονομίων γνώμονας ἀσκίους κατὰ μεσημβρίαν ὄντας, τῆς ἡλιακῆς ἀκτῖνος κατὰ τροπὰς θερινὰς ἐν τοῖς περὶ Συήνην εἰς ἀκρίβειαν κατὰ κορυφὴν ἱσταμένης, καὶ τῷ πανταχόθεν περιφωτισμῷ τὴν παρέμπτωσιν τῆς σκιᾶς ἀπελαυνούσης, ὡς καὶ τῶν φρεάτων τὸ κατὰ βάθος ὕδωρ καταυγάζεσθαι διὰ τὴν ὁμοίαν αἰτίαν. Et mox poſt: Συμβαίνει τα ἴσα καὶ κατὰ Μερόην τὴν Αἰθιόπων. Vid. Strab. lib. II. pag. 78. *lib. 17. pag. 562. (817. Almel.)* Hero Alexand. περὶ ὀνομάτων ἀστρονομικῶν, pag. 31. LINDENBR. *Syene* (Aſſuan). W.

Solſtitii tempore, quo Sol aeſtivum curſum extendit] Alterutrum abundat, et quidem vox *ſolſtitii*, qua gloſſator aliquis, quae Ammianus pluribus verbis ornare ſolet, uno verbo comprehendere poſſe ſibi viſus eſt. Hoc magis etiam confirmatur eo, quod monente Valeſio ad XV, 9, 8. codex Regius habet *ſolſtitiO*. Ceterum praeter locos a Lindenbrogio laudatos conferri poſſunt Euſtath. ad Dion. Perieg. p. 39. col. 2. lin. 15. Strabo lib. XVII.

---

*) „Parum ſane probabili coniectura, quod iam notavit Fabric. Biblioth. Graec. T. I. p. 73." Zoega p. 36. W.

Digitized by Google

p. 817. Almel. et Larcher geogr. Wörterbuch über Herodot. ſ. v. Syene. W.

Liniamentorum] vid. ſupra ad xx, 3, 2. W.

Ubi per xc. dies umbrae noſtris.] Idem ex Eratoſthene ſcribit Plinius in tota Troglodytice evenire, quae in eodem parallelo ſita eſt ac Meroe. VALES.

CAPVT XVI.

1. *Tres provinciας*] Cf. de diſtributione Aegypti Weſſeling. ad Itinerar. p. 723. W.

Auguſtamnicam.] In codice Regio [et Colbert.] et in Editione Rom. *Anguſtanica* ſcribitur utrobique. In Notitia Imperii Rom. nunc Auguſtanica, nunc Augnſtamnica dicitur. Apud Athanaſium in Ep. Apologetica ad Conſtantium αὐγουσταμνικὴ, [a Nilo, quem *Auguſtum amnem*, id eſt Imperatorium vel Regium vocavere.] *Apud Epiphanium in haereſi Semiarianorum Auguſtonica vocatur: ubi inter Epiſcopos, qui formulae Fidei Seleucienſis ſubſcripſere, recenſetur Ptolemaeus Epiſcopus Θμουέως Αὐγουστωνίκης, id eſt Thmuis provinciae Auguſtonicae.* VALES.

Pentapolim a Libya ſicc. diſparatam.] Sic edidit Gelenius. In Vaticano codice, et Editione Rom. legitur *diſſeratam;* [in Colb. *diſſoratam*, et *ſ. diſſociatam.*] Ego vero exemplaris Regii ſcripturam ſequi malui. Ceterum non aſſentior Marcellino, qui Pentapolim longo poſt tempore a Libya disiunctam fuiſſe dicit. Nam Pentapolis, quae et Cyrenaica, ſemper a Libya ſeparata eſt: et ex diviſione Auguſti ſub Proconſule Cretae erat, teſte Strabone ac Dione: nec niſi ſero Aegypti provinciis contributa eſt. [Notitia Imperii Romani addit his v. Aegypti provinciis ſextam *Arcadiam*, ita ab Arcadio Auguſto poſtea cognominatam.] VALES.

2. *Hermopolis*] (Mercurii civitas Plinius) magnae cognomine, ut a duabus aliis inferioris Aegypti discernatur. (hod. Aſchmunkin) *Coptos*, inclyptum Arabum et Aegyptiorum emporium (Keſt, Koſt.) W.

Antinoon, quam Hadrianus in honorem Antinoi Ephebi condidit.] *Antinous* ἀντὶ τοῦ *Antinoupolis* tritum eſt: neque aliter fere umquam appellatur. Hieronymus contra Iovianum Epiſt. 10. *Ut ſciremus, quales Deos ſemper Aegyptus recepiſſet, nuper ab Hadriani amaſio urbs eorum Antinous appellata eſt.* Apud eumdem in Vitis Script. Eccleſ. Hegeſippus: *Tumulos mortuis templaque fecerunt, ſicut usque hodie videmus, e quibus eſt et Antinous ſervus Hadriani Caeſaris, cui et gymnicus agon exercetur apud Antinoum civitatem, quam ex eius nomine condidit, et ſtatuit prophetas in templo. Antinoum autem in deliciis habuiſſe Caeſar Hadrianus ſcribitur.* Sophron: γυμνικὸς ἀγὼν ἐν τῇ Ἀντινόῳ ἐπιτελεῖται, etc. *Antinous pro Deo cultus. Athanaſ. contra Gentes pag. 8. Origenes contra Celſum lib. 3. p. 136. LINDENBR.

Antinou] sc. πόλις. Plura urbium in V desinentium exempla v. ap. Wesseling. in Itinerar. p. 72. Non a fundamentis novam exstruxit Hadrianus, nam diu antea Abydi *Besae* nomine exstitit, ubi oraculum Dei *Besae*. v. supra XIX, 12. Iunctim invenitur etiam Besantinoë, hodie *Eusene*. *Thebae hecatompyli*. v. ad XVII, 4. et Casaub. et Salmas. ad Spartiani Hadrian. c. 14. p. 138. 143. W.

3. *Pelusium est nobile, quod P. Achil. d. condidisse, lustrare.*] Rectius, *dicitur condidisse, se lustrare*. Fabula ex Pausania, Apollodoro, aliisque mythistoricis nota est. Videndus quoque Suidas in Πηλούσιον. LINDENBR.

Pelusium, quod Peleus.] Nescio quos secutus Auctores id asserit Marcellinus. Namque Pelcum, occiso fratre Phoco, pulsum ab Aeaco patre, Phthiam confugisse ad Eurytum seu Eurytionem Actoris f. ab eoque lustratum esse, omnes Historici consentiunt: inter quos Diodorus Siculus in lib. 4. c. 72. Apollodorus in Bibliotheca, Antoninus Liberalis cap. 28. ut omittam Scholiastem Aristophanis, Apollonii, ac Lycophronis. Cumque Peleus Eurytum inter venandum casu occidisset, Phthia relicta Iolcum se contulit ad Acastum, ut quidam memorant. Probabilius itaque est, quod ait Strabo p. 802. Almel. ἀπὸ πηλοῦ καὶ τέλματος Pelusium esse dictum: nisi potius vocabulum est Aegyptiacum. VALES. Iam Bochartus monuit in Phaleg vocem Syriacam *Sin* respondere in significatione voci Graecae πηλός. Et Acastrum Parisinis reliqui. GRON. In expeditionibus, quas vocant, cruciatis esse desiit Pelusium. W.

Cassium, ubi Pompei sepulcrum est Magni.] Strabo lib. XVI. pag. 523. (751. Almel.) lib. XVII. pag. 548. Plinius lib. V. cap. 12. Solinus cap. 37. LINDENBR.

Cassium.] Sic etiam Ptolemaeus appellat, et Tabula Peutingerorum, opidum in Cassiotide, inter Ostracinem ac Pelusium. Ceteri Casium vocant, in quo delubrum erat Iovis Casii et statua iuvenili aetate, extensa manu dextra punicum malum tenenus: cuius rei significatio arcanum aliquid continet. Oracula etiam edere dicebatur, teste Achille Tatio in lib. 3. de Clitoph. VALES. *Casium* hod. Katieh. W.

Ostracine] ubi nunc promontorium *Straki*. — *Rhinocolura* in externis Aegypti finibus Palaestinam versus sita (hod. El-Arisch.) W.

4. *Spartanus condidit Battus.*] Herodotus lib. IV. 150. Strabo lib. XVII. p. 837. Almel. Pausanias Lacon. c. 14. Iustinus 13. 7. Solinus c. 27. alii. LINDENBR.

Battus] Aristaeus etiam dictus. — *Ptolemais* (Tolometa.) W.

Arsinoë, eademque Teuchira.] Strabo lib. XVII. p. 811. Almel. Stephanus de Urbib. in Ἀρσινόη. LINDENBR.

Arsinoë, eademque Teuchira] una ex quinque urbibus, in Aegypti parte occidentali, qua tenditur ad lacum Moeridis, nunc est Fium vel Faiuma, cui a septentrione adiacent antiqua rudera. Zoega p. 108. W.

Darnis.] Huius mentio fit a Ptolemaeo, et in Itinerario Antonini: quamquam apud Ptolemaeum interdum Dardanis vitiose

perſcribitur, proclivi errore, quem etiam apud Syneſium deprehendi in Epiſt. 67. ad Theophilum Alexandr. *ἐν αἰτίᾳ γὰρ ἐπεποίητο τὸν ἐρυθρίτην ὁ Δαρδανίτης*: lege meo periculo Δαρνίτης. Et paullo poſt: *τὴν Δαρνίτου μερίδα*. In Actis Epheſini Concilii ſimiliter corruptum id nomen eſt, ubi Daniel quidam memoratur Epiſcopus Dardaneos, et Dardaniae Libyae, et Dardanorum: ſed vera ſcriptura eſt Darneos. VALES.

Berenice, quas Heſperidas appellant.] Eadem forma dictum accipe, qua Salluſtius dixit in Catil. c. 55. *Eſt locus in carcere, quod Tullianum appellatur.* Plinius H. N. v, 5. in deſcriptione Cyrenaicae: *Berenice*, inquit, *quondam vocata Heſperidum*: et Ptolemaeus, quem fere Marcellinus ſequi ſolet: *Βερενίκη ἡ καὶ ἑσπερίδες*: neque aliter Stephanus Byzantius, *et Theophraſtus in libri IV. capite IV. hiſtoriae Plant.* Herodotus tamen IV, 171. non Heſperidas, ſed Eveſperidas appellat: quem ſequuntur Thucydides in lib. 7. c. 50. ac Pauſanias in Meſſeniacis c. 26. *et Theophraſtus in libro 8. Hiſt. capite 6.* Cave igitur exiſtimes has v. urbes Cyrenaicae provinciae Heſperidas eſſe dictas, quo in errore verſatus eſt Scaliger. Is enim ad Euſebii Chronicum num. 2304. Quinquegentianos eosdem ſcribit eſſe ac Pentapolitas: dictos autem Pentapolitas a v. opidis illius provinciae, Cyrenis, Ptolemaide, Arſinoe, Darni, et Berenice, quas civitates Heſperidas vocabant. Vides, ut hic Marcellini noſtri locus virum doctiſſimum in errorem induxit. Neque vero Scaligero id conceſſerim, Quinquegentianos eſſe eosdem ac Pentapolitas, quae, ut memini, eſt etiam opinio Sylburgii in Notis ad Paeanium. Pentapolitae quippe ii ſunt, qui Cyrenaicam incolunt: cum Quinquegentiani ſint barbari ſupra limitem Africae poſiti, ut teſtatur Iulius Honorius vetus auctor, quem Aethicus magna ex parte exſcripſit. Atque hos viri maximi errores, non inſultandi, ſed veritatis ſtudio notamus, quos et viri et operis magnitudo facile excuſat. Quid, quod eadem pagina alucinatur idem ille vir? cum inſcriptionem illam Arreti Chanartae Principis gentium Baquatium ad Bagaudas refert, cum Baquates illi ſint Africae populi, de quibus Antoninus loquitur in principio Itinerarii. VALES.

Quas Heſperidas appellant] Ἑσπερίδας τῆς Λιβύης laudat Strabo lib. x. LINDENBR. Heſperis tamen etiam et Heſperidum iſta urbs dicta. W.

5. *In ſicciore Libya.*] Siccior Libya, quam et aridam infra vocat Marcellinus, eadem videtur eſſe quae Marmarice et Mareotis Libya dicitur a Ptolemaeo ac Plinio, in qua erat Paraetonium: ab occaſu habens Cyrenaïcam, ab ortu Aegyptum proprie dictam. Ex quo etiam apparet, id quod ſupra dicebam, falli Marcellinum, qui Cyrenaïcam provinciam fere a Libya ſiccore ſeiunctam eſſe ſcribit. Eiusdem Libyae meminit Expoſitio totius mundi. *Poſt Pentapolitanam*, ait, *Libya eſt, propinquans et ipſa ab occaſu Alexandriae, quae non accipit aquam de caelo.* ξηρολιβύην Graeci vocabant, ut auctor eſt Servius ad Aeneidos IV, 42.

Et deſerta ſitl regio.

Inhabitabilis, inquit, *vel raritate aquae. Dicit autem Xerolibyen, quae eſt inter Tripolim ac Pentapolim.* Imo inter Pen-

Digitized by Google

tapolim et Alexandriam dicere debuit. τὰ ἄνυδρα τῆς λιβύης vocat Iosephus in lib. 5. de bello Iud. cap. xi. *τὴν μὴ νομένην τῆς Λιβύης Theophrastus libri iv. hist. Plantarum capite iv.* VALES.

Paraetonium (al Baretoun). W.

Cherecla et Neapolis.] Ptolemaeus in Cyrenaïca urbes mediterraneas recenset, χαίρεκλα, νεάπολις. A Cyrenaïca igitur provincia abstractae hae civitates, siciori Libyae postea sunt attributae. VALES.

6. **Quae iam inde uti Imperio Rom. iuncta est.*] Post has voces in Editione Rom. et Augustana, et in omnibus Mss. codicibus additur *regio:* quam vocem ut superfluam primus Gelenius expunxit. Quare suspicor totum locum sic a Marcellino scriptum fuisse: *Aegyptus ipsa, quae iam inde uti Romano Imperio iuncta est, regio iure regitur a Praefectis.* Praefecti enim Augustales, iam inde a Divo Augusto Aegyptum gubernabant vice Regum: ut scribit Tacitus in libro i. Historiarum c. ii.* VALES. An *iuncta est, regio regitur.* GRON.

Inde uti] pro ex quo, cf. xv, ii. W.

Athribis (pagus Athrib) — *Oxyrynchus*, a pisce quodam ibi culto dicta (hod. Behnese). — *Thmuis*, quod Aegyptia lingua est caper, quod animal ibi pro Deo habitum (nunc Tmaie). — *Mempis* celebertima totius Aegypti, regum antiquissimorum sedes, ubi Vulcani templum ambitiosum, et Apis in thalamis habitus. (nunc vicus Merif.) W.

7. *Alexandria vertex omnium civitatum*] regia Ptolemaeorum. W.

Ampla moenia fund. et p. pen. calcis.] Primus haec verba addidit Gelenius, quae in cunctis Editionibus antea deerant. In Editione enim Romana sic legitur hic locus: *Qui cum ammonumentum parum repente omnes ambitus, etc.* neque aliter in codice Regio et Vaticano, [ac Colbert.] VALES.

Ad momentum] quantum opus esset. W.

Omnes ambitus lineales farina respersit] Strabo lib. xvii. p. 792. Almel. Plutarchus in Alexandro c. 26. Curtius lib. iv. c. 8. Val. Maximus lib. i. c. 4. Plin. lib. v. c. 10. LINDENBR.

Ambitus lineales] lineas, quibus ambitum urbis describeret. W.

8. *Nullo paene die — solem serenum non vident*] quod et de Rhodo narrarunt veteres. W.

9. *Hoc litus ne fallacibus et insidiosis accessib. affligeret.*] Iisdem paene verbis Solinus c. 32. extr. *Alexandria insidioso accessu aditur, fallacibus vadis.* Hegesippus lib. iv. cap. 27. *Portus urbis, ut plerique maritimorum locorum aditus, difficilis accessu.* Plin. lib. v. cap. 31. LINDENBR.

Excogitavit in portu Cleopatra turrim.] Non Cleopatrae id opus alii volunt, sed Ptolemaei Sostrato architectone, qui et nomen suum permissu Regis structurae inscripsit. ΣΩΣΤΡΑΤΟΣ ΚΝΙΔΙΟΣ ΔΕΞΙΦΑΝΟΥΣ, ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΥΠΕΡ ΤΩΝ ΠΑΩΙ-

ΠΑΩΙΖΟΜΕΝΩΝ. Strabo lib. XVII. p. 791. Almel. Plinius lib. 36. cap. 12. Lucianus in lib. de ſcrib. Hiſtor. Cum Ammiano tamen Tzetzes facit, Chiliad. 11. cap. 33. *περὶ Κλεοπάτρας καὶ τῆς Φάρου·*

Αὕτη (Cleopatra) σὺν ἀρχιτέκτονι Κυπρίῳ Δεξιφάνει
Τὴν θάλασσαν χερσώσασα τὴν τῆς Ἀλεξανδρείας,
Ὅσον πρὸς τετραστάδιον, εἴτε μικρόν τι πλέον,
Τὸν πύργον ἐξειργάσατο τὸν μέγιστον τῆς Φάρου. LINDENBR.

Excogitavit in p. Cleopatra turrim exc. quae Pharus.] Haec non ita accipienda ſunt, quaſi ante Cleopatram Pharus non ſteterit: quam conſtat regnante Ptolemaeo Philadelpho a Soſtrato Cnidio fabricatam fuiſſe longe ante Cleopatrae tempora. Sed cum a D. Iulio diruta eſſet Pharus bello Alexandrino, ut Caeſar ipſe et Strabo in lib. ult. memorant, a Cleopatra poſtmodum reſtaurata eſt: quod praeter Tzetzen in Chiliade 2. teſtantur Excerpta Chronologica, edita a Scaligero ad calcem Euſebii: *Omnes anni Ptolemaeorum a morte Alexandri usque ad mortem Cleopatrae, quae et in Alexandria Pharum condidit, ſimul anni ducenti* XCIV. Quibus adde et Chronicum Alexandrinum. VALES.

Ex Parthento pelago — aut Libyco.] vide notata paullo ante c. 15. W.

Pandas oras et vacuas.] In MSS. Flor. et Regio, [ac Colbert.] et in Editione Rom. legitur *et fatumlas.* Sed amplector ſcripturam, quam in Codice Vatic. et Fauchetii exſtare monuit Gruterus, *pandas oras et patulas.* VALES.

10. *Heptaſtadium.*] Strabo lib. XVII. pag. 792. et 794. Almel. LINDENBR.

Heptaſtadium.] Idem de hoc opere ſentio, quod de Pharo, antiquius ſcilicet illud eſſe Cleopatra. Nam Ioſephus in lib. 12. Antiq. c. 2. de LXX. Interpretibus diſſerens, qui regnante Philadelpho ſacros libros in Graecum vertere: *παραλαβὼν*, ait, *αὐτοὺς ὁ Δημήτριος, καὶ διελθὼν τὸ ἑπταστάδιον χῶμα τῆς θαλάττης πρὸς τὴν νῆσον, καὶ διαβὰς τὴν γέφυραν*, etc. *Demetrius iis aſſumptis heptaſtadium transgreſſus, aggerem in mari ad inſulam pertinentem, et transito ponte, etc.* Caeſar etiam in lib. 3. de bello Civili c. 112. *Haec inſula*, ait, *obiecta Alexandriae portum efficit: ſed a ſuperioribus Regibus longitudine paſſuum* 900. *in mare iactis molibus anguſto itinere et ponte cum opido coniungitur.* Ubi dubium non eſt, quin Caeſar de heptaſtadio loquatur. Nam et 900. paſſus heptaſtadium conficiunt; et cetera conveniunt. Relinquitur ergo, heptaſtadium ante Cleopatram ſtetiſſe. Sed cum id opus vetuſtate forte collapſum Cleopatra refeciſſet, et ad inſulam usque perduxiſſet, affixis ob memoriam titulis nominis ſui, hinc factum eſt, ut heptaſtadium condidiſſe diceretur. De hoc ſtupendo Cleopatrae opere loquuntur Auctor Chronici Alexandrini, et Cedrenus, et Tzetzes in Chil. 2. cap. 33. Hi ſcribunt Cleopatram, cum bellum ſibi adverſus Auguſtum impendere cerneret, fretum illud, quod eſt inter inſulam Pharum et Alexandriam, 4. fere milliarium ſeu ſtadiorum, ut ait Tzetzes, ſpatio, iactis in mare molibus complanaſſe, et continenti vindicaſſe Dexiphanis mechanici opera. Neque ambigo, quin de heptaſtadio hi Auctores loquantur. Erat autem Heptaſtadium medium inter magnum portum et portum Eunoſti, ut docet Strabo in lib. 17. p. 792. Almel. his verbis: *οὗτοι δὲ λιμένες συνεχεῖς ἐν βάθει* (leg. *βαθεῖ*) *ἐκείνῳ τῷ ἑπταστα δίῳ καλουμένῳ χώματι, δι-*

εἰργόμενοι ἀπ' αὐτοῦ (leg. ὑπ' αὐτοῦ) παράκεινται. Id eſt: *Hi portus in mole illa contigui quae heptaſtadium dicitur, ab ea dirempti adiacent.* Ioſephus in lib. 5. de bello Iud. cap. XI. χειρόκμητα σκέλη appellat. VALES.

Inſula Pharos, ubi Protea cum phocarum gregibus diverſatum Homerus fabulatur.] Homerus Odyſſ. Δ. 400. ſſ. Philoſtratus in Vita Apollonii. LINDENBR.

Fabulatur inflatius] ingenio nimis indulgens. W.

Rhodiorum obnoxia erat vectigali] qui olim marium omnium potentiſſimi ſedem ſine dubio ibi fixerant. W.

12. *Seraptum*] Strabo lib. XVII. p. 795. Almel. Eunap. in Aedeſio. LINDENBR. Dirutum eſt ſub Theodoſio M. anno 391. W.

Spirantibus ſignorum figmentis] ita ad naturam expreſſis, ut vivere viderentur. W.

13. *In quo Bibliothecae fuerunt.*] Editio Rom. et codex Regius [ac Colbert.] *et Vatic.* hic ſcriptum habent: *In quod vero biblioth. etc.* et in Regio ſuperſcriptum eſt *duae.* Epiphanius quidem in lib. de ponderibus, duas ait publicas fuiſſe bibliothecas Alexandriae: primam in Bruchio a Ptolemaeo Philadelpho conſtructam: ſecundam longo poſt tempore aedificatam eſſe in Serapeo, quae et prioris ſoror dicebatur. De qua etiam loquitur Tertullianus in Apologet. cap. 18. *Hodie,* inquit, *Ptolemaei bibliothecae apud Serapeum cum ipſis Hebraicis litteris exhibentur.* *et Chryſoſtomus in Oratione 1. adverſus Iudaeos.* Prior igitur a Philadelpho primum exſtructa eſt, qui centum millia librorum collegiſſe dicitur ab Euſebio in Chronico p. 52. Graecorum Excerptorum, et a G. Cedreno. Poſt a ſecutis Regibus aucta, contendentibus Ptolemaeis, ne ab Attalicis in eo ſtudio vincerentur, ſeptingenta voluminum millia habuit, ut praeter Agellium et Marcellinum ſcribit Iſidorus in lib. 6. Originum. Bello autem Alexandrino quod Caeſar Dictator geſſit, 400 millia librorum huius bibliothecae arſere, ut ſcribit T. Livius apud Senecam de Tranquillitate, et Oroſius in lib. 6. Neque enim putandum eſt, univerſam illam bibliothecam conflagraſſe, quod plerisque perſuaſum video. Aphthonius in deſcriptione arcis Alexandrinae, bibliothecam publicam in arce fuiſſe teſtatur. (Plura de his bibliothecis qui deſiderat, is mihi evolvat *Beckii* Specimen hiſt. bibliothecar. Alexandrin. L. 1779. *Heynium* de Genio Saeculi Ptolemaeorum, in Opuſculor. T. 1. p. 126. *Carl Reinhardt* über die jüngſten Schickſale d. Alexandrin. Bibliothek, Goett. 1792. W.) VALES. Opinor ſcripſiſſe: *in quo delubro bibliothecae.* Nec apud Epiphanium ἀδελφὴ dicitur altera bibliotheca, ſed θυγάτηρ, *filia.* GRONOV.

Septingenta voluminum millia] Eumdem hunc numerum etiam Gellius ponit *Noctium Atticarum* lib. VI. cap. 17. At quadraginta tantum millia Seneca, de Tranq. cap. 9. δέκα μυριάδας Cedren. pag. 136. Vid. Ioſeph. Antiquit. lib. XII. Euſeb. de praeparat. Evang. lib. VIII. cap. 1. Conflagrationem huius bibliothecae narrant Appianus et alii. LINDENBR.

14. *Canopus inde* XII. *disiungitur lap. quem, ut priſcae memoriae tradunt, Menelai gubernator ſepultus ibi*] Mſſ. *Caniſius inde* male. Scylax in Periplo, pag. 149. ἐπὶ τῷ στόματι τῷ Κανωπικῷ ἐστὶ νῆσος ἔρημη, ᾗ ὄνομα Κάνωπος, καὶ σημεῖα ἔστιν ἐν αὐτῇ τοῦ Μενέλεω τοῦ κυβερνήτου τοῦ ἀπὸ Τροίας, ᾧ

Digitized by Google

ὄνομα Κάνωπος τὸ μνῆμα, etc. Vide * omnino Ariſtidis Oration. Aegyptiacam pag. 96.* et Strab. lib. XVII. p. 801. Almel. Solin. cap. 34. Senec. Epiſt. 51. VALES.

Canopus] ad Canopicum Nili oſtium ſitum oppidum, libidinibus famoſum. *Impendio* impenſis, ſumtibus. *Extra mundum noſtrum* in alio prorſus orbe. *Aprico ſpiritu* (Dat.) calidiori, terreſtri. *immurmurantes ventos* a mari venientes. W.

15. *Regionum maximam partem.*] Scaliger in Notis ad Euſebium numero 2274. hunc locum ſic emendat, *regionum maximam, quae Bruchion appellabatur.* Sed praeridet emendatio, quae nobis repente in mentem venit: *Amiſit regionis max. partem, quae Bruchion appellabatur.* Epiphanius Βρούχιον κλίμα, id eſt regionem Bruchium dictam ſua aetate deſertam fuiſſe teſtatur: et Hieronymus in vita Hilarionis, Monachos (quod genus hominum ſolitudinem ſectari ſolet) ibi habitaſſe memorat. *Auctor vitae Apollonii Dyſcoli Προύχιον vocat: ᾤκει δὲ ἐν τῇ Προυχίῳ περὶ τὸν δρόμον, ἐν τόπῳ οὕτω καλουμένῳ περὶ τὴν Ἀλεξάνδρειαν, ἔνθα καὶ ἐτάφη.* * VALES. Immo eſt numerus 2285. et ineptum eſt illud *regionis.* ORON. Cf. Caſaub. ad Scriptt. Hiſt. Aug. T. I. p. 182. et Salmaſ. p. 183. W.

Bruchion appellabatur, diuturnum praeſtantium hominum domicilium] Meminit huius Bruchii D. Hieronym. in Vita S. Antonii: *Divertit ad quosdam fratres, notos ſibi in Bruchio, haud procul ab Alexandria.* Et poſt pauca: *De Bruchio per inviam ſolitudinem intravit Oaſin.* Epiphan. locum bibliotheca inſignem fuiſſe indicat, lib. de Ponderibus et menſ. pag. 536. LINDENBR.

Diuturnum praeſt. hominum domicilium.] Ante haec verba punctum notatur in Editione Auguſtana, ut haec ad Alexandriam ipſam referantur: quod fortaſſe verius eſt. Tamen de Bruchio non incommode intelligi poſſunt. Etenim eo loci Philadelphus bibliothecam exſtruxerat, ut ſupra ex Epiphanio adnotavi. Circa hanc bibliothecam viros doctiſſimos diverſatos eſſe credibile eſt, quibus Philadelphus annonam et ſalaria e publico conſtituerat. Hic enim primus doctorum hominum collegium inſtituit, quod Muſeum dictum eſt: ut ſcribit Plutarchus in ea Diſſertatione, qua probat non poſſe iucunde vitam agi ex Epicuri praeceptis: et Timon Phliaſius, quem Philadelpho carum fuiſſe ex Laërtio ſcimus, hoc Muſeum τάλαρον in Sillis appellat, teſte Athenaeo in lib. I. p. 22. D. eo quod in eo Philoſophi tamquam altiles aves in cavea ſaginarentur. Porro Muſeum nil aliud erat quam Muſarum templum, quibus etiam Philadelphus ſollemnes inſtituerat ludos, μουσεῖα Graece dictos, teſte Vitruvio in principio lib. 7. Erat autem Muſeum pars Regiae, ut refert Strabo. Regia autem ipſa maximam civitatis partem obtinebat. Ex his confici videtur, Muſeum et Regiam in Bruchio ſita fuiſſe. Quare iam intelligimus, cur Bruchium in illa ſub Aureliano obſidione tamdiu reſiſtere potuerit. Erat quippe pars civitatis munitiſſima. Vide Euſebium in lib. 7. Hiſt. cap. 52. VALES. De Alexandria omnino et Alexandrinorum moribus vide Dionem Chryſoſt. Or. 32. Dion. Caſſium XXXIX, 58. I, 24. Gibbon. T. II. p. 196. ſſ. T. V. p. 60. 175. W.

16. *Ariſtarchus*] Criticus celeberrimus, vixit Alexandriae, regnante Ptolemaeo Philometore. W.

Grammaticae rei doctrinis.] Editio Rom. [ut et codex Colbert.] habet *domis:* ex quo P. Caſtellus *donis* emendaverat: quam eius emendationem codex Regius confirmat. VALES.

Herodianus artium minutiſſ. ſciſcitator] Vitam eius Suidas narrat: ex operibus Phrynichus quaedam excerpſit, quorum fragmenta penes me ſunt. LINDENBR.

Herodianus] Grammaticus, de quo vid. praeter Suidam Tillemontius T. II. P. 2. p. 730. Nonnulla eius Moeridi Atticiſtae ſuo addidit Pierſonus. W.

Saccas Ammonius.] Suidas ex Porphyrio in Σάκκας. LINDENBR.

Saccas Ammonius Plotini Mag.] Saccas videtur ex eo dictus Ammonius, quod mercibus ex portu Alexandrino comportandis victum ſibi quaeſiviſſet: cuiusmodi homines Saccarios antiqui vocabant, ut videre eſt in Codice Th. tit. de Saccariis Portus urbis Romae. Suidas, πλωτῖνος, inquit, μαθητὴς Ἀμμωνίου τοῦ πρώην γενομένου σακκοφόρου. Idem in Origene, Saccam cognominatum eſſe ſcribit Ammonium. Hierocles in lib. de providentia, hunc Ammonium θεοδίδακτον appellat, eumque primum Platonicae et Ariſtotelicae Philoſophiae concordiam ait hominibus oſtendiſſe: idque diſcipulis ſuis Plotino atque Origeni aperuiſſe, ut refertur in Bibliotheca Photii. Atque hic tantus vir Chriſtianus cum fuerit, merito inter Scriptores Eccleſ. ab D. Hieronymo recenſetur. Quamquam Porphyrius in lib. 3. contra Chriſtianos, eum a Chriſti fide ad numinum cultum deſciviſſe ſcripſit: ſed eum Euſebius in lib. 6. Hiſt. refellit. Huius Ammonii, quod ſciam, hodie nihil exſtat. Nam Commentarii in Ariſtotelem, alterius ſunt Ammonii Hermiae filii, qui Procli auditor fuit Anaſtaſii Aug. temporibus. *Hic eſſe videtur Ammonius Peripateticus Philoſophus, quem πολυγραμματώτατον fuiſſe ſaeculi ſui, teſtatur Philoſtratus in Sophiſtae Hippodromi Vita, quo qui plura legiſſet, neminem ſe vidiſſe. Et memoriter quidem plura didicit, (inquit) quam ullus Graecorum, qui memoria excelluere poſt Alexandrum Cappadocem: plura autem legit quam ullus poſt Ammonium Peripateticum. Nullum enim adhuc vidi, qui hoc Ammonio plura legiſſet.* VALES.

Didymus multiplicis ſcientiae coepti memorabilis] **Io. multiplicis ſcientiae captu memorabilis:* ex Gruteri coniectura.* Mſ. *capti memorabilis.* Divinent alii. LINDENBR.

Coepti memorabilis.] Legendum eſſe conieceram *ſcriptis memorabilis.* *Eodem enim errore in libro 15. ubi legitur, *quaſi proſcripti i. nec. Mri. mil. etc.* cap. v. Mſſ. omnes habent *quaſi procapti, etc.** Erit fortaſſe, cui haec Iani Gruteri coniectura magis arrideat, *multiplicis ſcientiae captu memorabilis.* VALES. Eam non ut coniecturam, ſed ex Mſſ. profert Ian. Wouwerius cap. XVII. Polymath. GRON.

In illis VI. *libris, ubi Tullium repreh.*] Contra hos Didymi libros pro Cicerone ſcripſit Suetonius Tranquillus, teſte Suida. VALES.

Didymus Chalcenterus] cui triplex quaſi aes circa pectus eſſet, ferreae homo induſtriae. — *Eminuit.* Al. *emicuit*, quod melius eſſe videtur Salmaſio ad Solin. p. 28. — *Imperfecte* non ſatis iuſte. W.

Sillographos imitatus ſcriptores maledicos] Suid. Σίλλος ὁ μῖμος, ἢ ὁ μῶμος, καὶ ἡ κακολογία, καὶ ὁ χλευασμὸς, καὶ ὁ ταῦτα γράφων, σιλλογράφος. *Vid. Athenaeum hb. 1. pag. 22.* Sillorum libros tres Timonem Scepticum ſcripſiſſe Diogen. Laertius in eius Vita ait. *Ex quibus etiam verſus quosdam in Platonem maledicentiſſimos adducit A. Gellius Noctium Attic. l. 3. c. 17.* LINDENBR.

Sillographos imitatus ſcriptores.] Silli Graece dicuntur maledica et ſatyrica carmina, atque inter poeſim a Polluce recenſentur in lib. 4. Heſychius, σίλλος, ait, ἔμμετρον σκῶμμα. Euſtathius in 2. Iliad. ait a veteribus Criticis notatum eſſe, eo genere carminis primum uſum eſſe Homerum in deſcribendo Therſite, et ubi Therſites Reges irridet: eſſe autem ſillos genus poëſis comicae, qua qui utuntur, ſillographos dici. Et Iulianus in tractatu, quomodo Cynice ſit philoſophandum, ait Archilochum ideo fabulas carminibus ſuis miſcuiſſe, ut poëta, non autem ſillographus haberetur. Inter ſillorum poëtas numeratur a Strabone in lib. 14. p. 643. Almel. Xenophanes Colophonius Phyſicus: ſed omnium celeberrimus fuit Timon Phliaſius, qui tribus libris omnes dogmaticos laceravit, in quibus Xenophanem illum, de quo dictum eſt, loquentem inducebat, ut ait Sextus in lib. 1. Hypotyp. et Diogenes Laërtii f. In eo autem opere Timon parodia frequenter uſus eſt, translatis ex Homero verſibus, atque hemiſtichiis. Hoc eſt quod Diogenes ait in eius vita: σιλλαίνει τοὺς δογματικοὺς ἐν παῤῥῳδίαις εἴδει. Exempli gratia de Cteſibio Menedemi diſcipulo dicit in Sillis:

Δειπνομανὴς, νεκροῦ ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἀκύλιστον.

qui verſus annon ex hoc Homerico per parodiam translatus eſt?

Οἰνοβαρὲς, κυνὸς ὄμματ' ἔχων, κραδίην δ' ἐλάφοιο. VALES.

Sillographos] dictos a *ſillis*, mordacium carminum genere, Romanorum quodammodo ſatiris ſimili. v. Caſaubonum de Satyrica Graecorum poëſi et Satira Rom. ed. Rambach. p. 219. — *Putredulis* (rectius putridulis, vel putidulis) raucis. W.

Vanus catulus.] Sic placuit P. Caſtello, cum in Edit. Rom. legeretur *canus catulus*, perinde ac in Mſ. Flor. [ac Colbert.] At in Regio codice *canis catulus* ſcriptum reperi. Politianus in cap. 1. Miſcellaneorum, ubi hunc locum uſurpat, lucernarium catulum dicit. VALES. Erneſt. ſ. v. canus coniecit *catus catulus*. W.

17. *Ne nunc quidem in eadem urbe doctrinae variae ſilent.*] De Aegyptiis Menander Rhetor in libro 3. idem dicit: ubi docet quomodo urbes a ſtudiis laudandae ſint pag. 608. ὡς περὶ Αἴγυπτον ἀστρολογίαν καὶ γεωμετρίαν ἀξιοῦσι παρ' αὐτῶν γεγενῆσθαι. Et antea de Alexandrinis dixerat: ἔτι δὲ καὶ νῦν τοὺς Ἀλεξανδρέας ἐπὶ γραμματικῇ, γεωμετρίᾳ καὶ Φιλοσοφίᾳ. VALES.

Recalet apud quosdam adhuc licet, atros conſideratio mundani motus.] Per *atros* quos intelligat, incertum eſt. Videtur tamen denotare Chriſtianos, quorum veſtitus talis, praecipue Monachorum, quos in Bruchio iſtis temporibus degiſſe paullo ante laudata Hieronymi verba probant: et de colore hoc atro quo utebantur, Eunapius in Aedeſ. *Verior tamen videtur lectio, ſi ἀντὶ τοῦ *atros*, *raros* legamus. Quosdam nempe, ſed paucos reperiri, qui motuum caeleſtium ſtudio capiantur.* LINDENBR.

Licet atros.] Malim *licet raros.* Sic fere in lib. 19. ſub finem: *Noſtri quoque licet rari videbantur exanimes.* Nam de Monachis pulla veſte amictis intelligere, ut Lindenbrogius coniiciebat, abſurdum mihi videtur. VALES.

Haud numero pauci.] Haec eſt emendatio P. Caſtelli. Nam in Editione Rom. perinde ac in codice Regio, *et Toloſ.* [ac Colbert.] legitur, *aut numeros pauci.* Unde apparet ſic a Marcellino ſcriptum fuiſſe, *doctique ſunt numeros haud pauci*, id eſt arithmeticam. VALES.

Scientia, quae fatorum vias oſtendit] ars divinandi, futura praedicendi. W.

18. *Medicinae autem*] Alexandrini Medici quanto in pretio iſtis temporibus fuerint, indicat Galenus in lib. de Anatom. et Iulianus Auguſt. Epiſt. XLVI. LINDENBR.

Medicinae a. ita ſtudia augentur in dies.] Libanius in libri IV. epiſtola 95. ad Marium de Chryſogono Phoenice, ſuo diſcipulo loquens, ait, eum relicta Schola ſua navigaſſe in Aegyptum, ut Medicinam ibi cito diſceret ſub Profeſſore Magno. Idem teſtatur etiam Theodoritus in Epiſtola 224. Fulgentius Planciades in l. 1. Mythologici Alexandriae in cunctis fere angiportis fuiſſe Medicorum domicilia ſcribit.* VALES.

Licet opus ipſum redoleat.] Id eſt, licet opere ipſo prodatur Medici peritia. Simile eſt apud Graecos illud proverbiale dicendi genus: αὐτὸ δείξει τὸ ἔργον: de quo Suidas et Heſychius. Ariſtophanes in Lyſiſtrata: Τοὔργον τάχ' αὐτὸ δείξει. Aeſchines contra Cteſiphontem: καὶ αὐτὸ ἐδείξε τὸ ἔργον. Utitur etiam Iulianus in Epiſt. ad Alexandrinos. Sic apud Terentium in Eunucho, Actu 3. Scena 2.

Th. *Perpulcra credo dona, haud noſtris ſimilia.*
Parm. *Res indicabit.*

Et iterum in actu 4. et alibi ſaepe. Quae cum ita ſint, non probo eam lectionem, quam ex Fauch. codice profert Gruterus: *Licet opus id non red.* VALES.

19. *Intelligendi divini* τοῦ θείου, naturae Deorum, numinis, *aditionem*. quae vox ſi ſana eſt, aditus, vias denotare videtur. Erneſtius dubitabat, an praeferendum eſſet *editionem.* — *Praeſenſionum*, divinationum, nam paullo poſt de Anaxagora tremores terrae *praedicente.* W.

Mathemata huiusmodi ab Aegypto] Strabo lib. XVII. pag. 542. Suid. in Γεωμετρία. LINDENBR.

Mathemata.] In Codice Regio [et Colbert.] et Editione Rom. lacuna erat, quam Caſtellus *Matheſeos* vocabulo ſuppleverat. Exſtitit poſtea Gelenius, qui *Mathemata* edidit: quod nullo modo hic convenire iudico, *mallemque omnino reſcribere, *huiusmodi arcana.** VALES. *Mathemata* diſciplinas omnino. W.

20. **Haec primum homines ad v. relligionum incunabula pervenerunt.*] Primi omnium Aegyptii et Deorum notitiam habuiſſe, et templa ac delubra exſtruxiſſe, et ſollemnes conventus inſtituiſſe dicuntur. Primi etiam nomina ſacra intellexiſſe, et ſermones myſticos docuiſſe perhibentur: ut tradit Lucianus in libro de Dea Syria. Sed et Apollinis oraculo id ipſum confirmatur, quod ex Porphyrio refert Euſebius in libro 9. Praeparationis Evang. capite x. tribus verſibus:

Digitized by Google

Ἀτραπιτοὶ δὲ ἔασαιν ἀϑέσφατοι ἐγγεγαυῖαι,
Ἃς πρῶτοι μεμόπων ἐπ' ἀπείρονα πρῆξιν ἔφηναν
Οἱ τὸ καλὸν πίνοντες ὕδωρ νειλώτιδος αἴης.

Ad quos verſus alluſiſſe videtur Marcellinus noſter paullo ſupra, ubi dicit: *Sed ſi intelligendi divini aditionem multiplicem, etc.* Eodem referendus videtur locus Chryſoſtomi ex Homilia 8. in Matthaeum, ubi de Aegypto ita loquitur: καὶ τὴν ποιητῶν καὶ φιλοσόφων καὶ μάγων μητέρα, καὶ τὴν πᾶν εἶδος μαγγανείας εὑροῦσαν, καὶ τοῖς ἄλλοις διαδοῦσαν, ταύτην ὄψει νῦν ἐπὶ τοῖς ἁλιεῦσι καλλωπιζομένην. Id eſt: *Et illam Poëtarum et Philoſophorum et Magorum parentem, et quae omne maleficii genus invenit, ad reliquis etiam hominibus communicavit, videbis modo piſcatorum magiſterio gloriantem.* VALES.

Conditas ſcribis arcanis.] *Is. ſcriptis arcan.* LINDENBR.

Condita ſcribis arcanis.] In Fauchetii libro legitur *ſcriptis arc.* quod equidem probo. Intelligit enim *ἱερὰς βίβλους*, quas a Mercurio Trismegiſto patre Tat interpretatas in adytis Aegyptiorum reconditas eſſe tradit Manetho. *ἱερατικὰ βιβλία* vocat Clemens in lib. 6. Strom. quem vide. Ait enim 42. Mercurii libros fuiſſe. Ex his libris quidam fuit *τὰ γενικὰ τοῦ ἑρμοῦ* dictus: fuere et *κυρανίδες βίβλοι*, de quibus docte Cl. Salmaſius in Praefatione ad Solinum: fuere et *τὰ φυσικὰ τοῦ ἑρμοῦ*, quae citat Zoſimus in lib. 9. de Chemia. Citatur et *ἱερὸς λόγος* a Stobaeo in Phyſicis. VALES.

21. *Colens ſecretius Deos*] quaſi interior ipſi familiaritas cum iis intercederet, uti Iſocrates ait in Buſiride p. 375. ed. Lange. *ἀφικόμενος εἰς Αἴγυπτον — τήν τε ἄλλην φιλοσοφίαν πρῶτος εἰς τοὺς Ἕλληνας ἐκόμισε, καὶ περὶ τὰς θυσίας τε καὶ τὰς ἁγιστείας τὰς ἐν τοῖς ἱεροῖς ἐπιφανέστερον τῶν ἄλλων ἐσπούδασεν.* W.

Femur ſuum aureum apud Olympiam ſaepe monſtrabat] Iamblichus in Vita Pythag. pag. 131. (et ibi Küſter p. 118. W.) *Apollonius in Hiſtoria Admiranda cap. 6. p. 105. Nicetas Choniat. in Theſauro Orthod. lib. 1. cap. 4. Origenes contra Celſum pag. 284. 288. Malchus de Vita Pythag. p. 18. verſ. 7. LINDENBR.

Cum aquila colloquens ſubinde.] Iamblichus de Vita Pythagorae pag. 67. (p. 119. ed. Küſter.) LINDENBR.

22. *Lapides e caelo caſuros.*] Unicum lapidem e caelo caſurum praedixit, ut ceteri omnes narrant. Sed cum Ammiano plures dicit Philoſtratus in lib. 1. de vita Apollonii, cap. 2. et Tzetzes in Chiliade 6. VALES. Cf. ſupra c. 8. W.

Putealem limum contrectans.] Cum multa apud veteres de Anaxagora ſcripta exſtent, huius tamen praedivinationis nusquam mentio facta. De Pherecyde ſane conſtat, eum tale aliquid praedixiſſe, non cum limum tangeret, ſed cum putealem aquam biberet. Diogen. in Pherecyde. *Apollonius in Hiſtoria Admiranda pag. 104. cap. 5. Plin. lib. 2. c. 79. Cicero de Divinat. lib. 2. pag. 282. *An hoc eiusmodi eſt, quale Pherecydeum illud? qui cum aquam vidiſſet (is. bibiſſet) ex puteo hauſtam, terrae motum dixit futurum.*" LINDENBR.

Solon ſententiis adiutus Aegypti Sacerd. latis iuſto moderamine Legib. Romano quoque Iuri.] Sane verum hoc, in componendis Legibus ſuis multa imitamenta ex Solonis axonibus Romanos ſumpſiſſe. Cicero de Legib. 2. *In* XII. *de minuendo ſumtu lamentationeque funeris translata ſunt de Solonis fere Legi-*

bus. Ex iisdem etiam Syllam sumptuarias Leges reparasse Ammianus lib. XVI. scribit. Vid. Hisidor. Origin. lib. V. cap. 1. LINDENBR.

Solon sententiis adiutus Aegypti Sac.] Haec caute accipienda sunt: nam constat Solonem latis demum legibus in Aegyptum venisse, ut testatur Herodotus lib. 1. c. 30. Heraclides de Republ. Athen. et Plutarchus in Solone. VALES.

Latis legibus] in XII. Tabulas receptis. W.

Sermonum ampl. Iovis aemulus non visa Aegyp.] Legendum: *Iovis aemulus Plato visa Aegypto, etc.* Certe id de Platone intelligendum esse non dubito, de quo ab antiquis dictum accepimus, Iovem, si Graece loqui vellet, sicut Platonem esse locuturum. Dionysius Halic. περὶ δημοσθένους δεινότητος. ἤδη δέ τινων ἤκουσα ἐγὼ λεγόντων, ὡς εἰ καὶ παρὰ θεοῖς διάλεκτός ἐστιν ἡ τὸ τῶν ἀνθρώπων κέχρηται γένος, οὐκ ἄλλως ὁ βασιλεὺς ὢν αὐτῶν διαλέγεται θεὸς ἢ ὡς πλάτων. Hoc de Platone dictum Ciceroni tribuit Plutarchus in eius vita: sed Cicero ipse in Bruto c. 31. aliis tribuit. *Quis enim*, inquit, *uberior in dicendo Platone? Iovem aiunt Philosophi, si Graece loquatur, sic loqui.* Idem de Democrito veteres quidam dixerant. Sextus Empiricus lib. 7. δημόκριτος δὲ ὁ τῇ Διὸς φωνῇ παρεικαζόμενος ob certitudinem eius dictorum. VALES.

Per sublimia gradiens sermonum amplitudine] sublimi et gravi dictione. W.

23. *Subfusculi*] subnigri. Praeter Ammianum laudat Gesner h. v. Appuleium. W.

* *Magisque maestiores.*] Atqui Dio Chrysostomus in Oratione 32. ad Alexandrinos, γελοίους eos fuisse testatur in ipso Orationis exordio, et sub finem pag. 393. ἱλαροὺς eosdem appellat. Quare assentior propemodum Claudio Salmasio, qui in Exercitationibus ad Solinum hunc Marcellini locum sic emendat: *Et atrati magis quam maesti oris.* Mox legendum puto: *Graciles, minuti, et aridi,* idque ex vestigiis veteris scripturae. Nam in codice Vaticano et in Editione Rom. scriptum est: *gracilem niti et ardi:* in Colbertino Mf. *gracilem niti et aridi.** VALES. Ingeniosa profecto est Salmasii coniectura, sed vereor, ut certa. Loquitur enim Ammianus, ni fallor, de Aegyptiis omnino, qui, ut vicini Syri, atra bile laborasse videntur, non de Alexandrinis, qui peregrinorum civium, quos illa urbs permultos habebat, quotidiana consuetudine ad laetitiam usque et luxum adeo mitigari se passi sunt. W.

Ad singulos motus excandescentes] levissimo animi motu affecti vehementius exardescunt. *controversi*, rixoli. *reposcones* (vox Ammiano propria) *acerrimi* Gesnerus recte eosdem esse dicit, qui Ciceroni in Bruto.... flagitatores sunt acres, molesti et assidui. cf. supra c. 6. — *Inficiando tributa* tergiversando, ne tributa solvant. W.

Nulla tormentorum vis.] Idem de Aegyptiis refert elegantissimus scriptor Aelianus lib. 7. ποικίλ. ἱστ. cap. 18. αἰγυπτίους φασὶ δεινῶς ἐγκαρτερεῖν ταῖς βασάνοις, καὶ ὅτι ῥᾷττον τεθνήξεται ἀνὴρ αἰγύπτιος στρεβλούμενος ἢ τ' ἀληθὲς ὁμολογήσει. De furacitate Aegyptiorum videndus est Diodorus Siculus lib. 1. c. 80. qui idcirco severissimas leges de furtis ab Aegyptiorum Regibus latas esse commemorat. VALES.

* *Quae obduratum ullius pectus latrociniis.*] Cum in Mss. Vatic. Regio, Tolos. ac Colbert. et in Editione Rom. sic lega-

Digitized by Google

tur: *Quae obdurato illius pectus latrocini invito elicere potuit ut, etc.* in Colbert. *eligere*, locum feliciter restitui: *Quae obdurato illius tractus latroni invito elicere potuit, ut nomen propr. dicat.** VALES.

24. *Superatis apud Actium bello navali Antonio et Cleopatra, provinciae nomen accepit.*] Strabo lib. XVII. Ἐπαρχία νῦν ἐστὶ, φόρους μὲν τελοῦσα ἀξιολόγους, ὑπὸ σωφρόνων δὲ ἀνδρῶν διοικουμένη τῶν πεμπομένων ἐπάρχων ἀεί. LINDENBR.

Aridam Libyam supremo Apionis Regis consecuti sumus arbitrio.] Rufus Festus in Breviario c. 13. *Cyrenas cum ceteris civitatibus Libyae Pentapolis Ptolemaei antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Apionis Regis arbitrio sumus adsecuti.* Liv. Epitome lib. LXX. Appianus de Bello civil. lib. I. c. III. Eutropius lib. VI. LINDENBR.

Supremo Apionis Regis.] Haec et superiora omnia ex Rufi Festi Breviario prope ad verbum Ammianus exscripsit. *Cyrenas*, ait Festus c. 13. *cum ceteris civitatibus Libyae Pentapolis Ptolemaei antiquioris liberalitate suscepimus. Libyam supremo Apionis Regis arbitrio sumus adsecuti. Aegyptus omnis sub amicis Regibus fuerat; sed victa cum Antonio Cleopatra, provinciae formam Octaviani Caesaris Aug. temporibus accepit.* Quin Ammianus noster a Festo mutuatus sit, dubium non est. Scripsit enim post Rufum Festum. Hic Valenti Aug. opus suum nuncupavit: noster autem Ammianus Historiam scripsit imperante Theodosio, ut in Prolegomenis ostendimus. Sola superest difficultas, quis ille sit Ptolemaeus antiquior Cyrenarum Rex, et an alius sit ab Apione. Hieronymus in Chronico Olymp. 171. *Ptolemaeus*, ait, *Cyrenarum Rex moriens, Romanos testamento dimisit heredes.* Idem Olymp. 178. anno 3. *Libya per testamentum Apionis Regis Romanis relicta.* Ex quibus locis Scaliger in Eusebianis Animadvers. et ante eum Sigonius in lib. I. de antiquo iure provinciarum, duos fuisse Ptolemaeos asserit, alterum Cyrenarum, alterum siccioris Libyae sive Ammoniacae Regem, et utrumque Apionem esse dictum. Verum duos fuisse Ptolemaeos Apionas numquam mihi ipse persuadere potui, neque tanti est apud me horum trium Scriptorum hac in parte auctoritas, maxime cum Livius epitome 70. et Eutropius VI, 11. (9.) Iustinus XXXIX, 5. atque Appianus lib. I. bellorum Civil. c. III. et in Mithridat. c. 121. unum Ptolemaeum Apionem Cyrenarum Regem agnoscant, Ptolemaei Physconis ex pellice filium, quem Cicero in 2. contra Rullum, et Tacitus lib. 14. c. 18. ac Eutropius Apionem simpliciter appellant. Atque hic Ptolemaeus moriens Cyrenarum Regnum pop. Rom. reliquit. Cyrenarum autem Regno etiam siccior Libya tunc quidem continebatur: quae longe postea a Cyrenaica, seu Pentapoli disparata est, ut Ammianus supra testatur. Quo igitur Apionis illius Regis Libyae commenticii testamentum? cum ex Ptolemaei Cyrenarum Regis testamento haec universa pars Libyae Romanis iam legata fuisset. An id umquam tacuisset Titus Livius? cuius etsi libri interciderunt, Epitomas tamen, seu potius, ut appellare soleo, Prologos maxima diligentia confectos habemus. VALES.

Cyrenas cum residuis civit.] Quando primum Cyrene in provinciae formam redacta sit, difficile est dicere. Neque enim statim post obitum Ptolemaei Apionis provinciae ius accepit. Decessit Ptolemaeus Apion Cyrenarum Rex C. Cassio, et Cn. Domi-

Digitized by Google

tio Coss. anno Urbis conditae 657. ut docet Iulius Obsequens ex T. Livio, et Calliodorus in Fastis, ex D. Hieronymo in Chronico. Epitome Livii lib. 70. *Ptolemaeus Cyrenarum Rex, cui cognomentum Apionis fuit, heredem pop. R. reliquit. Eius regni civitates Senatus liberas esse iussit.* Diuque liberae ac per id seditionibus obnoxiae Cyrenae manserunt, Romanis bello Mithridatico ac Civili tum maxime occupatis. Certe anno Urbis 667. iamtum Cyrenaeos legitimis Regibus spoliatos, ac libertate sua male usos comperio. Nam Plutarchus in Lucullo, initio, narrat Lucullum a L. Sylla Athenas oppugnante missum esse in Aegyptum ac Syriam ad classem comparandam, (id autem gestum esse eo quo dixi anno testatur Sigonius in Fastis) eumque, cum Cyrenas appulisset, Cyrenaeos offendisse bellis Civilibus ac continuis Tyrannorum motibus vexatos. Ibi cum eum Cyrenaei rogassent, ut sibi leges ferret, fecit id sapientissime, eosque in meliorem statum reduxit. Quod si Tyrannorum Cyrenensium nomina quis requirit, idem Plutarchus in lib. de fortibus mulierum gestis docet, Nicocratem filiumque eius Leandrum fuisse, quos circa bellum Mithridaticum scribit tyrannidem Cyrenis invasisse. Ex quibus patet verissimum esse id quod in Epitome Livii memoratur, Senatum scilicet iussisse, ut Ptolemaici Regni civitates liberae essent. Alioquin, si in provinciae formam redactae fuissent Cyrenae, quomodo in Provincia populi Rom. pater ac filius tamdiu tyrannidem exercere potuissent? Confecto demum Cretico bello Cyrenaica provinciae formam accepisse mihi videtur circa annum Urbis 686. Movet me Eutropius, qui lib. 6. c. 11. postquam Creticum bellum retulit, haec subiungit: *Quo tempore Libya quoque Romano Imperio per testamentum Apionis qui Rex eius fuerat, accessit, in qua inclytae civitates erant Berenice, Ptolemais, et Cyrenae.* Sic enim Eutropii verba intelligo, non ut Apion tunc mortuus sit, quem tot antea annis decessisse supra probavimus: sed ut tunc primum Cyrenaica provincia pop. Rom. facta sit. Nam de ficticio Apione liccioris Libyae Regulo Eutropii verba accipere, somniare est, et contra Eutropii mentem. Aut enim de Ptolemaeo Cyrenes Rege verba Eutropii accipienda sunt, aut Cyrenas bis pop. Rom. legatas a duobus Ptolemaeis, qui ambo Apiones dicantur, admittere oportet: quod cum nullus omnino Scriptor nos expresse docuerit, nonnisi temere affirmari credive potest. Atque ex hoc Eutropii loco male intellecto, Rufi Festi, atque Ammiani, Divique Hieronymi fluxisse error videtur. Ceterum Appianus in lib. 1. Civil. paullo antea Cyrenaicam provinciam factam indicat Olymp. 176. id est anno Urbis 677. *τοῦ δ' ἐπιόντος ἔτους ἑκτῆς ἑβδομηκοστῆς καὶ ἑκατοστῆς ὀλυμπιάδος οὔσης δύο ἐκ διαθηκῶν ἔθνη ῥωμαίοις προσεγένετο, βιθυνία τε νικομήδους ἀπολιπόντος, καὶ κυρήνη πτολεμαίου τοῦ λαγίδου.* Quae eodem modo accipienda esse atque illa Eutropii apparet ex iis quae modo disputavimus. Fallitur ergo Onufrius, qui in libris de Imperio Romano Cyrenaicam ab Aug. provinciam factam esse scribit, Cretaeque insulae contributam. Refellit id Appianus, qui lib. 3. Civilium c. 8. narrat, Cretam ac Cyrenaicam provincias Bruto et Cassio decretas esse. VALES. Difficultatem loci omnem optime enodavit Tzschuckius ad Sext. Rufum c. 13. W.

Digitized by Google

Libri ſequentes *librariae Weidmanniae* Lipſiae ſumtibus ſunt editi coëmtive pretiisque quae indicavimus venduntur.

Abulfedae Tabulae quaedam geographicae et alia eiusdem argumenti Specimina, e Codd. Biblioth. Leidenſis nunc primum arabice edidit Frid. Theo. *Rinck.* 8 mai. 1791. 1 thlr. 4 gr.

— — Idem liber, charta belg. opt. 1 thlr. 16 gr.

Artedi, Petri, Synonymia piſcium graeca ac latina, emendata, aucta atque illuſtrata. Sive hiſt. piſcium naturalis et literaria ab *Ariſtotelis* usque aevo ad ſaeculum XIII. deducta duce Synonymia piſcium P. *Artedi.* Accedit Diſputatio de veterum ſcriptorum Hippopotamo, cum tab. III. aeri inciſis, auctore Io. Gottl. *Schneidero.* 4 mai. 1789. charta ſcript. 4 thlr.

Ariſtophanis Nubes, graece et latine, cum ſcholiis graecis et animadverſ. illuſtravit T. C. *Harles.* 8 mai. 1788. 1 thlr. 8 gr.

Bocharti, Sam., Hierozoicon, ſive de animalibus ſacrae ſcripturae. Recenſuit ſuis notis adjectis E. F. C. *Roſenmüller.* III. Tomi. 4 mai. 1793—96. 19 thlr.

— — Idem liber, charta ſcript. 23 thlr.

Bos, Lamberti, Ellipſes graecae. Cum priorum editorum ſuisque obſervationibus edidit Godofr. Henr. *Schaefer.* 8 mai. 1808. Charta membranacea, ſcript. nec non bibula.

Bruckeri, Iac., Hiſtoria critica Philoſophiae a mundi incunabulis ad noſtram usque aetatem deducta. Edit. ſecunda, Volumine VIto acceſſionum et ſupplementorum auctior. VI Volumina, 4 mai. 1767. 25 thlr.

— — Idem liber, charta ſcript. 30 thlr.

— — Eiusdem libri Appendix, acceſſiones, obſervationes, emendationes, illuſtrationes atque ſupplementa exhibens. Operis integri Vol. VItum. 4. 1767. 5 thlr.

Codex epiſtolaris *Rudolphi I.* Rom. Regis, Epiſtolas CCXXX anecdotas continens. Ex Cod. Mſpto membranaceo biblioth. publ. Trevirenſis eruit — correctis inſuper, et Supplemento auctis, a *Gerberto* editis, aliis XV. — Auctario duplici epiſtolar. et chartarum, ad res Bohemiae ſub *Primisl. Ottocaro* R. II. geſtas, et ad Electiones Regum German. ſaec. XIII. et XIV. pertinentium, ex Tabulario ſanctiori *Mogunt.* et *Colon.* inſtruxit, luci publicae, commodisque utentium conſignavit Dr. Franciſc. Joſeph. *Bodmann.* 8 mai. 1806. 1 thlr. 18 gr.

— — Idem liber, charta ſcript. gall. 2 thlr.

Dionyſii, Halicarnaſſei, de ſtructura orationis Liber. Recenſuit ac priorum editorum ſuasque notas adiecit Godofr. Henr. *Schaefer.* Accedunt eiusdem Meletemata critica in *Dionyſii* Halic. artem rhetoricam. 8 mai. 1808. Charta membranacea, ſcript. nec non bibula.

Dionyſii, Halicarnaſſenſis, Archaeologiae romanae quae ritus romanos explicat ſynopſis. Adornavit, animadverſiones interpretum ſuasque et indicem in uſum tironum locuplet. adiecit Dav. Chriſt. *Grimm;* accedunt auctaria quaedam. 8 mai. 1786. 1 thlr. 20 gr.

Fabricii, Io. Alb., Bibliotheca latina nunc melius delecta, rectius digeſta et aucta diligentia Io. Aug. *Erneſti.* III Tomi. 8 mai. 1773. 74. 3 thlr. 16 gr.

— — Idem liber, charta ſcript. 4 thlr. 16 gr.

Digitized by Google

Fabulae Aesopicae, graece, recensuit, varias lectiones atque animadversiones addidit I. C. G. *Ernesti*. Accedit Dissertatio de fab. Aesop. et Index graeco-latinus. 8. 1781. 12 gr.

Freytagii, Frid. Gotth., Adparatus litterarius, ubi libri partim antiqui, partim rari recensentur, collectus. III Tomi. 8 mai. 1752—55. 2 thlr. 16 gr.

Gottleberi, Io. Chr., Animadversiones ad Platonis Phaedonem et Alcibiadem secundum. Adiuncti sunt excursus in quaestiones Socraticas de animi immortalitate cum summa Phaedonis. 8 mai. 1771. 18 gr.

Harlesii, T. C., brevior notitia literaturae romanae, inprimis scriptorum latinorum, cum Suppl. 1 et 2. III Tomi. 8. 1789—1801. 4 thlr. 4 gr.

Harlesii, T. C., brevior notitia literat. romanae, inprimis scriptor. latin. in usum studiosae iuventutis. 8. 1803. 1 thlr.

Hoogeveen, Henrici, Doctrina particularum linguae graecae. In Epitomen redegit Christ. Godofr. *Schütz*. Editio secunda, auctior et emendatior. 8 mai. 1806. Charta impress. 2 thlr. 6 gr.

— — Idem liber, charta script. 2 thlr. 18 gr.

Homeri Hymni et Epigrammata. Edidit Godofredus *Hermannus*. 8 mai. 1806. Charta impress. 1 thlr. 4 gr.

— — Idem liber, charta script. gall. 1 thlr. 12 gr.

— — Idem liber, charta pergamena (Velin) 2 thlr. 6 gr.

Isocratis Panegyricus, recensuit, animadversionibus illustravit D. Sam. Fr. Nath. *Morus*. Editio tertia auctior. 8 mai. 1804. 16 gr.

Leonidae utriusque Carmina. Cum argumentis, varietate lectionis, scholiis et commentario edidit et indice ornavit A. C. *Meinecke*. 8. 1791. 14 gr.

Longinus, Dionysius, de sublimitate, ex recensione Zachariae *Pearcii*. Animadversiones interpretum excerpsit, suas et novam versionem adiecit D. Sam. Frid. Nath. *Morus*. 8 mai. 1769. 1 thlr. 4 gr.

— — Idem liber, cum eiusdem libello animadversionum ad Longinum. 8 mai. 1769 et 1773. 1 thlr. 8 gr.

Lydi, Ioan. Laur., Opusculum de Mensibus ex codd. MSS. Biblioth. Barberinae et Vaticanae, et Fragmentum de terrae motibus ex cod. Bibl. Angelicae Romanae. Graece edidit, varietatem lect. et argumenta adiecit N. *Schow*. 8 mai. 1794. 14 gr.

Schleusneri, I. F., novum Lexicon graeco-latinum in Novum Testamentum. Congessit et variis observationibus philologicis illustravit. II Tomi. Edit. tertia emend. et auct. 8 mai. 1808. (sub prelo)

— — Idem liber, charta script.

— — Idem liber, charta belg.

Eiusdem Additamenta ad novi Lexici graeco-lat. in N. T. editionem primam. 8 mai. 1801. 16 gr.

— — Idem liber, charta script. 1 thlr.

— — Idem liber, charta belg. 1 thlr. 12 gr.

Theocriti Reliquiae, graece et latine, ex recensione et cum animadversionibus Th. Chr. *Harlesii*. 8 mai. 1780. 1 thlr. 20 gr.

Zosimi Historiae, graece et latine; recensuit, notis criticis et commentario historico illustravit Io. Frid. *Reitemeier*; ad calcem subiectae sunt animadversiones nonnullae C. G. *Heynii*. 8 mai. 1784. 1 thlr. 20 gr.

— — Idem liber, charta scriptoria. 2 thlr. 16 gr.

Digitized by Google

OCT 6 - 1939



Digitized by Google

Digitized by Google